
SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE
RI
TAS

Fla
Catholic

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE
PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. III.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXX.

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. III.



ROMAE

EX TYP[illegible]

[illegible]

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. III.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXX.

IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. III.




ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXX.


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE
RI
TAS
CHRISTO ET ECCLESIAE



Ha
Catholic

IURIS PONTIFICII
DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. III.



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXXX.

IUS PONTIFICIUM

DE PROPAGANDA FIDE

SS. D. N. LEONIS XIII. P. M.

IUSSU RECOGNITUM



IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

COMPLECTENS

BULLAS BREVIA ACTA S. S.

A CONGREGATIONIS INSTITUTIONE AD PRAESENS

IUXTA TEMPORIS SERIEM DISPOSITA

AUSPICE

EMO AC RMO DNO S. R. E. CARDINALI

IOANNE SIMEONI

S. C. DE PROPAGANDA FIDE PRAEFECTO

CURA AC STUDIO

RAPHAËLIS DE MARTINIS

EIUSDEM CONG. CONSULT. ET MISSIONIS SACERDOTIS ETC.

Vol. III.



ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MDCCCLXXXX.

IURIS PONTIFICII

DE PROPAGANDA FIDE

PARS PRIMA

BENEDICTUS XIV.

An. C. 1740

CONSTITUTIO I.

Facta et gesta in electione patriarchae Maronitarum nulla et irrita declarat; iure devolutionis Simonem Evodium in patriarcham eligit, excitata dissidia eliminanda curat (1).

Dilectis filiis universis christifidelibus cleri saecularis ac regularis et laicis nationis Maronitarum, Botri, Beryti, Cypri, Tyri ac Tripolis respective dioecesum,

BENEDICTUS PP. XIV.

**Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Laudes nationis Maronitarum.

Praeclara de constanti nationis vestrae Maronitarum catholicae fidei professione, laudabili christianae pietatis cultu, et eximio vestri erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem obsequii, venerationis et adhaesionis zelo, tot luculentis vestrae alacritatis et obedientiae exemplis semper confirmata opinio nos inducit, ut omnes amantissimi potius patris quam severi iudicis partes in praesentia adhibeamus cum venerabilibus fratribus Antistitibus vestris praesertim,

Antistitum schisma.

qui venerabilis fratris Simonis Evodii Patriarchae a nobis ad schisma duorum patriarcharum nulliter electorum tollendum apostolica auctoritate constituti, et ab universis nationis Maronitarum hominibus cum laudum praeconio et plauso excepti, iurisdictione praestitaque illi obedientia sese subduxerunt, et per suas circulares epistolas praeter alia vobis denuntiarunt, ut, nomine tantum Patriarcham Simonem Evodium appellantes, nullam de illius dignitate et auctoritate rationem haberetis.

Hortatio ad concordiam.

Fore enim in Domino confidimus, ut iidem venerabiles fratres Antistites vestri, quos per alias nostras in simili forma brevis literas (2) hac de re absona et per sacros canones tantopere improbata admonuimus, saniora consilia amplectentes, et de commissis delictis dolentes, ad communionem in unitate spiritus, et debitae obedientiae obsequio cum eodem Patriarcha quamprimum redeant. Pluries ipsos Antistites vestros hortati sumus, ac quamplurima praescripsimus, et apostolica auctoritate indulsimus, ut omnia partium studia, dissidia et schismata penitus eliminarentur, et omnia vestra in caritate fierent. Ea propter vobis,

Irritantur antistitum illegitime gesta.

dilecti filii, non solum notum esse volumus, quod nos omnia et singula in negotio huiusmodi ab iisdem Antistitibus vestris, ut a laudati Patriarchae Simonis Evodii iurisdictione se subducerent, facta et gesta annullaverimus, irritaverimusque, et nulla atque irrita et nullius momenti ac roboris esse ac fore declaraverimus; verum etiam vobis apostolica auctoritate nostra iniungimus et mandamus, ut eadem, ut praefati sumus, facta ac gesta omnino nulla atque

---

(1) Ex App. ad Bull. Pont. S. Cong. de Prop. Fide, vol. II., pag. 80. — Lectorem hic advertere cupimus, quod in colligendo acta h. P. quae ad S. C. de P. F. extraordinariam iurisdictionem spectant, diversa eius selectiora ad ius comune et universalem Ecclesiae disciplinam pertinentia adiungimus, quorum scientiam in missionibus necessariam esse existimamus, cum huiusmodi sapientissimi P. acta Concilii Tridentini doctrinam declarent et adfirment.

(2) Has literas haud potuimus colligere, cum in Vat. Arch. desint prima quatuor vol. epist. ad principes et alios. Adest vol. V. quod incipit a die XVI. augusti MDCCXLIII. Si a patriarchali Armenorum tabulario eas habebimus, lector in Appendice inveniet.

Datur facultas confessariis legitime approbatis absolvendi schismati adhærentes a poenis.

irrita habeatis ac teneatis. Praeterea, si quis vestrum, consiliis mandatisque eorumdem vestrorum Antistitum obsequutus, noverit se in quamcumque ecclesiasticam censuram ac poenam incurrisse, imo etiam irregularitatem ob quamcumque hac occasione causam se contraxisse, vobis significamus nos paterna benignitate et apostolica auctoritate tribuisse et elargitos esse quibuscumque confessariis, ad sacramentales confessiones excipiendas per uniuscuiusque legitimum non intrusum Ordinarium approbatis, facultatem, in actu sacramentalis confessionis tantum, a quibuscumque ecclesiasticis censuris et poenis absolvendi, atque etiam super quacumque irregularitate ob praemissa quomodolibet contracta dispensandi. Itaque, dilecti filii, quos paterna caritate complectimur, hortamur vos, ut unusquisque sui officii et debitae erga suum Patriarcham, Dei et apostolicae huius Sanctae Sedis gratia vobis datum, obedientiae memor ad hasce nostras, qui tamquam amantissimus pater a supremo pastorum principe Iesu Christo constituti sumus, admonemus et rogamus vos veluti e somno excitatos, ut ad cor redire festinet unusquisque, atque, nulla interposita mora, non solum salutari poenitentia malum, quod fortasse commiserit, expiare studeat, sed debita etiam cum veneratione et obedientia suum agnoscens Patriarcham, eidem sese subiiciat, atque ipsius edita mandata et praecepta alacri promptoque animo exequi curet. Ita enim et nostram atque huius Sanctae Sedis gratiam ac benevolentiam magis magisque vobis polliceri, et uberiorem a misericordiarum patre et totius consolationis Deo caelestium munerum copiam vobis promereri potestis. Interea ad prosperi successus auspicium vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Hortatur fideles ad obedientiam et poenitentiam.

Fides adhibenda transumptis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. sept. MDCCXL., pontificatus nostri anno I.

II.

Borbonicas Insulas Parisiensis Archiepiscopi, per decem annos, vigilantiae committit; Congregationis Missionis evangelicos operarios ibi expediendos commendat (1).

Venerabili fratri Archiepiscopo Parisiensi,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum pro imposita tenuitati nostrae Apostolici ministerii servitute providendum sit, ne in domo Supremi Patrisfamilias queri ac lamentari quisquam possit, se panem petiisse, nec fuisse repertum, qui eum frangeret, cura nobis suscipienda est habitantium in Borboniis olim Mascaregniis Insulis, ubi sine certo proprioque Pastore vagantur oves; et metus adest, ne incustoditae in praeceps ruant. De ipsis igitur diligentius ad aeternam felicitatem dirigendis, postquam deliberavimus cum hac S. Congregatione ad fidei propagationem instituta, ea tandem nobis verior visa sententia est, ut vigilantiae tuae committeremus eorumdem incolarum procurationem. Quamquam enim ab iis longius distas, praesens tamen adesse potes tui consilii praestantia, tui nominis auctoritate, tui Archiepiscopatus veneratione. Nec tibi novus iste reformidandus est labor; quippe qui moderandi gregis pietate, atque industria polles, ut istiusmodi munere tibi non lacessendi materies, sed tua in Sanctissimam Religionem augendi merita praeberi videatur. Igitur per decem proximos annos rem illic sacram, et quidquid ad ecclesiasticam disciplinam, ad animarum salutem pertinet, damus tibi Sedis Apostolicae nomine administrandam, totamque illam Dioecesim, ut ei cum imperio pastorali praesis, in tui tutelam tribuimus. Quo cum plurimum conferre possint Evangelicorum Missionariorum probitas, sedulitasque, eos, qui nunc ibi degunt, et postmodum adventuri sunt, praecipuo studio abs te gubernandos iurisdictioni tuae per idem tempus subiicimus, quo istud suscepisti gerendum munus. Hos autem Evangelii praecones tibi suppeditare debet Supremus Congregationis, ad Sanctum isthic Lazarum constitutae, vulgo Mis-

(1) Ex App. Bull. de Prop. Fide vol. II., pag. 82.

sionis Praefectus: prius tamen a te probandos, atque expendendos, an tanto Ministerio sint idonei, adhibitâ normâ, quam cum his litteris accepisti.

Aggredere, venerabilis frater, magno, ut soles, animo saluberrimum opus, spe ductus immortalis praemii, quod ab aeterno Pastore numquam deest vineae suae cultoribus, et ingentem a nobis gratiam inituros, cuius pignus apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. octobris MDCCXL., pontificatus nostri anno I.

III.

Confirmat constitutionem Sixti Papae V. de sacris Liminibus Visitandis, *eamque extendit ad Abates aliosque habentes monasteria seu ecclesias cum iurisdictione quasi episcopali et territorio separato* (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a verbis Concilii Sardicensis de

Quod Sancta Sardicensis Synodus Divino edocta magisterio edixit, optimum, et val-

---

(1) Ex Bull. Rom. Romae MDCCXLIX. Instructionem S. C. Concilii super modo conficiendi relationes statuum ecclesiarum, quas eidem S. Cong., occasione Visitationis Sacror. Liminum, exhibere debent Archiep. etc. in Appendice ad calcem huius primae partis dabimus; instructionem vero S. C. de Prop. Fide super Visitatione SS. Liminum in secunda parte huius iuris suo loco inveniet lector: hic tantum transcribimus constitutionem Sixti V.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Romanus Pontifex, Beatissimi Petri Apostolorum Principis Successor, in altissima militantis Ecclesiae specula, divina dispositione collocatus, ex credito sibi apostolicae servitutis officio omnium ecclesiarum solicitudinem habere, totiusque Dominici Gregis, qui unius Sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae per universum Orb. terrarum diffusae, sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Huius vero tam gravis et ingentis oneris, angelicis plane humeris formidandi, magnitudinem ut facilius ferre posset, venerabiles fratres suos catholicos Episcopos in partem suae solicitudinis advocavit; qui tamquam seniores in populo Dei, pleni sapientiae spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum, ut Episcoporum opere et adiumento, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque adhiberet: atque ex sui muneris officio, perdita requireret, abiecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pinguia et fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto ecclesiarum singularum statu certior redderetur, ne quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessario eumdem scire atque intelligere oportet, ut, omnibus cognitis et examinatis, pro ea, quae sibi a Christo Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia aedificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum et temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

Episcopi etc. ex antiquo instituto certis temporibus limina Apostolorum visitare curabant.

§ 1. Ob quas sane causas iure optimo et Spiritus Sancti instinctu, a sanctissimis Pontificibus praedecessoribus nostris iam ab antiquissimis temporibus institutum est, et per multas aetates magno Ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, certis praescriptis temporibus, per se ipsos, vel per certum eorum Nuncium, omni occasione seposita, beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, qui hanc almam urbem suo sanguine consecrarunt, limina, tamquam fidei petram, et totius sacerdotalis unitatis fontem iureiurando se visitaturos pollicerentur, atque ita S. R. E. matris suae complexu recreati, et paterno Summi Pontificis colloquio roborati, ad ecclesias suas regendas, alacriores et instructiores redirent.

Sed variis ex causis hoc institutum refriguit.

§ 2. Ceterum haec tam salutaris, atque necessaria constitutio, partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta praetexentibus, in grave animarum suarum periculum et, quibus praesunt, ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi moerore commemorare non possumus, perniciosissimas haereses, quibus multis iam annis, hominum peccatis ita promoventibus, Ecclesia vexatur, et Christi Domini vestis dilaceratur, ex eiusmodi saluberrimae visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio, ab ipsis Episcopis pro rei gravitate ad Romanum Pontificem relatum esset, sane illius providentia et auctoritate, statim venenatae stirpes ex agro Domini avulsae essent, et diabolici ignis scintillae subito oppressae, atque restinctae, in tot flammas et luctuosa incendia non erupissent.

Hic ideo Pontifex praecipit omnibus praelatis ad ecclesiam promovendis aut transferendis, quod limina Apostolorum statutis hic temporibus visitare iurent, et etiam Pontifici de Pastorali eorum officio rationem reddere, et mandata apostolica diligentissime exequi.

§ 3. Haec, atque alia gravissima incommoda, cum primum ad summi apostolatus apicem, meritis licet imparib. Deo ita volente, vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio, divina gratiâ adiutrice, cogitare coepimus. Urget enim nos Dei timor, et acres animo nostro stimulos, dies noctesq. subiicit, quemadmodum in tremendo illius iudicio, administrationis nostrae rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere, cum crebro in mentem veniant, et quasi aures nostras personent sacrae illae voces comminationis et terroris plenae: Filii hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et sanguinem eius de manibus tuis requiram. Et quod Petro a Domino dictum est: Confirma fratres tuos. Et illud Apostoli Pauli, quod tanto magis ad nos pertinet, quanto maiorem praeter ceteros pastoralis officii curam sortiti sumus: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Quocirca eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, simulque modum et temporum spatia ecclesiarum earumdem praesulibus, pro cuiusque intervallo et locorum distantia moderantes, hac perpetua Con-

relationibus Apostolicae Sedi faciendis.

de congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant Sacerdotes, attenta animi consideratione revolventes; ubi primum Nos, licet immeritos, Dominus gratiae suae praecipuo munere in eadem Sede collocavit, ea subiit cogitatio, ut cunctarum totius Orbis Ecclesiarum ad parvitatem nostram status et negotia referrentur, quibus necessitatem

---

stitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, per universum terrarum orbem constituti a nobis deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, antequam manus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis Pallium Beati Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam ecclesiam transferantur, antequam illius regimini et administrationi se immisceant, siquidem praesentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si vero absentes in manibus Antistitis, qui ad impendendum munus praedictum, aut ad tradendum Pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegabitur, iurent iuxta formulam in libro Cancellariae Apost., quinterno appellato, nuper descriptam, se beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli limina, statutis in hac nostra Constitutione temporibus, personaliter ac per se ipsos visitaturos, ac nobis, et successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica recepturos, et quam diligentissime executuros.

Et legitime impediti, per certum Nuncium haec adimplebunt.

§ 4. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem ecclesiastica dignitate et personatu praeditum non habeant, per dioecesanum sacerdotem, et si clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum, saecularem vel regularem, spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem per supradictum Nuncium transmittendas.

Idem Pontifex hortatur, ut opera ipsorum Episcoporum, aut aliorum, a Sede Apostolica auxilia, et subsidia petant.

§ 5. Quin etiam Principes temporales, si quid pro eorum pietate et erga hanc Apostolicam Sedem observantia Romano Pontifici voluerint significare, eosdem, sive Episcopos, sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuncios, ac relatores, quorum opera, ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus, et rebus firmandis ac stabiliendis, et cum Dei et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, coniungendis, opportuna sincerae caritatis officia, consilia, atque subsidia expectare certo poterunt.

Tempus praefinitur omnibus praelatis ad explendum hoc visitationis officium.

§ 6. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, Itali videlicet vel ex Italicis Insulis, unde in Italiam commodius traiici potest, veluti Siculi, Sardi, Cursi et alii adiacentium Provinciarum Italiae, ac etiam Dalmatiae et Graecarum, quae e regione ipsius Italiae et Siciliae oris sunt, tertio anno; Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni et ceteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum et Balticum, ac omnium insularum Maris Mediterranei, quarto anno; et qui intra Europae fines sunt, his Provinciis remotiores, ac etiam Africani littoribus nostris adversi, ac insularum Maris Oceani Septentrionalis et Occidentalis Europae et Africae citra continentem novi Orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno; Asiatici vero, et qui extra Asiam et in aliis novis terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus et Septemtrionalibus, tam in Insulis quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus decimo anno iter suscipiant, et Deo concedente perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto et decimo anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallii traditionis, aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differatur, volumus quod tempus qualecumque excursum alicui ex supradictis Praesulibus, qui sive morte praeventus, sive alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei praescriptum dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse et excurrisse intelligatur, ut termino ipso iuxta Praedecessoris sui iusiurandum completo debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur.

Obedientiam praelatis indicit.

§ 7. Hi vero ex supradictis Antistitibus, qui hactenus ab hac Sancta Sede ordinati sunt, aut dictum pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam Ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum et temporum intervalla praescripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis praesentis Constitutionis omnino teneantur. Iubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus Antistitibus praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam, sibi suisque Ecclesiis adeo utilem ac necessariam, iuxta praescriptam formulam omnino conficiant.

Inobedientibus poenas imponit.

§ 8. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu Ecclesiae, ac etiam ab administratione, tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum et in opus fabricae, seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, prout maior exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis huiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

Clausulas contrariorum derogatorias apponit.

§ 9. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis liminibus eiusmodi quibuscumque ecclesiarum Praelatis et per quoscumque Rom. Pont., ac etiam nos et dictam Sedem ex quibusvis causis, perpetuo, vel ad tempus, concessis, extensis et innovatis, quae omnia contra praemissa quicquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Ceterum nos saluti et conscientiae securitati eorum praesulum, qui, ad huiusmodi visitationem obligati, eam contra iusiurandum hucusque distulerunt, consulere volentes, eos singulos a periurii reatu et a canonicis apostolicisque omnibus sententiis, quas propterea incurrerint, auctoritate praesentium absolvimus; quos tamen pro excessu huiusmodi eleemosynam, quantam, et cui, vel quibus eorum Confessarius statuerit applicandam, volumus erogare.

Exemplis credi iubet.

§ 10. Quia vero difficile nimis esset praesentes literas quocumque illis opus perferri, volumus quoque, ut earum exemplis, etiam impressis, manu notarii publici, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae eisdem praesentibus, etiam in dicto quinterno describendis haberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, XIII. kal. ianuarii, pontificatus nostri anno I.

de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit. Siquidem in speculis a Deo constituti, et vigilantiae nostrae diligentiam pro commissi officii munere coram eo comprobare cupientes, noctes diesquè solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritualis cura non deficiat, sed se per omnia, qua nomen Dei praedicatur, extendat, memores illius obiurgationis Dominicae: *quod infirmum fuit, non consolidastis; et quod aegrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; et quod abiectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quaesistis; et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor; et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt, erraverunt greges mei in cunctis montibus, et non erat qui requireret, ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum.* Cum ergo pastoribus talibus, per quos Dominicae oves negliguntur, et pereunt, sic Dominus comminetur, quid Nos aliud facere oportet, quam colligendis et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam, et curandis lapsorum vulneribus paternae pietatis adhibere medicinam? Nulla est enim maior aut melior cura Praepositorum, quam diligenti sollicitudine, et medela salubri, fovendis et conservandis ovibus providere.

Summarium [illegible]arum constitutionis a Sixto V. editae.

§ 1. Dudum quidem fel. rec. Sixtus Papa V. serio animadvertens veterem et laudabilem morem, gravissimis ex causis, et non sine Spiritus Sancti instinctu, a Summis Pontificibus praedecessoribus nostris antiquitus institutum, et per multas aetates magno ecclesiae Dei commodo observatum, ut singuli Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi certis praescriptis temporibus per se ipsos, vel per certum eorum Nuntium, Beatissimorum Apostolorum Petri et Pàuli, qui hanc Almam Urbem suo sanguine consecrarunt, Limina se visitaturos iureiurando pollicerentur, ut Episcoporum Romam venientium opera et adiumento Romanus Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita est, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque opportunas adhiberet, nec quicquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam Religionem propagandam, ad animarum procurandam salutem, necessario eumdem scire, atque intelligere oportet, partim hominum culpa, partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus a plurimis, in grave animarum suarum periculum, et, quibus praeerant, ecclesiarum detrimentum, negligenter observari; ex intimis animis indoluit, et statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere, et congrua adhibere remedia cogitavit.

Et eiusdem dispositivae.

§ 2. Itaque per suas apostolicas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex,* constituit, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi per universum terrarum Orbem constituti, et deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus dignitate praefulgerent, seu eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum traderetur, aut ad aliam ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini et administrationi se immiscerent, si quidem praesentes in Curia, in manibus Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes, in manibus Antistitis ad impendendum munus praedictum, aut ad tradendum Pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegati, iuramento se obstringerent, se Beatorum Apostolorum Petri et Pauli Limina, statutis in iisdem literis temporibus, personaliter ac per se ipsos visitaturos ac Romanis Pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum Pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica recepturos, et quam diligentissime executuros, prout latius in iisdem literis continetur.

In qua nulla mentio Abbatum, Priorum etc.

§ 3. Cum autem Abbatum, Priorum, aliorumque, qui spirituali iurisdictione quasi Episcopali in suis monasteriis et ecclesiis eorumque territoriis ab omni alia Episcoporum dioecesi omnimode separatis potiuntur, nulla mentio in praefatis literis Sixti facta fuerit, hinc est quod Abbates aliique, qui huiusmodi ecclesiis et monasteriis praeerant cum iurisdictione spirituali et territorio separato, nunquam, Beatorum Apostolorum Limina visitantes, de iisdem ecclesiis et monasteriis et grege curae suae commisso ad Romanos Pontifices referrent, adeo ut huiusmodi monasteriorum et ecclesiarum, quae nullius dicuntur, status et conditio Sedi Apostolicae incognita esset, et saepe ignorarentur mala, quibus meden-

dum esset, et laterent bona, quae apostolica cura et studio essent fovenda et amplificanda.

Pontifex confirmat et innovat Constitutionem Sixtinam.

§ 4. Nos igitur cupientes omnium ecclesiarum utilitati, et animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere ac providere, cum de omnibus, et, quod tremendum est, etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem reddituri simus, tum etiam volentes ea, quae salubriter a praedecessoribus nostris instituta sunt, exactius diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V. praedecessoris et in eis contenta quaecumque, ex certa scientia et apostolica auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac etiam innovamus, omnibusque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis mandamus et praecipimus, ut eas sedulo ac diligenter et omnia in eis praescripta observare ac custodire studeant, et Apostolicae Sedis monitis ac praeceptis in re tanti momenti ea reverentia atque animi cura et promptitudine, qua par est, pareant, atque obsequantur, et antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, sacerdotalis religionis vigorem non minus in iudicando, quam in consulendo retineant, scientes quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis huius emersit.

Eamque extendit ad inferiores Praelatos, iurisdictionem quasi episcopalem habentes.

§ 5. Praeterea scientia et auctoritate praedicta, hac nostra in perpetuum valitura constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut omnes et quicumque Abbates, Priores, praepositi, aliique quocumque nomine, ac titulo nuncupati et quacumque dignitate etiam Cardinalatus honore insigniti, saeculares, et quorumvis ordinum regulares, ad monasteriorum seu ecclesiarum particulare et separatum territorium habentium regimina iam promoti et imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis, aut aliter quovis modo promovendi, et monasteria seu ecclesias huiusmodi in titulum, commendam, administrationem, aut aliter quomodolibet obtinentes, vel imposterum assecuturi, qui videlicet spiritualem iurisdictionem, quasi Episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in monasteriis et ecclesiis praedicti, eorumque territoriis, districtibus et quasi dioecesibus ab omni alia Episcoporum dioecesi omnino seiunctis et separatis, quocumque iure et titulo, vel ex origine, vel praescriptione, vel ex indulto et privilegio apostolico exercent, antequam eorumdem monasteriorum, seu ecclesiarum possessionem adipiscantur et in eorum regimine et administratione se de aliquo immisceant, si quidem praesentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine Prioris, si vero absentes in manibus nuncii aut Legati Sedis Apostolicae, si praesens fuerit, sin minus in manibus alicuius Episcopi aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum Romana tamen ecclesia ecclesiasticam communionem habentis, tamquam eiusdem Apostolicae Sedis Delegati, iurent, iuxta formulam inferius describendam, se sacras Beatorum Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos visitaturos, ac insuper nobis et successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, statutis hac nostra constitutione temporibus, rationem reddituros de commissa sibi monasteriorum et ecclesiarum procuratione, in notitiam nostram nostrorumque successorum perferentes quaecumque ad ipsorum monasteriorum et ecclesiarum statum et ecclesiasticae disciplinae in clero et populo observantiam, ad animarum salutem, quae illorum fidei creditae sunt et ad divinum cultum et gloriam pertinent; vicissim recepturos a Sede Apostolica monita, et mandata, quorum censura et quae coercenda sunt, resecentur, et quae observanda sunt, sanciantur, et quae bene coepta, atque instituta, approbatione et confirmatione nostra, nostrorumque successorum ad debitum finem perducantur.

Qui iurare debebunt se personaliter visitaturos limina Apostolorum.

Et relationem status ecclesiarum facturos.

Vel per suum nuncium, si ipsi legitime impediti fuerint.

§ 6. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent, se praedicta omnia adimpleturos per certum nuncium ad id speciale mandatum habentem, et de gremio suorum monasteriorum et ecclesiarum, in dignitate ecclesiastica saeculari vel regulari constitutum, aut omnino per aliquem sacerdotem saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum: per quem etiam de huiusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad S. R. E. Cardinalem Praefectum Congregationis Sacri Concilii transmittendis.

Itali et insul. adiacen. tertio quoque anno.

§ 7. Ad hoc autem debitum visitationis et relationis suorum monasteriorum et ecclesiarum officium opportune explendum supradicti omnes Abbates, praepositi, priores, et quocumque alio dignitatis vel officii nomine nuncupati, tam regulares, quam

saeculares, Itali videlicet vel ex Italicis Insulis, veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adiacentium provinciarum Italiae, tertio anno; reliqui vero in aliis provinciis, regnis et terrarum Orbis partibus et regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere, Nobisque et nostris successoribus exhibere studeant, ac curent, idemque institutum tertio quoque et quinto anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia a tempore captae possessionis, et suscepti monasteriorum et ecclesiarum regiminis, et curae incipiant.

Reliqui quarto quoque anno a tempore captae possessionis computando

§ 8. Ii vero, qui de ecclesiis et monasteriis huiusmodi iam provisi, in earum pacifica possessione a biennio et amplius reperiuntur, vel quibus praefinitum a nobis superius tempus a die habitae possessionis iam effluxit, intra annum, si in Italia et Insulis adiacentibus, intra vero biennium, si extra sint, a die publicationis praesentis constitutionis, ad nos praefatam suarum ecclesiarum relationem, et deinde singulis trienniis, aut aliis praestitutis temporibus pro locorum conditione et distantia, ad nos transmittere, et Sacras Apostolorum Basilicas visitare, et nostro conspectui, dummodo impediti legitime non fuerint, se praesentes sistere debeant, ut S.R.E. Matris suae complexu recreati et paterno humilitatis nostrae colloquio confirmati, ad monasteria et ecclesias suas regendas alacriores et instructiores revertantur.

Quid de iis qui iam provisi existunt.

§ 9. Iubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus Abbatibus, Prioribus, praepositis, aliisque quocumque titulo vel nomine nuncupatis, vel quacumque dignitate praefulgentibus tam regularibus quam saecularibus praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam et insuper relationem, statutis a nobis temporibus faciendam, sibi suisque monasteriis et respective ecclesiis adeo utilem ac necessariam, iuxta praescriptam alias Episcopis formam, omnino conficiant; si vero, quod absit, a nobis praecepta et constituta prompte exequi neglexerint, eos ab ingressu ecclesiae, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suorum monasteriorum, et respective ecclesiarum ab Episcopo, vel Archiepiscopo, monasterio, aut ecclesiae *Nullius* viciniori, omni exceptione, et mora cessante, interim libere exigendorum et in opus fabricae, seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, prout maior exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis huiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

Praeceptum Praelatis sub poena suspensionis.

§ 10. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis, et aliis concessionibus de non visitandis liminibus eiusmodi, aliisque peragendis, quibuscumque ecclesiarum et monasteriorum Rectoribus, et per quoscumque Romanos Pontifices, ac etiam Nos, et dictam Sedem ex quibusvis causis perpetuo vel ad tempus concessis, extensis et innovatis, quae omnia contra praemissa cuiquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Quia vero difficile nimis esset, praesentes literas, quocumque illis opus fuerit, perferri, volumus quoque ut earum exemplis etiam impressis, manu notarii publici et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae eisdem praesentibus haberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Clausulae derogatoriae.

Fides transumptis habenda.

§ 11. Formula autem iuramenti praestandi ab Abbatibus, aliisque monasteria seu ecclesias habentibus cum iurisdictione quasi Episcopali et territorio separato, talis est:

Formula iuramenti ab Abbatibus aliisque praestandi.

Ego N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro Apostolo, Sanctaeque Romanae Ecclesiae, et Domino Nostro Domino Benedicto Papae XIV. suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se, aut Nuntios suos, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, et Regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo. Iura, honores, privilegia et auctoritatem S. R. E., Domini Nostri Papae, et successorum praedictorum, conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra vel praeiudi-

cialia personarum, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari vel procurari novero, impediam hoc pro posse: Et quanto citius potero, significabo eidem Domino Nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari. Haereticos, schismaticos et rebelles eidem Domino Nostro vel successoribus praedictis pro posse persequar, et impugnabo. Sacras BB. Apostolorum memorias singulis trienniis (1) *personaliter, ac per me ipsum visitabo, et Domino Nostro successoribusque praefatis rationem reddam de commisso mihi munere, deque rebus omnibus ad mei monasterii seu ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vicissim mandata apostolica humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio conventus monasterii mei,* (2) *aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem Congregationis Sac. Concilii praefectum per dictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.*

Sanctio poenalis.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, constitutionis, decreti, statuti, hortationis et monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXL., IX. kalendas decembris, pontif. nostri anno I.

IV.

Antequam Episcopalis consecrationis munus suscipiat Electus Pekinensis, iubet eum solemniter spondere, se Bullam Ex illa die *nec non Decreta, Bullas, Constitutiones editas et edendas diligentissime observaturum* (3).

Dilecto filio Polycarpo Sousa Soc. Iesu Electo Pekinensi in Sinis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quamquam gravitas morum ac severiorum litterarum scientia, quibus Te ornari intelleximus, alliciebant animum nostrum ad committendum vigilantiae tuae Pechinensem episcopatum, ad quem praesentatus nobis fueras a carissimo in Christo filio nostro Iohanne Portugalliae Rege illustri; suspensi tamen haerebamus certissimis nuntiis commonefacti non ita facile Te morem gessisse atque obtemperasse apostolicae constitutioni, quae incipit: *Ex illa die* a san. mem. Clemente XI. praedecessore nostro de ritibus Sinensibus promulgatae; ad eiusque obedientiam aegre te accommodasse, et in ipsa Constitutione exequenda per ambages tergiversatum fuisse, dum sacro missionarii officio fungereris, licet antea iureiurando affirmasses ab ea Te non discessurum. Vicit autem haesitationem nostram insita nobis opinio religiosae docilitatis tuae, certaque spes tibi nova hac dignitate arctius obstricto Apostolicae Sedi aliam fore mentem solertissimeque curaturum, ut maiori animi alacritate repares quidquid antea titubando erraveras. Nihilo secius, ne supremae pastorali nostrae sollicitudini quidquam supersit in quo torqueatur, et ne ulla detur carpendi nos

(1) Seu *quinquennis.*
(2) Seu *Capituli ecclesiae meae.*
(3) Ex App. Bull. P. de Prop. Fide vol. II., p. 83, coll. etc.

occasio ob istud mandatum tibi episcopale munus, volumus et sub praecepto strictae formalis obedientiae iubemus, ut priusquam episcopalem consecrationem accipias, iterum solemni iureiurando promittas abs te penitus prompte diligentissimeque observatum iri superius emanatam Bullam Clementis XI. quae incipit: *Ex illa die*, et alia cuncta decreta, bullas, constitutiones ab hac sanctissima divi Petri cathedra hactenus editas et inposterum a nobis nostrisque successoribus edendas. In haec autem prorsus verba iurare debes: – Ego Polycarpus Sousa presbyter Societatis Iesu olim missionarius ad Regnum Sinarum in Indiis Orientalibus deputatus a meis superioribus, iuxta facultates ipsis a Sede Apostolica concessas, memor iuramenti a me praestiti in dictae missionis initio de observando fideliter constitutionem s. m. Clementis XI. quae incipit: *Ex illa die*, parendo mandato sanctissimi domini nostri Benedicti Papae XIV. mihi iniuncto in litteris apostolicis in forma Brevis mihi directis, antequam munus consecrationis episcopalis recipiam pro Ecclesia Pechinensi in Indiis Orientalibus, interposito novo iuramento, promitto me plene et fideliter et sine ulla tergiversatione inviolabiliter observaturum contenta in praefata constitutione: *Ex illa die*, aliisque decretis apostolicis factis, et sub eodem iuramento promitto eodem prorsus modo me observaturum caeteras constitutiones et decreta, quae a Sanctitate Sua et eius successoribus edentur, nec me esse facturum ullam interpretationem sive conniventiam, tam quoad constitutiones et decreta edita, quam quoad constitutiones et decreta edenda, sine speciali mandato Sanctitatis Suae vel eius successorum, neque contra illas aut illa me aliquid esse facturum verbo, scripto aut opere, quin imo strenue acturum, ut omnia adamussim per meos subditos tam missionarios quoscumque, quam alios observentur et fideliter executioni mandentur. Utque nota sit omnibus haec mea voluntas, sub eodem quoque vinculo iuramenti promitto me in meis litteris pastoralibus et aliis publicis actis opportune patefacturum esse hanc meam iuratam promissionem. Quamprimum quoque iuro me ad Sedem Apostolicam transmissurum esse bina publica authentica instrumenta huius iuramenti a me praestiti iuxta praesentem formulam ante receptam consecrationem. Si autem, quod Deus avertat, quoquo modo contravenerim huic iuramento, me agnosco et declaro subiectum censuris mihi notis et impositis in praedicta constitutione: *Ex illa die*, et caeteris, quae imponentur adversus transgressores in aliis decretis et constitutionibus faciendis a Sanctitate Sua eiusque successoribus. Et ita tactis sacrosanctis evangeliis promitto, voveo et iuro: sic me Deus adiuvet et haec sacrosancta Dei evangelia. – Demum sub eodem praecepto sanctae obedientiae indicimus tibi, ut duo authentica documenta ante consecrationem transmittas Apostolicae Sedi, quibus manifeste pateat te in hanc adamussim formulam iurasse. Pro certo reputamus gratum tibi fore ita specimen nobis dedisse fidelitatis, religionis, obedientiae tuae, quod simul pignori nobis sit bene atque e nostra sententia tuâque virtute abs te obeundi episcopalis muneris. In cuius auspicium apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. decembris MDCCXL., pontificatus nostri anno I.

V.

Concedit P. Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum de Observantia, absentibus Episcopis Latini Ritus, conferre Secramentum Confirmationis cum Oleo et Chrismate a Catholico Antistite benedictis (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Dubium super facultate conferendi Sacramentum confirmationis, delatum ad Congregationis S. Officii.

Cum ad infrascriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: *An Custos et Guardianus Sancti Sepulchri Domini Nostri Iesu Christi, ex speciali huius Sanctae Sedis delegatione, et vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos filios superiores Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum exhibitorum, necessarias facultates habeat conferendi Sacramentum Confirmationis:* nos pro commissa nobis coelitus pastoralis officii cura, omnes difficultates, ac in posterum dubitandi ac in re occasionem tollere cupientes, ac di-

(1) Ex Archiv. Brevium.

lectum filium Paulum a Laurinò fratrem expresse professum dicti Ordinis, ac Custodem et Guardianum dicti Sancti Sepulchri, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, auditis votis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolica deputatorum, eidem Paulo custodi et guardiano eiusdem Sancti Sepulchri, durante eius officio et pro locis Terrae Sanctae huiusmodi, ubi non erunt Episcopi Ritus Latini in propria Dioecesi residentes, potestatem et facultatem conferendi Sacramentum confirmationis huiusmodi Oleo et Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis, dicta auctoritae, tenore praesentium, concedimus et delegamus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis Cardinalium. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis et in universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Pontifex, cum illius voto, facultatem controversam concedit cum conditionibus opportunis.

Non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. ianuarii MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

VI.

Necessitatibus Terrae Sanctae iuxta praedecessorum statuta providet (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Salvatoris, et Domini Nostri Iesu Christi, qui pro humani generis redemptione se ipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem, vices licet immeriti gerentes in terris, inter multiplices gravissimasque apostolicae servitutis curas, in eam praecipue pastoralis sollicitudinis vigilantia incumbimus, ut tanti et tam salubris mysterii monumenta, quae in civitate Hierusalem, et locis circumvicinis sunt, conserventur, et omni, qua fieri poterit, maiori honorificentia recolantur. Cum itaque alias fel. rec. Urbano PP. praedecessori nostro exposito, quod ecclesiae et alia loca in civitate Hierusalem, et aliis locis Terrae Sanctae existentia fere diruta erant, et quae adhuc ibi existebant monasteria aere alieno, ob impiam Turcarum Haereticorum et Schismaticorum tyrannidem, et pro sanctae fidei catholicae in eisdem locis conservatione contracto admodum gravata reperiebantur, idem Urbanus praedecessor Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis ordinum, congregationum, et institutorum regularium Generalibus commiserit et mandaverit, ut ad minus duabus vicibus quolibet anno adventus et quadragesimae temporibus, tam per verbi Domini praedicatores, in suis sacris concionibus, quam in actionibus et functionibus publicis, necessitates eorumdem sanctorum monumentorum populo proponi, et commendari curarent et facerent, et alias prout in ipsius Urbani praedecessoris literis desuper in simili forma Brevis die III. februarii MDCCXXXIV. expeditis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Et sic pro parte dilecti filii moderni commissarii generalis Terrae Sanctae nobis nuper expositum fuit, ipse, quo praefatae Urbani praedecessoris literae, quae a rec. mem. Innocentio X., Clemente X., Innocentio XI., Alexandro VIII., Innocentio XII., Clemente XI., Innocentio XIII., Benedicto XIII. et Clemente XII. Romanis Pontificibus, pariter praedecessoribus nostris confirmatae fuerunt, exactius observentur, illas per nos etiam confirmari et innovari desiderent; nos eorumdem sacrorum monumentorum conservationi et manutentioni consulere volentes, praedictas Urbani praedecessoris literas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus pariter et approbamus, illasque innovamus et observari mandamus. Volumus autem ut Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi praedicti in relatione status ecclesiarum suarum, quando visitabunt limina Apostolorum, facienda, referant se praedictis Urbani praedecessoris literis paruisse, contrariis non obstantibus

---

(1) Ex Archiv. Secret. Brev.

quibuscumque: volumus insuper, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. ianuarii MDCCXLI., pontif. nostri anno I.

VII.

Nuntiis apostolicis committit inquirere et referre statum collegiorum pontificiorum, intra limites propriae legationis existentium (1).

Venerabilibus fratribus Camillo Iconiensi, Fabricio Patracensi, Ignatio Michaeli Caesareensi, et Lucae Melchiori Nicomediensi Archiepiscopis et Ordinariis Nostris atque huius S. Sedis Viennae, Poloniae, ad Tractum Rheni, et Belgii respective Nuntiis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Quanti ad catholicam Religionem, rem ecclesiasticam, animarumque salutem intersit, ut clerici ad Sanctuarii ministerium vineaeque dominicae cultum rite pieque ab ineunte aetate instituantur et informentur, satis superque intelligentes praedecessores nostri Romani Pontifices, nihil, in quo apostolicae solicitudinis officium alacrius collocare gestirent, unquam, maxime post Tridentinae Synodi statutum, habuerunt antiquius, quam ut saluberrimum seminariorum ubique sive erigendorum sive novis legibus confirmandorum sive pontificiae auctoritatis pecuniarumque subsidiis provehendorum opus studiosius susciperent et accuratissime urgerent.

§ 1. Itaque non solum traditam praescriptamque ab ipsâ Tridentinâ Synodo normam approbarunt, et ut cathedralium, metropolitanarum et his maiorum ecclesiarum Antistitibus, dum iisdem singuli praeficiuntur ecclesiis, aut seminariorum, ubi erecta non fuissent, erectioni, oneratâ eorumdem praesulum conscientiâ, inter caetera praestanda pro viribus incumbendum iniungatur, decreverunt; verum etiam seminaria huiusmodi sive collegia, tam in hac almâ Urbe quam alibi ac praesertim in istis legationum vestrarum partibus pontificiis sumptibus, unde pontificia dicta sunt, tum excitanda, tum instauranda, tum substentanda curaverunt, praecipue inter alios fel. record. Gregorius XIII. et Urbanus VIII.

§ 2. Nos sane, etsi propter gravissimas notasque universis angustias pontificii aerarii, cui effuso, mutuisque acceptis ingentibus pecuniarum summis iamdudum obnoxio, ut aliquo pacto opitularemur, ex detractis prius, quantum fieri potuit, sumptibus in commodum nostrum nostrique palatii ministrorum emolumenta impendendis, compendia facere incepimus, nobis haud fore pollicemur, ut praeclara eorumdem praedecessorum nostrorum hac in re exempla persequamur; tamen minime patimur, inter ipsa sacrosancti Apostolatus auspicia quascumque nostrae apostolicae vigilantiae partes iisdem seminariis collegiisque deesse. In hac enim Urbe omnium nationum domicilio a primis annis commorati, in collegio instituti, muneribus etiam amplissimis fere semper occupati, probe novimus, quaecumque quamvis optima instituta, nisi saepe saepius advigiletur, a primaevâ disciplinâ sensim desciscere. Quin ipsa seminaria et collegia hic, sive sub unius sive plurium, aut ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aut Romanae Curiae praelatis protectorum, sive sub alicuius Congregationis eorumdem Cardinalium et praelatorum ductu auspicioque posita pro adolescentium non modo Italiae sed etiam exterarum nationum, ad missiones potissimum in haereticorum et infidelium partibus peragendas aliquando mittendorum, educatione, scimus interdum per alios quoque inspecta atque recognita fuisse, ut si quid tum in doctrinis, tum in moribus, tum in sumptibus paulatim declinari constitisset, id ad pristinum statum opportune revocaretur; quemadmodum id saepe accidisse exploratum habentes, non sine gravi cordis nostri moerore commemoramus pluries repertum esse, per negligentiam ministrorum studia, mores, reditus ac proventus recta ferri in exitium. Quamobrem amotis ministris non curantibus novi suffecti, et an-

(1) Ex App. Bull. P. de Prop. Fide vol. II., pag. 85.

tiquis regulis legibusque, sive obliteratis sive immutatis, novae additae et praescriptae.

§ 3. Atque haec quidem de seminariis collegiisque, de quibus cura est tot insignibus viris, sub ipsis Summi Pontificis oculis: quae vero coniicienda sunt de seminariis collegiisque hinc tam longe dissitis, unusquisque sapienter expendat. Quod nostrum est, quamvis ne dubitamus quidem, quidquam vel minimum in iis a primâ institutione decessisse, tamen, ut muneri nostro satisfacientes in earum de quibus certiores fieri optamus, rerum notitiam veniremus, pecùniarum summam quotannis ex pontificio aerario in eorumdem seminariorum collegiorumque commodum corrogandam ab initio inhibitam voluimus. Postquam igitur omnia inferius significanda apertissime constiterint, unicuique persuasum esse cupimus, nos, ut seminaria et collegia huiusmodi non modo in eodem permaneant, sed in meliorem quoque statum adaugeantur, omni ope atque impendio fore adlaboraturos, dummodo in praecipuum sacrosanctae Religionis catholicae, pro qua pecuniam omnem, sacram etiam supellectilem et vitam ipsam profundere parati sumus, incrementum cessura prospexerimus. Porro huius inhibitae pecuniarum erogationis occasione rescivimus, non aliter sese gessisse fel. rec. Innocentium Papam X. itidem praedecessorem nostrum; qui pecuniarum eiusmodi contributionem, neque penitus auferendi causâ, sed ulterius etiam seminariorum collegiorumque rationes quomodo sese haberent inquirendi studio, in aliud tempus protraxit, donec ex legitimis documentis, per peculiarem trium Cardinalium ab ipso deputatam Congregationem expensis, doctus, omnia pro votis bene procedere, integram summam restitui mandavit. Hinc neminem esse existimamus qui non intelligat, quaenam fuerit animi nostri sententia, nimirum vera ne an falsa essent quaecumque de pontificiis seminariis collegiisque ad nos relata fuissent.

§ 4. Plurimam igitur de vestrâ spectatâ fide, pietate, prudentiâ, religionis zelo et in rebus Apostolicae huius S. Sedis agendis dexteritate fiduciam in Domino babentes, vos, venn. fratres, hortamur, ut omnia et singula, quae pontificium animum nostrum solicitum tenent super Seminariorum collegiorumque pontificiorum in legationibus vestris existentium negotiis res tam spirituales quam temporales respicientibus sciscitando accuratissime investigetis.

I. Primum quidem omnium, quam diligentissime inspicite fundationem institutionemque uniuscuiusque seminarii aut collegii, et an leges eodem, quo praescriptae a principio fuerunt, modo serventur?

II. An per temporum vices quae alias salutaria visa ac propterea statuta fuerunt abrogari contigerit, aut in praesentia iure ac merito abrogari oporteat?

III. An ad maiorem utilitatem novae condendae sint leges?

IV. Quot sint alumni qui in unoquoque seminario et collegio educantur?

V. Numerus alumnorum praescriptus ne, an ad superiorum, et quorum, arbitrium imminuatur et augeatur?

VI. Praeter alumnos in idem seminarium et collegium recipiantur ne convictores qui suo sumptu alantur; et sumptus ipse sumptum pro alumnis impendendum adaequet?

VII. Sit ne distinctio ulla alumnos inter convictoresque quoad omnia?

VIII. An in admittendis recipiendisque alumnis periculum et probatio tum indolis ingeniique, tum indigentiae locorum oppidorumque, et plurium candidatorum, ut meliores seligantur, concursus, ut dicitur, habeatur?

IX. An, cum pontificii alumni recipiendi sunt, quilibet vestrum, quemadmodum et debita huic S. Sedi observantia et instituti iurisque ratio exigit, certior fiat?

X. An gratiam familiarum sibi promerendi studio earumdem commodis potius, quam orthodoxae Religionis utilitati ac necessitati providere adnituntur seminariorum collegiorumque superiores, cum alumnorum huiusmodi receptio fieri debet?

XI. Quae leges serventur cum alumni propter ingenium pravum malumque eiiciendi sunt?

XII. Superioribus magistrisque ad praesidendum docendumque necessariis alii ne in speciem sub titulo eiusmodi in iisdem seminariis collegiisque inutiles additi convictitent?

XIII. Quibus in studiis erudiantur et informentur alumni; ac sint ne illa, quae ad haereticos et infideles ad catholicam Religionem potius adducendos, quam ad inutiles et sine disciplinâ quaestiones conferant?

XIV. Quis ad hanc usque diem, quis in praesentia ex seminariis collegiisque reipsa

percipiatur, quis in futurum fructus sperari possit?

xv. Quanti aestimetur fundus sive bonorum census, unde reditus proveniunt; et an reditibus proventibusque respondeat alumnorum numerus?

xvi. Exceptis pontificiis subsidiis, quodlibet seminarium vel collegium habeat-ne alios reditus, quibus solis substentari valeat? Qui reditus hi, unde, quando, a quibus constituti, et quanta eorumdem summa?

xvii. An codex accepti et expensi singulis annis vel mensibus conficiatur, ut omnium rerum ratio reddatur; et an reddatur; a quibus, cui, quo pacto, integra-ne et legitimis documentis munita, an exhibeatur parva schedula, in qua dumtaxat exaratum est: hoc anno, videlicet, reditus ad tria, vel quatuor, vel quinque millia scuta; impendia ad totidem, sive plura sive minora; unde reditus impendia, vel impendia reditus plus minusve superant; et, denique, an Antistites seminaria sua seu collegia in propriâ quisque dioecesi ad iniunctam ipsis seminarii erigendi legem etiam inibi ubi pontificia seminaria et collegia sunt, erecta habeant; et qui nunquam erexerint, an quidquam et quantum pecuniae pro singulis suis subditis adolescentibus in pontificio seminario collegioque in suâ dioecesi sito alendis impendant?

§ 5. Etsi haec tantummodo nos inter pontificiarum curarum aestus significanda habemus, tamen plura vobis suggeret ipsa rerum praesentia locorumque facies. Quamobrem, ut apertam omnium singularumque rerum notitiam cognitionemque ad nos maximopere sollicitos eâ, qua par est, celeritate transmittendam curetis, quisque sive per se ipsum sive, quolibet vestrum legitime impedito, per alios ecclesiastici ordinis viros probos, prudentes, solertes et nullarum partium studiis affectos a vobis eligendos vobisque adiungendos, id praestare potest. Omnem enim hac in re necessariam et opportunam facultatem ad effectum, ut votorum nostrorum compotes reddamur, vobis tribuimus et impertimur. Par nobis gratum quoque erit, ut ad omnia saluberrime perficienda venn. itidem fratrum Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum cuiusque loci Ordinariorum consilia et suffragia exquiratis, eorumque operâ et industriâ utamini.

§ 6. Ne vero quispiam ex superioribus, rectoribus, praepositis, praesidibus, praefectis, exactoribus, aliisque ministris quocumque nomine nuncupatis, qui seminariorum collegiorumque huiusmodi curam administrationemque gerunt, ad id, de quo requisiti fuerint a quolibet vestrum sive a quocumque per unumquemque vestrum deputato, minime praestandum, docendum exhibendumque fortasse quemcumque titulum, praetextum, colorem, consuetudinem, indultum, privilegium, immunitatem exemptionemque obtendere et causari valeat, hisce omnibus pro hac vice derogamus, et tenore praesentium apostolicâ auctoritate derogatum esse declaramus; atque in virtute sanctae obedientiae et sub poenis nostro arbitrio imponendis mandamus iisdem, ut unicuique vestrum sive aliis per vos ad antedicta constituendis obediant et pareant, adsistant et faveant.

§ 7. Ceterum, ut haec pontificii animi nostri sensa et apostolica procurationis officia universis nota sint, apostolicas hasce nostras in formâ Brevis literas, quas ad vos damus, typis etiam publici iuris fieri volumus. Fore enim confidimus, ut vos, venn. fratres, solertem diligentemque operam studiumque vestrum nostris consiliis curisque coniungentes adnitamini, ut omnia ad maiorem divini cultus gloriam, orthodoxae Religionis augmentum et aeternam animarum salutem cedant. Interim ad prosperi successus auspicium vobis, venn. fratres, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die xiv. mensis ianuarii MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

VIII.

Particularem Congregationem dudum institutam ex Cardinalibus S. Cong. de P. F. instaurat, eique perpetuo committit vigilantiam et auctoritatem in collegia apostolica tum intra tum extra Italiam existentia (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

MOTU PROPRIO.

È pervenuto a nostra notizia, che quaranta e più anni indietro si trovasse in essere una Congregazione composta d'alcuni

(1) Ex App. Bull. Pont. de Prop. Fide vol. II., p. 89.

R̃mi Cardinali della nostra Congregazione di Propaganda Fide, sopra il governo dei collegii e seminarii pontificii, e dipendenti da detta Congregazione, eretti sì dentro l'Italia che fuori, e questa sia stata tralasciata forse con notabile pregiudizio di essi Collegii o Seminarii sì nello spirituale che nell'economico, essendo potuto mancare quel frutto, che per il maggior servizio di Dio e delle missioni poteva nascere dalle provvisioni che poteansi dare dalla stessa Congregazione e da' sommi Pontefici col voto della medesima. Desiderando noi pertanto, che le opere concernenti la maggior gloria di Dio non solo non si tralascino, ma piglino ogni possibile aumento perchè rendano un degno frutto, abbiamo determinato ristabilire la medesima Congregazione colle facoltà, modi e forme, che in appresso esprimeremo. Avendo perciò nella presente nostra cedola di Moto proprio per espresso e di parola in parola registrato l'intero tenore delle lettere apostoliche sopra la deputazione altre volte fatta di detta Congregazione particolare, delle facoltà ad essa concedute e tutto altro quanto si voglia necessario ad espimersi, conformando ed approvando le medesime in quelle parti che non fossero contrarie alla presente nostra cedola, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema potestà ed autorità apostolica rinnoviamo e, quando faccia di bisogno, costituiamo, erigiamo e deputiamo una Congregazione particolare, che sia e debba essere perpetuamente composta di cinque R̃mi Cardinali di quelli hanno voto in detta Congregazione di Propaganda Fide, da destinarsi ed eleggersi dal sommo Pontefice pro tempore, conforme noi presentemente destiniamo ed eleggiamo li R̃mi Cardinali S. Clemente, Petra prefetto della suddetta Congregazione di Propaganda, Carafa, Gentili, e Rezzonico; Segretario poi della medesima deputiamo e vogliamo che sia il Segretario pro tempore della sunnominata Congregazione di Propaganda Fide, il quale dovrà riferire a noi ed alli sommi Pontefici nostri successori le risoluzioni si prenderanno nella predetta Congregazione particolare, con dover ritener un libro particolare presso di sè, in cui si dovranno registrare le medesime risoluzioni e conservarlo in Archivio separatamente dalle altre scritture, ed alla stessa Congregazione particolare, come sopra, deputata diamo e concediamo in perpetuo ampla e libera sopraintendenza e superiorità sopra tutti e singoli Collegii o Seminarii Pontificii dentro e fuori d'Italia, dipendenti da detta Congregazione di Propaganda Fide, e per quelli di questa nostra città di Roma, compresi per ora gl'infrascritti Collegii, cioè quello di S. Pietro in Montorio de' PP. Riformati di S. Francesco, di S. Bartolommeo all'Isola de' PP. Osservanti di S. Francesco, di S. Pancrazio fuori le mura de' PP. Carmelitani Scalzi di S. Teresa, e della Madonna delle Fornaci de' PP. Trinitarii Riformati Scalzi, con ogni autorità e facoltà necessaria per il buon governo e regolamento di detti Collegii, tanto rispetto allo spirituale quanto rispetto all'economico, di rivedere li conti delle amministrazioni, delegar visitatori, introdurre e rimuovere alunni, e d'avere ogni superiorità sopra di loro e qualunque altra persona ecclesiastica, secolare o regolare di qualunque Ordine, anche della Compagnia di Gesù, che avessero cura di detti Collegii o Seminarii per quello che riguarda solamente il governo de' medesimi Collegii, prendere qualsivoglia provvisione, con ordinare e fare tutto altro che in qualsivoglia modo da detta Congregazione si stimerà necessario, spediente ed utile per il buon regolamento e governo sì spirituale che temporale de' medesimi Collegii o Seminarsi senza veruna limitazione o restrittiva: ordiniamo ancora, che la prenomata Congregazione particolare debba indispensabilmente adunarsi nel Collegio di Propaganda Fide tre volte ogni anno in perpetuo, cioè una volta in ogni quatrimestre, coll'intervento di essi cinque R̃mi Cardinali che la compongono, ed essendo uno o due di essi impediti, basti l'intervento di quattro o tre de' medesimi, e nella prima prossima Congregazione vogliamo si legga il presente nostro Moto proprio per doversi puntualmente eseguire, come anche si debbano leggere li Brevi da noi spediti alli nostri Nunzii con ordini e provvisioni necessarie per renderci informati dello stato di detti Collegii o Seminarii pontificii esistenti respettivamente sotto le nunziature, ed a fine, la stessa Congregazione particolare deputi un ministro a far diligenze nell'archivio di detta Congregazione per rinvenire le notizie corrispondenti a quanto in detti nostri brevi si richiede dai Nunzii, dei quali se ne ritroveranno moltissime, stante che detti Collegii, anche d'Italia e di Roma, sono stati diretti dalla stessa Congregazione di

Propaganda Fide, da' ministri e rettori dei quali è stato solito mandarsi i conti dell' amministrazione economica alla Congregazione, dovendosi ora riconoscere chi siano stati li contumaci, ordinando noi che debbasi formare uno stato dell'erezione di detti Collegii, e continuazione della dipendenza avuta dalla Congregazione di Propaganda Fide; desiderando noi si riconosca di che tempo sia mancata la suddetta dipendenza, se per parte de' Collegii e loro rettori, o per parte della Congregazione suddetta che non avesse provveduto colle risposte, o per parte de' Nunzii che non avessero corrisposto con essa Congregazione, acciò, posto il tutto in chiaro, se ne possa fare una piena relazione a noi, per poter dare gli ordini ed istruzioni opportune per le ulteriori Congregazioni e tempo futuro. L'esecuzione poi di quanto abbiamo sopra ordinato, la commettiamo al prelodato Rm̃o Cardinal Petra prefetto di detta Congregazione di Propaganda Fide, ed a suoi successori pro tempore in detta prefettura, incaricandoli di non tralasciare quei mezzi e diligenze opportune per la puntuale ed inviolabile osservanza della presente nostra disposizione, concedendogli perciò tutte quelle facoltà che per il fine ed effetto suddetto sono in qualsivoglia modo necessarie. Volendo e decretando, che alla presente cedola di nostro moto proprio, benchè non esibito nè registrato in Camera e ne' suoi libri, non possa mai darsi nè opporsi di sorrezione, orrezione, nè d'alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti, quantunque validi e validissimi e quanto si voglia sostanziali, possa essere impugnato, moderato o rivocato, e che così e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi ed interpretarsi da qualunque giudice e tribunale, benchè collegiale, ordinario, commissario, Congregazioni, anche dei Rm̃i Cardinali, e qualunque altro benchè degno di special menzione, togliendo loro ogni facoltà, autorità e giurisdizione di definire ed interpretar diversamente; dichiarando noi sin d'adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto ciò che da ciascuno d'essi con qualsivoglia autorità, scientemente o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato o si tentasse di giudicare contro la forma e disposizione della presente nostra cedola di Moto proprio, quale vogliamo che vaglia e debba aver sempre ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non vi siano state chiamate, sentite nè citate quali si siano persone ancorchè privilegiate e privilegiatissime, che vi avessero o pretendessero avervi qualsisia interesse, non ostante la Bolla di Pio IV. nostro predecessore *De registrandis*, la regola della nostra Cancellaria *de iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e de' nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto e registrato, e supplendo noi colla pienezza della nostra potestà pontificia ad ogni vizio e difetto quantunque sostanziale e formale, che vi potesse intervenire per questa volta sola; e per la piena e totale esecuzione ed effetto di quanto si esprime nella presente nostra cedola di Moto proprio, ampiamente, espressamente ed in ogni più valida forma deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo questo dì VIII. febbraio MDCCXLI.

IX.

Dispositiones praedecessorum contra clericos negotiatores, iuxta modum huius constitutionis, confirmat et ampliat (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a debito dirigendi mores populi et cleri. Apostolicae servitutis commissum nobis divinitus officium assidue vigilare nos admonet, ut ex prava hominum cupiditate suborientia mala, quantum in nobis est, provida solicitudine coercentes, dominici ovilis gregem, superna opitulante gratia, ad aeternam patriam dirigamus. Sed praecipua cura constringit de iis, qui ecclesiastico ordini adscripti, et ad sanctioris vitae

(1) Ex Bull. Ben. XIV. ed. Romae MDCCXLI. Cum nullum documentorum fontem indicatum inveniat lector, hanc rom. dehinc collectionem citare intendimus. Contra missionarios negotiatores vide supra Const. Urbani VIII. *Ex debito*, Clem. XI. *Sollicitudo pastoralis*, et infra Clem. XIII. *Cum primum*.

genus electi aliis in via salutis actuum suorum claritate praelucere debent. Vehementer enim timidi ac soliciti sumus, ne caeteros christifideles, quos pro gradus sui sanctitate verbis et exemplo aedificare debent, morum suorum pravitate a coelestium rerum amore ad terrena desideria avertant.

Clericorum negotiatio sub alieno laici nomine improbatur.

§ 1. Cum itaque, ut non sive gravi animi nostri moerore accepimus, vesana humanarum rerum cupiditas ita nonnullorum clericorum invaserit animos, ut illicitam ecclesiasticis negotiationem, ad evitandas poenas adversus illam exercentes a sacris canonibus et apostolicis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus sancitas, sub alieni nominis velamine, Dei timore, ecclesiastici nominis decore, et aeterno suarum animarum periculo posthabitis, temere nulliterque exercere non dubitent; et, quod palam temporalium poenarum metu aggredi non audent, quaesitis deinde coloribus et vanis inanium rationum praetextibus clam efficere non timeant; quasi vel Dei oculos, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, latere, vel supremi iudicis, qui non fallitur, examen effugere possint. Nos attendentes, quod clericus, qui tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, caelestia despicere, et pro nihilo putare convincitur, et quod clericus negotiator ex inope dives, et ex ignobili gloriosus, tanquam pestis, ut beatus Hieronymus docet, fugiendus est; ad exitiosam huiusmodi labem ab ecclesiastico coetu eliminandam, et ut sancto Ecclesiae Dei famulatui addicti, ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes, studeant bene agere, et divites fieri in bonis operibus, thesaurizantes sibi fundamentum bonum in futurum; omnes et singulas Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum praedictorum constitutiones, illarumque quamlibet contra quoscumque clericos illicitos negotiatores desuper quomodolibet respective, cum omnibus et singulis poenis, contra eosdem clericos illicite negotiantes editas, quas constitutiones huiusmodi, ac earum quamlibet praesentibus de verbo ad verbum, nihilo penitus omisso, pro insertis haberi volumus, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione, ac de apostolicae potestatis plenitudine nostris innovamus, confirmamus et approbamus, eisque et earum cuilibet novum apostolicae firmitatis et inviolabilis observantiae robur adiicimus, illasque sic innovatas, confirmatas et approbatas, cum omnibus et singulis poenis in eis, et earum qualibet adversus clericos illicitos negotiatores huiusmodi contentis, ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodolibet negotiantes, perinde ac si per se ipsos ac proprio eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent, omnesque et singulae constitutiones earumque quaelibet adversus eos desuper editae fuissent, et in eis et earum quali-bet expressi et denominati reperirentur, motu et potestatis plenitudine praefatis perpetuo extendimus et ampliamus; illorumque omnia et singula bona sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, sub inevitabili spolii poena, ad formam constitutionis fel. rec. Pii Papae IV. similiter praedecessoris nostri, quae incipit *Decens esse,* subiicimus, et subiecta esse volumus et declaramus.

Dispositiones constitutionum apostolicarum contra illos innovantur.

Et ad eos expresse extenduntur.

Eorumque bona spolio subiiciuntur.

Negotia a laicis inchoata, et ad clericos delata, statim dimittantur.

§ 2. Insuper, ut in sortem Domini vocati, depositis quocumque mundanarum curarum onere, et humanarum cupiditatum impedimentis, Christum Dominum, qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus, per calcatas mundi opes liberius, et expeditius sequantur, memores salutaris illius beati Apostoli moniti, qui clamat et dicit: *nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit:* per easdem nostras praesentes perpetuo valituras, motu et potestatis plenitudine praefatis decernimus ac pariter declaramus, quod si aliquod negotium ecclesiasticis illicitum personis, licet ab eis minime institutum, sed a laica persona inchoatum, et ad eosdem clericos, sive haereditario iure, aut quocumque alio titulo, sive singulariter, sive communiter, sive separatim, sive coniunctim cum aliis bonis et aliis cohaeredibus, vel sociis laicis, existentibus delatum fuerit, vel per se ipsos, eorumque nomine proprio, vel per alios, aut alieno nomine etiam per suos cohaeredes aut socios prosequuti sint, illud statim dimittere teneantur. Si vero negotium huiusmodi sine ipsius clerici temporali detrimento statim dimitti nequeat, tunc, si intra Italiam insulasque adiacentes existat clericus, a venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum congregatione, si vero extra Italiam, ab eadem congregatione vel ab Ordinario loci licentiam illud ad aliquod

Nec nisi necessitate urgente continuari possint, de licentia tamen Congregationis Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam.

tempus retinendi, proviso interim, quod negotium huiusmodi a laico administretur, impetrare teneatur; dictaque congregatio, aut Ordinarius loci, perpensis singulorum casuum circumstantiis, licentiam impertiatur, tempusque in eo ad idem negotium dimittendum praescribat; et si clericus negotium praefatum, licet a laico, ut praefertur, institutum, absque licentia huiusmodi gratis semper sibi impertienda, aut illud ultra tempus sibi permissum retinuerit, vel etiam intra tempus praedictum negotium per se ipsum administraverit, pro negotiatore illicito haberi, illumque omnibus et singulis etiam spolii poenis praefatis subiectum esse, motu et potestatis plenitudine dictis perpetuo volumus et definimus.

...: ad tempus ...ctavat, ac per interpositam laici personam. poenae contraventores.

Exempti a spolio ad effectum testandi ... transmittendi non incurrantur extent quoad ... per interpositam negotiationem acquisita.

§ 3. Ac demum, eo quod fel. rec. praedecessor noster Pius Papa IV. per suas literas, quarum initium est: *Romanus Pontifex:* declaravit, praefata constitutione super spoliis clericorum ob illicitam negotiationem a se edita, praelatos, officiales ac alios saeculares, et cuiusvis ordinis regulares clericos, aliosque cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae in urbe et curia, eiusque districtu decedentes, testandi tamen, codicillandi, et alias de bonis suis quibuscumque quomodolibet disponendi, vel ad ipsorum proximiores, decedentibus illis ab intestato, transmittendi facultatem ex speciali Sedis Apostolicae indulto, vel suorum officiorum privilegio, vel alio quovis titulo obtinentes, nullatenus comprehendi, et quod Paulus Papa V. pariter praedecessor noster suas literas, quae incipiunt: *In eminenti:* clericos cives et curiales, sive incolas huius nostrae almae urbis, tunc suae, exemit a spolio, quoad bona in eadem urbe eiusque districtu intra decem milliaria consistentia, etiam ex redditibus ecclesiasticis per eos acquisita, unde dubitari contigit, an suffragetur quoque ad evitandum spolium camerae nostrae apostolicae competens pro bonis ex illicita negotiatione provenientibus: nos constitutiones Pii et Pauli praedecessorum nostrorum praefatas, quoad bona ex illicita negotiatione huiusmodi a civibus et curialibus, sive incolis clericis cuiuscumque ordinis ac dignitatis, quibuscumque indultis ac privilegiis munitis, comparata, et in Urbe eiusque districtu praefatis, et ubicumque existentia, minime ad praemissorum effectum suffragari, sed illa sic provenientia camerae nostrae apostolicae vero iure spolii deberi, perinde ac si constitutiones Pii et Pauli praedecessorum huiusmodi ad praemissorum omnium et singulorum effectum impediendum nomine emanatae fuissent, motu simili pariter declaramus et statuimus, dictasque Pii et Pauli praedecessorum constitutiones, quoad praemissorum effectum sortiendum, plenarie abrogamus et abolemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 4. Decernentes sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quovis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri nostro Hannibali S.R.E. Cardinali Episcopo Sabinen. Albani nuncupato camerario nostro, et eius in camerariatus officio successoribus, per apostolica scripta mandamus, quatenus spolia ipsa ex bonis ex illicita negotiatione provenientia, uti vere spolia, prout alia ipsius camerae iura, exigi et recuperari, ac praesentes nostras literas inviolabiliter observari faciat, nec permittat, cameram ipsam, vel pro ea agentes desuper modo aliquo molestari, perturbari aut inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, et appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praedicti Pii et Pauli praedecessorum, aliisque apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibusvis facultatibus testandi, aliisque privilegiis, indultis et literis apostolicis quibusvis concessis, approbatis et innovatis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus, caeterisque contrariis quibuscumque; etiam si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Et quia difficile foret praesentes nostras literas ad singula quaeque loca deferri, vo-

Camerarii pro tempore executores deputantur.

Contrariis derogatur.

Fidem transumptis haberi iubetur.

lumus et declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et alicuius praelati sigillo munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, statuti, ordinationis, concessionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIV. februarii MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

X.

Iussu Pontificis declarantur a S. C. Concilii dubia super validitate Matrimonii cum haereticis contracti in Dominiis Ordinum Foederat. non servata forma Concilii Trid. (1).

Exordium.

Matrimonia, quae in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis iniri solent, sive inter haereticos ex utraque parte, sive inter haereticum ex una parte virum, et catholicam foeminam ex alia, aut viceversa, non servata forma a sacro Tridentino Concilio praescripta, utrum valida habenda sint, nec ne, diu multumque disceptatum est, animis hominum ac sententiis in diversa distractis. Id quod satis uberem anxietatis ac periculorum sementem per multos annos subministravit, quum praesertim Episcopi, parochi, atque illarum regionum missionarii, nihil certi hac super re haberent, nihil vero inconsulta Sancta Sede auderent statuere ac declarare. Cum autem, proxime evolutis annis, in tam ancipiti gravique causa Apostolicae Sedis iudicium vehementius exposceretur, urgeretque id imprimis vigilantissimus Iprensis Episcopus, dum pro debito officii sui, et sua erga Beati Petri Cathedram observantia, de Ecclesiae sibi concreditae statu ad Romanum Pontificem referebat, ponendumque omnino esse tam prolixae dubitationi finem, gravissimis verbis ac rationibus persuaderet. Clemens XII. id temporis Romanus Pontifex, qui rei gravitatem, quantum oportebat, aestimarat, Sacrae Congregationi eminentiss. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in mandatis dedit, ut de tota controversia diligenter more suo cognosceret. In re itaque tanti momenti volens eadem Sacra Congregatio quam accuratissime procedere, commissae sibi co-

Quod a Clemente XII. remittitur Congr. Concilii.

---

(1) Admonet seq. lit. Episcopos Poloniae ut cautius procedant in admittendis coniugiorum dissolutionibus.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Matrimonium iure naturali, divino et canonico indissolubile.

Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, cuius firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam Christus Dominus, et his verbis, *quod Deus coniunxit, homo non separet*, confirmare et evangelica gratia, unde magnum in Ecclesia Sacramentum est, augere dignatus fuit, tanta facilitate, perinde ac si neque lege naturae, neque divino iure, neque evangelicis praeceptis, et canonicis sanctionibus initum esset connubium, in aliquot catholici orbis partibus, atque in isto praesertim florentissimo Poloniae Regno in dies dissolvi audientes; neque lacrymis, neque verbis explicare possumus allatam inde nobis incredibilem sollicitudinem, conceptamque in pontificio animo nostro ingentem molestiam. Etsi autem plurimum dolentes, facile adducimur, ut credamus huiusmodi dissolvendorum coniugiorum licentiam, propter quam, non sine gravi bonorum offensione, sive vir unus, sive mulier una, pluribus vicissim adhuc viventibus sibi antea copulatis coniugibus, tertium aut quartum matrimonium contrahere cernitur, a nimia curiarum vestrarum libertate, quemadmodum alibi evenire accepimus, ortum ducere; tamen facere non possumus, quin iustissimas ad vos, venerabiles fratres, querelas nostras deferamus; atque insimul tantae licentiae refraenandae, et intra praescriptos a catholica Ecclesia fines coercendae, salutares leges modumque meditemur.

Eiusdem dissolvendi facilitas improbatur.

§ 1. Ad sacerdotalem igitur virtutem vestram, vestrumque pro ecclesiasiastica disciplina zelum, magna cum pontificii animi fiducia pastorales curas conferimus, ut inde opportunum huic malo ab inclyta Polona Natione avertendo propulsandoque, et abstergendae nomini vestro inustae notae, subsidium interea repetamus. Eapropter fraternitates vestras in Domino rogamus et hortamur, ut memores rationum coelesti catholicae Ecclesiae sponso Iesu Christo iudici reddendarum, apostolicis vocibus nostris obtemperantes, ministerium vestrum ea, qua decet, vigilantia adimplere satagatis. Ac, dum pares muneri, pietati et religioni vestrae de hisce rebus successus praestolamur, fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Episcoporum zelus adversus hoc malum divini iudicii interminatione, excitatur.

§ 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Praesentium transumptis fidem haberi praecipitur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. aprilis MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

gnitionis initium ab exquisitis aliorum quoque Belgii Episcoporum relationibus atque sententiis, quas desuper explorari sategit, petendum duxit, eodem tempore audire voluit praestantes aliquot huius almae Urbis theologos, quibus iniunxit, ut rem totam ea, qua decet, maturitate discuterent, suamque opinionem proferrent.

Benedictus XIV. congregationem coram se convocat.

§ 1. At dum haec maxime agerentur, supersedendum per aliquot menses fuit ab istiusmodi causae expeditione, propter viduitatem, quae intercidit Romanae Ecclesiae, donec ad Summum Pontificatum feliciter evectus Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. inter primas regiminis sui curas, causae huius cognitionem repeti iussit a memorata Sacra Congregatione Concilii, quam voluit coram se haberi, ut, auditis Eminentissimorum Patrum Sententiis, ipse demum, quid hac de re tenendum foret, supremo suo pronunciaret oraculo. Cum igitur Congregatio praefata sub die XIII. maii currentis anni MDCCXLI. coram Sanctitate Sua fuerit habita, idem Sanctissimus D. N. spatio aliquo temporis ad rem secum expendendam accepto, hanc nuper declarationem et instructionem exarari praecepit, qua, veluti certa regula ac norma, omnes Belgii Antistites, parochi, earumque regionum missionarii et Vicarii Apostolici deinceps in huiusmodi negotiis uti debeant.

Declarat valida matrimonia ibidem inter haereticos contracta.

§ 2. Primo scilicet, quod attinet ad matrimonia ab haereticis inter se in locis Foederatorum Ordinum dominio subiectis celebrata, non servata forma per Tridentinum praescripta, licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus, et attentis tunc expositis circumstantiis, Sacram Congregationem Concilii pro eorum invaliditate respondisse; aeque tamen compertum habens nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum, et alioquin oportere omnino ad consulendum universis Fidelibus in iis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda, quid generaliter de hisce matrimoniis sentiendum sit declarare; negotio mature perpenso, omnibusque rationum momentis hinc inde sedulo libratis, declaravit, statuitque, matrimonia in dictis Foederatis Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque imposterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse; adeoque si contingat, utrumque coniugem ad catholicae Ecclesiae sinum se recipere, eodem, quo antea, coniugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuus consensus coram parocho catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex coniugibus, sive masculus sive foemina, convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire.

Ideo, si ambo coniuges ad fid. cath. redeant, consensum non esse renovandum.

Si unus convertatur, eum ad alias nuptias transire non posse.

§ 3. Quod vero spectat ad ea coniugia, quae pariter in iisdem Foederatis Belgii provinciis, absque forma a Tridentino statuta, contrahuntur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam foeminam in matrimonium ducat, sive catholica foemina haeretico viro nubat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas Sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quae S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt, laudansque magnopere zelo illorum Antistitum, qui, severioribus propositis spiritualibus poenis, catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se se haereticis coniungat; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiae fideles ministros in iis partibus degentes serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriam animarum perniciem ineundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere atque efficaciter impedire satagant. At, si forte aliquod huius generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum iam sit, aut imposterum (quod Deus avertat) contrahi contingat; declarat Sanctitas Sua, matrimonium huiusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictae formae non servatae, novum matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in animum inducere coniugem catholicum, sive virum sive foeminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide deerrantem ad gremium catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato

Nuptias a catholicis cum haereticis contractas detestatur.

Validas tamen pronunciat, etiam non servata forma etc.

Quid faciendum coniugi catholico.

crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de cetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

Idem iudicandum edicit quoad personas addictas praesidiis locorum *di Barriera*.

§ 4. Ad haec declarat Sanctitas Sua, ut quidquid hactenus sancitum dictumque est de matrimoniis sive ab haereticis inter se, sive inter catholicos et haereticos initis in locis Foederatorum Ordinum dominio in Belgio subiectis, sancitum, dictumque intelligatur etiam de similibus matrimoniis extra fines dominii eorumdem Foederatorum Ordinum contractis ab iis, qui addicti sunt legionibus, seu militaribus copiis, quae ab iisdem Foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera;* ita quidem, ut matrimonia ibi praeter Tridentini formam, sive inter haereticos utrinque, sive inter catholicos et haereticos inita, valorem suum obtineant, dummodo uterque coniux ad easdem copias sive legiones pertineat. Et hanc declarationem vult Sanctitas Sua complecti etiam civitatem Mosae Traiectensis, a Republica Foederatorum Ordinum, quamvis non iure dominii sed tantum oppignorationis, ut aiunt, nomine possessam.

Et incolas civitatis Mosae Traiect.

Domiciliarii provinc. Foed. nubentes in regionibus catholicorum, et viceversa, subsint iuri communi.

§ 5. Tandem circa coniugia, quae contrahuntur, vel in Regionibus Principum catholicorum ab iis, qui in provinciis Foederatis domicilium habent, vel in Foederatis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum principum, nihil Sanctitas Sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit; volens, ut de iis, iuxta canonica iuris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur. Et ita declaravit, statuitque, ac ab omnibus imposterum servari praecepit.

Die IV. novemb. MDCCXLI.

Card. GENTILI S. C. Concilii Praef.

C. A. Arch. Philippen. Secret.

XI.

Archiepiscopo Chii mandat ut pontificio nomine et sub excommunicationis poenâ inhibeat damnum inferri Monachis S. Basilii aliisque incolis catholicis Insulae Pathmos eorumque bonis, ac sub eâdem poenâ iubeat ut iam ablata seu occupata ipsis restituantur (1).

Venerabili fratri Archiepiscopo Chii,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Graecorum Basiliensium monachorum coenobium et catholicos incolas in Pathmos Insulâ Sedes Apostolica paternâ benignitate iamdiu complectitur, quam sibi conciliarunt et vero studio religionis et loci commendatione, ubi olim exilio multatus Bm̃us Apostolus et Evangelista Ioannes divinam scripsit Apocalypsim. Quo circa decessores nostri s. me. Innocentius XI., Benedictus XIII. et Clemens XII. ab inferendâ ipsis iniuriâ deterrere ecclesiasticarum censurarum gladio, atque avertere studuerunt orthodoxos navarchos, pyratas, praesertim qui Aegeum et Ionium navigant; impium et crudele reputantes ab eiusdem religionis hominibus divexari miseram gentem tot iam calamitatibus oppressam. Et, hac profecto iustissimâ commiseratione nos pariter inducti atque exemplum sequuti eorumdem praedecessorum nostrorum, cupientesque malum istud praevertere supremae Sedis auxilio, praecipimus fraternitati tuae ac sedulo mandamus, ut nostrâ auctoritate sub poenâ excommunicationis interdicas omnibus et singulis cuiuscumque gradus, ordinis, conditionis, ne praenarratum monasterium catholicique nominis incolas in Pathmos Insulâ, eorumque navigia, armenta et qualiacumque bona intra et extra ipsam Insulam rapere, transferre, vexare, aut deturbare audeant. Si quid autem iam antea occupatum detineant, restituendum eisdem monasteriis et incolis iubeto sub praedictarum poenarum comminatione; dum tamen qui huiusmodi crimine se obstrinxerunt, servatis servandis prius commonefiant, impositam sibi a nobis esse restituendi quidquid abstulerint necessitatem. Ne vero nostrae huiusce voluntatis ulla unquam irrepat oblivio, volumus ut futuris temporibus semel saltem in singulos annos hae nostrae literae aut earum authenticum exemplar in eâdem Pathmos Insulâ promulgentur et in locis consuetis affigantur. Ipsis denique magis magisque roborandis, derogamus quibuscumque con-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., p. 92 coll. etc.

stitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque quidpiam eis contrarium statuentibus. Ac fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. aprilis MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

XII.

Innovat Constitutionem Universi Dominici gregis *Gregorii XV. aliaque apostolica decreta contra sacerdotes ad turpia solicitantes in Sacramentum Poenitentiae; commemorat necessitatem eos denunciandi, reservata tamen Sedi Ap. absolutione eorum qui innocentes sacerdotes accusaverint; privat sacerdotes omni iurisdictione absolvendi complicem in peccato turpi, nisi in mortis periculo et deficiente alio sacerdote etc.* (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a Christo instituti a Deo poenitentiae Sacramenti.

Sacramentum Poenitentiae, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam Sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet immerentes ad universi Dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium et pastoralem solicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per doemonum fraudem et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitum; et, quod in salutem et curationem Animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem atque interitum vertatur.

Constitutio Grég. XV. contra confessarios solicitantes ad turpia.

§ 1. Dudum quidem a fel. rec. Gregorio Papa XV. praedecessore nostro, per suas literas in forma Brevium sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XXX. augusti MDCXXII. pontificatus sui anno II., sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia et inhonesta solicitantes; et deinceps successivis temporibus, ad earum literarum interpretationem ac declarationem, plura subinde a Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die XI. mensis februarii anno Domini MDCLXI. prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter praedecessore nostro in Congregatione generali Sanctae Romanae Universalis Inquisitionis die XXIV. septemb. MDCLXV. coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate et Sanctorum Patrum doctrina

Declarationes Congregationis Sancti Officii.

Propositiones in hac materia damnatae ab Alexandro VII.

---

(1) Vide infra Const. *Apostolici muneris*, cum decreto S. U. Inquisitionis; innovata vero Constitutio Gregorii sic disponit:

GREGORIUS PAPA XV.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Universi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, caelesti dispositione gerentes, sedulo invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conservetur immunis, multoque maiori studio providere, ut omnis pestis ab iis avertatur, quibus alios sanandi officium est commissum, ne, quod evangelica scripta nos admonent, sale infatuato, non sit in quo saliatur, et ad nihilum prosit ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.

Pontifices contra confessarios solicitantes ad turpia poenitentes, leges indixerunt.

§ 1. Quoniam autem a Romanis Pontificibus, praedecessoribus nostris, quibusdam in locis provisum fuit, ut impium ac nefandum scelus, quod non solum inter christifideles non esse, sed nec etiam nominari debet, procul ab iis arceatur, videlicet, ut aliquis sacerdos, ad sacras audiendas confessiones deputatus, sacrosancto poenitentiae sacramento, solicitando poenitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicinâ venenum, pro pane aspidem porrigat, et ex caelesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur; idcirco nos ea, quae his perniciosissimis diaboli insidiis arcendis certis locis salubriter constituta sunt, ut nullibi desiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus.

Pius IV. suam desuper edidit citatam constitutionem.

§ 2. Aliàs siquidem a felicis recordationis Pio Papa IV. praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Pius Papa IV., Venerabili fratri Archiepiscopo Hispanensi, in regnis Hispaniarum haereticae pravitatis Inquisitori generali.

Quidam sacerdotes, abutendo sacramento Pœnitentiae, mulieres in actu confessionis ad actus inhonestos provocant.

Cum, sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, diversi sacerdotes in regnis Hispaniarum atque etiam in eorum civitatibus et dioecesibus curam animarum habentes, sive eam pro aliis exercentes aut alias audiendis confessionibus poenitentium deputati, in tantam proruperint iniquitatem, ut sacramento poenitentiae in actu audiendi confessiones abutantur; nec illi et, qui id instituit, Domino Deo et Salvatori nostro Iesu Christo iniuriam facere vereantur; mulieres videlicet poenitentes ad actus inhonestos, dum earum audiunt confessiones, alliciendo et provocando, seu allicere et provocare tentando et procurando, ac loco earum per sacramentum huiusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole eas onerando, et in manibus diaboli tradendo, in divinae Maiestatis offensam et animarum perniciem et christifidelium scandalum non modicum:

Contra quos ab inquisitoribus pravitatis haereticae inquiri decernit Pontifex;

§ 1. Nos, in animum inducere nequeuntes, quod, qui de fide catholica recte sentiunt, sacramentis in Ecclesia Dei institutis abutantur aut illis iniuriam faciant, fraternitati tuae, de cuius eximia pietate, virtute atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus et mandamus

Praedicta omnia confirmantur et innovantur.

alienas et dissonas propositiones, sexta videlicet et septima, huc revocandae, damnatae et prohibitae fuerunt; nos itaque mature perpendentes quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas et decorem Sanctae Ecclesiae Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes, Poenitentiae Sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino praesides et iudices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacra-

quatenus, per te vel per alium seu alios per te deputandum seu deputandos, contra omnes et singulos sacerdotes dictorum regnorum ac illarum civitatum et dioecesum de praemissis quomodolibet diffamatos, tam saeculares quam quorumvis, etiam exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum, Ordinum regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existant, tam super praemissis quam super fide catholica et quid de ea sentiant diligenter inquiras, et iuxta facultatem tibi contra haereticos aut de haeresi quovis modo suspectos a Sede Apostolica concessarum continentiam et tenorem procedas, ac culpabiles repertos, iuxta excessuum suorum qualitatem, prout iuris fuerit, punias, eos etiam, si et prout de iure fuerit faciendum, debita praecedente degradatione, saecularis iudicis arbitrio puniendos tradendo.

Contrariis derogat.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum et monasteriorum necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI. aprilis MDLXI., pontificatus nostri anno II.

Hic Pontifex illam praecipit inviolabiliter observari.

§ 3. Igitur, ut litterae praedictae perpetuis futuris temporibus et ubique locorum inviolabiliter observentur, motu proprio et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostrâ, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, praeinsertas litteras huiusmodi, ac omnia et singula in eis contenta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, illasque non solum in praedictis Hispaniarum regnis, sed in quibusvis christiani orbis partibus firmiter et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

Immo plenius contra huiusmodi sollicitantes in confessionibus et earum occasione disponit.

§ 4. Ac praeterea, ne in futurum de poenâ his delinquentibus imponendâ, et de modo contra eosdem procedendi aliquo modo dubitari possit, statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, institutorum, societatum et congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu sacramentalis confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis huiusmodi, etiam ipsâ confessione non sequutâ, sive extra occasionem confessionis in confessionario aut in loco quocumque ubi confessiones sacramentales audiuntur seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint, in officio sanctae inquisitionis severissime, ut infra, puniantur. Et praeterea omnes haereticae pravitatis inquisitores et locorum Ordinarios omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis christiani, in suis quemque dioecesibus et territoriis, per has nostras litteras, etiam privative quoad omnes alios, specialiter ac perpetuo iudices delegamus, ut super his contra praedictos, simul vel separatim, in omnibus prout in causis fidei (iuxta sacrorum canonum formam, nec non officii inquisitionis huiusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines et decreta) diligenter inquirant et procedant; et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab executione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum et officiorum quorumcumque, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae et passivae, si regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes et carceres etiam in perpetuum, absque ullâ spe gratiae, poenas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate graviores poenas meruerint, debitâ praecedente degradatione, curiae saeculari puniendos tradant.

Cardinalibus inquisitoribus generalibus arbitrium circa probationes et poenas concedit.

§ 5. Dantes etiam facultatem venerabilibus nostris S. R. E. Cardinalibus generalibus inquisitoribus (ne delictum tam enorme, et Ecclesiae Dei tam perniciosum, remaneat, ob probationum defectum, impunitum, cum difficilis sit probationis), testibus etiam singularibus concurrentibus, praesumptionibus, indiciis et aliis adminiculis, delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, et curiae saeculari, ut praefertur, rerum tradendum esse pronunciandi.

Obstantia tolluntur.

§ 6. Non obstantibus omnibus, quae dictus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Confessarii scientes ab aliis poenitentes fuisse solicitatos, moneant eos, ut inquisitoribus vel Ordinariis denuncient.

§ 7. Mandantes omnibus confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra solicitatos, moneant de obligatione denunciandi solicitantes, seu, ut praefertur, inquisitoribus seu locorum Ordinariis praedictis: quod si hoc officium praetermiserint, vel poenitentes docuerint non teneri ad denunciandum confessarios solicitantes seu tractantes ut supra, iidem locorum Ordinarii et inquisitores illos pro modo culpae punire non negligant.

Transumptis credendum.

§ 8. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra ubique habeatur, quae praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Publicatio in Urbe omnes afficit.

§ 9. Quodque eaedem praesentes litterae, seu illarum exempla, ad valvas basilicarum S. Ioannis Lateranensis ac Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae affixae, omnes ita arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatae fuissent.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. augusti MDCXXII., pontificatus nostri anno II.

mentum administrent: motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, praefatas literas huiusmodi, ac omnia et singula decreta praedicta ad illarum interpretationem et declarationem emanata, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, et mandamus omnibus haereticae pravitatis Inquisitoribus, et locorum Ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum, et locorum universi orbis christiani, in suis respective dioecesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes tam saeculares, quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subiectos, quorumcumque Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum, et cuiuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto munitos, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia solicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint; et quos in aliquo ex huiusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas, iuxta memoratam Gregorii praedecessoris nostri constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme et ecclesiae Dei iniuriosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, iam alias in praefata constitutione tributam, procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant.

Cum praecepto inquisitoribus et Ordinariis exequendi omnia et singula in eisdem contenta.

Confessarii iniungant poenitentibus ab aliis solicitatis, ut solicitantes denuncient.

§ 2. Meminerint praeterea omnes, et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, solicitatos, sedulo monere, iuxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis, personam, quae solicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut solicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive solicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam solicitationem iam effluxerit, aut solicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona, peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio solicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

Denegando absolutionem, nisi paruerint, aut parere promiserint.

§ 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei iudicio posthabito, et ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso solicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur, quaecumque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel sceleste procurando ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.

Calumniatores extra mortis articulum privantur beneficio absolutionis, quae Summo Pontifici reservatur.

§ 4. Demum magnopere cupientes a sacerdotalis iudicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, et sacramentorum contemptum, et ecclesiae iniuriam longe submovere, et tam exitiosa huiusmodi mala prorsus eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, doemonis potius, quam Dei, ministri, loco eas per sacramentum creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum

Providentia Pontificis ulterius extenditur.

venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et aliquorum in theologia magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicationibus, hac nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per synodales suas constitutiones iam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis, et quovis privilegio, et indulto, etiam speciali expressione, et specialissima nota, et mentione digno suffultis, auctoritate apostolica et nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi praeceptum commisso, excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam; adeo quidem, ut absolutio, siquam impertierit, nulla atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has nostras adimere intendimus; et nihilominus, si quis confessarius secus facere ausus fuerit, maioris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem nobis solis nostrisque successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

Adimit sacerdotibus facultatem excipiendi confessiones complicum in peccato turpi, extra casum extremae necessitatis.

Sub poena nullitatis absolutionis.

Et excommunicationis ipso facto incurrendae, et Summo Pontifici reservatae.

Etiam tempore Iubilaei etc.

§ 5. Declarantes etiam, et decernentes, quod nec etiam in vim cuiuscumque iubilaei, aut etiam Bullae quae appellatur Cruciatae Sanctae, aut alterius cuiuslibet indulti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu, nullus confessarius, utpote qui in huiusmodi peccati et poenitentis genere iurisdictione, ut praefertur, careat, et absolvendi facultate a nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim, quae nuncupantur Cruciatae Sanctae, vel Iubilaei Universalis et plenarii, necnon quibusvis ecclesiarum, et monasteriorum, et ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Cum derogationibus necessariis et opportunis.

Dispositio praesentium confessariis inculcanda.

§ 6. Volumus demum, ac praecipimus, ut omnes locorum Ordinarii, tam praesentes, quam futuri pro tempore existentes, in approbatione confessariorum, tam praedictam constitutionem Gregorii praedecessoris, quam praesentem hanc nostram, ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et accurate observari curent, moneantque eos in Domino atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, iudicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei; memores praeterea sint, se locum tenere ac vices obire summi atque aeterni sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus, per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi: sedulo igitur studeant, diligenterque caveant, ne quaerentibus et pulsantibus eorum culpâ coelum claudatur; ne deperditae oves ad ovile dominicum redire properantes, eorum manibus ferarum dentibus dilaniandae tradantur; ne prodigi filii egentes, et saucii, ad coelestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate, gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

Earumdem publicationi in urbe factae vis personalis intimationis, transumptis vero fides in iudicio, et extra, tribuitur.

§ 7. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas Ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium literarum transum-

ptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio. § 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. iunii MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

XIII.

Ad arcendam aviditatem in Missae celebratione, mercimonia super eleemosynis damnat sub poena censurarum, quarum absolutio Summo Pontifici reservat (1).

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benediotionem.

Exordium. Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium non solum omni religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti sacrificii dignitate cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu, non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex catholicae fidei cultoribus, qui ignoret.

Abusus super eleemosynis missarum. § 1. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri moerore undique accepimus, nonnullorum sive ecclesiasticorum sive laicorum virorum avaritia, quae est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem, iuxta locorum consuetudines vel dioecesanarum Synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscuiusque sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus praescripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynae seu stipendia, vel consuetudine vel Synodali lege, pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

Quibus frustratur offerentium voluntas. § 2. Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa sive expressa sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

Iidem alias a Summis Pontificibus damnati. § 3. Execrabilem huiusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices praedecessores nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna maioris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti, se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasse.

Adhortatio ad Episcopos pro extirpanda avaritiae labe. § 4. Eapropter vos, venerabiles fratres, in apostolici ministerii et solicitudinis nostrae partem adscitos, rogamus, et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, inseruerunt se doloribus multis. Ava-

(1) Vide eiusdem Bened. XIV. opus *Institutiones ecclesiasticae*, Instit. LVI. *De Missae stipendio*, atque responsiones Sacrae Poenitentiariae, die XIX. nov. MDCCCLXIII., et S. Cong. Concilii IX. sept. MDCCCLXXIV.

ritiâ quidem nulla potior contagio, quae conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia, opibus Deum posthabere ac servire Mammonae docens, efficit, ut avari haereditatem non habeant in Regno Christi et Dei. Quod si haec in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per altaris ministerium, tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotalis characteris dedecore, in avaritiam praecipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, venerabiles fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut, verbo et exemplo praeeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut ecclesiasticos primum, deinde laicos viros, ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad caeleste ovile currere doceatis.

Iniungitur publicatio edictorum contra illicitos quaestus.

§ 5. Quoniam autem ita comparatum est, ut praesentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in vestris dioecesibus proponendum affigendumque, universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcumque sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suae, posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interea fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem, in populos etiam curae vestrae commissos redundaturam, peramanter impertimur.

Cum poena excommunicationis a laicis et suspensionis a sacerdotibus ipso facto incurren., et Summo Pontifici reservatae.

Praesentium transumptis fidem praestari sancitur.

§ 6. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. iunii MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

XIV.

Athanasium Episcopum Hierosolymitanum ritus Copti constituit ad beneplacitum Sedis Apostolicae Praesulem omnium catholicorum eiusdem ritus sive in Aegypto sive alibi commorantium (1).

Venerabili fratri Athanasio Episcopo Hierosolymitano Ritus Cophtorum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis gaudium in conversione haereticor. et schismaticorum.

Quemadmodum ingenti laetitiâ exultat cor nostrum, cum ad veram catholicae fidei et S. R. Ecclesiae, cuius universali procurationi per immensam divinae Bonitatis abundantiam plane immerentes praefecti fuimus, cognitionem, sinum et obedientiam, eiuratis haeresum ac schismatum erroribus, animas pretioso Iesu Christi D. N. sanguine redemptas convolare accipimus; ita non minori solicitudine ac dolore afficimur, cum intelligimus, tot christifideles ab eiusdem Romanae Ecclesiae amplexibus longe distractos et in sinceritate fidei orthodoxae Deo famulari cupientes veluti oves sine pastore errare, et veluti parvulos caelestem panem petere nec esse qui ipsis frangant. Benedictus Deus et Pater D. N. Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni praessurâ sunt.

Et cura de ipsorum regimine et gubernatione.

Copti ad catholicam fidem conversi, pastoribus destituuntur.

§ 1. Cum itaque quamplurimi Ritus Coptici fideles, tam saeculares quam ecclesiastici, paucis ab hinc annis veritatis lumine illustrati, qui sub antistitibus sive haeresis labe infectis sive in schismatis per-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., pag. 2.

tinacià obstinatis per vastissimas inferioris superiorisque Aegypti regiones reperiuntur, non habeant catholicum Antistitem, a quo, in iis quae ad Deum sunt, et ad aeternam suarum animarum salutem in orthodoxae fidei unione procurandam conducunt, saluberrime instituantur, opportune confirmentur et sapienter regantur.

Pontifex de consilio etc. eorum curam interim demandat Episcopo Hierosolymitano eiusdem ritus, quem laudibus prosequitur

§ 2. Eapropter de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositornm consilio, te, ven. frater, quem, sicut iustus Noe ab aquarum inundatione et Lot a Sodomis erepti fuerunt, ita ab aliorum nationis tuae antistitum erroribus immunem ac liberum esse in Domino gratulamur super omnibus et singulis christifidelibus ritus Coptici, tam in superiori inferiorique Aegypto quam alibi commorantibus, Praesulem ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum et quousque pastorum Princeps Iesus Christus alios animarum pastores tui similes ad ovile suum ibidem regendum dare dignetur, apostolicâ auctoritate nostrâ, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus, constituimus.

Cum facultatibus specialiter ipsi significandis.

§ 3. Iurisdictionem vero super iisdem christifidelibus a te exerceri volumus et mandamus cum iis omnibus facultatibus, quas tam ab ipsis Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei, quam a Cardinalibus in totâ Republicâ Christianâ adversus haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus praescriptas accipies.

Adhortatio ad eumdem Episcopum

§ 4. Enitere igitur, ven. frater, sacerdotale ministerium tuum eâ, qua decet, solicitudine, pietate, fortitudine, caritate et orthodoxae fidei zelo adimplere, certa bonum certamen, ut coronam legitime certantibus in caelo propositam consequi merearis: ad cuius auspicium et pignus, fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die IV. augusti MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

XV.

Expositis iis quae Synodum provincialem a Praesulibus nationis Maronitae in Monte Libano celebratam praecesserant, eamdem Synodum approbat, reservatâ Sedi Apostolicae ratione providendi, quoad sedes episcopales, in Appendice ad Synodum definitas (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

S. Sedes catholicam fidem et disciplinam ubique promovet variis mediis.

Singularis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in supremâ catholicae Ecclesiae procuratione solicitudo, cura atque providentia, tum ad sacrosancta orthodoxae Religionis dogmata, tum ad tradita ecclesiasticae disciplinae praecepta sive declaranda sive sustinenda sive confirmanda sive tuenda sive in pristinam, ubi fortasse excidissent, aut in aliquod quamvis minimum erroris vel corruptelae vitium inclinassent, observantiam revocanda instaurandaque, accuratissime semper servata, in eo maximopere commendatur, quod minime passi fuere, omnia opportuna ac necessaria caritatis, sapientiae, vigilantiae atque auctoritatis apostolicae remedia suaviter fortiterque, ubicumque terrarum ac gentium ubi catholica fides colebatur adhibenda fuissent, unquam desiderari. Saepe enim per apostolicas literas arguebant errantes; saepe vero de apostolico fonte per omnes provincias petentibus responsa dabant; interdum quidem aliis, cum longius abessent, suae curae vices gesturis causas cognoscendas definiendasque committebant; interdum etiam viros dignitate ac doctrinâ insignes, per quos ibi, ubi praesentes esse non poterant, sua repraesentaretur auctoritas, decernebant; aliâs coetus ac synodos, ut a fratribus et Coëpiscopis ibi congregatis canonicâ et apostolicâ integritate causae discussae Deo placitâ aequitate definirentur, indicendas mandabant; nonnunquam et Legatos suos mittebant, qui coetus et synodos, sive generales sive nationales aut provinciales, convocarent, in quibus Apostolicae Sedis nomine aut adstantes aut praesidentes, postquam salubriter, servatâ aequitate, omnia discussa et canonicâ integritate fuissent definita, ad eorumdem praedecessorum nostrorum studerent perducere notionem, quatenus ab ipsis valerent congruâ sine dubio sententiâ terminari atque confirmari.

Inter cetera, conciliorum celebratione.

Eorum utilitas semper agnita.

§ 1. Quantum autem ad catholicae Religionis veritatem illustrandam confirmandamque, quantum ad ecclesiasticae disciplinae observantiam procurandam, quantum ad christianae pietatis et sanctimoniae stu-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., pag. 3.

dium promovendum prodessent huiusmodi coetus et synodi, satis superque experimento comprobavit ipsa antiquitas. *Qua* sane *ex causâ,* inquit S. Martyr et Episcopus Cyprianus, ***necessario apud nos fit, ut per singulos annos seniores ac praepositi in unum conveniamus ad disponenda ea, quae curae nostrae commissa sunt, ut, si quae graviora sunt, communi consilio dirigantur.*** Eapropter Tridentina Synodus praecepit, ut concilia quidem provincialia, sicubi omissa fuissent, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, quolibet saltem triennio; dioecesanae vero synodi quotannis renovarentur.

Et a Conc. Trident. commendata.

Maronitarum rebus necessarium erat Concilium nationale.

§ 2. Etsi autem venn. fratres Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi aliique pro tempore existentes inclytae nationis Maronitarum, quae ab ipsâ suâ origine orthodoxam Romanam fidem professa semper intactam ab infidelibus, haereticis, schismaticis undique circumsedentibus custodire, atque Apostolicae huic S. Sedi arctissime adhaerere debitâque obedientiâ obsequi studuit ac pergit, coetus et synodos eiusmodi veluti in speciem inter se celebrare non destiterint, nunquam tamen apud illos provinciale seu totius nationis concilium habitum fuisse constat. Quo factum fuit ut, cum nonnulla ad disciplinam ecclesiasticam potissimum spectantia sensim a primaevâ institutione ac splendore declinare viderentur, ad eadem sustinenda reparandaque assidue per Congregationum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium tum generalis adversus haereticam pravitatem Inquisitionis, tum Propagandae fidei decreta super propositis dubiis et exortis controversiis edita, quantum fieri potuit, consuleretur. Quae certe providentia iamdudum inita ac servata, etsi quodammodo salutaris, haud tamen satis visa fuit modernis venn. fratribus Iosepho Petro Patriarchae Antiocheno ceterisque Archiepiscopis et Episcopis eiusdem nationis Maronitarum, ut votorum suorum compotes fierent. Quamobrem per supplices literas, eximiis singularis erga Apostolicam hanc S. Sedem reverentiae et obedientiae notis insignes iterum atq. iterum datas, non modo abusus sensim irreptos, ac controversias et confusiones pacem plerumque interturbantes e medio tollendas significabant; verum enixis etiam precibus tandem postularunt, ut ad gravissimum huiusmodi negotium cum eiusdem nationis decore atque utilitate conficiendum, adlegare dignaretur Apostolica Sedes dilectum filium Iosephum Simonium Assemanum eiusdem nationis virum, primae in Bibliothecâ nostrâ Vaticanâ custodiae praefectum, canonicum Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, magistrum in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, praelatum domesticum, et intimum cubicularium nostrum, quem triginta fere ab hinc annis nobis notum et acceptum, tum propter obsequia sua in earumdem Congregationum Inquisitionis et Propagandae Fidei negotiis nationum Orientalium expediendis laudabiliter praestita, et tot volumina, de Orientalibus praesertim aliisque rebus, iam typis edita, plurimi facimus.

Ideo recurrunt ad S. Sedem.

Et petunt ablegatum R. P. Assemanum.

§ 3. Itaque fel. record. Clemens PP. XII. praedecessor noster ex eiusdem Congregationis Propagandae Fidei consilio supplicationibus huiusmodi inclinatus laudatum Iosephum Simonium, tum suis apostolicis in simili formâ Brevis literis, tum decreto et instructione super nonnullis articulis peculiari reformatione dignis habitis, et facultate synodum provincialem seu totius nationis, si opus fuisset, congregandi instructum, ablegare dignatus fuit. Hic autem supremis eiusdem Clementis praedecessoris iussibus, eâ qua decebat, obedientiâ obtemperans, Orientem contendit. Postquam ad Libanum Montem accessit, apostolica mandata, decreta et instructionem dictae Congregationis in apostolicis literis et decretis, ut praemittitur, contenta, iisdem Iosepho Petro Patriarchae aliisque Praesulibus Maronitis exposuit. Quibus omnibus cum veneratione Apostolicae Sedi debitâ exceptis lectisque, unanimi consensu statutum fuit, ut Synodus huiusmodi haberetur, in qua non solum recitarentur atque observanda proponerentur decreta et ordinationes dictae Congregationis Propagandae Fidei; verum etiam alia decreta et canones, si aliquo pacto id ad ecclesiasticam disciplinam cum eiusdem nationis laude reformandam illustrandamque necessarium atque opportunum fuisset visum, conderentur.

Clemens XII. annuit.

Ablegatus cum mandatis apost. ad Montem Libanum accedit; et Synodus indicitur.

§ 4. Interea variis prolusionibus et congressibus ante peractis, Synodus huiusmodi, quae iam indicta fuerat, in ecclesiâ sub invocatione B. V. Mariae Immaculatae monasterii de Loaisa dilectorum filiorum monachorum S. Antonii Congregationis Montis Libani in provinciâ Chesroanensi Phoe-

Locus Concilii, et personae in eo convenientes.

niciae convocata fuit. In eâ sane, praeter Patriarcham et Ablegatum huiusmodi, interfuerunt Archiepiscopi et Episcopi, nimirum quatuordecim Maronitae, duo Syri et totidem Armeni, abbates generales monachorum tum S. Antonii Congregationis Montis Libani tum S. Isaiae, singuli cum quatuor diffinitoribus et aliis abbatibus localibus tam eiusdem Congregationis Montis Libani quam monasteriorum antiqui instituti, locumtenens custodiae Hierosolymorum ac totius Terrae Sanctae, apostolici missionarii omnium Ordinum qui in Syriâ et Palaestinâ commorantur, nempe S. Francisci Minorum de Observantiâ, et Capuccinorum, S. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, et clerici regulares Societatis Iesu, ac quamplures archipresbyteri, parochi, presbyteri, theologi, collegii pontificii de Urbe olim alumni, aliique clerici, monachi, principes ac magnates Gazeni, Hebaiscii, et aliarum familiarum insignium Montis Libani et Antilibani.

Conduntur decreta iuxta instructiones, et acceptantur.

§ 5. Antedicti omnes in sessionibus tam matutinis quam vespertinis, trigesimâ mensis septembris, ac primâ et secundâ diebus mensis octobris anni MDCCXXXVI. habitis, insimul convenientes, postquam recitata et proposita fuerant decreta, canones et articuli iuxta instructionem dictae Congregationis Propagandae Fidei, ut praemittitur, in Synodo huiusmodi condita et contenta, non solum omnia et singula comprobarunt laudaveruntque, iisque omnes et singuli, qui suffragium et votum habebant, aliique subscripserunt; verum etiam literas, quibus et ea quae gesta erant significabant, et ipsum Ablegatum propter suum zelum, prudentiam, doctrinam, pietatem, sapientemque in rebus gestis habitam rationem maximopere commendabant, diebus tertiâ, quartâ, quintâ, septimâ, decimaquintâ eiusdem mensis et annis datas, ad Clementem praedecessorem praefatum et saepe dictam Congregationem perferendas curarunt; suppliciter expostulantes, ut Synodus huiusmodi, praevio Apostolicae huius S. Sedis examine, censurâ et correctione, quatenus necessitas exegisset, apostolicâ auctoritate approbata et confirmata, typis etiam Arabicis dictae Congregationis Propagandae Fidei in lucem prodiret.

Petitur examen et confirmatio S. Sedis.

Dissensiones exortae circa nonnullorum executionem.

§ 6. Interea, dum ipse Ioseph Simonius Ablegatus instructioni memoratae Congregationis et bonae mem. Felicis Cardinalis Zondadari, dum viveret nationis Maronitarum protectoris et huiusmodi ad Montem Libanum Ablegationis ponentis, mandatis obtemperaturus, et iis, qui in dictâ Synodo suffragati fuerant, morem gesturus, statim nonnulla in quibusdam articulis, ut praemittitur, contenta, ac primum hic Romae, deinde in memoratâ Synodo iam discussa atque decreta, executioni mandanda curabat, ac praesertim omnimodam monialium a monachis separationem, non levis eumdem Ablegatum inter et Patriarcham, quoad modum separationis, emersit dissensio. Accessit deinde controversia de inhibitâ quacumque vel modicâ pecuniae summâ aut aliarum rerum contributione tum in sacrorum oleorum distributione, tum in sacrorum ordinum collatione, Patriarchae aut Episcopis alias solvi et erogari solitâ. Demum de statutâ uniuscuiusque propriae ecclesiae Antistitis firmâ incardinatione, et Episcopatuum ad certum numerum, iuxta folium ab ipso Patriarchâ, Archiepiscopis et Episcopis subscriptum, reductione dissidium erupit. De hisce omnibus idem Patriarcha et per suas literas anno MDCCXXXVII. scriptas, et per suum nuntium an. MDCCXXXVIII. hanc almam Urbem assequutum, Apostolicam Sedem consuluit.

Quae pariter ad S. Sedem deferuntur.

§ 7. Narratis autem relatisque prius in saepedictâ Congregatione Propagandae Fidei non semel habitâ quamplurimis, tum quoad puncta in antedictis articulis contenta tum quoad auctoritatem legitimitatemque Synodi praefatae rationum momentis hinc inde adductis et accuratissime expensis auditâ tum ven. fratris Gabrielis Eva Archiepiscopi Cypri Maronitae, tum dilectorum filiorum Thomae Budi abbatis generalis monachorum S. Antonii dictae Congregationis Montis Libani, et Pompilii Rodatâ in Bibliothecâ nostrâ Vaticanâ graeci scriptoris et de rebus orientalibus non ignari, quibus Synodus praefata revidenda et examinanda commissa fuerat, relatione; particularem Congregationem eorumdem venerabilium fratrum nostrorum Propagandae Fidei iam a nobis deputatam coram nobis die XXVII. proxime elapsi mensis augusti, ponente dilecto pariter filio nostro Vincentio S. R. E. Cardinali Petra eiusdem Congregationis Propagandae Fidei praefecto in locum dilecti itidem filii nostri Caroli S. R. E. praefatae Cardinalis Rezzonici ponentis absentis suffecto, habendam indiximus.

Eadem examinantur in Congreg. de Prop. Fide.

Ac demum coram Sanctissimo.

§ 8. Proposita fuerunt in Congregatione huiusmodi dubia, quae sequuntur:

Dubia in Congreg. proposita.

I. *An constet de legitimitate dictae Synodi?*

II. *An canon quoad cohabitationem prohibitam monialium seu mulierum cum monachis sustineatur, vel quomodo moderandus?*

III. *An canon prohibens Patriarchae quamcumque exactionem in distributione Olei sancti parochis sustineatur et mereatur confirmationem?*

IV. *An canon quoad residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis titulis ecclesiarum episcopalium sit approbandus; et quid quoad appendicem Synodi cap.* XLI., *in quo adest divisio sedium episcopalium cum limitibus dioecesum Maronitarum pro distributione dioecesum in tot Episcopis, ita ut non possint amoveri a Patriarchâ?*

V. *An sit consulendum Sanctissimo pro approbatione dictae Synodi etiam per Breve apostolicum?* Ad quae sane dubia, omnibus sedulo expensis, per eosdem Cardinales responsum fuit.

Congreg. respons.

Ad I. *Constare de legitimitate Synodi, omnibus suffragantibus.*

Ad II. *Pro approbatione canonis, citra tamen approbationem monasteriorum.*

Ad III. *Approbandum: et ad Sanctissimum, qui dignetur alio modo providere domino Patriarchae.*

Ad IV. *Pro approbatione canonis demandantis residentiam Episcoporum: et ad Sanctissimum quoad contenta in Appendice cap.* XLI. *in quo proponuntur Metropolitarum et Episcoporum Maronitarum sedes et limites.*

Ad V. *Ad Sanctissimum, qui dignetur approbare Synodum cum Brevi Apostolico.*

Pontifex, de illius consilio, Synodum approbat et confirmat.

§ 9. Hinc est quod nos, qui in sublimi sacrosancti Apostolatus speculâ per divinae Bonitatis abundantiam constituti nihil optamus impensius, quam ut per universum catholicum orbem evangelizemus et dogmata orthodoxae fidei omnes christifideles edoceamus, et ecclesiasticae disciplinae praecepta intacta sanctissime servanda curemus; eapropter omnibus et singulis dissidiis, controversiis, dissensionibus ceterisque quibuscumque, quae ad hanc usque diem super praemissis omnibus quocumque pacto et quomodolibet excitata fuerunt, perpetuum silentium imponentes; necnon omnium et singulorum supra memoratorum Patriarchae, Ablegati, Archiepiscoporum, Episcoporum ceterorumque nationis Maronitarum hominum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere eorumque singulares personas specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, atque apostolicis laudibus commendantes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorumdem nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Synodum huiusmodi omniaque et singula in eâ, ut praemittitur, edita statuta, decreta, ordinationes et canones, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et decretis conciliorum generalium super ritibus ceterarum quarumcumque nationum sive specialiter sive generaliter factis, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, in suo robore permanere debeant; ac salvâ semper in praemissis auctoritate dictae Congregationis Propagandae Fidei, Nobis tamen ac successoribus nostris Romanis Pontificibus, toties quoties opus fuerit, super praemissis omnibus prius consultis.

Salvis constitutionibus superstitibus aliarum nationum editis.

Et facultatibus eiusdem Congreg.

Clausulae pro decretorum observantia, sublata etc.

§ 10. Decernentes, easdem praesentes literas ac Synodum, in eâque edita statuta, ordinationes, decreta et canones huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri atque interpretari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, sive Patriarchâ, Archiepiscopis et Episcopis Nationis Maronitarum, tam singulatim quam una insimul convenientibus, sive apostolicis operariis, qui ab eadem Congregatione ad quascumque orbis terrarum partes mittuntur, quavis auctoritate, etiam per hanc S. Sedem concessâ, nisi expressa quoad Synodum hu-

iusmodi a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus data fuerit facultas, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogationes.

Non obstantibus praemissis omnibus, et apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Reliquorum dubiorum declaratio differtur.

§ 11. Ceterum quidquid quoad omnia et singula dubia antedicta aliaque quaecumque pro totius nationis Maronitarum splendore, utilitate, pace ac concordiâ proficuum ac salutare fore noverimus, per alias nostras in simili formâ Brevis literas cumulate declarabimus.

Fides transumptis habenda.

§ 12. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. septembris MDCCXXXXI., pontif. nostri anno II.

XVI.

Matrimonialium iudicia coram quibus, quo ordine ac forma peragenda sint, praescribit (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gre-

---

(1) Ex Bull. Rom. h. Pont. Romae 1746. Meritum operis existimamus addere instructiones de iudiciis in causis matrimonialibus traditis, tum a S. Cong. Concilii, cum a S. Cong. de Propaganda Fide. Hic primam referimus, secundam in parte altera huiusmodi iuris, suo loco.

INSTRUCTIO

Edita a Sacra Congregatione Concilii die XXII. *augusti* MDCCCXL. *pro confectione processus in causis matrimonialibus.*

Cum moneat Glossa *(in cap. fin. de frig. et malef.)* in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez *(de matrim. lib. 7, cap. 107)* et Card. Argenvilliers *(in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini p. 5, vol. ult., n. 16)*, plura hinc a sacris canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV. (in constitut. *Dei miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur. S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta SS. Canones, citatam s. m. Benedicti XIV. constitutionem, et praesentem instructionem, erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus: praesertim vero decreta et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a Sacro Conc. Trid. *(sess. 24, cap. 20 de ref. § ad haec)*, ac etiam a s. m. Bened. XIV. (in cit. constit. *Dei miseratione* § 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae abbatibus vere Nullius, licet cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam, conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus, citari mandabit defensorem matrimonii, quatenus in curia episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata constitut. s. m. Benedicti XIV. requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda illo postulante ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus coeteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dic-

gem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

---

tum, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit cancellario.

Interim, dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine, cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et, si fuerit illiteratus, per signum cru✝cis; dein iudex et defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ad hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et, adstante defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam text. *(in cap.* Litterae vestrae *de frig. et malef.).* Ut id facilius exequi iudex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit; sin minus, septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui ut supra dictum est deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in bulla saepius laudata s. m. Bened. XIV. praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt praesertim quando initum fuerit matrimonium; utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quandiu in eadem domo, vel civitate, cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam defensori matrimonii, ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos et duos chirurgos, ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent iudex, defensor matrimonii, cancellarius ac periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent rationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et, quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa,

§ 1. Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod, et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit, et, quatenus est catholicae ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures apostolatus nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos iudices humanae naturae conditione et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ 2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter foeminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus apostolicae nostrae sollicitudinis partes in

---

utrum sit impotentia perpetua insanabilis ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens; iudex, defensor validitatis matrimonii et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque, adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, defensor matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis, indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati, aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii, et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus, iuxta constitut. saepius citatam *Dei miseratione.*

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si hac matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare iuxta citatam constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata constitutione *Dei miseratione.* Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ 3. Verum nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum iudicum quibus vel in prima instantia, cum causa coram iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest iudex, ad cuius tribunal causa in. gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus, alter, qui pro matrimonio, alter vero, qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

§ 4. Quod autem ad iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vicesima sexta augusti anno secundo Pontificatus nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae sacris canonibus, et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia, et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus: quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt decani, archidiaconi, et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel, si nullus sit Episcopus cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum pro iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui capituli nominatus fuerit.

§ 5. Quod vero ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si iusta

causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ 6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire, quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ 7. Et demum defensoris huiusmodi persona, tamquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi; et quotiescumque contigerit ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ 8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel, si adsit, lata contra eum sententia, iudicem deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit.

§ 9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris et partium interposita, si ambo, vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra poligamos a sacris canonibus et constitutionibus apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

§ 10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur, et si iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut, quae a nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem iudex in secunda instantia erit iudex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ 11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac

in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars, vel defensor, pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerint, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientiâ defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut, firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ 12. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecuniam ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas et in opera pia erogandas in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt iudices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

§ 13. Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe eiusque suburbiis et districtu Vicarium nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur, citato et audito defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S.R.E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum palatii nostri auditorio, dummodo nobis et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium vel Romanae Curiae praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, defensor matrimonii a Cardinali praefecto eiusdem Congregationis, si vero in palatii nostri auditorio, ab auditore decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem congregationis digniore deputetur.

§ 14. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, vel in Congregatione particulari deputata, cognoscatur, et similiter in palatii nostri auditorio unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in palatii nostri auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis auditoribus

iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententias penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverit; quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a nobis ut supra statutis submittantur.

§ 15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati, et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii interpretum, vel nonnunquam ad aliquam congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a secretario eiusdem congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri congregationi, vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ 16. Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seu aliàs quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis, et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 17. Volumus autem, ut praesentes litterae in valvis Ecclesiae Lateranensis, et principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prae-

sumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, tertio nonas novembris anno Incarnationis dominicae MDCCXLI., pontificatus nostri anno II.

XVII.

Matrimonia occulta quibus et quomodo sint permittenda ostendit; quibus cautelis celebranda et in actis describenda: quomodo sit consulendum prolis educationi et indemnitati (1).

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Matrimonia palam celebrari iubet Ecclesia.

Satis vobis compertum esse non dubitamus, Venerabiles fratres, eam semper fuisse piae matris Ecclesiae vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem, ut diligentius, quam antea factum fuerat, imposterum ab omnibus observaretur, sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo, praecepit, ut imposterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie ecclesiae, coram parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus praesentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem sancta Synodus apud parochum diligenter librum custodiri, in quo coniugum et testium nomina, diesque et locus matrimonii describantur.

Concilii Tridentini Decretum.

Contrarius usus nimis frequens.

§ 1. Providae tamen huiusmodi leges, tantâ auctoritate saluberrime institutae, pravâ horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiae perpetuo iaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis denunciationibus, coram solo parocho vel alio sacerdote de eius licentia, adhibitâ praesentiâ tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta; remque peragi saepe extra ecclesiam, quandoque etiam intra illam, ianuis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semotâ alterius cuiusvis praesentiâ, scientia initi matrimonii praeter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

Mala et peccata inde consequentia.

§ 2. Quantum a sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec matrimonia, *Conscientiae* vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque coniicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat? Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui divini iudicii interminatione posthabitâ, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excoecant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant, post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris coniugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in huius magni sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamiâ pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur! Si enim ad quamcumque Matrimonii suspicionem submovendam, virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo, et contemptum est verbum Domini: *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una:* sin haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et, utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

---

(1) Ex Arch. Secret. Brevium.

Prolis damna spiritualia et temporalia.

§ 3. Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a parentibus, et a matre praesertim, amotam, nec pie nec liberaliter institui; sed incertis fortunae casibus obiectam relinqui; nisi etiam parentes ipsi, contra naturae leges, ausu nefario illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam instituendamque humanitas ipsa compellat; alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum et bonorum iactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament iura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta parentum matrimonia, et ademptam legitimitatis et filiationis probationem.

Filiorumfamilias et clericorum excessus.

§ 4. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris iuste dissentientis voluntatem; ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in Minoribus Ordinibus constituti pensiones et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

Ideo monentur Episcopi, ne facile dispensent a publicationibus.

§ 5. Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas; temperare non possumus, quin vos ipsos, venerabiles fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem, parocho et duobus testibus praesentibus, matrimonium celebretur, et deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae discretique arbitrii legibus; quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

Nec temere permittant matrimonia secreto iniri.

§ 6. Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne, post remissas denunciationes, celebretur matrimonium coram parocho vel alio sacerdote ab ipso parocho vel a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro nostrae poenitentiariae tribunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir et foemina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent: facile enim quisque coniiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat; sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

Qualitates petentium diligenter expendant.

§ 7. Hunc porro in scopum vos hortamur, et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis inquisitio: An scilicet eius qualitatis, gradus et conditionis sint, quae id probe exposcant; An sint sui, vel alieni iuris; An filiifamilias, quorum nuptiae patri iuste dissentienti sint invisae: ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praeberi filio inobedientiae occasionem; An res sit de personis ecclesiasticis, licet in Minoribus Ordinibus constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur.

Et praecipue eorum statum liberum.

Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara et indubia et a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum.

Sacerdotem extraneum sine causa non deputent.

§ 8. Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus, quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen vobis occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causâ, is sacerdos a vobis eligatur, qui probitate et doctrinâ et obeundi muneris peritiâ commendetur.

Contrahentes moneantur de ipsorum debito.

§ 9. Uni tamen aut alteri sacramenti ministro a vobis deputando districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna caritate coniuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro baptismatis lavacro; ac Christo Iudici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate bonisque moribus imbuerint, et frui patientur bonis temporalibus, a maioribus in supremis tabulis relictis, vel providâ legum auctoritate delatis.

Matrimonii occulti documenta Episcopo exhiberi, in acta referri, et caute servari iubentur.

§ 10. Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam, praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Huiusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus: et eo tantum casu resignari, et aperiri, vestrâ accedente licentiâ, patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet iustitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo tamen animadvertentes, quod, re absolutâ, denuo claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestationes, clam celebrati matrimonii, a parocho vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandae, vobisque exhibendae, transcribantur in dicto libro, prout iacent, de verbo ad verbum, a persona a vobis deputanda, quae apud omnes integritatis probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero et attestationes ipsae in secretiori loco sartae tectaeque a vobis serventur.

Proles tempestive baptizari.

§ 11. Quod si ex occulto huiusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aquâ baptismi in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et, quia ad operiendum clam initum matrimonium facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum et eorum nomina consulto reticeri, volumus, ac expresse mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles vobis denuncietur; dictaque denunciatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare vobis constet, quod proles tali loco et tempore, vel reticitis vel falso expressis nominibus parentum, baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eâdem tamen diligentiâ iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus et sigillis obsignatus erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

Eiusque nativitas Episcopo denunciari.

Et in actis rite describi debet.

Contravenientium pœna, matrimonii divulgatio.

§ 12. Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et nostris hisce mandatis parere negligant; debitâ poenarum districtione pro modo culpae a vobis puniantur. Quinimmo cum satis nobis experientiâ compertum sit, in huiusmodi negociis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recto agendi semita revocari, mandamus idcirco, matrimonia occulta a vobis evulgari, et nota fieri, si certo vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nullâ praestitâ vobis no-

titiâ, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerando.

Praedicta omnia contrahentibus edicenda.

§ 13. Ne autem contumaces et inobedientes, violatae fidei proditique secreti Pastores suos insimulent; sedulo a vobis curandum est, ut a parocho, vel alio sacerdote pro secreta celebratione matrimonii a vobis deputando, coniuges clare et aperte moneantur, eâ lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuncietur Episcopo cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est. Alioquin matrimonium, licet contractum datâ per Episcopum secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam filiorum, et ad propulsandam ab illis gravem nulloque pacto ferendam iacturam.

Regestis secreti auctoritas tribuitur.

§ 14. Volumus denique, ac mandamus, fides, seu attestationes matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatae, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud vos caute custodiendis, tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis et matrimonii vindicare consueverunt.

Adhortatio ad Episcopos.

§ 15. Haec a vobis, venerabiles fratres, in hac temporum calamitate observari enixe praecipimus, ad communem animarum salutem, et ad praesidium ecclesiasticae disciplinae, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis vel reformidantis. Caeterum nostris hisce literis sublata nolumus ea validiora remedia, quae huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra, ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternae caritatis et benevolentiae testem, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. novembris MDCCXLI., pontif. nostri anno II.

XVIII.

Commemoratis curis RR. Pontificum pro Indis Occidentalibus et Meridionalibus, quos eo ipso commendat caritati et zelo Episcoporum ut illos omnes iuvent, infideles vero ad fidem adducant, innovat poenam excommunicationis reservatae in eos qui eosdem Indos sive fideles sive infideles in servitutem redigant, vel diripiant, aut vendant, vel eorum bona subripiant (1).

Venerabilibus fratribus Antistitibus Brasiliae, aliarumque ditionum carissimo in Christo filio nostro Ioanni Portugalliae et Algarbiorum Regi in Indiis Occidentalibus et Americâ subiectarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Immensa pastorum Principis Iesu Christi, qui ut homines vitam abundantius haberent venit, et se ipsum tradidit redemptionem pro multis, caritas urget nos, ut, quemadmodum ipsius vices plane immerentes gerimus in terris, ita maiorem caritatem non habeamus, quam ut animam nostram, non solum pro christifidelibus, sed pro omnibus etiam omnino hominibus ponere satagamus. Etsi autem pro supremâ catholicae Ecclesiae procuratione infirmitati nostrae iniunctâ Apostolicam hanc S. Sedem, ad quam undique gentium in dies concurritur, ut opportunum ac salutare emergentibus in christianâ republicâ sive negotiis sive detrimentis remedium afferatur, hic Romae more institutoque maiorum tenere ac regere cogimur, nec longinquas dissitasque regiones, ut qualemcumque inibi apostolici ministerii nostri pro lucrandis animabus pretioso Iesu Christi sanguine redemptis operam impendamus, ac vitam ipsam, quemadmodum cupimus, profundamus, adire non possumus; tamen, sicut nolumus omnes apostolicae providentiae auctoritatis benignitatisque partes ab omni natione, quae sub caelo est, desiderari, ita vos, venn. fratres, quod ad excolendam vineam Dei Sabaoth cooperatores eadem Apostolica Sedes sibi adscivit, in pontificiae solicitudinis vigilantiaeque nostrae partem libenter advocamus; ut et imposito vobis muneri magis magisque satisfacere, et coronam legitime certantibus in caelo repositam facilius consequi valeatis.

Curas RR. PP. pro Indis in servitutem redactis commemorat.

§ 1. Porro fraternitatibus vestris compertum est, quae et quanta Romani Pontifices praedecessores nostri et catholici principes de christianâ Religione beneme-

---

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., pag. 93.

rentissimi laborum incommoda ac pecuniarum dispendia alacri constantique animo passi fuerint, ut hominibus, qui ambulabant in tenebris et in umbrâ mortis sedebant, per sacros operarios, tum sacris praedicationibus bonisque exemplis, tum donis, tum operibus, tum subsidiis, tum auxiliis, lumen orthodoxae fidei illucesceret, et ad agnitionem veritatis venirent; et quibus etiam nunc muneribus, quibus beneficiis, quibus privilegiis, quibus praerogativis, quemadmodum semper factum est, infideles cumulentur, ut iis illecti catholicam Religionem amplectantur, in eâque manentes per bona christianae pietatis opera aeternam salutem adipiscantur. Eapropter non sine gravissimo paterni animi nostri moerore accepimus, post tot inita ab iisdem praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus apostolicae providentiae consilia, post editas constitutiones, opem, subsidium ac praesidium infidelibus omni meliori modo praestandum esse, non iniurias, non flagella, non vincula, non servitutem, non necem inferendam esse sub gravissimis poenis et ecclesiasticis censuris praescribentes, adhuc reperiri, praesertim in istis Brasiliae regionibus, homines orthodoxae fidei cultores, qui veluti caritatis in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffusae sensibus penitus obliti, miseros Indos non solum fidei luce carentes, verum etiam sacro regenerationis lavacro ablutos, in montanis asperrimisque earumdem Brasiliae tam occidentalium quam meridionalium aliarumque regionum desertis inhabitantes, aut in servitutem redigere, aut veluti mancipia aliis vendere, aut eos bonis privari, eâque inhumanitate cum iisdem agere praesumant, ut ab amplectendâ Christi fide potissimum avertantur, et ad odio habendam maximopere obfirmentur.

Varia statuit media contra in servitutem Indos redigentes.

§ 2. Hisce malis, quantum cum Domino possumus, occurrere satagentes, primum quidem eximiam pietatem, et in catholicâ Religione propagandâ incredibilem carissimi in Christo filii nostri Ioannis Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris zelum excitandum curavimus; qui pro filiali suâ erga nos atque hanc S. Sedem observantiâ statim se omnibus et singulis suarum ditionum officialibus et ministris in mandatis daturum pollicitus est, ut quemcumque suorum subditorum aliter, quam christianae caritatis mansuetudo exigit, erga Indos huiusmodi sese gerere comperissent, gravissimis iuxta regia edicta poenis afficerent. Deinde fraternitates vestras rogamus, atque in Domino hortamur, ut nedum debitam ministerii vestri vigilantiam, solicitudinem operamque vestram hac in re cum nominis dignitatisque vestrae detrimento deesse patiamini; quin imo, studia vestra regiorum ministrorum officiis coniungentes, unicuique probetis, sacerdotes animarum pastores quanto prae laicis ministris ad Indis huiusmodi opem ferendam, eosque ad catholicam fidem adducendos ardentiori sacerdotalis caritatis aestu ferveant.

§ 3. Praeterea nos, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, apostolicas in simili formâ Brevis literas a felic. record. Paulo Papa III. praedecessore nostro ad tunc existentem Ioannem S. R. E. Cardinalem de Tavera nuncupatum Archiepiscopum Toletanum die XXVIII. mensis maii anno MDXXXVII. datas, et a rec. mem. Urbano Papa VIII. itidem praedecessore nostro tunc existenti iurium et spoliorum Camerae Apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum Collectori generali die XXII. mensis aprilis anno MDCXXXIX. scriptas (1) renovamus et confirmamus; necnon eorumdem Pauli et Urbani praedecessorum vestigiis inhaerendo, ac impiorum hominum ausus, qui Indos praedictos, quos omnibus christianae caritatis et mansuetudinis officiis ad suscipiendam Christi fidem inducere oportet, inhumanitatis actibus ab illâ deterrent, reprimere volentes, unicuique fraternitatum vestrarum vestrisque pro tempore successoribus committimus et mandamus, ut unusquisque vestrum, vel per se ipsum vel per alium seu alios, editis atque in publicum propositis affixisque edictis, omnibus Indis tam in Paraquariae et Brasiliae provinciis, ac ad Flumen *della Plata* nuncupatum, quam in quibusvis aliis regionibus et locis in Indiis Occidentalibus et Meridionalibus existentibus in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, universis et singulis personis tam saecularibus, etiam ecclesiasticis cuiuscumque status, sexus, gradus, conditionis et dignitatis etiam speciali notâ et mentione dignis existentibus, quam cuiusvis ordinis, congregationis, Societatis etiam Iesu, religionis et instituti Mendicantium et non Mendicantium, ac monachis regularibus, etiam quarumcumque militiarum, etiam Hospitalis

(1) Postremas hasce Urbani literas suo loco retulimus.

S. Iohannis Hierosolymitani fratribus militibus, sub excommunicationis latae sententiae per contravenientes eo ipso incurrendâ poenâ, a qua nonnisi a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti et satisfactione praeviâ absolvi possint, districtius inhibeant; ne de cetero praedictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquomodo libertate privare, in servitute retinere; necnon praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, ac alias quomodolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant. Contradictores quoslibet et rebelles, ac unicuique vestrum in praemissis non parentes in poenam excommunicationis huiusmodi incidisse declarando, ac per alias etiam censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Nos enim unicuique vestrum vestrorumque pro tempore successorum desuper plenam, amplam et liberam facultatem tribuimus et impertimur.

§ 4. Non obstantibus similis memoriae Bonifacii Papae VIII. etiam praedecessoris nostri de unâ, ac Concilii generalis de duabus dietis, ac aliis apostolicis, et in Conciliis universalibus provincialibusque et synodalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, legibus quoque etiam municipalibus, ac quorumcumque locorum piorum et non piorum, et generaliter quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 6. Ceterum, venn. fratres, custodientes vos vigilias super grege unicuique vestrum credito, ministerium vestrum satagite atque enitamini eâ, qua obstricti estis, diligentiâ, sedulitate et caritate adimplere, assidue in animis vestris recolentes rationem, quam et vos pastorum Principi Iesu Christo aeterno iudici de ovibus suis reddituri eritis, et quam ille accuratissime a vobis exacturus erit. Ita enim fore confidimus, ut unusquisque vestrum omnem operam atque conatum adhibeat, ne debitum in hoc tam eximiae caritatis opere officium desideretur. Interea ad prosperi eventus successum apostolicam benedictionem cum uberrimâ caelestium charismatum copiâ coniunctam vobis, venn. fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. decembris MDCCXLI., pontificatus nostri anno II.

XIX.

Synodum Libanensem Maronitarum iuxta modum confirmat (1).

(1) Ex Bull. P. de P. F. vol. III., p. 12. Ex Reg. Vat. ep. ad principes et alios adiungimus literam Summi Pontificis ad Patriarcham Maronitarum de Synodo.

Venerabili fratri Patriarchae Maronitarum,
BENEDICTUS PAPA XIV.
Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Literae fraternitatis tuae quibus decessorem nostrum s. m. Clementem XII. supplex obtestaris, ut dudum collectam apud vos vestrae Maronitarum nationis Synodum provincialem confirmare ac permunire vellet supremâ Apostolicae Sedis auctoritate, Romam ante duos annos delatae nullum hactenus responsum retulerunt. Quamquam enim traditae confestim fuerint venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi, quae sanctissimae propagandae fidei curam gerit, ut praeiret consilio suo Pontificis Maximi de tuo postulato iudicium, gravioribus tamen occupata curis hanc pro-

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Disciplina Ecclesiae quoad residentiam Episcoporum, et gratuitam Sacrorum administrationem.

Apostolica praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Iesu Christi pastorum Principis, cuius supremas vices plane immerentes gerimus, in terris vicariorum sollicitudo ac providentia ad aeternam christifidelium salutem procurandam semper intenta, in eo maximopere commendatur, quod inter cetera ad iisdem animabus eiusdem Iesu Christi sanguine redemptis opportune ac frugifere consulendum, sapientissime instituta atque sanctissime custodita, omni etiam curâ ac labore confirmare, et sub canonicis censuris ac poenis exigere studuerint, nimirum ut et ecclesiarum pastores, quibus ovium salus commissa est, non mercenariorum more, sed attendentes sibi atque universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, praesidentes, inque suis residentes ecclesiis vigilarent et ab ecclesiastico ordine omnis vel minima avaritiae suspicio aut simoniacae labis species, in iis praesertim quae ad sacramentorum administrationem spectant, penitus amoveretur. Non aliâ sane ratione Antistitum inauguratio spirituale dicitur foedus coniugii, quod est inter Episcopum et Ecclesiam cui praeficitur, in electione initiatum, in confirmatione ratum, in consecratione consummatum, ita ut transcursiones etiam de unâ ad aliam ecclesiam, nulla intercedente legitimâ gravissimâque causâ, veluti spiritualis adulterii species existimatae fuerint a SS. Patribus, et sacrorum canonum sanctionibus per maximas poenas coercitae. Eodem prorsus modo, ut non solum sine simoniae labe, verum etiam sine avaritiae suspicione sacramenta administrarentur, inhibitum fuit, ne pro pastu vel alicuius consuetudinis obtentu in iis, quae sacramenta respiciunt, etiam a sponte dantibus, non secus ac voluntariae antiquitus fiebant oblationes, quidquam directe vel indirecte accipiatur aut exigatur.

---

latare necesse habuit. Omne siquidem studium agendis pontificiis comitiis, quae diu tenuerunt, adhibendum fuit. Ubi vero aeternus pastorum Princeps nos penitus immerentes et nihil huiusmodi cogitantes ad universi gregis custodiam manifesto sui numine vocavit, non ita multo post ad res vestras expediendas adiecimus animum, admoniti summâ nostrâ erga gentem vestram benevolentiâ. Facit enim illius in catholicâ religione inexpugnabilis firmitas et in praestandâ Romanae Ecclesiae obedientiâ singulare studium, ut nobis plurimum in pretio atque amore sit. Itaque, ut nulla fieret huius vestri explicandi negotii mora, de ipso apud nos habere conventum iussimus purpuratos eiusdem Congregationis Patres, ex eorumque consilio Synodum illam pontificio assensu et confirmatione roboravimus, ut ex aliis nostris literis in formâ Brevis intelliges, quas kal. septembris datas, cum istis alligatas accipies. Verum cum quidpiam propter rei difficultatem tunc in incerto relinquere opus fuerit; id quoque celeriter expediendum dedimus ven. fratri nostro Cardinali Petra enunciatae Congregationis Praefecto, qui, qua solet, accuratissimâ solertiâ, audito Ablegato tuo Eliâ Felice, consultisque Cyprio Maronitarum Archiepiscopo Eva rerum vestrarum expertissimo, et Praelato nostro domestico Iosepho Simonio Assemano a s. m. Clemente XII. ad hanc vestram convocandam Synodum recens misso, studiosissime digessit, quid pro communi vestrae gentis utilitate pro dirimendisque controversiis magis idoneum magisque opportunum sibi esse videretur. Et nos quidem prompte libenterque sequuti eius sententiam, difficultates, quae reliquae erant, ex eâ normâ delevimus, quam nostrae in formâ Brevis literae tibi referent, huic pariter fasciculo adnexae. Ex ipsis comperies habitam a nobis fuisse rationem auctoritatis dignitatisque tuae: simul vero providisse publicae vestrae nationis tranquillitati, ecclesiasticae disciplinae, religionis decori, praesidio atque ornamento. Quae omnia ut in Maronitarum provinciâ, Romanae Sedi fidissimâ nostramque idcirco meritâ benevolentiam, perpetuo vigeant, singulari studio curare nunquam cessabimus. Ad te modo, ven. frater, qui ceteris praees, non solum auctoritate sed et virtutum exemplo pertinet sublevare ministerio tuo solicitudinem nostram ac dare diligenter operam, ut synodales sanctiones a nobis confirmatae nullo unquam adverso impetu convellantur: utque pax verae alumna religionis ab iis, qui ecclesiasticae militiae, cuiuscunque sint Ordinis, nomen dederunt, nunquam discedat. Praeterea omni studio contende, ut Maronitarum Episcopi patriarchali imperio tuo subiecti, abs te praesertim illecti, pastorali mansuetudine suavique indole tuâ deliniti, in id pariter sedulam navent operam. Qua de re illos admonemus encyclicâ epistolâ. Hanc autem a te iisdem transmittendam ideo non obsignatam reperies, ut hinc quoque intelligas, quae sit nobis tui fiducia quantoque in honore habearis. Et illud caveas oportet discordias, si quando inter vestros proceres oriantur, ad finitimos Turcarum dynastas non deferri, ad quos identidem interpellari implorandi patrocinii causâ non sine horrore cognovimus, neglectâ Apostoli comminatione Corinthios graviter ab hac nefariâ consuetudine in primâ ad ipsos epistolâ deterrentis. Haec et quidquid aliud ad retinendam vestrae gentis disciplinam opus esse tibi videbuntur, confidimus abs te diligentissime curatum iri. Non enim ignota nobis est eximia tua pascendi commissi gregis vigilantia, suavitas morum, qua facile flecteris, generis praestantia, qua tibi concilias, virtus et agendi prudentia, qua ducis ad salutis metam cives et oves tuas. Quocirca hanc Synodum convocandam postulasti, studium adhibuisti ut uberrimus ex illa fructus educeretur, eiusque sanctiones nostro et supremae Sedis decreto fulciri suppliciter exorasti. His auctus meritis, ne dubites quin tibi cumulaveris benevolentiam nostram, cuius ut experimentum capias, etiam atque etiam optamus, ut luculentius intelliges a dilecto filio Eliâ Felici Ablegato tuo. Is autem Romae commoratus nobis et purpuratis Patribus Congregationis ad fidem propagandam vigilantis plurimum satisfecit morum probitate, religiosae vitae institutis, et in tuis gerendis negotiis modestâ sagacitate. Interim tibi, ven. frater, dilectaeque nobis Maronitarum nationi apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die XIX. februarii MDCCXLII.

Laudantur Canones Synodi nationalis Maronitarum circa utramque ...

§ 1. Eapropter apostolicis laudibus prosequimur venn. fratres Iosephum Petrum Antiochenum et Antistites Maronitas ceterosque, qui in Synodo provinciali sive totius nationis Maronitarum, apostolicâ fel. rec. Clementis PP. XII. praedecessoris nostri (qui ad huiusmodi effectum ad Montem Libanum dilectum filium magistrum Iosephum Simonium Assemanum in utrâque signatura nostra referendarium, praelatum nostrorum domesticum et intimum cubicularium ablegaverat) primum indictâ et celebratâ, deinde nostrâ quoque auctoritate, per alias nostras in simili formâ Brevis literas die I. mensis septembris an. MDCCXLI. proxime elapso datas, quarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, et in quibus uberius continentur, approbatâ confirmatâque, interfuerunt. Enimvero cum Antiocheni pro tempore Patriarchae Maronitarum, ob ius quoddam, quod nullius canonicis documentis suffultum sed antiquissimâ consuetudine, sive propriâ auctoritate sive quomodolibet, invectum erat, non solum Antistites, qui iam suis ecclesiis addicti, ab iisdem propter Turcarum tyrannidem absentes, ipsarum ecclesiarum populis praeesse minime possent, aliis, sed prioribus, quibus incardinati erant et haud dimissis ecclesiis, in Chesroani et Montis Libani dioecesibus existentibus, veluti suos ad nutum amovibiles praeficere vicarios; verum etiam oblationes pecuniarias vel alterius rei praestationes pro necessariâ victus dignitatisque patriarchalis, aliis deficientibus congruentibus reditibus, substentatione, ut asserebatur, tempore et occasione distributionis sacrorum Oleorum fieri consuetas exigere solerent; huiusmodi asserto iuri tamquam non legitimo, quin immo sacris canonibus inviso, per duos canones in eâdem Synodo conditos derogatum fuit.

Eorum examen instituitur in Congr. partic. de Propag. Fid.

§ 2. Verum inter alia dubia, quae proposita et examinata fuerunt in particulari Congregatione aliquot venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum pro approbatione dictae Synodi a nobis deputatâ et coram nobis habita, etiam haec duo fuere discussa, nempe primum: *An canon prohibens Patriarchae quamcumque exactionem in distributione Olei sancti parochis sustineatur et mereatur confirmationem?* secundum: *An canon quod residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis titulis ecclesiarum episcopalium sit approbandus, et quid quoad Appendicem Synodi Cap.* XLI. *in quo adest divisio sedium episcopalium cum limitibus dioecesum Maronitarum pro distributione dioecesum in tot Episcopis, ita ut non possint amoveri a Patriarchâ?* (1)

Articulus Appendicis Synodi de numero et limitibus Maronitarum.

§ 3. Tenor autem memoratae Appendicis est, qui sequitur: *Appendix* XLI. *post Synodum Montis Libani. Metropolitanorum et Episcoporum Maronitarum sedes et limites. Patriarcha Antiochiae ac totius nationis Maronitarum sedem habet in Monte Libano in coenobio quod Canu-*

---

(1) Decretum Cong. de Prop. Fide in causa Synodi vide in secunda parte h. op. suo loco; hic ex tab. Cong. transcribimus iudicium Congregationis particularis pro approbatione.

SACRA CONGREGATIO PARTICULARIS

super

revisione Synodi nationis Maronitarum,

habita coram SSmo die XXVII. augusti MDCCXLI. censuit dictam Synodum corrigendam esse, ut sequitur:

1. — Part. 1, Cap. 4, num. 5, pag. 16, in fine dicti numeri 5.

« Dispensatio tamen per Patriarcham non detur generaliter, sed pro unico ieiunio tantum, et pro illa vice iuxta necessitates certi loci, temporis et causae. »

2. — Ibid. num. 6, inter festa mobilia post verba: « Pentecostes cum die sequenti » *addatur:*

« Dominica SSmae Trinitatis. »

« Festum Corporis Christi. »

3. — Part. 1, Cap. 5, num. 12, pag. 21, post verba: « probatos recensentes »:

« Exemplar autem ab ipsis revisum ac emendatum S. Sedis Apostolicae iudicio probandum vel emendandum transmittatur. »

4. — Part. 2, Cap. 4, num. 10, pag. 42, post verba: « crate etiam, » *deleantur verba:* « Si fieri potest, » *et post verba:* « inter poenitentem et sacerdotem, » *addatur:*

« Omnino. »

5. — Part. 2, Cap. 6, num. 6, pag. 55, post verba: « Morientium poenitentia »:

« Et quorumcumque ad formam Cap. Alma Mater de sent. Excom. in 6. »

6. — Ibidem post verbum: « Pentecostes »

« Corporis Christi. »

7. — Ibidem post verba: « vel altero ministrante »:

« Et omnia serventur ad formam Cap. Alma Mater, ut supra. »

8. — Part. 2, Cap. 11, num. 13, pag. 80, post verbum: « triennium »:

« Continuum. »

9. — Eadem Part. et Cap. num. 30, pag. 92, post verba: « Sanctae Matris Ecclesiae »:

« Antiochenae. »

10. — Eadem Part. 2, Cap. 12, num. 15, pag. 118, post verbum: « Communionis »:

« Ad minus in Paschate. »

11. — Eadem Part. 2, Cap. 13, num. 21, pag. 143, post verba: « in Missa retineant »:

« Verum Sacra Congregatio decrevit caputium in missae celebratione solis Episcopis permitti posse, usque tamen ad praefationem, et deinde post sus-

binense dicitur. Sub eo erant Archiepiscopi et Episcopi sequentes: I. *Tyri,* II. *Damasci,* III. *Cypri,* IV. *Alepi,* V. *Beryti,* VI. *Tripolis,* VII. *Botri,* VIII. *Aco seu Ptolemaidis,* IX. *Laodiceae,* X. *Apameae,* XI. *Arcae,* XII. *Eden,* XIII. *Sareptae,* XIV. *Paneadis,* XV. *Listrae, seu Bybli,* XVI. *Neapolis. Sed in Synodo Montis Libani die* XXX. *septembris* MDCCXXXVI. *decreverunt patres, ut Maronitarum dioeceses in posterum ad octo tantum redigerentur; salvâ Rmo D. Patriarchae Episcopos nonnullos titulares ordinandi potestate; videlicet* I. *Alepi, seu Beroae et adiacentium locorum,* II. *Tripolis (huius Pontificis iurisdictio extenditur a Tripoli et Ianiâ ad Arcam Balaneam, Aradum Orthosiadem, Gabalum, Laodiceam usque ad finem Alepi),* III. *Bybli et Botri, (huius iurisdictio extenditur in dioeceses Bybli et Botri, Acurae, Dairalamari et regionis Bisarajae),* IV. *Heliopolis seu Baalbech (huius iurisdictio extenditur in dioeceses Heliopolis et Phathuchae in Bybliensis regionis confinio, et dimidiae partis ditionis Gazirensis, cuius caput Gusta et Gazir),* V. *Damasci (huius iurisdictio extenditur in dioecesim Damascenam, necnon ampliatur ad alteram dimidiam partem ditionis Gazirensis cuius caput est Agelton, complectitur praeterea Cascontam Zuc-Charabam, et Zabbugam),* VI. *Cypri (huius iurisdictio complectitur universa insulae illius castella, ac praeterea in Chesroanâ regione habet Bacafajam, Bat-schebabam, eorumque villas, necnon villas Chesroeniae usque ad pontem Beryti),* VII. *Beryti (huius iurisdictio extenditur a Beryto usque ad Mathanam, et Giordam, et Algarbam, et Sciacharam Mathanae, et usque ad pontem Flavii Cadi seu Tamyris),* VIII. *Tyri et Sidonis (huius iurisdictio complectitur Sidonem, Tyrum, earumque villas, necnon Suph-Bacaam, vallem Tainae et adiacentes terras a fluvio Tamyri usque ad S. Civitatem Hierusalem). Nos subscripti hanc dioecesum distributionem approbamus. Datum in S. nostrâ Synodo in monasterio Deiparae de Loaisa die* XXX. *septembris* MDCCXXXVI. *Ioseph Petrus Patriarcha Antiochiae. Gabriel Sareptae. Simeon Damasci. Abdalla Beryti. Elias Arcae. Basilius Tripolis. Philippus Lystrae. Stephanus Botri. Gabriel Aco. Iohannes Laodiceae. Ignatius Tyri. Gabriel Alepi. Michael Paneadis. Tobias Cypri.*

Congregationis iudicium.

§ 4. Ad primum autem responsum fuit: *Approbandum, et ad SSmum, qui dignetur alio modo providere domino Patriarchae.* Ad secundum etiam responsum fuit: *Pro approbatione canonis demandantis residentiam Episcoporum, et ad SSmum quoad contenta in Appendice Cap.* XLI. *in quo proponuntur Metropolitanorum et Episcoporum Maronitarum sedes et limites.*

Pontifex, expensis iterum capitibus in suspenso relictis,

§ 5. Nos igitur, qui nihil optamus impensius, quam ut ecclesiastica disciplina per universum catholicum orbem ubi quidem integra viget magis magisque confirmetur, ubi vero collapsa est opportune instauretur; ut in rebus tanti momenti eâ, qua opus est, consilij, maturitatis et examinis ratione procederemus, venn. fratri nostro Vincentio S. R. E. praefatae Cardinali Petra nuncupato eiusdem Congregationis Propagandae Fidei praefecto commisimus, ut, postquam cum dictae Synodi revisoribus aliisque rerum Maronitarum peritis super praemissis accuratissime egisset, ad nos referret. Quoniâm autem ipse ven. frater noster Vincentius Cardinalis, auditis revisoribus aliisque, ut praemittitur, rerum Maronitarum peritiâ instructis, erutisque ex archivio dictae Congregationis Propagandae Fidei documentis, iisque invicem expensis, ad nos retulit, oblationes pecuniarias vel alterius rei praestationes fieri quidem tempore et occasione distributionis sacrorum Oleorum, revera esse, ut ab initio caeptum fuit, pecuniarias oblationes vel

---

ceptionem Sacramenti. Nulli autem alteri permittatur, tum in Oriente, tum in Occidente. »

12. — Eadem Part. 2, Cap. 14, num. 35, pag. 161, post verba: « Omnium sit »: *deleatur verbum* « traditio, » *et ponatur*

« Consuetudo. »

13. — Eadem Part. et Cap., num. 47, pag. 171, post verba: « Apostolicae Sedis »:

« Antiochenae. »

14. — Part. 3, Cap. 5, num. 3, pag. 256, post verba: « accurate observari »:

« Similiter per Rmum D. Patriarcham taxa fiat emolumentorum, quae percipere solet in concessionibus dispensationum cuiuscumque generis, ac praecipue matrimonialium, quibus tamen circa gradus consanguinitatis, affinitatis et cognationis spiritualis constitutio Clementis VIII. omnino est servanda. »

15. — Part. 3, Cap. 6, num. 2, pag. 261, post verbum: « Negotia »:

« (Salvis tamen causis ad solum Romanum Pontificem spectantibus). »

V. Card. Petra, *Praefectus.*

Philippus de Montibus, *Secretarius.*

alterius rei praestationes, Patriarchis pro tempore existentibus alimentorum et dignitatis tuendae munerisque patriarchalis commodum obeundi causâ debitas atque praescriptas; necnon residentiam Episcoporum Maronitarum in propriis titulis ecclesiarum, et divisionem sedium episcopalium cum limitibus Dioecesum earumque reductionem, prout in Appendice praeinsertâ continentur, omnino necessariam, utilem ac salutarem esse; hinc est, quod nos, qui inclytam nationem Maronitarum quamvis haereticis, schismaticis, maumethanis et idololatris undique circumseptam, tamen veluti rosam inter spinas et scopulum inter undas semper in catholicâ Romanâ fide constantem, ac propterea a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris tantopere existimatam, ad eorumdem praedecessorum nostrorum exempla plurimi facimus et apostolicâ caritate complectimur, motu proprio et ex certâ scientia ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, primum utrumque canonem et in eis contenta quaecumque ac praeinsertam Appendicem approbamus, et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur perpetuo adiicimus, atque in perpetuum deinceps observari praecipimus et mandamus.

Canones et Appendicem confirmat.

Patriarcham, eiusque decessores, ab avaritiae aut simoniae nota purgatos, declarat.

§ 6. Deinde modernum Patriarcham eiusque praedecessores, nec non tam eos qui dedissent, quam qui accepissent dictas oblationes pecuniarias vel alterius rei praestationes, easque sive datas vel dandas, sive acceptas vel accipiendas pro sacrorum Oleorum distributione esse existimassent, ab omni simoniacae labis pravitate et turpi avaritiae quaestu immunes fuisse et esse, neque in posterum a quoquam, ausu temerario, veluti simoniacos et avaros insimulari posse et debere declaramus.

Iidem, eiusque successoribus, annuum caritativum subsidium pro alimentis attribuit.

§ 7. Praeterea ne moderno et pro tempore existenti Patriarchae, ut praemittitur, desint alimenta et subsidia, statuimus et, quatenus opus sit, praecipimus et mandamus omnibus et singulis ecclesiarum, monasteriorumque parochis et superioribus nationis Maronitarum, ut singuli parochi et superiores huiusmodi, iuxta designationem instructionemque ab ipsâ Congregatione Propagandae Fidei confectam, atque una iisdem nostris literis adiungendam, et in virtute sanctae obedientiae et sub poenis ad Apostolicae Sedis et pro tempore existentis Patriarchae arbitrium imponendis omnino servandam, singulis annis die dominicâ infra octavam solemnitatis B. Virginis Mariae Immaculatae in caelum Assumptae a currenti anno MDCCXLII. incipientes in perpetuum Patriachae pro tempore existenti antedictas pecuniarias oblationes sub nomine caritativi subsidii contribuant et solvant; necnon statum animarum, quarum curam gerunt, ad saepedictae Synodi praescriptum et normam eidem Patriarchae deferant, a quo et literas instructivas sive pastorales de more, sicut antea in sacrorum Oleorum distributione fiebat, accipiant, ipse vero pro tempore existens Patriarcha alio opportuno tempore sacra Olea gratis omnino transmittat sive distribuat, et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cuiuscumque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat.

Sacra vero Olea absque ullius oblationis exactione distribui iubet.

Dioecesum numerum septenarium, praeter patriarchalem praefinit.

§ 8. Insuper motu, scientiâ, potestate ac tenore paribus statuimus, et declaramus numerum sedium ac dioecesum episcopalium et Episcoporum Maronitarum ad septem dumtaxat, exceptâ patriarchali sede et archidioecesi, quacum octo existunt, redigendum reducendumque esse, prout in praeinsertâ Appendice, cum suis respective distinctis dioecesibus, oppidis, terris, ecclesiis ac monasteriis, iuxta praescriptos fines ac terminos redactus reductusque est, et nos, quatenus opus sit, de novo redigimus et reducimus, et redactum reductumque esse et haberi decernimus et definimus.

In quibus Episcopos perpetuo incardinari decernit.

§ 9. Item volumus et mandamus ut, postquam reductio huiusmodi, ut infra, locum habuerit, in hisce octo dioecesibus distinctis et ab invicem divisis ac separatis, tam Patriarcha in suâ (quam ad sui arbitrium semel eligendam, sed semel electam et Archidioecesim nuncupatam, Patriarcham eligentem eiusque successores nunquam permutare posse decernimus et definimus), quam singuli septem Episcopi in suis respective dioecesibus constituti et incardinati perpetuo sint et habeantur, ita ut nunquam ad Patriachae pro tempore existentis nutum amoveri possint, nisi vel per canonicam, ob gravissima crimina, iuris ordine servato, privationem, vel per legitimam de unâ ad aliam dioecesim, iuxta sacrorum canonum regulas et iuris comunis dispositiones, translationem.

Patriarchae iura et facultates enunciat.

§ 10. Praeter haec modernus et pro tempore existens Patriarcha ius habeat Antistites, iuxta morem et non alias, in qualibet sede et dioecesi pastoris solatio destitutâ constituendi et incardinandi; singulis trienniis singulas dioeceses per se ipsum visi-

tandi; decimas consuetas (decimâ tamen decimarum singulis Antistitibus in suis respective dioecesibus relictâ) in iisdem dioecesibus colligendi; et emolumenta dispensationum, quae ad Patriarcham spectant, exigendi; nec non legata vel dictae dioecesi, quae Sedi Patriarchali unita fuerit, vel ipsi pro tempore Patriarchae relicta acquirendi; et pro huiusmodi effectu unum aut plures collectores et ministros in dictis dioecesibus deputandi; sacra Olea consecrandi, et in singulas septem dioeceses privative distribuendi et, ut ante statutum est et non aliter, mittendi; ceterum aliis, si quae sunt Patriarchae pro tempore existenti reservata et debita tam praescripto iure quam invectâ consuetudine, iuribus, de quibus nulla in hisce praesentibus fit mentio, nullum ideo praeiudicium per ipsas praesentes inferri et illatum esse volumus et intendimus.

Sine praeiudicio aliorum hic non expressorum.

Executio reductionis dioecesum provide differtur.

§ 11. Denique, ut reductio sedium episcopalium e tredecim ad septem, praeter patriarchalem, dumtaxat, prout in praeinsertâ Appendice contenta atque praescripta, debitae executioni iuxta commendatissimum caritatis et providentiae ordinem demandetur, volumus atque praecipimus, ut moderni Antistites Maronitae, qui veluti Patriarchae vicarii missi, dum reductio huiusmodi statuta fuit, tredecim in Chesroano in humanis agebant, etsi, interea temporis duobus eorumdem viam universae carnis ingressis, undecim in praesentia numerentur, eodem pacto, quemadmodum antea servabatur, veluti ipsius Patriarchae vicarii ad nutum amovibiles eousque sint et habeantur, donec septenarius eorumdem superstitum numerus remanserit. Quo facto, reductio septem sedium huiusmodi tunc et non antea locum habeat et constituta intelligatur; atque idem pro tempore existens Patriarcha, electâ prius patriarchali sede, singulos singulis sedibus Antistites ad sui libitum, sed secundum prudentiae et caritatis leges, praeficiat et assignet, ita tamen ut assignatio huiusmodi perpetuo facta, et unusquisque Antistes perpetuo constitutus et incardinatus sit et intelligatur sedi et dioecesi, quae semel unicuique assignata fuerit.

Praesentium literarum perpetuo vigori consulitur.

§ 12. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes seu habere praetendentes cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, seu alias specifica et individuâ mentione et expressione digni existant iisdem praesentibus non consenserint, nec vocati, seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum vel privilegiorum vigore consentire, seu vocari et audiri semel vel pluries quoquomodo debuissent, aut ex aliâ quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae vel interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali ac substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere et ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore quandocumque et quomodocumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, quavis auctoritate, praeeminentiâ aut potestate fungentes et functuros, etiam causarum palatii apostolici auditores, et dictae S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sublata secus iudicandi facultate.

Contraria non obstare decernitur.

§ 13. Non obstantibus praemissis omnibus, ac nostra et Cancellariae nostrae Apostolicae, quatenus opus sit, regulâ de iure quaesito non tollendo, nec non apostolicis, atque in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, praesertim pro universâ natione Maronitarum, constitutionibus et ordinationibus, aliisque etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sive universae nationi, sive Patriarchae, Antistitibus et populis Maronitis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie,

aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Earumdem literarum exemplis et versionibus auctoritas tribuitur.

§ 14. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, tam latine quam syriace aut arabice, tum manuscriptis tum typis impressis et manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam, Maiorem sub annulo Piscatoris die XIV. februarii MDCCXLII., pontificatus nostri anno II.

XX.

Disponit causas dispensationum matrimonialium iuxta veritatem esse exponendas et ab executoribus ad mentem verificandas (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ad apostolicae servitutis nostrae ministerium pertinet sedula invigilare cura, ut dispensationes super gradibus affinitatis, seu consanguinitatis, intra quos matrimonia contrahi prohibentur, vel super aliis a Sacris Canonibus statutis impedimentis, nisi ex debitis causis non concedantur, et omnia inde amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini ac decori Romanae Ecclesiae, cui, licet immerito, divina benignitate praesidemus.

---

(1) Mentem suam exponit Pontifex sequenti litera, quam ex collectione ed. Prati transcribimus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Reverendissimo Cardinal Pompeo Aldrovadi nostro Pro-Datario. Essendoci noi riservati nella nostra costituzione in data delli 25 di febbraro del corrente anno mille settecento quarantadue, che incomincia: *Ad apostolicae servitutis nostrae ministerium*, di più chiaramente esporre, e dilucidare, alcune cose praticate sin' ad ora nelle lettere apostoliche delle dispense matrimoniali, che sogliono porre in agitazione, ed ingombrare di scrupoli l'animi delli esecutori di dette lettere; ad effetto, che tolta per mezzo di tale dichiarazione ogni dubbiezza, e provate avanti di essi con una loro moral certezza, le cause in dette dispense addotte possino con tutta la quiete delle coscienze loro passarne alla dovuta esecuzione; et essendoci stato rappresentato, anzi che dimostrato, venire principalmente cagionate simili agitazioni, scrupoli, e dubbiezze nei suddetti esecutori dalla clausula: *Et oratoribus vitae periculum immineret*, quale (secondo ne viene riferito) suol porsi nelle lettere apostoliche delle dispense matrimoniali sopra l'impedimenti di primo grado d'affinità, e di pubblica onestà proveniente ex matrimonio rato, et non consumato, di primo e secondo, di primo e terzo, e di secondo in linea uguale, di consanguinità, d'affinità, e di pubblica onestà proveniente come sopra, e della cognazione spirituale inter levantem, et levatum; che ottengonsi da' poveri oratori colle cause di commercio carnale tra essi seguito, o della conversazione sospetta di simile commercio insieme avuta, denominate in forma pauperum. Rendendosi detta clausula il più delle volte quasi impossibile, o almeno difficilissima a verificarsi, il che opera che da alcuni più cauti, ed esatti esecutori si ricusi non senza scandali, e grave pregiudizio della fama, e forse anche dell'anima della donna, l'esecuzione di simili dispense; et ad altri meno cauti ed esatti, ed indotti forse da una falsa voce, che detta clausola sia una mera formalità porge occasione di facilitare oltre il dovere, passandone all'esecuzione, senza che quella resti, ne pure con qualche probabilità, verificata; quindi è, che desiderando noi di ovviare per quanto è possibile a simili inconvenienti abbiamo disposto di togliere da dette lettere, e modificare respettivamente nelle medesime ciò che puole esserne causa, e che dà occasione di non servarsi nell'esecuzione di esse la dovuta, e da noi sommamente bramata esattezza, diligenza e puntualità; distinguendo adunque il modo di concepire le lettere apostoliche per suddette dispense del secondo grado uguale di consanguinità, d'affinità, di pubblica onestà proveniente come sopra, dalle altre, che si concedono dalla Santa Sede nella suddetta forma sovra li gradi più prossimi, ed altri impedienti sopra riferiti: per quello appartiene alle dette dispense in secondo grado uguale siccome ben riconosciamo, che le altre clausole solite porsi nelle medesime, contengono in se cause e motivi sufficienti per dispensare nel suddetto secondo grado, ancorchè non vi concorra quella dell'imminente pericolo della vita de' dispensandi; vi participiamo essere nostra volontà, che in avvenire possino, e debbano le suppliche delle suddette dispense matrimoniali sopra il secondo grado uguale solamente rilasciarsi, e spedirsi anche senza detta clausola del pericolo della vita, ma debba questa lasciarvisi modificata però nella maniera, che in appresso additeremo quando li spedizionieri ad insinuazione dei supplicanti ve l'abbiano espressamente apposta, restando per altro in esse suppliche ferme, et intatte, e nella loro pristina forma e vigore le altre clausole solite porsi nelle medesime; per le altre poi dispense risguardanti li detti gradi più prossimi, et impedimenti più stretti già sopra riferiti, avendo noi riconosciuto, essere stato sempre da' nostri predecessori Pontefici con maggior difficoltà sopra questi, che sopra il suddetto grado secondo, grado uguale dispensato, nostra precisa volontà è, che nelle lettere apostoliche di esse resti ferma detta clausola, come altresì tutte le altre, che si è sino ad ora praticato di porvici, con doversi solamente quella modificare, aggiungendovi l'avverbio *verisimiliter* nel modo seguente: *et oratoribus vitae periculum verisimiliter immineret*, con che verrà a rendersene più facile la verificazione, e resteranno gli esecu-

Dispensationum expediendarum ratio.

§ 1. Sane quidem ad dispensationes obtinendas, ab iis, qui eas postulant, in supplici libello causae pro illis consequendis exprimi solent; quae si eiusmodi fuerint, ut iuxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium locus ad dispensandum esse videatur, dispensatio concedi solet, eiusque executio Ordinario, ut plurimum, committi; cui onus incumbit diligenter inquirere, an causae expositae veritate nitantur, ut, veris illis existentibus, gratia executioni demandetur, secus vero, si causae nullatenus veritati consentaneae sint. Si autem contingat, ob causas minime veras existentes, ut dispensatio executioni non tradatur; qui eam impetrarunt, apud negotiorum gestores, seu literarum apostolicarum expeditores conqueruntur; a quibus nonnunquam responderi solet, executionem perperam et iniurià denegatam fuisse, quia expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quaedam et forensis stili consuetudo: quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum, earumque verificatio, ad substantiam et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita sit, nullamque executionem mereatur.

Opinio quorumdam circa causarum exprimendarum veritatem, reprobatur.

Ubi preces obreptitiae, gratia nulla est.

Periculum vitae specialiter verificandum.

§ 2. Id autem, ut plurimum evenit in dispensationibus, in quibus apponi solet clausula: *Et oratoribus vitae periculum immineret:* quae cum saepe in dispensationibus in primo et secundo, vel in secundo gradu, et in nonnullis aliis canonicis impedimentis, sine ulla ratione, causa et veritate, expressa reperiatur; Ordinarii locorum, qui cautius et accuratius se gerunt, nisi vitae periculum immineat, dispensationem exequi recusant; alii vero, fortasse falso rumore inducti, quod huiusmodi clausula sit mera formalitas, indulgentius quam necesse est procedentes, periculo vitae neque argumentis probabilibus verificato, eoque oratoribus saltem verisimiliter imminere comperto, gratiam dispensationis exequuntur.

Decretum S. Pii V. contra officiales falsa exprimentes.

§ 3. S. M. praedecessor noster Pius Papa V. in sua constitutione per viam motus proprii expedita et publicata sub die V. decembris anno MDLXVI., cuius initium est: *Sicut accepimus:* decrevit, omnes et singulos Procuratores, tam officii Sacrae Poenitentiariae seu contradictarum, quam alios quoscumque sollicitatores et scriptores, qui veritatem facti a narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia et qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quoquomodo intervertunt, aut immutant, aut depravant, et per subreptionem et obreptionem gratias a Romanis Pontificibus extorquent, poenam falsi incurrere, et ea puniri omnino debere.

Admonitio ad omnes negotiorum gestores etc.

§ 4. Huiusmodi autem constitutio quanquam videatur pertinere dumtaxat ad Procuratores, sollicitatores et scriptores officii Sacrae Poenitentiariae, ubi per id temporis matrimoniales dispensationes etiam in foro externo concedi solebant, nihilominus pro pastorali nostra et paterna cura ex alto nobis commissa hortamur, monemus ac praecipimus omnibus et singulis negotiorum gestoribus, procuratoribus et expeditoribus literarum apostolicarum, etiam datariae nostrae, ut, cum supplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sunt, id primum ante omnia agant, ut plenam atque exactam facti notitiam assequi curent, sciscitantes ab ipsis oratoribus, an hae et illae causae adsint, ex quibus sciunt dispensationem concedi solere in hoc vel illo gradu; deinde in supplici libello facti speciem nitide ac sincere ex-

---

tori liberi da que'scrupoli, che venivangli tal volta cagionati dalli troppo stretti termini, coi quali era detta clausola concepita; vogliamo ciò non ostante, che dandosi qualche particolar caso, nel quale non sovrastasse a'dispensandi il suddetto pericolo della vita; ma concorresse bensì oltre li soliti qualche particolar motivo, e causa per cui noi, o li nostri successori a'quali dovrà farsene fedele relazione, ci movessimo alla concessione di alcune di dette dispense, sopra li detti gradi, ed impedimenti più stretti si possa commettere la suddetta clausola, e senza questa rilasciarsene, e spedirsene la supplica, nella quale però dovrà esprimersi quella particolar causa, e motivo, che avrà indotti noi, e li nostri Successori a concedere detta dispensa senza detta causa del pericolo di vita. Potrete per tanto communicare le presenti nostre disposizioni, e volontà al revisore delle dispense matrimoniali, et ad ogni altro, che stimerete necessario, e conveniente con dargli gl'ordini opportuni, ad effetto siano quelle con la dovuta esattezza, e puntualità eseguite ed osservate, mentre così abbiamo disposto, e vogliamo, e comandiamo, che si pratichi, e s'osservi, in avvenire sempre, ed in perpetuo, non ostante qualunque pratica, osservanza, ordine, o decreto da nostri predecessori Pontefici, o di loro espresso comando emanati, che possino essere contrarii, ed ostare alle presenti nostre disposizioni, volontà, e comando.

Dato dal nostro Palazzo Quirinale questo dì 30 marzo 1742.

BENEDICTUS PP. XIV.

ponant; caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, invertant, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quae ab oratoribus sibi exposita fuerunt; et multo magis abstineant, ne quid falsi, aut dicti proprio ingenio inventum, vel excogitatum, ad gratiam dispensationis facilius obtinendam, in precibus obtrudant; demum, prae oculis habentes, se operam suam in ecclesiasticis negotiis in hac alma urbe exhibere, ubi cathedra veritatis est, ipsam solam ament et sectentur veritatem, non lucrum, aut gratiam et favorem supplicantium; diligenterque videant, ne mendacii aut erroris merito argui, cum animae suae detrimento, possint, falso et perperam asserentes, causas earumque verificationes, ex provida nostrorum praedecessorum dispositione, in huiusmodi gratiis, ad ecclesiasticae disciplinae vigorem et canonicarum legum et apostolicarum constitutionum voluntatem servandam, apponi et respective demandari solitas, vanas et superfluas esse, et, tanquam inanes curiae formalitates, parvi aut nihili esse faciendas.

Ad quos extenditur poena falsi, si in exponendis dispensationum causis deliquerint.

§ 5. Praeterea huiusmodi graves abusus, quibus honor et decus huius almae urbis dehonestatur, et Sedis Apostolicae splendori ac dignitati officitur, penitus abolere cupientes: motu proprio, ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine praefatam constitutionem s. m. Pii V. praedecessoris nostri extendimus, dilatamus, ac producimus ad omnes praedictos negotiorum gestores, procuratores et expeditores literarum apostolicarum, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis, et quocumque indulto, privilegio et dignitate munitos; et, quatenus opus sit, eam de novo ferimus, statuimus et innovamus; volentes ac decernentes, ut, in omnibus superius expressis casibus, poena falsi contra delinquentes locum habeat; sine tamen praeiudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui, ob illorum culpam, eiusmodi dispensationes, quae executioni demandari nequeunt, obtinuerunt.

Executoribus committitur verificatio causarum in litt. express.

§ 6. Denique omnes et singulos venerabiles fratres Archiepiscopos, Episcopos et locorum Ordinarios, caeterosque executores literarum apostolicarum, quibus huiusmodi dispensationum exequutio committi solet, enixe rogamus et obsecramus, ut sedulo ac diligenter attendant, priusquam dispensationis gratiam exequantur, an causae in apostolicis literis expressae, et quarum verificatio eorum curae et vigilantiae a Sede Apostolica commissa est, verae-ne, an secus existant, an potius Sedi Apostolicae falsum expositum, et veritas reticita fuerit; qua super re eorum conscientiam oneramus.

Litterae dispensationum in quibusdam distinctius concipi iubentur.

§ 7. Et quoniam in iisdem apostolicis literis super dispensationibus in gradibus prohibitis, aliisque praefatis impedimentis, nonnulla observata sunt, quae negotium executoribus quandoque exhibere, et scrupulos eorum animis ingerere solent, apostolicae nostrae sollicitudinis erit, ea dilucidius et apertius in iisdem dispensationum literis apostolicis exponere ac declarare, ut omni dubitatione sublata, et causis coram executore huiusmodi probationum genere probatis, quo de illarum veritate moraliter certus reddatur, apostolicae literae matrimonialium dispensationum sine ulla haesitatione ad debitam executionem deduci possint.

Delinquentium punitio Datariis demandatur.

§ 8. Mandamus quoque, et iniungimus dilecto filio nostro Pompeio tituli S. Eusebii S. R. E. presbytero Cardinali Aldrovando nuncupato prodatario nostro, eiusque successoribus datariae apostolicae prodatariis, seu datariis pro tempore existentibus, ut in praemissis reos et culpabiles repertos, poena falsi, ut praefertur, puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summarie de non tuto accessu, aliaque dicendi et faciendi in praemissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis et consuetudinibus, et quibusvis indultis et privilegiis, quibuscumque personis etiam speciali mentione dignis, datis et concessis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Non obstantibus quibuscumque.

Sanctio.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, constitutionis, monitionis, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, v. Kal. martias, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLII., pontificatus nostri anno II.

XXI.

Rectori pro tempore Collegii Anglorum Duacensis plures ad quinquennium tri-

buit facultates circa alumnorum ordinationem (1).

Dilecto filio Rectori Collegii Anglorum Duacensis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

De tuâ singulari fide, prudentiâ et doctrinâ plurimum in Domino confidentes, ea tibi concedenda duximus, quae infrascripti Collegii et alumnorum illius commodo et utilitati profutura esse cognoscimus.

§ 1. Itaque, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in universâ republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sede Apostolicâ specialiter deputatorum consilio, tibi moderno ac pro tempore existenti rectori, ut ad quinquennium proximum tantum et interim quandiu rectoris munere in isto Collegio Anglorum Duacensi fungeris, seu rector huiusmodi pro tempore existens fungetur, quo ipsius scholares alumni, post longos studiorum labores sacerdotali ministerio pro loci et temporis necessitate fungi et functionibus sacris assuescere, ac ecclesiae dicti Collegii officia divina praestare, seu uti operarii fructuosius mitti valeant, eisdem alumnis, ut de tuo consensu et examine praecedente, et absque literis dimissoriis suorum Ordinariorum, et non obstante quocumque natalium defectu, super quo cum illis gratiose dispensamus, clericali militiae adscribi, et aliquibus quatuor etiam feriatis et continuis, vel interpolatis, seu unicâ, diebus ad quatuor minores, nec non tribus dominicis seu aliis festivis diebus (non tamen continuis, sed semper aliquo temporis spatio arbitrio tuo definiendo interpolatis) etiam absque ullo beneficii vel patrimonii titulo ad sacros etiam Presbyteratus ordines extra tempora a iure statuta, et anni curriculo non expectato, nec servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, et absque eo quod, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ministrare, aut alicuius ecclesiae servitio adscribi teneantur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite valeant, concedere et indulgere.

§ 2. Nec non tibi, ut per te vel confessorem idoneum, quem eligendum duxeris, singulos alumnos praedictos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, quas ipsi pro tempore quomodolibet incurrerint, et a quibusvis peccatis et excessibus ac delictis quantumcumque gravibus et enormibus, etiam in casibus die Coenae Domini legi solitis contentis (conspirationis in personam vel statum Romani Pontificis, falsitatis literarum et scripturarum apostolicarum, delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium ac iniectionis manuum violentarum in praelatos dumtaxat exceptis) absolvere ac pro commissis poenitentiam salutarem et alia iniungenda eis iniungere, et cum illis super irregularitate per eos quomodolibet (praeterquam occasione homicidii voluntarii, bigamiae, et haeresis) contractâ dispensare libere et licite valeas, dictusque rector pro tempore existens valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, facultatem concedimus et indulgemus; praesentibus post lapsum quinquennii huiusmodi minime valituris.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIV. aprilis MDCCXLII., pontificatus nostri anno II.

XXII.

Regi Batgao in Thibetanis regionibus petenti missionarios Capuccinos, praemissa Religionis christianae et ipsius Regis laude, scribit se iam iussisse ut aliquot ex iis iter arripiant, quorum operâ sperat ipsum quoque cum eius populo nomen Christo daturum (2).

Illustri ac Potentissimo Regi Batgao,

BENEDICTUS PP. XIV.

Illustris et Potentissime Rex, salutem et lumen divinae gratiae.

A dilecto filio Vito Recinetensi Ordinis S. Francisci Capuccinorum faustus nuntius Desiderium regis habendi missionarios.

---

(1) Ex App. B. P. de P. F., vol. II., p. 99, coll. etc.

(2) Ex Bull. P. de Prop. Fide pag. 19.

ad nos pervenit, optare celsitudinem tuam, ut aliquot ex eâ religiosâ familiâ istuc ire et in regno tuo commorari iubeamus, qui populos imperio tuo subiectos christianam fidem edoceant dirigantque in viam salutis aeternae, quae una a sapiente viro quaerenda est et haberi in desiderio debet. Hinc enimvero cognovimus, celsitudinem tuam prudentissimi ingenii vi pollere consiliique sagacitate. Cum enim civium tuorum felicitas expetenda tibi sit, maximeque curandum, ut eos tuae penitus voluntati obnoxios habeas, promptâque obedientiâ morigeros, aliam nullam in toto orbe terrarum religionem invenies, quae regibus eorumque magistratibus maiori severitate parere iubeat, quaeque implacabile magis bellum indicat vitiis omnibus, unde humana societas velut pestifero veneno imbuta quam maxime labefactatur. Huc siquidem spectant tradita nobis a supremo caeli terraeque Domino nostrae ssmae religionis auctore agendae vitae praecepta, servata utique diligenter.

Quod a Pontifice commendatur, exposita christianae disciplinae praestantia.

Missionis institutio conceditur.

Itaque pro nostrâ in universum genus hominum caritate, pro tuâque in missionarios nostros benevolentiâ, libenter mandavimus, ut aliquot ex eodem Capuccinorum coetu statim ad vos iter arripiant, ferantque in vestras Orientis partes divinae scientiae lumen, ac sternant tuae genti facilem munitamque viam ad caelestem patriam et ad gaudium sempiternum. Utinam vero ipse, qui regio assensu permittis missionariis nostris unâ commotis caritate in id suo labore, suâ pecuniâ, tantoque per maris terraeque immensa spatia vitae suae discrimine sedulam navare operam, exemplo praeire velis subditae tibi gentis docilitatem: nihil profecto nobis iucundius, tibi salubrius evenire posset. In huiusmodi spem Nos adducit data tuis literis fides, eosdem missionarios regiae auctoritatis praesidio fultum iri, et liberum fore per tuum regnum christianam doctrinam palam praedicare, eamque amplecti nullo impedimento. Qua de re amplissimas celsitudini tuae agimus gratias, Deumque idcirco bonorum omnium auctorem assiduo studio solicite obsecrabimus, ut tibi suo lumine propitius adsit, teque omni cumulet prosperitate.

Et regis patrocinio commendatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. maii MDCCXLII., pontificatus nostri anno II.

XXIII.

Eodem in sensu respondet Regi Bittià in iisdem regionibus eiusdem Ordinis missionarios postulanti (1).

Illustri ac potentissimo Regi Bittià

BENEDICTUS PP. XIV.

Illustris et potentissime Rex, salutem et lumen divinae gratiae.

Missionis institutio a rege per literas expetita.

Literae celsitudinis tuae, quas dilectus filius Vitus Recinetensis e sacro Franciscanorum Capuccinorum Ordine repraesentandas nobis curavit, mirifice exhilararunt animum nostrum, eumque tibi summopere obstrinxerunt. Dum enim postulas erudiri in christianâ doctrinâ populos imperio tuo subiectos, atque idcirco apud vos sub regiâ protectione diversari missionarios Capuccinos, ingenti nos laetitiâ affecisti; quippe quibus, pro commissa humilitati nostrae supremâ Ecclesiae potestate, quam maxime cordi est universum hominum genus aeternam consequi felicitatem, nec aliter fieri possit, quam si evangelicâ veritate imbuatur. Qua de re maximas celsitudini tuae gratias agimus, precamurque Deum O. M. ut apertus abs te ad cives tuos eiusdem percipiendae veritatis aditus amplissimam tibi tuoque regno felicitatem afferat, eamque in primis, ut veritas ipsa pateat oculis sagacissimi animi tui. Nam intelliges, id unum sternere tibi posse viam ad aeternam salutem, et nihil ad retinendos in imperio suaviter populos et ad vitiorum illecebras expellendas magis conducere, ac sacrosanctam religionem nostram, cuius inter praecipua praecepta illud est, ut regibus et magistratibus eximio studio obediri debeat, et prorsus purâ mente atque inviolatis naturae legibus vivendum sit, unde pax publica, quies et honestum otium exsurgit. Quod ut per tuam ditionem feliciter eveniat, iussimus istic, ut rogas, degere aliquos Capuccinos missionarios, ac te auctore tuoque regio praesidio in opus istud gravissimum omnes curas cogitationesque intendere. Nec dubitamus, quin celsitudo tua ope ac patrocinio foveat ipsorum labores, qui nullo rerum humanarum praemio, sed unâ ardentissimâ erga vos caritate immensa propemodum terrae maris-

Christianae legis praestantia.

Conceditur missionis fundatio eaque regi commendatur.

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

que spatia emensi istuc evangelii lucem diffundere susceperunt. Haec autem ut et celsitudini tuae fulgeat et omni cumuleris prosperitate, vehementer cupimus atque ominamur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. maii MDCCXLII. pontificatus nostri anno II.

XXIV.

Confirmatis Praedecessorum constitutionibus ad Italos–Graecos pertinentibus, de dogmatibus et ritibus ab eis tenendis et servandis disponit (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Etsi pastoralis Romani Pontificis vigilantia ad omnes christifideles longissimis etiam locorum intervallis distantes, ac vitae, rituum et linguarum genere inter se maxime differentes paternâ caritate sese extendat, omnemque curam ac studium adhibeat, ut ubique terrarum catholicae fidei integritas, ecclesiasticae disciplinae nitor probitasque morum sarta tecta serventur; maioribus tamen pontificiae solicitudinis studiis in eos intendit, qui in ditione ecclesiasticâ et in reliquis Italiae partibus eiusque Insulis adiacentibus sive orti sive aliunde advecti incolae commorantur. Cum itaque factum sit ut, grassantibus iamdudum per totum Orientem tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam schismaticorum perfidiâ plurimi ex Graeciâ, Epiro, Albaniâ, aliisque Asiae regionibus ad Italiam eique adiacentes Insulas tamquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverint, et tam ipsi quam eorum filii Graecorum mores, instituta, ritus et consuetudines a Graecis progenitoribus sibi traditas studiose enixeque servare pergant, ita tamen ut debitam Romanae Ecclesiae obedientiam ac devotionem omnino profiteantur; hinc est quod nos, qui ineffabili Dei clementiâ, meritis licet imparibus, eius vicem gerimus in terris, apud quem non est Graecus et Iudaeus, Barbarus et Scytha, (omnes enim unum sunt in Christo Iesu), Graecos et Albanenses graeci ritus tam in ditione nostrâ ecclesiasticâ et utrâque Siciliâ, quam in reliquis Italiae partibus et Insulis adiacentibus in dioecesi latinorum Episcoporum commorantes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula, quae laudabiliter providâ Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinatione Graecis et Albanensibus praedictis, tum quoad rituum graecorum sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta et gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta et facta dignoscuntur, ut pleniorem roboris firmitatem obtineant, eoque firmius et stabilius illibata inconcussaque perdurent, quo saepius sunt in genere et specie Sedis Apostolicae praesidio communita, per praesentes nostras literas innovamus, confirmamus et approbamus, illisque nostrae approbationis, confirmationis et innovationis robur adiicimus, ut iisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, gratiis et favoribus, perinde ac clerici latini tam saeculares quam regulares, eorumque ecclesiae, monasteria et bona in iisdem locis, ubi Italo–Graeci commorantur, utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere libere possint ac valeant, et privilegiis ac gratiis huiusmodi sibi concessis in Domino plene gaudentes, in tranquillitate pacis conquiescant, et per semitam mandatorum Dei gradientes ferventiori erga Apostolicam Sedem devotione perseverent. Quoniam vero pro diversis rerum ac temporum circumstantiis plures ac diversae editae fuerunt ab iisdem praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et a nonnullis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus circa eosdem Graecos et Albanenses, eorumque ritus, consuetudines, instituta, debitamque latinis Praesulibus, in quorum dioecesi degunt, subiectionem apostolicae constitutiones, ordinationes, responsa, edicta et decreta; eamque ob causam tam de ritibus ipsorum Graecorum et Albanensium, quam de eorumdem sacerdotum potestate, et latinorum etiam Praesulum atque parochorum iurisdictione et auctoritate saepe obortae sunt et oboriri solent quaestiones et controversiae; nos pro nostrâ pastoralis officii solicitudine, quantum in nobis est,

Causa huius constitutionis et confirmationis privilegior. quae Italo-Graecis tam saecularibus, quam regular. a Sancta Sede concessa fuere.

Confirmatio et innovatio constitutionum apostolicar. quoad Italo-Graecos.

---

(1) Ex Bull. P. de P. F. vol. III., pag. 22, collatum cum Regesto Bullarum Abbbreviatoris Curiae asservato in Archiviis Vaticanis.

hisce malis opportunum remedium adhibere, causasque omnium litium, iurgiorum, dissidiorum, contentionum, quaestionum et controversiarum amputare, certamque super rebus huiusmodi tum praefatis Graecis et Albanensibus graeci ritus, tum latinis Episcopis et parochis regulam, normam et instructionem, cui potissimum sese in posterum conformare et in singulis occurrentibus dubiis et casibus inhaerere debeant, tradere cupientes, omnia et quaecumque per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac praesertim Innocentium IV., Leonem X., Clementem VII., Paulum III., Iulium etiam III., Pium IV. et V., Gregorium XIII., Clementem VIII. et forsan alios Romanos Pontifices circa memoratos Graecos et Albanenses eorumque ritus et consuetudines ordinata et constituta fuisse comperimus (1), ut, quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius ac promptius ad illorum observantiam excitentur, in aliis omnibus, praeterquam in iis quae praesentibus nostris adversantur, confirmanda et innovanda, nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, et confirmamus atque innovamus, aliaque insuper motu proprio et ex certâ scientiâ maturâque deliberatione nostrâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine hac nostrâ perpetuo valiturâ sanctione et constitutione disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus et declaramus, prout in Domino conspicimus expedire.

§ I.

De Fide Catholica.

Ac primo quidem cum catholica fides sit eiusmodi, ut, nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non possit, quaecumque credit ac docet sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia et singula iidem Graeci et Albanenses graeci ritus integre, firmiter indubitanterque credere atque affirmare tenentur; prout in sacrâ oecumenicâ Synodo Florentinâ super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definitum et declaratum fuit, et in professione orthodoxae fidei a Graecis iussu Gregorii Papae XIII. praedecessoris nostri emittenda continetur, videlicet:

De processione Spiritus Sancti ex Patre, Filioque.

I. Quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unicâ spiratione procedit: et quod, ea verborum illorum «*Filioque*» explicatio, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuit apposita. Etsi autem Graeci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere, non tamen tenentur in Symbolo pronunciare; contraria tamen consuetudo ab Albanensibus graeci ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem Albanensibus aliisque quibuscumque in ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin etiam a graecis presbyteris aliarum quarumcumque regionum commorantibus in Italiâ eiusque insulis adiacentibus, si ab Ordinariis locorum, vel ob suspicionem haeresis, vel ob scandalum, vel ob aliam iustam causam requisiti fuerint, particulam illam «*Filioque*» in symbolo pronunciari praecipimus, ac mandamus.

De azymo et fermentato.

II. Item profiteri tenentur, tam in azymo quam in fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; et sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

De Purgatorio.

III. Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari; et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

De visione beatifica Sanctor.

IV. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, tum illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sint purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est, pro diversâ tamen meritorum ratione aliam aliâ perfectius.

De animabus in peccato actuali mortali, vel origin. decedentib.

V. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

(1) Huiusmodi acta vide in appendice.

De Romani Pont. primatu.

VI. Item Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

De recipiendis et reiiciendis ceteris omnibus quae recipit et reiicit S. R. Ecclesiae.

VII. Cetera item omnia, quae a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosanctâ Tridentinâ Synodo et a Gregorio XIII. praedecessore nostro in professione praedictâ orthodoxae fidei a Graecis emittendâ, tradita, definita et declarata fuerunt, indubitanter recipere et profiteri debent, simulque contraria omnia, et schismata atque haereses quascumque a s. catholicâ et apostolicâ Ecclesiâ Romanâ omnium ecclesiarum matre et magistrâ damnatas, reiectas, anathematizatas, pariter damnare, reiicere, anathematizare et abiurare omnino tenentur.

§ II.

De Sacramento Baptismi, pueris baptizatis, ritusque in Baptismate suscepti mutatione.

Sacramenti confirm. collatio, quae in euchol. Græcor. post bapt. praescribitur, a græcis presb. est praetermittenda.

I. Presbyteri graeci baptizatos Chrismate in fronte non consignent; et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum euchologium praetermittantur, quae sequuntur post illa verba, καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν *etc.* usque ibi, εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεῦς σχῆμα κύκλου: hoc est, *et post orationem etc.:* ubi habetur forma huius consignationis, usque ad illa: *postea facit sacerdos figuram circuli etc.*

Non sunt inquietandi presbyt. graec. quoad Sacram. Baptismi.

II. Cum presbyteris graecis in Euchologio haec Baptismi forma praescribatur: *baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (quae latinae formae *ego te baptizo in nomine etc.* aequivalet), trinâque aquae immersione seu aspersione in eo conferendo utantur, non sunt his super rebus a latinis locorum Ordinariis inquietandi.

In unctionibus, quae circa bapt. fiunt, ritum suum in euch. descript. sequi permittuntur.

III. Etsi Graecis in regno Cypri commorantibus Innocentius IV. praedecessor noster olim iniunxerit, ut in unctionibus, quae circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant et observent; si tamen presbyteri Albanenses ritum ungendi pectus et dorsi medium, aures, pedes, atque manus in Euchologio descriptum servare voluerint, ubi non est contraria consuetudo non sunt impediendi.

Toleratur ritus ungendi per totum baptizandor. corpora, si tolli sine scandalo non possit.

IV. Ritus autem seu consuetudo, quam habere dicuntur Graeci Orientales, ungendi per totum baptizandorum corpora, si alicubi tolli vel removeri sine scandalo non potest, cum, sive fiat sive non, quantum ab baptismi efficaciam vel effectum non multum referat, in iisdem toleretur.

Nec refert, utrum in frigida vel calida aqua baptizent.

V. Nec refert etiam utrum frigidâ vel calidâ aquâ baptizent, cum in utrâque Baptismum habere parem vim atque effectum, affirmare ac tenere dicantur.

Graeci parochi rite baptismum conferunt aqua per ipsos graeco more benedicta.

VI. Si in eâdem ecclesiâ infantes utriusque ritus baptizentur, graecus parochus subditis suis aquâ per ipsum graeco more benedictâ rite Baptismum confert; ac propterea molestandus non est, si non utatur aqua baptismali, quae a parochis latinis iuxta morem Romanae Ecclesiae adhibetur: curent tamen Ordinarii, ut adsit aqua baptismalis latine consecrata, quam omnino (praeter casum urgentis necessitatis) sacerdos latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad Baptismum excipere.

Prohibentur Graeci, ne infant. in baptis., nec pueris in Missa Sacram. Euchar. ministrent.

VII. Cum administratio sacramenti Eucharistiae, quod sub unâ vel sub utrâque specie infantibus in Baptismo, et pueris in missâ, solent Graeci exhibere, nihil contra orthodoxam fidem bonosque mores contineat (dummodo iidem Graeci credant firmiterque teneant communionem huiusmodi non esse necessariam ad salutem, et Baptismum sine communione valide ac licite posse ministrari); quia tamen ad decentiam et reverentiam sacramenti magis expedit, si illud eisdem denegetur; propterae ne Graeci vel Albanenses graeci ritus Eucharistiae sacramentum sub unâ vel sub utrâque specie infantibus rationis usu carentibus in Baptismo, nec pueris in missâ ministrent, interdicimus ac prohibemus.

Proles parente utroque graeco progenita graecor. ritu baptizetur.

VIII. Infantes nati ex patre et matre graecis, ritu graeco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.

Latine baptizetur infans ex patre latino et mat. graec. natus.

IX. Nati vero ex patre latino et matre graecâ, latinis sunt caeremoniis baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus.

Ex patre autem gr. latina matre natus la-

X. Si vero pater sit graecus et mater latina, liberum erit eidem patri, ut proles

tine baptismum suscipere potest, si latina uxor praevaluerit.

vel ritu graeco baptizetur, vel etiam ritu latino, si uxor latina praevaluerit, idest si in gratiam uxoris latinae consenserit graecus pater, ut latino ritu baptizetur.

Infantes ad eius parochi iurisdiction. spectant, et ab eo sunt sepeliendi, si ante usum rat. decesserint, cuius ritu sunt baptizati sive graeco sive latino.

xi. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritu sunt baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus graeci vel latini professio; ita ut ad latinum ritum spectent qui latinis caeremoniis baptizati fuerint; qui vero ritu graeco sacramentum Baptismi susceperint, in Graecorum numero sunt habendi: adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cuius ritu baptizati sunt, parocho et in propriâ parochiâ sunt iure communi sepeliendi, nisi iis Baptismus collatus fuerit vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint nec haberi potuerit proprii parochi vel ritus copia, vel ex dispensatione apostolicâ, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, sed in suo ritu graeco permaneant: in his enim casibus non censentur a proprio ad alium ritum transiisse. Post usum autem rationis idem dicendum, nisi quis in alieni ritus ecclesiâ sepeliri cupiat. Si quis enim graeco ritu baptizatus, in latinâ ecclesiâ, vel latine Baptismate initiatus in ecclesiâ graecâ sepulturam eligat, iuris regulae sunt servandae: nimirum cadaver extra propriam parochiam a proprio parocho esse associandum, quartâ funerali ei minime imminutâ, et ubi tumulandum est cadaver, ibi a parocho illius ecclesiae, sive latinae sive graecae, sunt exequiae celebrandae.

Et quid post usum rationis.

Cum infantibus sive adult. ritu graec. in ecclesia graeca sunt exequiae celebrandae, nullum ius est latino parocho interessendi aut partem stolae percipiendi, et e contra.

xii. Quando vero infantibus praedictis seu etiam adultis exequiae ritu graeco et in ecclesiâ graecâ, ut praefertur, iure communi sunt celebrandae, tunc nullum ius habet latinus parochus interessendi cum graeco parocho, nec partem aliquam stolae percipiendi: similiter nullum ius competit parocho graeco, quando exequiae in ecclesiâ latinâ et per latinum parochum sunt peragendae: sed servanda sunt utrobique statuta de iuribus parochorum circa sepulturam eorum qui ad propriam parochiam spectant.

In quo quis ritu est baptizatus, in eo educari et vivere debet: rit. lat. semel assumptus deseri nequit

xiii. Quem ritum semel in baptismo sunt professi, sive latinum sive graecum, in eo institui et educari debent, nec ad alium possunt transire si latinum semel susceperint: ritus enim latinus propter suam praestantiam, eo quod sit ritus sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris et magistrae, sic supra graecum ritum praevalet, maxime in italicis regionibus, ubi latinis Episcopis Graeci subiecti sunt, ut non modo ab ipso ad graecum transitus nullatenus permittatur; verum etiam a Graecis semel assumptus absque apostolicâ dispensatione deseri nequeat.

Quando de ritu gr. ad latin. transire liceat.

xiv. Quod si infans graecum ritum in Baptismate susceperit, tunc requirendus est primum patris graeci consensus, deinde Episcopi latini licentia, ut possit mater latina filium suum graece baptizatum ad latinas caeremonias traducere. Adultis autem, si quidem sunt ecclesiastici in quocumque ordine minori vel etiam maiori constituti, saeculares vel regulares, a ritu graeco ad latinum sine expressâ Sedis Apostolicae licentiâ transire non liceat: si laici, ut ad ritum latinum transire possint, Episcopus dioecesanus pro suâ prudentiâ permittere valeat: non tamen communitati Graecorum sive Albanensium huiusmodi sine Sedis Apostolicae licentiâ, sed solum privatis personis attentâ uniuscuiusque necessitate.

§ III.

De Sacramento Confirmationis.

Episcopi latini infantes a graecis presbyteris baptizatos et absolute Chrism. consignatos confirment.

i. Episcopi latini infantes, seu alios in suis dioecesibus baptizatos a presbyteris graecis, absolute Chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per praedecessores nostros neque per nos graecis presbyteris in Italiâ et Insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur; quinimo usque ab anno MDXCV. a felic. recor. Clemente VIII. praedecessore nostro fuit presbyteris Italo-Graecis expresse interdictum, ne baptizatos Chrismate consignent.

Sub conditione autem, si verosimiliter dubitari potest quod ab Episcopis gr. fuerint baptizati.

ii. Secus sub conditione et cum cautelâ eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis graecis, ordinem Baptismi iuxta eorum euchologium servantibus, fuerint baptizati.

Idem de ordinatione dicendum, si Episc. lat. ordinet aliquem graec. ab Episc. gr. baptizat. de quo non constet fuisse Chrismate consignatum.

iii. Idem dicendum, si Episcopus latinus ex dispensatione apostolicâ Graecum aliquem ordinaverit, qui a presbytero graeco in Italiâ vel adiacentibus Insulis fuerit baptizatus, nec constet, illum ab aliquo Episcopo sive latino sive graeco chrismate in fronte fuisse consignatum: debet nimirum illum antea absolute confirmare; sub conditione autem, si verosimiliter dubium esse possit, an ab Episcopo graeco fuerit baptizatus.

Confirmati a simpl. Sacerdote cogendi non sunt recipere ab Episc. confirmat. Sacramentum.

IV. Quamvis confirmati a simplici sacerdote cogendi non sunt eiusmodi Confirmationis sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent, cum sacramentum Confirmationis eiusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.

Ubi gr. catholic. Episcopus habetur, Sacramentum confirmat. Episc. latini non administrent.

V. Ubi graecus catholicus Episcopus haberi potest, prout habetur constitutus in Collegio Corsino Italo-Graecorum in Càlabrià, curent omnino latini Ordinarii, ut ab illo potius graecis caeremoniis iuxta graecum euchologium, quam a se latino ritu, sacramentum Confirmationis subditis suis graeco ritu viventibus Chrismate a latinis Episcopis accepto ministretur, ne scilicet Ecclesiarum ritus, quoad fieri potest, misceantur.

§ IV.

De Oleo Sancto Chrismatis, Catechumenorum, et Infirmorum.

Non sunt cogendi presbyteri graeci, praeter Chrisma, alia olea sancta ab Episcopo latino accipere.

I. Non sunt cogendi presbyteri graeci olea sancta, praeter Chrisma, ab Episcopis latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsâ oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur seu benedicantur; nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus, ac mandamus. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere.

Non ab Episcop. schismat.

II. Non audeant tamen ab Episcopis graecis externis schismaticis, seu S. R. Ecclesiae communionem non habentibus, illud accipere vel eo uti.

Sed ab Ordinario suo latino.

III. Item abstineant Chrisma accipere a quocumque alio Episcopo latino seu graeco catholico, praeter suum Ordinarium latinum cuius iurisdictioni subiiciuntur.

§ V.

De Sacramentis Poenitentiae, et Extremae Unctionis.

Unctio non est sufficiens satisfactio poenitentiae.

I. Nulli per sacerdotes vel confessarios pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo iniungatur.

Extrema Unctio infirm. exhibenda.

II. Infirmis vero, iuxta verbum Iacobi Apostoli, Unctio exhibeatur Extrema.

Per unum vel plures presbyteros administrari potest.

III. Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo; dummodo credant et asserant, illud sacramentum, servatâ debitâ materiâ et formâ, ab uno presbytero valide et licite confici.

Qui ungit, id. formam proferat Sacramen.

IV. Idem sacerdos materiam adhibere formamque pronunciare respective debet: ac propterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat et alius formam pronuntiet.

Forma absolut. in Concil. Florent. praescripta utantur.

V. In casu necessitatis presbyteri graeci catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen formâ absolutionis in Concilio generali Florentino praescriptâ, postea vero, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro formâ huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Extra necessit. casum, prudentiae et arbitrio Ordinariorum relinquitur, ut presbyteri Albanen. latinor. etiam confession. accipere valeant.

VI. Extra vero casum necessitatis, si quos ex presbyteris Albanensibus peritos et ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius latinus iudicaverit, ut non solum graecos sed etiam latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiae et arbitrio relinquitur.

Sacerdotes coniugati possunt et curam suscipere parochiar. et parochianor. confessiones audire.

VII. Sacerdotes quoque coniugati aliique, quibus parochiarum cura vel ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite et libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam iniungere pro peccatis; quia cui licet vel conceditur quod est maius, competit quoque nec negari convenit quod est minus.

Ecclesiar. parochial. regimini praeficiendi sunt qui in seminariis Italo-Graecor. seu Albanen. trium ad minus annor. spatio versati sunt.

VIII. Ecclesiarum parochialium regimini praeficiant Ordinarii latini, si habere possunt, eos, qui in seminariis Italo-Graecorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabrià in oppido S. Benedicti Ullano, vel in Collegio Graecorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt studiisque literarum incubuere, dummodo cetera ad curam animarum exercendam requisita non desint, atque Episcopi eiusdem seminarii praesidis seu respective rectoris literas exhibeant, quae de rectâ eorum vitae ratione, deque in graecis latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

Possunt Ord. lat. alios presbyt. idon. parochis graecis velut. coadiut. et cooper. adiungere.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, viros alios idoneos coadiutores et cooperatores parochis graecis, si opus fuerit, adiungere in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis ac ceteris quae ad salutem pertinent animarum, ipsisque in his per eorum dioeceses absque sacerdotum ipsorum praeiudicio et gravamine, commit-

tere vices suas, cum propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, ut nequeant per easdem dioeceses officium suum exequi per seipsos.

Monachis graec., nisi ex iusta causa, non est cura animarum committenda.

x. Nunquam monachis graecis seu calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate vel aliâ iustâ causâ.

Presbyteri saecular. advenae, abiur. errore et schism., in parochos gr. institui possunt.

xi. Presbyteri saeculares graeci ex Albaniâ vel aliis Orientis partibus advenientes, abiuratis schismate et erroribus, atque in fide catholicâ bene instructi, in parochialibus seu curatis ecclesiis graecorum institui possunt.

Vir et uxor non debent simul confiteri.

xii. Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul et eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

Aquae bened. usus.

xiii. Aqua ex ritu graeco in die Epiphaniae vel primo die mensis benedicta conservetur in ecclesiâ, ut illâ fideles adspergantur.

§ VI.

De Sacramento Eucharistiae, et Missae sacrificio.

Sacerdotes ad Sacram. Poenitent. frequenter accedant; cum praesertim divinum sacrif. sunt peracturi.

i. Sacerdotes ad Poenitentiae sacramentum frequenter accedant, ut cum divinum mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii, sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum: indignum enim ac auribus plane horrendum est ut, qui animum habet aliquo scelere foedatum, Santum Sanctorum impuris manibus contrectet, et placare Deum attentet qui, in peccatis existens, ipsius Dei furorem et iracundiam provocat.

Permittitur ut aquam ferventem in calicem fundant.

ii. Item permittitur eisdem, factâ iam consecratione antequam sacerdos communicet, iuxta ritum in liturgiâ praescriptum aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere.

Interdicitur abusus tundendi vel exsiccandi species Sacr. Eucharistiae.

iii. Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi vel alias exsiccandi species sacramenti sacrae Eucharistiae feriâ quintâ Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

Euch. pro infirmis renovanda singulis viii. aut xv. diebus.

iv. Sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur.

Non asservanda toto anno.

v. Non asservetur idem sacramentum toto anno: si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

Servandus Graecorum ritus in celebratione Miss. sub certis conditionibus.

vi. In celebratione solemnium et aliarum Missarum, et de horâ celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam et traditam observent, et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur: ita tamen ut ieiunii lex de unicâ comestione in die religiose servetur; et si alicubi viget consuetudo producendi ieiunium cum Missâ usque ad vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore ac firmitate permaneat.

Ne monachi iter agentes Eucharist. sec. ferant.

vii. Si inter Graecos, qui in Italiâ et Insulis adiacentibus degunt, viget abusus, quem in Orientalibus regionibus vigere perhibent, ut monachi Eucharistiae particulam suspensam ad collum vel aliter secum deferant, necnon in privatis domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti, liberi a quibuscumque periculis evadant, vel cum in longiora itinera se committunt, eâ refici valeant, eum omnino aboleri volumus et expresse mandamus: praefatisque monachis, ne id in posterum facere audeant, severissime prohibemus. Obsequium enim ac reverentia, qua singuli fideles augustissimum hoc sacramentum prosequi debent, non patitur, ut privatim ac latenter cuiuscumque arbitrio et voluntate domi illud retineatur, aut in itineribus ac peregrinationibus asportetur.

Permittitur Graecis Presbyteris suum servare ritum semel in die super uno, eodemque altari Miss. celebrandi; et prohibentur sacerd. latini in paroch. ipsorum gr. ecclesiis missas et divina off. celebrare.

viii. Cum in parochialibus ecclesiis ipsorum Graecorum, ex antiquissimo et hactenus servato ritu, nonnisi semel in die per unum sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem presbyteris graecis suum, si velint, morem hac in parte servare: interdicitur autem latinis sacerdotibus, ne missas et alia divina officia in dictis Graecorum ecclesiis et super eorum altaribus maioribus extra casum alicuius necessitatis et aliorum altarium ecclesiarumque defectus, et nisi ex parochi graeci consensu, quem nullatenus huiusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Conceditur presb. Gr. et Albanen., ut in eccl. suis, praeter altare maius, alia quoque altar. erigant, in quib. ipsi Graeci vel Lat. missas celebrare possint.

ix. Quia tamen ipsi Graeci et Albanenses presbyteri nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro sacerdotum numero plures in diem in suis ecclesiis missas celebrare; nos ipsorum precibus annuere volentes, per praesentes nostras concedimus ac indulgemus, ut in suis parochialibus vel aliis ecclesiis praeter altare maius alia etiam minora altaria seu cappellas sacris indumentis Graecorum seu Latinorum more ornata seu ornatas erigant, in quibus latini vel graeci presbyteri respective suo quisque ritu celebrare valeant.

Prohibentur Gr. celebrare ritu latino et Latini ritu gr.

x. Cum in sacro generali Florentino Concilio praescriptum sit, ut unusquisque sacerdos Eucharistiam iuxta Ecclesiae suae ritum, sive latinae sive graecae, in azymo seu fermentato conficere debeat, vetitumque a summis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ne latinus sacerdos graeco ritu, aut graecus latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a divinis, ne presbyteri graeci latino more, et latini graeco ritu sub quovis licentiarum et facultatum Missas et alia divina Officia, graeci latino more, et latini graeco ritu celebrandi ab Apostolicâ Sede, vel eius legatis ac etiam maiori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu, Missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere praesumant.

Prohibet, ne latin. paroc. pixidem in cibor. cum particulis sub specie fermentati pro commun. Graecor., aut paroc. graec. sub specie azymi pro commun. Latinor. retineant.

xi. Eâdem quoque ratione, tam ubi sunt duae parochiae, latina altera et altera graeca, quam in unâ eâdemque parochiali Latinorum vel etiam Graecorum Ecclesiâ, in qua, ut praemittitur, praeter altare maius, quod pro solis graecis sacerdotibus erectum est, minora quoque altaria pro latinorum sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus et decernimus, ut neque latinus parochus pyxidem in Ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione Graecorum, neque parochus graecus sub specie azymi pro communione Latinorum, in quocumque ecclesiae suae altari retineat; sed unusquisque sacerdos nonnisi in suo, sive graeco sive latino ritu, Eucharistiam fidelibus porrigere debeat.

Praecipit laicis latinis, ne unquam sub specie etc.

xii. Ne laici autem latini communionem a graecis presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino et interdicimus.

Permittit gr. laicis, ut ubi propriam parochiam non habent, possint communic. etc.

xiii. Graecis tamen laicis permittimus ut, ubi parochiam graecam non habent, possint, si velint, in ecclesiâ latinâ Eucharistiam sub specie azymi a latinis sacerdotibus sumere.

Contrariam consuetud. curent Ordinarii locorum etc.

xiv. Quod si in locis, in quibus Graeci et Latini simul moram trahunt, et sunt utriusque ritus ecclesiae, Latini quidem in fermentato et Graeci in azymo sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant; si quidem haec consuetudo sine populi offensione animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent.

Communio sub utraq. specie permittitur etc.

xv. Ut autem iidem laici graeci Eucharisticâ sub utrâque specie communione refici valeant, permittimus in illis duntaxat locis, in quibus eiusmodi ritus introductus est, et ad praesentem usque diem servatur ac viget: ita tamen ut sub alterâ tantum specie totum atque integrum Christum verumque sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nullâ gratiâ ad salutem necessariâ eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt: ubi vero praefatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum iurisdictioni Graeci subiiciuntur, curae sit, ne in posterum admittatur.

Indulget presbyteris Graecis seu Albanen. ut etc.

xvi. Volentes autem specialem ipsis Graecis et Albanensibus presbyteris gratiam facere, tenore praesentium, ut tempore ieiunii quadragesimalis quo, exceptis dominicis, sabbatis et nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more nonnisi missa praesanctificatorum celebratur, Graeci et Albanenses praedicti, servato tamen nec praetermisso in parochialibus ecclesiis praesanctificatorum ritu, in aliis altaribus seu ecclesiis sive cappellis pro suâ ac fidelium populorum devotione Missas integras quibuslibet hebdomadae diebus, ac praesertim cum dies festi de praecepto latinae Ecclesiae occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo maioris hebdomadae triduo, celebrare possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Possunt, si velint, Gr. altaria port. a Lat. accipere.

xvii. Si Graeci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia sive throni super altaria lapidea ponendi cum celebrant.

Gr. thronis pro corporalib. uti possunt.

xviii. Corporalia ut Latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

Presbyt. lat. non licet super antimensio gr. etc.

xix. Latinis presbyteris latino ritu in Graecorum catholicorum ecclesiis celebrantibus, si careant proprio altari portatili lapideo, super antimensiis seu thronis Graecorum sacrum facere non licet.

De vestibus et aliis sacris.

xx. Unusquisque sacerdos in aureo vel argenteo solum aut saltem stanneo calice sacrificet, habens thronos seu corporale de lino candidum et nitidum, et altare mundis vestimentis opertum vel decenti paratu ornatum.

De mulierum serv. ad altare.

xxi. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

§ VII.

De Sacramento Ordinis.

Ut Graeci a graecis Episcopis ordinentur.

I. Romani Pontifices praedecessores nostri necessitatibus Italo-Graecorum occurrere volentes, ut commode possent a proprii ritus Praesulibus ad ordines promoveri, simulque caventes, ne si ab Ordinariis latinis ad graecos Antistites in Graeciam vel Epirum aut alias Orientis partes cum dimissoriis remitterentur, ad schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt, Clemens quidem VIII. anno MDXLV. Romae habendum esse Episcopum graecum catholicum, qui Graecos Episcopis latinis Italiae et adiacentium Insularum subiectos sacris ordinibus initiaret, Clemens vero XII. MDCCXXXV., ut Italo-Graecorum in utrâque Siciliâ commorantium commodis consuleret, alterum eiusdem graeci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabriâ erecto propter Graecorum huiusmodi ordinationes, manere iussit, quorum laudatissimum institutum nos quoque per praesentes nostras perpetuo valituras literas confirmamus et innovamus.

Ecclesiasticum beneficium vel patrimonium, ad sacros ordines promovendis necessarium

II. Ne quis clericus saecularis ritus graeci, quamvis alias sit idoneus moribus scientiâ et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum ecclesiasticum beneficium vel patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere: ac propterea, deficiente titulo beneficii, per legitima documenta Ordinarium suum certiorem reddere debet de sufficienti patrimonio, ut valeat sacris ordinibus initiari: loco autem dicti patrimonii, nec clericus uxoris suae dotem assignare praesumat, nec Ordinarius eam recipere audeat.

Nemo ex Gr. seu Albanen., ad ordin. promoveatur, qui trium saltem annorum spatio in seminar. non fuerit commoratus.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Graecis seu Albanensibus in Calabriâ et Siciliâ commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio graecis latinisque literis non dederit operam in altero ex Seminariis Italo-Graecorum, vel in Collegio Graecorum in Urbe.

De examine [illegible]

IV. Promovendi ad sacerdotium et presbyteri, qui praeficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de horis canonicis et Missarum officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni admittantur.

De horis canonicis.

V. Sacerdotes et quicumque sunt in sacris ordinibus constituti horas canonicas more suo dicant; et priusquam Missam celebrent, officium matutinale recitare curent.

Episcopi graeci in ordinibus conferendis euchologio graec. utantur.

VI. Episcopi graeci in ordinibus conferendis ritum proprium graecum in euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de minoribus ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis ordinibus esse adnexum iidem Graeci affirmant.

Quidam ordines ritu latino supplendi sunt ab eo, qui ritu gr. aliquos ordines suscepit.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu graeco aliquibus ordinibus fuit initiatus, deinde ritu latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus. Si quis ritu graeco clericus et lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut maiores ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is, antequam subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debet ritu latino suscipere. Si vero praeter lectoris ordinem ad subdiaconatum etiam graeco ritu ascendit, et ex dispensatione itidem apostolicâ facultas sibi facta sit ceteros ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus ordinis exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per subdiaconatum graeco ritu collatum acolythatum et ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus ordinibus diaconatum aut etiam presbyteratum graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum presbyteratus respective ordinem aut Episcopatum promovendus sit ex apostolicâ concessione; nimirum exorcistatus ordinem in ipso, antequam presbyter ordinetur aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

Non ordinentur, nisi cum dimissoriis latini Ordinarii.

VIII. Graeci sine literis dimissoris Episcopi latini dioecesani nullatenus ad primam tonsuram vel aliquem ordinem recipiendum admittantur.

De suspensione et irregularitate.

IX. Promoti ad primam tonsuram vel ad alium quemcumque ordinem sine dimissoriis latini Ordinarii suspensi sint; et si suspensi in sacris ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et Latini.

Solus Papa in irregularibus dispensat.

X. Super huiusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a S. Sede Apostolicâ obtineri oportet.

Episcopi schismat. nec ordin. nec alia sacramen. conferant.

XI. Non sunt admittendi Episcopi schismatici sive pro ordinibus sive pro aliis sacramentis conferendis, sed impediendi,

quoad S. Sedes Apostolica desuper consulatur et responsum habeatur.

De Episc. gr. catholicis.

XII. Quos vero communionem S. R. Ecclesiae habere constiterit, eis pontificalia exercendi facultatem Ordinarii latini in suis dioecesibus libere concedere possunt.

De ordinatis a schismat.

XIII. Ordinati ab Episcopis schismaticis alias rite ordinatis servatâ debitâ formâ, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem.

De eorumdem absolutione.

XIV. Proinde ipsi ordinati ab Episcopis schismaticis correcti vel emendati reconciliandi sunt et absolvendi cum poenitentiis salutaribus, dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin minus schisma ordinatoris abiurent in iudicio, vel publice vel secreto pro qualitate facti.

Et dispensatione super irregularitate.

XV. In ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, huiusmodi occasione contracta, auctoritate S. Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

Interstitiorum lex cum Graecis seu Albanensibus relaxatur.

XVI. Cum ex Ecclesiae disciplina a Graecis olim receptâ, promoti ad aliquem ordinem sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, quo nimirum ordinandorum fides morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat; qua lege Graeci seu Albanenses in Italiâ et Insulis adiacentibus commorantes procul dubio tenentur; nihilominus cum praedicti Graeci seu Albanenses Ordinarios suos, quibus subiiciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni ritus sacris ordinibus initiari prohibentur ac proinde cum Romam, vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a S. Sede Apostolicâ ad ordinationes ritu graeco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis et expensis, ad sacros ordines iuxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent; nos, eosdem Graecos seu Albanenses gratiis et favoribus prosequi, eorumque incommodis consulere volentes, de apostolicae plenitudine potestatis, praefatis Episcopis graecis Romae et in Calabriâ pro tempore degentibus, licentiam et facultatem impertimur, ut Graecos seu Albanenses huiusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus sive maioribus ordinibus initiari cupiunt, ad omnes ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servatâ interstitiorum lege, nec requisitâ ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum latinorum licentiâ sive dispensatione.

Tribus dieb. fest., non tamen continuis, si ex longinquis regionibus se conferant ad ordines suscipiendos ordinari possunt.

XVII. At cum illis Graecis sive Albanensibus, qui domicilium habent seu alias commorantur in eâ provinciâ, in qua Episcopus ritus graeci solet sacras ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum alumnis et convictoribus ritus graeci Collegii graeci Urbis, et Italo–Albanensium in Calabriâ et Siciliâ, si eorumdem Collegiorum necessitas vel utilitas, arbitrio S. R. E. Cardinalis administratoris et protectoris praefati Collegii Graecorum Urbis, et Episcopi praesidentis seu rectoris utriusque Collegii Italo–Albanensium praedicti respective pro tempore existentium, exegerit, ut praefati alumni et convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut praefertur, ad ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse, plenam facultatem facimus atque concedimus.

Non tamen dispensatur cum illis, qui domicilium habent seu commorantur in ea provincia, in qua Episcopus ritus gr. solent sacras ordinationes exercere. Alumni et convictores etc.

XVIII. Illis autem, qui non servatâ interstitiorum lege sunt hactenus bonâ fide ordinati, ex apostolicâ benignitate etiam concedimus, ut in susceptis ordinibus ministrare, et ad maiores etiam servatis servandis ascendere absque aliâ dispensatione valeant.

Cum iis, qui non servata interstitior. lege, sunt hactenus bona fide ordinati dispensatur etc.

XIX. Quod tamen de aetate ordinandorum a sacrosancto Tridentino Concilio praescriptum est, omnino servari volumus. Nullus proinde ex praedictis Graecis seu Albanensibus ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum suae aetatis annum absque apostolicâ dispensatione promoveatur. Praefatorum autem graecorum Praesulum conscientiam oneramus, ut dignos duntaxat, et quos literis, et iis quae ad ordines exercendos pertinent bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

Quoad aetatem ordinandorum servandum est, quod a sacrosancto Trid. Syn. est praescr.

XX. Ut in ordinibus conferendis quaelibet rituum confusio et commixtio penitus tollatur, et unius ritus Antistes alterius ritus clericos initiare in posterum minime valeat; sub perpetuae suspensionis a divinis poena prohibemus, ne latinus quicumque Episcopus etiam subiectos suae iurisdictioni Graecos, neque graecus quilibet Antistes Latinos quovis praetextu, sine spe-

Latin. Antistes Gr. etiam sibi subiectos ordinibus initiare prohibetur etc.

ciali Sedis Apostolicae licentiâ, ad primam tonsuram, vel ullum ordinem sive minorem sive maiorem promovere praesumat; alioquin tam ordinans quam ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem se subituros intelligant.

Prohibet Latinos ex Latinis progenitos ac latino ritu educatos, iuxta rit. gr. sub spe retinendi uxores, ad sacros ordines promoveri etc.

XXI. Maxime autem neque permittendum neque ullo modo tolerandum, ut Latini ex Latinis progeniti ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, iuxta ritum graecum sub spe retinendi uxores, ad sacros ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur, tam in locis, in quibus non sunt populi graeco ritu viventes sed latini, quam in locis, in quibus sunt populi, qui a Graecis antiquitus fuerint oriundi seu a Graecis originem ducant, vel alias retroactis temporibus ritum graecum servaverint, seu apud illos vel in eorum aliquibus Ecclesiis ritus huiusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

Dispensatur cum Italo-Graecis, qui ad hanc diem a latino Episcopo sunt ordinati, cum animo tamen in rit. gr. permanendi, ut possint in eodem ritu permanere, et ad maiores etiam etc.

XXII. Cum iis tamen Italo-Graecis, qui ad hanc diem vel propter antiquam consuetudinem, vel propter quaedam sibi, ut aiunt, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis latinis, ut Graecos sibi subiectos vel ipsi ordinarent, seu ab aliis tam graecis quam latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis latinis bonâ fide et absque dispensatione apostolicâ ad clericalem tonsuram, vel minores seu maiores ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium graecum ritum retinendi, et absque actuali latini ritus in susceptis ordinibus exercitio; per praesentes nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo graeco ritu permanere, in eoque ad ulteriores ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a graeco Episcopo promoveri: per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid huiusmodi de cetero vel a graecis ipis vel a latinis Episcopis, inconsultâ S. Sede, attentetur.

Italo gr. si ab Episcopo latino cum dispensatione apost., ad sacros ordines ob defectum Graecorum praes. promoveantur, possunt sine alia etc.

XXIII. Insuper ut omnibus, circa praefatas Italo-graecorum huiusmodi per latinos Praesules ordinationes, controversiis ac dubiis opportunâ ratione obviemus, hac nostrâ Constitutione decernimus et declaramus, quod si Episcopus latinus, sive Ordinarius, Italo-graecis primam tonsuram, vel ordines minores ritu latino conferat cum dispensatione apostolicâ, ita ut ordinati ab illo in suo graeco ritu ministrare debeant, (quod ex defectu graecorum Praesulum per Sedem Apostolicam concedi solet) licite possit idem latinus Ordinarius literas dimissoriales Italo-Graecis huiusmodi a se vel ab alio latino Praesule, ut praemittitur, ordinatis concedere, ut ad sacros ordines graeco ritu absque aliâ dispensatione apostolicâ promoveantur.

Secus, si absque dispensatione apost. a latino Episcopo fuerint ordinati, debent in latin. ritu permanere nec possunt amplius sine dispensat. apostol. ad gr. redire, aut in eo ministrare.

XXIV. Si vero absque apostolicâ dispensatione Italo-Graeci huiusmodi a latino Episcopo ad aliquos ordines ritu latino promoverentur, (id quod illicite tam ab ordinante quam ab ordinatis fieret, utpote huic nostrae constitutioni contrarium) graeci Clerici huiusmodi sic latino ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apostolicâ dispensatione, neque latino Episcopo seu Ordinario amplius fas sit, graecum Clericum, a se, ut praemittitur, latino ritu in minoribus ordinibus constitutum, cum literis dimissorialibus ad graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad sacros ordines graece promoveatur, sine dispensatione apostolicâ; sed debeat illum potius, si quidem idoneum iudicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione, vel ipse ritu latino ordinare, vel ab alio latino Praesule ordinari facere. A ritu enim latino ad graecum, ut praediximus, nec transire nec redire fas est absque dispensatione apostolicâ.

Maxime si post susceptos a latino Episc. ordines, latine vixerint: nam latinus ritus semel assumptus etc.

XXV. Hinc eaedem literae dimissoriales potiori iure denegandae sunt Italo-graecis, qui quamquam baptizati ritu graeco, non modo primam tonsuram et minores ordines latino ritu susceperunt sed etiam latine vixerunt, et postea ad maiores ordines ritu graeco provehi cupiunt; nam latinus ritus semel assumptus, ut praefati sumus, absque specialis Sedis Apostolicae auctoritate deseri nequit. Ut igitur Italo-graeci huiusmodi ad ritum graecum redeant, indigent apostololicâ dispensatione; ut vero ad maiores ordines ritu latino ascendant, dispensatione non indigent.

Matrimonium presbyter. cum unica et virgine non reprobatur.

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut Graeci, qui sunt in sacris ordinibus constituti, castitatem non secus ac Latini servarent; nihilominus, ut eorum clerici subdiaconi, diaconi, et presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros ordines virgines non viduas neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerunt, vel ad secunda vota, primâ uxore mortuâ, convolarunt, ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum promoveri omnino prohibemus.

Post subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum, contractum, irritum declaratur.

XXVII. Praeterea si quis subdiaconus, diaconus, vel presbyter, post sacram ordinationem, uxore mortuâ, aliam duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poenâ aliisque nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab ordine erit deponendus, et ab illegitimâ uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos ordines contractum nullum irritumque declaramus.

De presbytero gr. coniugato.

XXVIII. Presbyter graecus coniugatus, antequam ad sacrum sacrificium seu sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam vel per triduum ab uxore curet abstinere.

§ VIII.

De Sacramento Matrimonii.

Decretum Concilii Tridentini de matrimonio servandum.

I. Curent Ordinarii locorum, ut decretum sacri generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii vertatur in linguam graecam vulgarem, et in locis et parochiis Graecorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur.

Matrimonia dirimi nequeunt.

II. Matrimonia inter coniuges graecos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur. Et si qua de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

De secundis et ulterioribus nuptiis.

III. Quia vero secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, et nubendi cui vult in Domino liberam habet facultatem, secundas, et tertias, et ulteriores etiam nuptias Graeci non condemnent, sed illas tanquam legitimas et validas approbent inter personas, quae alias licite de iure ad invicem matrimonio jungi possunt.

De bigamis.

IV. Secundo tamen nubentes presbyteri nullatenus benedicant: nec ipsos bigamos ad sacros ordines sine speciali dispensatione apostolicâ promoveri liceat.

De gradibus consanguinitatis et affinitatis.

V. Et quoniam apud Graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem et distinctionem graduum, quam Latini faciunt, apud hos quartus habetur; ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus; ac districte praecipimus, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant; statutum, quoad hoc, generalis Concilii observantes.

De cognatione spirituali.

VI. Item in cognationis spiritualis, quae in Baptismo et confirmatione contrahitur, gradibus servetur id quod in Tridentinâ Synodo definitum est. In Baptismo videlicet inter suscipientem, et baptizatum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum baptizatique patrem et matrem tantum, cognationem contrahi; eamque, rursus, quae ex Confirmatione oritur, confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egredi; omnibus inter alias personas spiritualis huius cognationis impedimentis matrimonii sublatis.

De ritu coniugum.

VII. Maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur.

VIII. Latina uxor non sequatur ritum mariti graeci.

IX. Graecus maritus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi: item graeca uxor potest, si velit, sequi ritum mariti latini, post cuius obitum ad ritum graecum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur: inter maritum vero graecum et mulierem latinam potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino ubicumque maritus graecus voluerit.

XII. Eius autem loci ac ritus parochus debet assistere, ubi et quo ritu matrimonium contrahitur.

§ IX.

Ritus graecus qua ratione in Italiâ et Insulis adiacentibus servandus: de Graecorum seu Albanensium subiectione Episcoporum latinorum iurisdictioni.

Ut Graeci in missis et divinis officiis ritus suos observare valeant, nec super his a quoquam molestentur.

I. Quoniam Orientalis Ecclesiae ritus, utpote non minimâ ex parte a SS. Patribus profecti vel a maioribus traditi, sic animis Graecorum aliorumque insederunt, ut praedecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint, ritus huiusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur nec periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare

seu permittere, quam illos ad Romanarum caeremoniarum normam reducere; idcirco Graecis ipsis et Albanensibus ritus graeci inter Latinos degentibus tam praelatis, parochis et presbyteris saecularibus, quam regularibus et laicis, ut suis ritibus atque observantiis sive consuetudinibus uti, ac illos et illas observare, Missasque et alia divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere ac licite possint, concedimus et indulgemus. Nec super his a quoquam latino Ordinario illos vel illorum quemlibet molestari vel inquietari permittimus: inhibentes omnibus et singulis praelatis, aliisque, ne quis ritus et caeremonias Graecorum in concilio Florentino vel alias approbatas blasphemare aut reprobare seu improbare ausit.

In quibus debeant Italo-Gr. ritum latinum sequi.

II. Sic vero dictis Graecis et Albanensibus in suis ritibus permanere concessum esse atque indultum declaramus, ut quae a fidelibus in dioecesi ubi ipsi habitant, universim et sine ullo personarum ac rituum discrimine, iuxta sacros canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.

Kalendarium Gregorianum, quoad festa, servare tenentur.

III. Cuiusmodi sunt in primis kalendarii Gregoriani observatio, iuxta quod iidem Graeci et Albanenses tenentur universalis Ecclesiae ieiunia et festa celebrare, ut, puta, ieiunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, et cetera huiusmodi, quae in latinâ et graecâ Ecclesiâ aeque celebrantur.

Item Romani Pontificis et Ordin. locis nomen in missis et div. off. commemorare etc.

IV. Deinde summi Romani Pontificis et Ordinarii loci in missis ac divinis officiis commemoratio, non Patriarcharum neque Antistitum Orientalium, quibus nulla est in Italiâ et adiacentibus Insulis iurisdictio: ubi tamen graeco catholico Antistiti, ex licentiâ Sedis Apostolicae vel Ordinarii loci pontificalia exercere permittitur, eius quoque nomen iuxta Graecorum morem post summum Romanum Pontificem et Ordinarium loci commemorare liceat.

Subiiciuntur constitut. contra solic. etc.

V. Tum subiectio omnibus et singulis Romanorum Pontificum constitutionibus, contra solicitantes praesertim in confessione, editis, quae in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac Latinos aeque ac Graecos suâ amplitudine comprehendunt.

Dies festos de praecepto latinae Eccl. observare tenentur.

VI. Demum dies festos de praecepto latinae, ubi degunt, Ecclesiae servare tenentur.

Possunt, si velint, latinae Eccles. ieiunia et vigilias servare, non tamen ad id cogi debent.

VII. Ad observationem autem ieiuniorum et vigiliarum eiusdem latinae Ecclesiae, si tota loci illius Graecorum communitas vel potior laicorum pars cum parochis et presbyteris coniuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis Apostolicae dispensatione arbitrio Ordinariorum relinquimus latinorum: non tamen ad id cogi debent, si velint ritum suum in ieiuniis sequi cum ipsi qualibet hebdomadâ feriâ quartâ et feriâ sextâ, ut asseritur, soleant ieiunare; neque privatis personis fas sit, ubi parochiam graecam habent, ibi contra proprium ritum latinorum more ieiunia et vigilias servare; sed omnes vel graece cum Graecis vel latine cum Latinis ieiunent. Ubi vero propriam parochiam non habent, ibi libere et licite possunt in omnibus latino ritui sese conformare, sive laici sint sive Presbyteri, excepto graeco ritu, qui in missis ac divinis officiis a presbyteris est servandus.

Tolerandus esus carnium etc.

VIII. Hinc ubi parochiam graecam habent, tolerandus est apud Graecos esus carnium die sabbati, si sine scandalo fieri potest; in locis autem ipsorum et inter eos tantum.

Latini famuli Gr., latinum ritum debent servare.

IX. Prohibentur tamen Graeci suis famulis latinis cibos vetitos apponere, sive die sabbati quando praefatis Graecis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore quo Latini debent ab illis abstinere; latini enim famuli Graecorum latinum ritum servare tenentur.

Non sunt cogendi ad ieiun. die sabb. etc.

X. Item tolerandum est, ut ad ieiunium eodem die sabbati in quadragesimâ, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiquâ traditione non teneantur, sed duntaxat ad abstinentiam.

Ieiunium a Latin. die sabb. indictum ad aliam diem pro Italo-Gr. etc.

XI. In ieiuniis quoque biduanis vel triduanis, vel alias a Dioecesanis, vel in Iubilaeis a summo Pontifice Romano indictis, dies sabbati in eis comprehensus vel praescriptus, in alium diem pro Graecorum plebe ab ipsis Dioecesanis apostolicâ auctoritate permittitur commutari.

Italo-Gr. in tota Italia et insulis adiacentibus permittitur, ut in quadragesima et aliis ipsorum ieiuniis, piscibus, oleo et vino uti possint.

XII. Verum, quia pro parte dilectorum filiorum graeci ritus in Corsicâ habitantium nobis nuper humillime preces porrectae fuerunt, ut auctoritate apostolicâ declararemus, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo et vino, tam in quadragesimâ, quam in quartis et sextis feriis, et in aliis anni ieiuniis; vel, si ad abstinentiam huiusmodi tam ex praecepto quam ex consuetudine Ecclesiae Graecorum, ut nobis exponitur, teneren-

tur, cum iis eâdem auctoritate dispensare dignaremur, ut piscibus, oleo et vino, in dictis quartis et sextis feriis, et in quadragesimâ, aliisque per annum occurrentibus ieiuniis vesci ipsis liceret; nos paternae pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis Graecis in Corsicâ habitantibus, quam omnibus et singulis Albanensibus et Graecis, qui in Italiâ et Insulis adiacentibus commorantur, tenore praesentium, ut ad instar latinorum, in quorum dioecesibus degunt, in memoratis quadragesimâ, quartis et sextis feriis, et reliquis anni ieiuniis, vino, oleo et piscibus cuiuscumque generis possint uti, concedimus et indulgemus. Atque literas Clementis Papae XII. praedecessoris nostri in formâ Brevis datas ad abbatem et monachos monasterii Ordinis S. Basilii Magni ritus graeci orientalis terrae Dimidii Iussi Panormitanae dioecesis, pro monachis graecis et Epirotis eorumdem Ordinis et ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus libere et licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint non obstantibus ritus graeci ordinationibus, hac nostrâ constitutione confirmamus ac roboramus.

Ne Italo-Graeci a latino dioecesano Episcopo latine ordinati plebibus Italo-Gr. praeficiantur.

XIII. Cum autem Sedi Apostolicae semper curae fuerit graecum ritum custodire, illiusque abolitionem nunquam intenderit, aut in animo habuerit; hinc nos praedecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi rituum graecorum intenti, neque expedire ducimus, neque facultatem facimus, ut latini Ordinarii iuxta ritum latinum ad Sacerdotium promoveant aliquem Italo-graecum dioecesanum, qui Graecorum more baptizatus fuerit, atque etiam vixerit, ut scilicet Graecorum plebi latino ritu ipse ministrans praesit: praesertim quia id graecis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus parochus esse solet, si eumdem cum ipsis ritum graecum colat, quam si latinum sequatur.

Sed Graeci vel Albanenses, catholici tamen, sive advenæ, sive indigenae, gr. ritu viventes praeficiantur.

XIV. Sed in terris seu locis et casalibus Graecorum et Albanensium, seu in quibus fuerint Graeci vel Albanenses, sive sint indigenae, sive ex Graeciae provinciis et Insulis, vel ex Epiri et Albaniae partibus, aut alias undequaque advenerint, graeco ritu in praesentiarum usque viventes, ad illorum ecclesias, seu curam animarum exercendam, non Latini neque latinis orti parentibus aut latino more viventes ad eumdem ritum graecum intientur, sed Graeci vel Albanenses ritus graeci respective, catholici tamen et alioquin idonei et sufficientes, atque alias qualitates a sacris canonibus habentes, sive sint indigenae, sive in defectu indigenarum etiam advenae, ordinentur, et eorumdem Graecorum seu Albanensium animarum curae praeficiantur.

Presbyteri latini, nisi vocati, non se immisceant Graecor. functionibus.

XV. Ceterum ad tollendam omnem rituum commixtionem et confusionem, presbyteri et clerici latini in ecclesiis Graecorum neque missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac baptismis et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant vel praesumant.

Presbyteri et clerici graeci missas et divina officia in ecclesiis Latinor. inconsulto Episcopo non celebrent.

XVI. Nec presbyteri et clerici graeci in ecclesiis Latinorum, inconsulto Episcopo cui illae subiiciuntur, vel eius in spiritualibus vicario generali, Missas et alia divina officia cum solemnitatibus et cantu celebrent. Ut autem praefatus Episcopus sive vicarius generalis praefatam licentiam rite concedere valeant, nulla praecisa necessitas pro causâ requiritur, sed satis est ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

In praecedentiis clericor. latinor. et graecorum non attenditur diversitas ritus, sed tempus ordinationis vel qualitas ecclesiast. dignitatis.

XVII. Cum inter latinos graecosque clericos in processionibus, sessionibus aliisque ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine aut proprio arbitrio et voluntate promiscuo usu peragere solent, lites quandoque et controversiae, quibus caritas et mutua animorum concordia violatur, ob praecedentiae ordinem exoriantur quia Graeci Latinis, et Latini Graecis praecipuum locum dare renuunt, has in posterum dirimere atque amputare volentes, praecipimus, ut in praecedentiis huiusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur ritus graeci et latini diversitas, sed tempus ordinationis praedictorum clericorum, vel qualitas ecclesiasticae dignitatis, si aliqui eorum eâ insigniti reperiantur, vel ceterae qualitates, quae iure suo in praefatis solemnitatibus principem locum sibi vindicare solent.

Non nisi ecclesiasticis libris per Congr. a S. Sede eorumdem emendationi deputatam correctis utantur.

XVIII. Quia in ecclesiasticis Graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae Graecae puritatem fraude potissimum ac dolo schismaticorum corruptam esse orthodoxi dolent; ideo pastoralem latinorum Ordinariorum, in quorum dioecesibus iidem Graeci et Albanenses degunt, vigilantiam per praesentes nostras literas excitamus, ut omni ope et studio curent, non aliis Graecos ipsos seu Albanenses tam praelatos ac presbyteros

saeculares quam regulares ecclesiasticis libris in sacramentorum administratione, et Missis divinisque officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a S. Sede Apostolicâ emendationi librorum huiusmodi deputatam correcti typisque impressi fuerint.

De Italo-Graecorum subiectione Episcopis latinis, in quorum dioecesi degunt.

XIX. Ita autem Graecos seu Albanenses in suo ritu, ut praefertur, permanere, graecasque ceremonias custodire permittimus, ut latinorum Episcoporum, in quorum dioecesi degunt, iurisdictioni subiecti censeantur. Itaque Graeci seu Albanenses ritus graeci, tam ecclesiastici et regulares, quam laici, in utrâque Siciliâ vel aliis Italiae partibus Insulisque adiacentibus commorantes, cum suos Ordinarios graecos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus, aliisque privilegiis dictis Graecis eorumque praelatis, rectoribus, abbatibus, et aliis tam S. Basilii et alterius Ordinis regularibus, qui privatam vitam ducunt, nec in congregationem sunt redacti, quam saecularibus ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X., Paulum III., Iulium etiam III., et alios forsan Romanos Pontifices et Sedem Apostolicam in genere vel in specie hactenus concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis ita latinis Ordinariis locorum, quae habitant, debent esse subiecti, ut ipsi locorum Ordinarii quascumque eorumdem Graecorum et Albanensium ecclesias, monasteria, prioratus, et alia pia loca, tam secularia quam cuiusvis Ordinis regularia, eorumque praelatos, etiamsi episcopali, archiepiscopali ac maiori dignitate praefulgeant, necnon abbates, rectores, ministros et quasvis alias eiusdem nationis personas in suis civitatibus et dioecesibus consistentia, quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque et omnimodam auctoritatem in iis, quae Dei cultum, sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, haeresumque extirpationem concernunt, exercere et sequi libere et licite valeant; reliquis ipsorum Graecorum et Albanensium in divinis celebrandis aliisque ritibus a Sede Apostolicâ approbatis, necnon privilegiis et gratiis apostolicis intactis remanentibus: nec ipsis Graecis et Albanensibus clericis, vel laicis, eorumve praelatis, ecclesiis, coenobiis, aut aliis piis locis dictas exemptiones seu privilegia in aliquo suffragari; sed illos omnes, et singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni et omnimodae auctoritati in praemissis subesse, illisque tanquam superioribus suis suarumque animarum pastoribus humiliter obedire.

Ubi duo Episcopi sunt eiusdem loci, Episcopus latinus Latinorum, gr. Graecor. dumtaxat iurisdictionem et curam habeat.

XX. Ubi vero duo essent Episcopi eiusdem loci a S. Sede Apostolicâ deputati, unus latinus, alter graecus, (quemadmodum in Calabriae partibus et in Siciliâ olim fuisse perhibentur, et nunc in quibusdam Graeciae insulis existunt) Episcopus latinus de personis ecclesiasticis et saecularibus graecis, ac de iurisdictione Episcopi graeci vel aliis quibuscumque ad Episcopum graecum quomodolibet spectantibus, nullatenus se intromittere praesumat; sed Episcopus latinus latinorum, Episcopus vero graecus graecorum dumtaxat curam, regimen et iurisdictionem respective habeant, et exerceant. Id quod de Episcopis graecis pro ordinatione Italo-graecorum, Romae vel in Calabriâ per Sedem Apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minime intelligendum esse declaramus: cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt alumni Collegii Graecorum Romae, et Collegii Italo-graecorum seu Albanensium in Calabriâ, ad primam tonsuram aut ullum ordinem sive minorem sive maiorem, nisi cum dimissoriis sui Ordinarii, promovere valeant.

Episcopus latinus circa causas Graecorum Vicarium graecum ipsius salario retinendum deputet.

XXI. In Dioecesi ubi Latini et Graeci inhabitant, et solum Archiepiscopum sive Episcopum latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negotia et causas dictorum Graecorum Vicarium graecum ipsis Graecis gratum, vel ipsos Graecos eligendum (ex quo graecus vir melius graecos mores novit, quam latinus) ipsorum stipendio et salario retinendum deputet; et in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsan graecus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis iudicem graecum deputare teneatur.

De monachorum seu calogerorum institutis.

XXII. Ordinationes demum et instituta regularia SS. Patrum de vitâ et statu Monachorum ab abbatibus et monachis graecis, qui in Italiâ et Insulis adiacentibus privatim degunt, nec regulam monachorum Ordinis S. Basilii in congregationem reductorum sunt professi, praecipimus inviolabiter observari; eosque omnes, et singulos iurisdictioni Ordinariorum latinorum subiicimus, mandantes insuper, ut quaecumque supra circa rituum graecorum ob-

servantiam praescripta sunt, adamussim exequantur.

Salvis privilegiis a Sede Apost. concessis Collegio gr. de Urbe, Seminario Corsino in Calabria etc.

XXIII. Salvis tamen et in suo robore semper remanentibus privilegiis, quae a summis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII., Paulo V., Urbano VIII., Innocentio X., Clemente XII., et forsan aliis, tam Collegio Pontificio Graecorum de Urbe et Seminario Corsino in Calabriâ, quam Congregationi dilectorum filiorum monachorum Ordinis S. Basilii in Italiâ concessa sunt et indulta, quibus derogare non intendimus.

Quae in hac Constitut. sunt disposita quoad Italo-Graec. non praeiudicant Constitut. Apost. decretis synodalibus et aliis statut. circa ritus graecorum in Oriente sub catholicis Episc. commorantium etc.

XXIV. His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus et interdiximus seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium et aliarum christianarum nationum quorumcumque rituum a S. Sede approbatorum seu permissorum, iuribus qualibuscumque, si quae illis de iure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant, aut apostolicis constitutionibus, vel conciliorum generalium aut particularium, seu Congregationum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decretis, quae super ritibus Graecorum seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praeiudicatum vel praeiudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus, idque expresse declaramus, et pro declarato et in qualibet huius nostrae Constitutionis seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus et mandamus.

§ X.

Clausulae.

Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae, seu quopiam alio defectu, notari seu impugnari, aut alias quomodolibet infringi, vel retractari seu invalidari, aut in ius vel controversiam vocari, aut adversus eas et ea quodcumque iuris et facti, vel iustitiae et gratiae remedium intentari, impetrari vel concedi ullatenus posse, sed ab omnibus, quos concernunt et concernent quomodolibet, quacumque dignitate et honore fulgentibus, in futurum inviolabiliter observari debere.

Decretum irritans.

Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos ac commissarios, quavis auctoritate fungentes, ac etiam S. R. E. Cardinales et de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nihil innovetur, inconsulta S. Sede.

Mandantes universis, et singulis ven. fratribus Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis latinis, in quorum dioecesibus Italo-graeci huiusmodi degunt, ut in suis synodis, constitutionibus, statutis, edictis, decretis, seu aliis quibuslibet mandatis et monitis, circa eorum ritus, observantias et consuetudines, praeter id quod in nostris hisce literis expresse et explicite continetur, nihil aliud, nisi consulta prius S. Sede Apostolica, moneant, edicant, decernant, constituant, praecipiant seu mandent.

Derogationes.

Non obstantibus praedecessorum nostrorum literis, aliisque praemissis, necnon apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus circa Italo-graecos huiusmodi, eorumque ritus, observantias, mores, ac consuetudines, constitutionibus et ordinationibus, ac etiam communitatum, monasteriorum et ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eisdem Italo-graecis, illorumque communitatibus, vel singulis eorum personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam per modum statuti perpetui, etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus, ac etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

Volumus autem, quod praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis,

et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostri decreti, constitutionis, declarationis, inhibitionis, prohibitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCXLII. kal. iun., pontificatus nostri anno II.

XXV.

Expositis missionariorum dissidiis de ritibus sinensibus, constitutionem Clementis XI. Ex illa die ***confirmat; improbat permissiones a Carolo Ambrosio Mediobarba Patriarcha Alexandrino concessas; novam iuramenti formulam praescribit*** (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Ex quo singulari providentia factum est, ut Orientalium et Occidentalium Indiarum regiones Europae innotescerent, Apostolica S. Sedes, quae ab ipsis Ecclesiae incunabulis evangelicae veritatis lumen ubique diffundere, et illud ab omni erroris umbrâ servare maximo studio curavit, in his quoque novissimis temporibus evangelicos operarios in antedictas regiones sedulo misit, ut, idololatriâ ibi late dominante funditus eradicatâ, christianae fidei semen opportune spargerent, atque horrentes illos et incultos campos in fertiles florentesque vineas, uberrimos aeternae vitae fructus daturas, commutarent. Ex regionibus autem illis, quas S. Sedes prae ceteris ante oculos habuit, fuit profecto amplissimum Sinarum Imperium: in quo quidem negari non potest, quin christiana fides progressus ingentes fecerit, longe etiam maiores factura, nisi exorta inter operarios a S. Sede illuc missos dissidia cursum intercidissent.

Fidei propagatio ab Apost. Sede promota in Sinarum Imperio.

Dissidia inter missionarios circa caeremonias Sinensium et praecipue circa cultum erga defunctos.

§ 1. Occasionem dissidiis eiusmodi dederunt caeremoniae quaedam et ritus, quibus Sinenses ad Confucium philosophum et maiores suos honoribus prosequendos uti consueverunt: cum nonnulli ex missionariis contenderent, eas esse caeremonias et ritus mere civiles, adeoque concedendos iis, qui relicto idolorum cultu christianam Religionem amplectebantur; contra vero alii eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi religionis iniuriâ permitti nullo modo posse assererent. Quae sane controversia multis annis Apostolicae Sedis curam et solicitudinem ad se traxit; cum id maxime caveat, ne zizania in agro dominico radices agant, aut, si forte egerint, eae quam cito fieri potest evellantur.

Prima decisio Congregat. de Propaganda Fide, sub Innocentio X.

§ 2. Primo itaque ad S. Sedis tribunal causam hanc detulerunt ii, qui caeremonias illas et ritus sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Super illis dubia nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propagandâ Fide, quae anno MDCXLV. comprobavit responsa ac decisiones theologorum, qui caeremonias et ritus eosdem superstitione revera infectos iudicarunt. Proinde Innocentius Papa X. ad praefatae Congregationis preces omnibus et singulis missionariis sub poenâ excommunicationis latae sententiae sibi ac S. Sedi reservatae mandavit, ut responsa ac decisiones praedictas omnino observarent, easque ad praxim deducerent, donec sibi et Apostolicae Sedi aliter visum non esset.

Altera Congr. S. Inquisit. sub Alexandro VII.

§ 3. Verum paulo post ab aliis eiusdem missionis operariis alia dubia de iisdem ritibus et caeremoniis ipsimet Congregationi de Propagandâ Fide fuerunt exhibita, ex quibus caeremoniae ipsae ritusque nullam in se superstitionem habere videbantur. Negotium itaque huiusmodi ab Alexandro Papa VII. sacrae inquisitionis Congregationi commissum fuit: quae, prout variâ diversâque ratione fuerat sibi de iisdem caeremoniis expositum, alias quidem tamquam mere civiles et politicas esse permittendas, alias vero minime tolerari posse iudicavit; idemque Alexander Pontifex anno MDCLVI. hanc sententiam probavit et confirmavit.

Alia resolutio eiusdem Congr. sub Clem. IX.

§ 4. Sed ecce tertio ad S. Sedem haec eadem controversia. Cum plura dubia sacrae Inquisitionis Congregationi proposita fuissent, illud quoque ab eâ quaesitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papae X. praeceptum, quo sub poenâ excommunicationis latae sententiae mandabat observan-

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide pag. 48, coll. etc.

tiam responsionum ac decisionum, quae a Congregatione de Propagandâ an. MDCXLV., ut supra dictum est, emanaverat. Praeterea an, stantibus recens expositis dubiis, earum praxis retinenda foret: cum praesertim obstare videretur decretum sacrae Inquisitionis, quod ab eâ emanavit anno MDCLVI. super quaesitis nonnullis, diversâ ratione aliisque circumstantiis propositis ab operariis apostolicis in Sinarum regno commorantibus. Respondit ad haec sacrae inquisitionis Congregatio anno MDCLXIX., praefatum Congregationis de Propagandâ Fide decretum adhuc vigere habitâ ratione rerum quae fuerunt in dubiis expositae; neque illud fuisse circumscriptum a decreto sacrae Inquisitionis, quod an. MDCLVI. emanavit; immo esse omnino observandum iuxta quaesita, circumstantias, et omnia ea quae in antedictis dubiis continentur. Declaravit pariter, eodem modo esse observandum praedictum S. Congregationis decretum anno MDCLVI. iuxta quaesita, circumstantias et reliqua in ipsis expressa. Hoc autem decretum Clemens Papa IX. comprobavit.

Innoc. XII. novum examen causae in eadem Congr. instaurari iubet.

§ 5. Cum autem omnia praefata decreta pro variâ rerum expositarum ratione fuerint facta ac promulgata, tantum abfuit ut rituum Sinensium controversia finem obtineret, ut magis illa vires et incrementum acquireret. Nam scissis evangelicis operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum ac sententiarum contentionem. Atque hinc, non sine gravi scandalo magnoque fidei damno, consecuta est praedicatio non uniformis, et non eadem ubique christianorum illorum disciplina et institutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII. praedecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis daretur: proinde exactam, maximeque accuratam totius huius controversiae discussionem S. Inquisitionis Congregationi commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset, quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summâ cum diligentiâ quaesita, quae per eamdem S. Congregationem resolverentur.

Clemens XI. approbat responsiones Congreg. easq. transmittit ad Patriarc. Antioch., Visit. Apost.,

§ 6. Quaesitorum illorum examen Innocentii Papae XII. mors intercepit. Clemens autem XI. qui successit, praedecessoris sui zelo plenus, coram se quaesitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam, maturam et accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utrâque parte rationes, quibus libere producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa XI. an. MDCCIV. confirmavit et apostolicâ auctoritate comprobavit praememoratae S. Congregationis responsiones ad omnia et singula quaesita proposita, quibus ritus Sinenses utpote superstitione imbuti prohibebantur; mandavitque, praefatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiae Patriarcham, Commissarium et in Sinarum regno Visitatorem Apostolicum transmitti; ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus et singulis missionariis, poenis quoque canonicis in refractarios indictis, praeciperet.

Qui eas publicav., additis praeceptis etc.

§ 7. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem apostolicam, addito decreto quo ab universis eius observantiam exigebat. Cum autem illam tentassent eludere variisque inanibus rationibus effugere ii, qui Sinenses ritus tamquam politicos ac mere civiles propugnaverant, praedictus Pontifex Clemens XI. decreto, quod per S. Inquisitionis Congregationem emanavit anno MDCCX., praecepit omnimodam et inviolabilem earumdem responsionum abs se apostolicâ auctoritate confirmatarum observantiam, et alia quae decreto ipso continentur, quod est tenoris sequentis:

Mandat observari decretum editum a Card. de Tournon.

Tenor decreti.

Decretum super omnimodâ ac inviolabili observatione responsorum, alias in causa rituum seu caeremoniarum Sinensium a S. Congregatione datorum, et a SSmo approbatorum cum aliis ordinationibus:

Feria V. die XXV. sept. MDCCX.

Mandat observari decretum editum a Card. de Tournon.

In Congregatione generali sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, habitâ in palatio apostolico Quirinali coram Smo D. N. Domino Clemente divinâ providentiâ Papa XI., ac Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

Idem SSmus Dominus Noster in causâ Rituum seu Caeremoniarum Sinensium, auditis tam in congregationibus anno praeterito non semel, quam in aliis mense et anno praesentibus pluries coram Sanctitate Suâ habitis, praefatorum Emorum et Rmorum DD. Cardinalium, qui rem mature ac diligentissime discusserunt, sententiis, decrevit et declaravit, responsa alias

Reiicit appellationes ad S. Sedem interpositas.

in causâ huiusmodi ab eâdem Congregatione data et a Sanctitate Sua die xx. nov. MDCCIV. confirmata et approbata, nec non mandatum seu decretum ab Emo et Rmo D. Domino Cardinali de Tournon, tunc Patriarchâ Antiocheno, Commissario et Visitatore Apostolico generali in Imperio Sinarum die xxv. ian. MDCCVII. hac de re editum, ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inconcusse et inviolabiliter sub censuris et poenis in mandato seu decreto huiusmodi expressis observanda esse, quovis contrafaciendi quaesito colore seu praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis sive saecularibus sive regularibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis ac quavis ecclesiasticâ dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interpositâ, quam propterea Sanctitas Sua reiiciendam esse decrevit ac re ipsâ reiecit.

Declarat, ac decreto nihil additum vel detractum responsionibus datis anno MDCCIV.

Porro cum idem D. Cardinalis de Tournon in suo mandato seu decreto supradicto apostolicae decisioni die xx. novemb. MDCCIV. latae se expresse inhaerere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipsum mandatum seu decretum una cum censuris in eo contentis, ad normam eorumdem responsorum accipiendum esse, ita ut nihil per illud responsis praefatis additum seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quae in eis insunt, etiam in mandato seu decreto praedicto inesse intelligantur.

Pleniorem instructionem confici iubet.

Ceterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui moerore acceperit, quod humani generis hostis multipicia in dies zizania in latissimis illis regionibus superseminare non cessat; non tamen propterea in eis catholicae Religionis propagandae saluberrimum ac sanctissimum opus nullatenus deserere volens, sed illud maiori, qua potest, animi contentione ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi christianae fidei seges veluti spinis suffocatur, prorsus submotis, ardentius semper et enixius promovere cupiens, congruam super praemissis aliisque ad ea pertinentibus instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus, illi qui eius loco deputatus fuerit, necnon Episcopis et Vicariis Apostolicis earumdem partium transmitti mandavit, qua non minus debitae apostolicorum decretorum executioni, quam missionariorum concordiae, evangelicae veritatis praedicationi, atque animarum saluti opportune consulatur.

Vetat publicari scripta super rit. Sinicis absque licentia S. S.

Demum, ut nimiae illi de his rebus scribendi licentiae, quae non sine fidelium scandalo inter partes diuturnâ contentione exasperatas invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua districte praecepit omnibus et singulis cuiusvis Ordinis, congregationis, instituti, et societatis, etiam de necessitate exprimendae, regularibus aliisque quibuscumque saecularibus personis tam ecclesiasticis quam laicis, cuiuscumque tandem status, conditionis et dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quaesito colore vel praetextu imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libellos, relationes, theses, folia seu scripta quaecumque, in quibus ex professo vel incidenter de ritibus Sinicis huiusmodi, vel de controversiis desuper seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur sine expressâ et speciali licentiâ a Sanctitate Suâ seu pro tempore existente Romano Pontifice in Congregatione supradicta sanctae et universalis Inquisitionis obtinendae.

Publicata vero prohibet, sub poenis etc.

Ut autem eiusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit et declaravit, contravenientes quoscumque excommunicationis latae sententiae, regulares vero etiam privationis vocis activae et passivae, poenas ipso facto absque aliâ declaratione incurrere, et nihilominus aliis etiam poenis Sanctitatis Suae et successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere. Libros porro, libellos, relationes, theses, folia ac scripta quaecumque, quae in futurum contra praesentis prohibitionis tenorem edi contigerit (citra ullam aliorum hactenus editorum approbationem, super quibus opportune providebitur), pro expresse prohibitis haberi voluit absque aliâ declaratione, sub poenis et censuris in regulis Indicis librorum prohibitorum contentis. Impressores vero, praeter scriptorum sic impressorum amissionem, pecuniariis allisque corporalibus poenis iuxta criminis gravitatem teneri mandavit. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

IOSEPH BARTOLUS Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Not. (1).

---

(1) Hactenus nonnisi per decreta SS. Congregationum, etsi a Sede Apostolicâ confirmata, de eâ re actum fuerat.

Idem Clemens XI. praefatas responsiones edita constitutione confirmat.

§ 8. At vero nec decretum huiusmodi ad difficiles animos subiiciendos valuit. Itaque Clemens idem Papa XI., quo illos tandem aliquando fraenaret, constitutionem anno MDCCXV. evulgavit, qua solemniter iterum confirmavit antedictas sacrae Inquisitionis responsiones, easque exacte et adamussim observari mandavit praeclusis omnibus iis effugiis, quibus perfectam earum observantiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuisssent: et est tenoris, qui sequitur:

Tenor constitutionis *Ex illa die*.

SSmi D. N. Domini Clementis Papae XI. praeceptum super omnimodâ, absolutâ, integrâ et inviolabili observatione eorum, quae alias a Sanctitate Suâ in causâ Rituum seu Caeremoniarum Sinensium decreta fuerunt: cum reiectione quarumcumque rationum seu excusationum ad eiusmodi decretorum executionem declinandam allatarum, ac praescriptione formulae iuramenti per missionarios illarum partium praesentes et futuros hac in re praestandi.

Clemens Papa XI.
ad futuram rei memoriam.

Ex illâ die etc. (1).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. martii MDCCXV., pontificatus nostri anno XV.

F. Oliverius.

Eius quoque constitut. observantia eluditur.

§ 9. Post Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Papa XI. se huic controversiae finem dedisse testatur, iustum et aequum videbatur, eos, qui S. Sedis auctoritatem sese quam maxime revereri profitentur, humili et obsequenti animo illius iudicio semet omnino subiicere nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes et captiosi homines exactam eiusdem constitutionis observantiam se effugere posse putarunt eâ ratione, quod illa Praecepti titulum praefert, quasi vero non indissolubilis legis sed praecepti mere ecclesiastici vim haberet; tum etiam quod illam debilitatam existimarent ex permissionibus quibusdam, quam super iisdem Sinensibus Ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cum Commissarium et Visitatorem Generalem Apostolicum in iis regionibus ageret.

Praesertim ob permissiones publicatas a Patriarcha Alexandrino.

Pontifex praeinsertam constitut. amplissime confirmat.

§ 10. Nos igitur animadvertentes, praedictam constitutionem christiani cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere qui eidem repugnare temere audeat aut contemnere, perinde ac ipsa supremam Apostolicae Sedis decisionem non contineret, et id de quo agitur non ad Religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quaedam variabilis disciplinae ratio. Proinde auctoritate ab omnipotenti Deo nobis traditâ uti volentes ad illam in suo robore omnino servandam, de auctoritatis eiusdem plenitudine non modo eam approbamus et confirmamus, sed etiam, quantum possumus, omnem vim et firmitatem ad illam magis magisque roborandam ac stabiliendam adiicimus, eamque in se plenam ac omnimodam Apostolicae Constitutionis auctoritatem habere dicimus et declaramus.

Exponit, quid causam dederit memoratis permissionibus.

§ 11. Permissiones autem, quarum obtentu aliqui praedictae constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a responsionibus quibusdam, quas duo viri, qui iampridem in Sinarum regno fuerant, ad quaesita nonnulla dederunt, quae super eiusdem constitutionis apostolicae executione ac praxi missionarii quidam proposuerant. Responsiones itaque huiusmodi una cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis sive approbantis sive aliquid de suo addentis indicio, transmissae fuerunt ad praefatum Patriarcham Alexandrinum eius animi instruendi causâ, utque illis uteretur, prout circumstantiae rerum ac temporis postularent: integro tamen remanente Apostolicae Sedis iure eas comprobandi, vel etiam revocandi, si quando conformes aut repugnantes constitutionis praefatae decretis ullo modo compertae forent.

Factum Patriarch. Alexandrini.

§ 12. Vix Sinarum regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem responsiones quas praememorati duo viri ad proposita quaesita dederant, bene vero permissiones octo quae ab illis fuerant deductae, atque inde ab eodem Patriarchâ in pastorali suâ epistolâ insertae, cuius tenor est uti sequitur:

Tenor epistolae pastoralis.

Carolus Ambrosius Mediobarbus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, nec non in Indiis Orien-

(1) Reliqua vide vol. II., pag. 305.

talibus ac Sinarum Imperio finitimisque regnis et insulis Commissarius et Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de Latere etc.

Omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis ac missionariis, qui in praedictis partibus degunt, salutem in eo qui est omnium vera salus.

Exordium. Benedictus Deus et Pater D. N. Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressurâ sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. Nil etenim nobis magis in animo fuit, ex quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quam cum iis omnibus, qui in hac evangelicâ vineâ laborant, os ad os loqui. Desideravimus enim videre vos, ut aliquid impertiremur vobis gratiae spiritualis ad confirmandum vos, idest simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam. Verum quia non sapientiam huius saeculi locuti fuimus, in timore et tremore multo fuimus apud vos, satiusque duximus, ad sedandam tempestatem adversus evangelicos operarios ingruentem, nos in mare proiicere, ut vos iactari sinatis (1). Adiutor noster nunc et erit ille Deus, qui dedit nobis in mari viam et in aquis torrentibus semitam. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium nobis perhibente conscientiâ nostrâ in Spiritu Sancto; quoniam tristitia nobis magna est, et continuus dolor adhaeret cordi nostro, quod praesentes non potuerimus solari vos, ut fructum aliquem haberemus et in vobis et in ceteris gentibus.

Excitat missionarios ad eorum munus implendum. At vero quod non licuit per praesentiam agere, saltem per epistolam non impedimur. Primum quidem gratias agimus Deo nostro per Iesum Christum pro omnibus vobis, qui Spiritu Sancto ferventes et fortes, S. Sedis mandatis rationabile exhibetis ministerium vestrum, iactantes cogitatum in eum, cui a Domino dictum est: *Pasce oves meas;* cui traditae sunt claves domus David; si aperit, non est qui claudat; si claudit, non est qui aperiat. Quotquot estis, macte animis, vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini, quia merces vestra magna est in caelis. Ministerium vestrum implete, attendite vobis, et doctrinae. Lucernae estote non minus lucentes exemplo, ac zelo praedicationis ardentes. Si qui vero adhuc essent haesitantes et in opere non efficaces, obsecramus vos, fratres, per nomen D. N. Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes et non sint in vobis schismata, sitis perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ. Non amplius invicem iudicemus. Unusquisque vestrum pari humilitate ac obedientia S. Sedis mandatis obsequatur, ut vestra obedientia in omne locum divulgetur.

Profitetur se nihil innovare circa constitutionem *Ex illa die*. Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus, ut SSmi D. N. Clementis Papae XI. mandata iam promulgata vobis innotescant, vimque habeant, ut absque ullâ tergiversatione executioni mandentur. Nihil proinde innovamus, sed relinquimus res prout sunt; hoc est, nullatenus constitutionem super Ritibus Sinicis a SSmo D. N. Clemente Papa XI. die XIX. martii MDCCXV. emanatam suspendimus, aut quae in ea vetantur permittimus.

Ratio edendarum permissionum. Ob aliqua tamen quibusdam missionariis circa quasdam caeremonias peragi consuetas suborta dubia, ut quilibet in vineâ Domini strenue ac viriliter laborare queat, nonnulla adnotamus quae permitti poterunt, quae et separatim unicuique secundum quaesita dedissemus, nisi compertum nobis esset, una cum incertis nuntiis iam disseminata, proborum animos et christifideles bonae voluntatis non parum perturbasse. Omni igitur, quo poteritis, studio ac diligentiâ curare debetis, ut, gentium caeremoniis penitus sublatis, illi sensim a christianis et pro christianis usu recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pie praescripsit.

Permissiones. I. Permittitur christianis Sinensibus in suis privatis domibus uti tabellis defunctorum inscriptis solo nomine defuncti, appositâ ad latus declaratione debitâ, et omissâ quacumque superstitione in earum constructione, necnon secluso omni scandalo.

II. Permittuntur omnes caeremoniae nationis Sinicae erga defunctos, quae non sint aut superstitiosae aut suspectae, sed civiles.

III. Permittitur Confucii cultus ille qui civilis est, et etiam eiusdem tabellae purgatae et literis et superstitiosâ inscriptione, et adiunctâ declaratione debitâ; sicuti permittitur ante eius tabellam correctam accendi candelas, uri odores, apponi comestibilia etc.

IV. Permittitur pro usu et expensis fu-

---

(1) Videtur legendum *destinatis*.

nerum offerri candelas, odores, adiunctâ in schedulâ debitâ declaratione.

v. Permittuntur reverentiae genuflexionum et prostrationum erga tabellam correctam, aut etiam erga feretrum aut defunctum.

vi. Permittitur praeparari mensas cum dulciariis, fructibus, carne et cibis usualibus circa aut coram feretro, ubi sit tabella correcta, cum debitâ declaratione, et omissis superstitiosis, pro quadam honestate tantum et pietate erga defunctos.

vii. Permittitur coram tabellâ correctâ reverentia dicta *Ko teu* tum in anno novo Sinico, tum in aliis anni temporibus.

viii. Permittitur coram tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti etiam ante tumulum, ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra dictum est, adhibitis cautelis ut in superioribus.

Operarios ad laborem enixius hortatur.

Apostolici ergo viri Ecclesiam exhibentes non habentem maculam neque rugam ponant manum suam ad aratrum, et non respiciant retro. Videte, fratres, vocationem vestram; non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Obsecramus itaque vos, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, soliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ne diutius agamus secundum potestatem, paterne vos commonere voluimus per epistolam. Amabilem illum patremfamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam audite: *Quid hic statis totâ die otiosi? Ite et vos in vineam meam.* Vocem patris perpendite, et illam iudicis timete. Ipsi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium, ac plenam ministerio verbi Dei functi recipietis mercedem, immarcescibilem nimirum a pastorum principe gloriae coronam. Ne quis vos seducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci eius qui misit vos, rationem non eritis reddituri pro animabus, sed unusquisque vestrum pro se rationem reddet Deo. Quicumque sub diversis praetextibus cessandum sibi putat a ministerio missionarii, laedit animam suam, et de alienis aeterno iudici rationem reddet. Quam dabit homo commutationem pro animâ suâ et pro alienis? Deus est vitis vera, vos palmites. Qui non ferent fructus in eum, arescent tamquam palmites; et collecti et alligati in fasciculos ad comburendum mittentur in caminum ignis inextinguibilis. Respicite Dominum nostrum Iesum Christum secus viam ambulantem, qui in fici arbore nihil invenit nisi folia tantum, et ait illi: *Nunquam ex te nascantur fructus in sempiternum.* Si aliqui palmites iamdiu conversi in amaritudinem, qui expectabantur ut tandem facerent uvas, spinas super spinas adiecissent, vae, vae a die irae, a die furoris et indignationis Domini! Attendite ad verba, quae mandat vobis per servum suum Dominus adhuc misericors. Revertimini ad Deum vestrum, manete in eo, qui manens in nobis purgabit vos, et desideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apostolico satisfecisse nos muneri iudicamus; non enim subterfugimus, quominus annuntiaremus omne consilium Dei vobis, ut nullam excusationem habeatis de peccatis vestris. De cetero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.

Prohibet versionem et publicationem epistolae, sub censuris et poenis, addita causa et praescripto prudenti permissionum usu.

Cum vero ad promovendam in neophytis debitam decretis apostolicis obedientiam, praesentium nostrarum literarum notitiam iisdem neophytis minime necessariam esse, sed satis esse eos in viam salutis dirigere iuxta pontificiae constitutionis praescripta compertum sit; ne quis eorum, ad quos praesentes literae directae sunt, cuiuscumque Ordinis, aut instituti, aut congregationis fuerit, aut societatis, etiam Iesu, praesentes literas, aut quae in eis continentur (exceptis permissionibus, quae quidem caute et ubi necessitas tantum aut utilitas postulaverit patefaciendae erunt) sive directe sive indirecte, per se vel per alium, voce tenus aut scripto, in linguam Tartaram aut Sinicam vertat, aut quocumque modo cuilibet, qui missionarius non sit, nota faciat, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a nobis aut a summo Pontifice (praeterquam in articulo mortis constitutus) absolvi possit, et quoad regulares etiam privationis vocis activae et passivae poenis contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis, tenore praesentium vetamus et in virtute sanctae obedientiae prohibemus. Datum Macai in palatio nostrae residentiae die vii. nov. anno MDCCXXI.

Quid sentiendum de facto Patriarch. Alexand. ex ipsius pastoralis sensu.

§ 13. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in praeallatâ pastorali mentem suam satis prudenter explicuisset, nimirum pastoralis huius suae epistolae notitiâ non opus esse ad promovendam in Neophytis erga pontificia decreta venerationem et ob-

servantiam, cum satis esset, ut iuxta constitutionis pontificiae mandata in viâ salutis dirigerentur; praeterea cum omnibus et quibuscumque interdictum voluisse, sub poenâ quoque excommunicationis latae sententiae, ne quis illam in Sinensem aut in Tartaricum sermonem verteret, aut cuiquam, qui missionarius non esset, eam palam faceret; de permissionibus autem cum statuisset, nonnisi caute et ubi tantum utilitas vel necessitas id postularet esse evulgandas: profecto omnis, ad quem Pastoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obscure inferre debebat, quantis ille animi angustiis obsessus, et quam anceps ac perplexus in permissionibus huiusmodi proponendis extitisset; adeo ut oeconomiâ quadam usus fuisset ad loci et temporis circumstantias prorsus necessariâ: a qua putandum est eum recessurum fuisse, si libertas sibi data esset rem discutiendi cum Episcopis aliisque doctis viris, qui nihil aliud, quam christiani cultus puritatem et apostolicae constitutionis observantiam ante oculos haberent.

Permissionum abusus, earumque divulgatio ab Episcopo Pekinensi facta.

§ 14. At Permissiones illae contra expressam adeo Patriarchae ipsius voluntatem evulgatae sunt, et, quod mirum, Pekini Episcopus per binas suas pastorales mandavit sub poenâ suspensionis ipso facto incurrendae universis dioecesis suae missionariis, ut observarent et observari praeciperent Constitutionem *Ex illa die* iuxta permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quae in praecitatâ Constitutione fuerant solemniter interdicta. Praecepit insuper, ut christifideles quater singulis annis in diebus omnium celeberrimis distincte instruerentur cum in iis, quae Constitutione Apostolicâ prohibentur, tum in iis, quae a Patriarchae Alexandrini pastorali permittuntur.

Quae damnatur a Clem. XII.

§ 15. Enimvero Clemens Papa XII. praedecessor noster, tam audax Episcopi Pekinensis factum aequo animo ferre haud potens, muneri suo maxime interesse iudicavit binas illas epistolas damnare ac penitus reprobare Apostolico Brevi, quod anno MDCCXXXV. promulgavit: in quo sibi ac S. Sedi facultatem reservavit, declarandi Sinensibus christianis mentem suam et eiusdem S. Sedis sententiam in iis, aliisque, quae ad materiam huiusmodi spectarent. Praefatum autem Breve est tenoris sequentis:

Tenor brevis hac de re editi.

SSmi D. N. Domini Clementis Papae XII. revocatio, annullatio et cassatio duarum epistolarum pastoralium bo. me. Francisci Ep. Pekinensis nuper defuncti, die VI. *iulii et die* XXIII. *dec.* MDCCXXXIII. *circa Ritus Sinenses editarum.*

Clemens Papa XII.
ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae solicitudinis nobis divinitus commissae ratio nos admonet etc. (1).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. septemb. MDCCXXXV., pontificatus nostri anno VI.

F. Card. OLIVERIUS.

Idem Clemens XII. committit examen permissionum Congr. S. Inquisit. auditis missionariis, aliisque.

§ 16. Id vero, quod idem Pontifex Clemens XII. sibi ac S. Sedi christianis Sinensibus declarandum reservavit, erat profecto materia permissionum, de quibus certior iam factus fuerat, maximâque inde secutâ inter missionarios dissensione; cum alii contenderent, Constitutionem *Ex illâ die* omnem vim suam amittere, si permissiones illae in praxi consistant, alii vero factis palam ostenderent, permissionum colore se ad praedictae constitutionis observantiam minime teneri, iuxta illa quae in ipsâ constitutione praescribuntur. Itaque praefatus praedecessor noster, quo christianae Religionis puritatem, quae in iis regionibus per exactam praememoratae constitutionis observantiam servanda erat, assereret et controversiis istiusmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum permissionum negotium commisit, ita ut a theologis, tum etiam a S.R.E. Cardinalibus sacrae Inquisitioni praepositis, mature serioque discuteretur. Antequam vero supremam de illis sententiam pronuntiaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes et singulos, quotquot in Urbe existerent, Sinarum missionarios, tum etiam nonnullos iuvenes, qui ex iis regionibus in Europam educationis et christianae rei addiscendae causa venerant, ad examen super his, servato iuris ordine, vocari iussit.

Pontifex examen huiusmodi coram se, ac resp. per se ipsum absolvit.

§ 17. Nos igitur praedecessoris nostri vestigiis insistentes, eodemque religionis zelo, quo ille, incensi, ut tanti momenti opus, quod ipse morte praeoccupatus absolvere minime potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, permissiones illas, et quidem singulas, coram nobis sum-

(1) Reliqua vide vol. II., pag. 463.

mo studio ac diligentiâ examinari curavimus; neque laborem nostrum tantum, sed Cardinalium quoque et sacrae Inquisitionis consultorum doctrinam et consilium exquisivimus; ac tandem satis aperte compertum habemus, antedictas permissiones nunquam a S. Sede probatas, Apostolicae Clementis Papae XI. constitutioni repugnare atque adversari, utpote quae partim Caeremonias Ritusque Sinenses a praedictâ constitutione proscriptos admittant ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipsâ traditis ad vitandum superstitionis periculum opponantur.

Declarat permissiones nunquam a S. Sede approbatas fuisse, immo eius decisionibus adversari.

§ 18. Nolentes itaque, quemquam ad constitutionem ipsam summo christianae religionis damno malitiose evertendam permissionibus eiusmodi uti, definimus ac declaramus, praefatas permissiones ita esse habendas, ac si nunquam extitissent, earumque praxim tamquam superstitiosam omnino damnamus et execramur. Itaque praesentis huius nostrae constitutionis perpetuo valiturae vi revocamus, rescindimus, abrogamus atque omni vigore et effectu vacuas esse volumus omnes illas et singulas permissiones; easque semper uti cassas, irritas, invalidas et nullius prorsus roboris aut vigoris habendas esse dicimus ac pronunciamus.

Easdem permissiones reprobat et annullat, earumque praxim damnat.

§ 19. Praeterea cum Clemens Papa XI. in constitutione *Ex illâ die* apposuerit haec verba: *per praemissa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint, quae vere superstitiosa non sint etc.*, nos dicimus et declaramus, ea verba, *alia si quae sint,* intelligenda esse de usibus et caeremoniis diversis ab illis, quas idem Pontifex apostolicâ constitutione iam interdixerat, et quas nos pariter eâdem auctoritate configimus atque interdicimus, ne antedictis permissionibus, quas omnino damnatas volumus, ullus in posterum locus pateat.

Quaecumque a Clemente XI. interdicta fuerunt, iterum expresse interdicit.

§ 20. Districte itaque prohibemus, ne quis Archiepiscopus, aut Episcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apostolicus, aut missionarius tam saecularis quam regularis cuiuscumque Ordinis, congregationis, instituti, etiam Societatis Iesu, aliorumque, de quibus expressa et individua mentio fieri debeat, permissionibus praedictis ullo pacto uti valeat, sive publice sive privatim, sive palam sive clam; neque audeat vel praesumat constitutionis paulo ante citata verba aliter, ac nos supra declaravimus, alicui explicare aut interpretari.

Permissionum usum omnibus prohibet.

Constitutionem Clementis XI. aliter explicari vetat.

§ 21. Quare ex praedictorum S. R. E. Cardinalium consilio, motu quoque proprio ac certâ scientiâ maturâque deliberatione, tum etiam de plenitudine apostolicae potestatis, Constitutionis praesentis tenore et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et expresse mandamus omnibus et singulis Archiepiscopis et Episcopis in Sinarum Imperio, aliisque regnis et provinciis, sive finitimis, sive adiacentibus, nunc existentibus, aut olim pro tempore futuris, sub poenis suspensionis a Pontificalium exercitio et ab ecclesiae ingressu interdicti, eorum vero officialibus et vicariis in spiritualibus generalibus aliisque eorumdem locorum Ordinariis, Vicariis quoque aut Delegatis Apostolicis, qui Episcopi non sunt, tum etiam eorum Provicariis, et insuper Missionariis universis tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis, congregationis, instituti, etiam Societatis Iesu, sub poenis privationis quarumcuque, quibus gaudent, facultatum, et suspensionis ab exercitio curae animarum, tum etiam suspensionis a divinis ipso facto incurrendae absque aliâ declaratione, demum excommunicationis latae sententiae, a qua non possint nisi a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi praeterquam in articulo tantum mortis constituti, additâ quoad regulares etiam vocis activae et passivae privationis poenâ, praecipimus et districte mandamus, ut omnia et singula, quae in hac nostra Constitutione continentur, integre, absolute, inviolabiliter atque immobiliter non modo ipsi observent, sed etiam omni conatu ac studio ea ipsa observari curent a singulis et universis, qui quoquo modo ad eorum curam et regimen spectant; nec colore, causâ, occasione seu praetextu aliquo huic nostrae Constitutioni ullâ in parte contraire aut adversari audeant vel praesumant.

Praesentium observantiam et executionem omnibus et singulis iniungit, atque demandat adiectis poenis.

§ 22. Praeterea, quoad missionarios regulares cuiuscumque Ordinis, congregationis, instituti, ac Societatis quoque Iesu, siquis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, absolutam, inviolabilem strictamque obedientiam denegaverit iis, quae a nobis praesentis huius Constitutionis tenore statuuntur ac praecipiuntur; eorum superioribus tam provincialibus quam generalibus in virtute sanctae obedientiae expresse mandamus, ut homines huiusmodi contumaces, perditos ac refractarios a missionibus absque ullâ morâ dimoveant, eosque in Europam statim revocent, ac de illis

Missionarios inobedientes in Europam revocari iubet.

Comminatis poenis in superiores Ordinum.

nòtitiam nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod si praedicti superiores provinciales aut generales huic nostro praecepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint, nos contra ipsos quoque procedere non recusabimus, atque, inter cetera, mittendi aliquem ex ipsorum Ordine in earum regionum missiones privilegio seu facultate, eos perpetuo privabimus.

Praescribit novam iuramenti formulam.

§ 23. Postremo ut haec nostra Constitutio in suo robore semper integra et firma maneat, volumus quoque, ut ad formulam iuramenti a Clemente Papa XI. in suâ constitutione praescriptam nonnulla adiiciantur, quae maxime necessaria putavimus. Idcirco omnes, qui praefatae constitutionis vigore sub poenis in eâ contentis iuramentum praestare debebunt, in posterum sequenti formulâ utentur, videlicet: (1) *Ego N. missionarius ad Sinas, vel ad regnum N., vel ad provinciam N. a Sede Apostolicâ, vel a superioribus meis, iuxta facultates eis a Sede Apostolicâ concessas, missus vel destinatus, praecepto ac mandato apostolico super Ritibus ac Caeremoniis Sinensibus in Constitutione Clementis Papae XI. hac de re editâ, qua praesentis iuramenti formula praescripta est contento, ac mihi per integram eiusdem Constitutionis lecturam apprime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute ac inviolabiliter observabo et absque ullâ tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar, ut a christianis Sinensibus, quorum spiritualem directionem quoquo modo me habere contigerit, similis obedientia eidem praestetur. Ac insuper, quantum in me est, numquam patiar, ut Ritus et Caeremoniae Sinenses in literis pastoralibus Patriarchae Alexandrini Macai datis die* IV. *novembris* MDCCXXI. *permissae, ac a SSmo D. N. Benedicto PP. XIV. damnatae, ab eisdem christianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquo modo contravenerim, toties quoties id evenerit, poenis per praedictas constitutiones impositis me subiectum agnosco et declaro. Ita tactis sacrosanctis Evangeliis promitto, voveo et iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Apostolica exhortatio ad evangelicos operarios.

§ 24. Confidimus igitur fore, ut Princeps pastorum Iesus Christus laboribus a nobis, qui eius vices in terris gerimus, in hoc gravissimo negotio diu impensis bene-

(1) Electo propterea de Nankim praecipit ante consecrationem iuramentum iuxta nov. formulam emittere.

Dilecto filio, Francisco de Sancta Rosa de Viterbio, Electo de Nankim in Indiis Orientalibus,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Provisio facta Ecclesiae de Nankim.

Nuper nos in consistorio nostro secreto Ecclesiae de Nankim, cui bon. mem. Emmanuel de Iesu Maria ultimus illius Episcopus, dum viveret, praesidebat, per obitum eiusdem Emmanuelis Episcopi extra Romanam Curiam defuncti, pastoris solatio destitutae, de persona tua, nobis et venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica providimus, teque illi in Episcopum praefecimus et pastorem; curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae de Nankim tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; prout in nostris desuper super plumbo expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Praeceptum praestandi iuramentum et transmittendi ad Sedem Apostolicam.

Nunc autem pastoralis officii nostri esse ducimus, tibi iniungere, prout auctoritate praefata tenore praesentium iniungimus, quod, antequam munus consecrationis suscipias, iuramentum illud, quod missionarii omnes in Sinis degentes iam emiserunt, hoc est de fideliter, integre et inviolabiliter observando praecepto ac mandato super ritibus et caeremoniis Sinensibus in constitutione felicis recordationis Clementis Papae XI. praedecessoris nostri die XIX. martii MDCCXV. hac de re edita, et in nupera constitutione nostra, quae incipit: *Ex quo singulari,* confirmata, contento, similiter emittere, ipsumque iuramentum tua subscriptione et sigillo munitum, vel saltem authenticum illius exemplum, ad nos quantocitius transmittere omnino tenearis. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Formula iuramenti.

Forma autem iuramenti, quod praestabis, haec est: *Ego Franciscus de Sancta Rosa de Viterbio electus de Nankim, praecepto et mandato super ritibus et caeremoniis Sinensibus in constitutione piae mem. Clementis Papae XI. die* XIX. *martii* MDCCXV. *hac de re edita, qua praesentis iuramenti formula praescripta est, contento ac mihi per integram eiusdem constitutionis lecturam apprime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute et inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar ut a meis subditis, aliisve, quorum cura ad me in munere meo spectabit, quantum in me erit, similiter observari et adimpleri curabo. Ac insuper, quantum in me est, nunquam patiar, ut ritus et caeremoniae Sinenses in literis pastoralibus Patriarchae Alexandrini Macai datis die* IV. *novembris* MDCCXXI. *permissae, ac a sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIV. damnatae, ab eisdem subditis ad praxim deducantur; si autem (quod Deus avertat) quoquomodo contravenerim, toties, quoties id evenerit, poenis per praefatas constitutiones impositis me subiectum agnosco et declaro. Ita, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo et iuro; sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia. Ego Franciscus de Sancta Rosa de Viterbio electus de Nankim manu propria.*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. decembris MDCCXLII., pontificatus nostri anno III.

dicat, ut in amplissimis illis regionibus evangelica lux clare nitideque effulgeat, ac praepotenti manu suâ sic pia nostra consilia promoveat, ut regionum earumdem pastores intelligant planeque sibi persuadeant obligationem, qua ipsi tenentur vocem nostram audire et sequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum sublatum iri, ne videlicet per exactam pontificiorum decretorum observantiam infidelium conversio retardetur. Nam haec a divinâ gratiâ sperari potissimum debet, quae quidem ab eorum ministerio longe non aberit, si christianae Religionis veritatem impavide praedicaverint, atque eâ puritate, qua ipsis ab Apostolicâ hac S. Sede tradita est, parati quoque ad eam propugnandam sanguinem effundere, exemplo SS. Apostolorum aliorumque christianae fidei clarissimorum propugnatorum, quorum sanguis tantum abfuit ut Evangelii cursum interciperet aut retardaret, ut potius vineam Domini florentem magis et fidelium animarum copiosiorem effecerit. Nos quidem pro viribus nostris Deum obsecrabimus, ut invictam illis hanc animi firmitatem et apostolici zeli robur concedat. Verum ad eorum memoriam deducimus, ut, quando ad sacras missiones destinantur, se tamquam veros Iesu Christi discipulos cogitent, et ab eodem se missos fuisse, non ad gaudia temporalia sed ad magna certamina, non ad honores sed ad despectiones, non ad otium sed ad labores, non ad requiem sed ad afferendum fructum multum in patientiâ.

Exemplorum auctoritas.

§ 25. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio constitutionis.

§ 26. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, revocationis, rescissionis, abolitionis, cassationis, annullationis, damnationis ac ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, v. idus iulii anno Incarnationis Dominicae MDCCXLII., pontificatus nostri anno II.

XXVI.

Episcopo latino Auxerensi idioma illyricum callenti concedit et committit ordines etiam sacros ritu Graeco-Rutheno conferre iis, qui, in variis dioecesibus Dalmatiae, Serviano schismate eiurato, clericali militiae adscribi velint (1).

Venerabili fratri Matthaeo Episcopo Auxerensi,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

E sublimi Sedis Apostolicae speculâ circumspicientes dominicum gregem a pastorum Principe tenuitati praecipue nostrae commendatum ea providere curamus, quae in unaquaque eius parte ad salutem conservandamque spiritualem vitam conferre possunt.

Causae praesentis indulti.

§ 1. Quod cum propositum sit nobis, et modo intelligamus opportunum esse, ut, qui in Dalmatiae dioecesibus a Serviano schismate ad verum Christi ovile redierunt aut redituri sunt, sacerdotes et ecclesiasticae Hierarchiae reliquos habeant a catholico Episcopo consecratos Graeco ipsorum Rutheno ritu; quocirca ut quotquot inter suae gentis catholicos clericali militiae dare nomen cupiunt, a schismatico Antistite initiarentur, hanc abrumpere absurdam nimis et a sacris canonibus vetitam consuetudinem constituimus, adacti metu ne, non penitus discissâ cum morbosis pseudo-episcopis societate, occulte venenum hauriant in ceteras oves dispergendum, nec bonâ deinceps utantur valetudine.

Facultas ordinandi Graeco-Rutheno ritu omnes per Dalmatiam clericos, serv. servandis.

§ 2. Huic ut occurramus periculo, utque frequentissimae illorum paroeciae a parochis prorsus Romanae Ecclesiae coniunctis administrentur, optimum visum est, dare alicui latino catholico Episcopo, qui eam linguam et caeremonias calleat, facultatem cooptandi in ecclesiasticos ordines eodem Graeco-Rutheno ritu, non solum in propriâ, sed etiam in alienis dioecesibus Dalmatiae Veneto imperio subiectis, habito primum consensu ab Ordinariis, quotquot, dimissorialibus a proprio Antistite acceptis, eius populi paroecias aliaque sacra ministeria curare debent: quo tempore atque oc-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide pag. 71. coll. etc.

Episcopo Auxerensi conceditur.

casione ipsi latino Episcopo pontificalia consimili Graeco-Rutheno more exercere liceat. Hanc modo facultatem tantumque munus agendum tribuimus fraternitati tuae, quam scimus literarii Illyrici sermonis, ab eâ natione ad sacras functiones adhibiti, peritam esse; pollere simul non mediocri prudentiâ ac religione; unde sperandum sit, eos, quibus manus imposueris, bene ac solicite officio suo defuncturos esse. Id autem ut feliciter peragas, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub annulo Piscatoris, die IV. octob. MDCCXLII., pontific. nostri anno III.

XXVII.

Provisio patriarchatus nationis Armenorum pro R. P. D. Petro Abrahamo Vartabiet Archiepiscopo Alepen. in Curia praesente, cum admissione postulationis de illius persona factae ab Episcopis, clero et populo Armenorum et sanatione defectuum (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS
servus servorum Dei,

Venerabili fratri Petro Abrahamo Vartabiet nuper Archiep. Alepen. in Patriarcham Ciliciae Armenorum electo salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita Ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet Ecclesiae statum sic vigilanter excogitet, sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommode, prout personarum locorum et temporum qualitas exigit, atque ecclesiarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet, ac bona ecclesiae sibi creditae non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis.

§ 1. Sane Patriarchali Ecclesia Ciliciae Armenorum certo quem praesentibus haberi volumus pro expresso modo pastoris solatio ad praesens destituta, nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem eiusdem ecclesiae celerem et felicem, ne ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper Archiepiscopum Alepen. quem venerabiles etiam fratres nostri Episcopi et dilecti filii Clerus nationis Armenorum iuxta eorum morem ad praedictam Ecclesiam Patriarchalem elegerunt seu postularunt; consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et quod tu qui Ecclesiae Alepen. hactenus laudabiliter praefuisti, quique fidem catholicam iu-

---

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide. — Cum ab haeresi Monophysitarum ad orthodoxam fidem, divino favente numine, in Ciliciae, Syriaeque partibus ingens clericorum et laicorum Armenorum multitudo conversa fuisset, nec amplius ferre possent haereticos praesules catholicas occupare ecclesias, inito communi consilio, decreverunt, Patriarcham sibi praeficere, qui interruptam post Sac. Concilii Florentini tempora gentis Armenicae cum Romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra unionem redintegraret. Itaque in nobilissima Syriae urbe Alepo, mense novembris anno domini MDCCXL. in Ecclesia S. Mariae congregati Iacobus Alepi, Melchior Marcarius Mardini et Isaac Kellesii praesules unacum presbyteris, clericis et populo, in Patriarcham suae nationis eligendum curarunt Abrahamum Vartabiet, olim antedictae Alepensis Ecclesiae antistitem, Petri nomine assumpto, virum gravem et prudentem, quique spatio triginta et amplius annorum in propaganda apud suos orthodoxa religione claruerat: datisque hac de electione seu postulatione ad Sedem Apostolicam literis Sanctissimum ac Sapientissimum Pontificem D. N. Benedictum XIV. demisissime rogarunt, ut electum auctoritate sua confirmaret, eique pallium pontificiae potestatis insigne tribuere dignaretur. Quod ut Petrus Abrahamus electus Patriarcha facilius consequeretur, utque nonnulla alia commissi sibi populi negotia expediret, iter in urbem aggressus est, laboriosum quidem et periculis plenum, sed tanta alacritate susceptum, ut acerbos podagrae dolores, quibuscum saepe conflictabatur, spe deosculandi quantocius pedes pontificios et sacra Apostolorum limina visitandi, vix sentire visus sit: sequuti sunt Petrum Abrahamum comites viae Isaac Kellesii Episcopus, Nicolaus Mira Presbyter et Simeon Diaconus. Romam autem non perveuere ante diem XIII. augusti anni MDCCXLII. Nam paulo post quam electus fuerat, ut haereticorum persecutionem declinaret, in Montem Libanum, ubi a Patriarcha et optimatibus Maronitis humanissime olim exceptus fuerat, et amplum ad habitandum monasterium sub invocatione S. Salvatoris exceperat, secedendum ei fuit per aliquot menses; deinde suscepta e Syria in Urbem navigatio fuit diuturnior, quam ut consuevit, saeva nimirum plus solito hyeme. Ut vero in Urbem advenit, excepit hominem Sanctissimus Pontifex luculentioribus, quam caete-

xta articulos iampridem a Sede Apostolica Orientalibus propositos expresse professus fuisti, dictam Patriarchalem Ecclesiam scies voles et poteris auctore Domino salubriter regere, et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis.

Ecclesiae patriarchali Ciliciae providet.

§ 2. Intendentes igitur tam dictae Ecclesiae Patriarchali Ciliciae nationis praedictae quam eius Gregi Dominico salubriter providere, te a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat ut absolutio translatio et praefectio per nos ut infra faciendae suum debitum

---

ros solet, clementiae et benignitatis significationibus: aedes apud Ecclesiam Sanctae Mariae Aegyptiacae Armenorum inhabitandas attribuit: necessaria ad victum omnia ipsi, sociisque eius subministrari iussit: aegrotantem insuper praeclaro caritatis exemplo visitaturus, ad antedictas aedes ubi habitabat, accessit, deque ipsius salute sollicitus, mandavit, ut quaecumque ad valetudinem recuperandam opportuna essent, suppeditarentur: postulatis denique benignissime annuit. Verum, ut cuncta maturo consilio procederent, eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, tam quoad ipsius electionem seu postulationem confirmandam, quam quoad pallium eidem concedendum suffragia requisivit.

Habita est igitur de mandato Sanctitatis Suae die IX. septembris anno MDCCXLII. particularis congregatio, in qua eminentiss. Cardinales Rufus Sac. Collegii Decanus, Petra Congregationis de Propaganda Fide Praefectus, Carafa, Belluga, Firrao decretum edidere.

Ex audientia Sanctissimi habita per eundem D. Secretarium die XI. eiusdem mensis et anni: Sanctitas Sua in omnibus benigne approbavit et annuit et in Consistorio habito die XXVI. novembris proposuit electum et pallium tradidit.

Et ut nihil ornamenti ad ritus opportunitatem Patriarchae Petro deesset, praeter casulam pontificalem, pretiosissimum annulum ac gemmis refertam pectoralem Crucem, tres insuper spinulas pallio ex more infigendas, eidem munificentissimus Pontifex summa liberalitate donavit, ac post pedis genuque osculum tantis cumulatum honoribus, gratiis spiritualibus, quascumque demissis precibus postulaverat, ornatum, luculento quoque viatico instructum et principibus demum atque locorum praesulibus, quocumque iter ipsi esset agendum, per literas pontificias enixe commendatum, dimisit.

In tali solemnitatis laetitia sic est locutus Pontifex in Consistorio, uti ex act. consistor. habemus:

ALLOCUTIO

VENERABILES FRATRES,

Ex iis, quae modo in Consistorio secreto audivistis, satis superque vobis compertum esse putamus, qualis sit Ecclesiae Patriarchalis Armenorum in Cilicia status. Intellexistis enim Petrum Abrahamum Vartabiet, iam triginta annos Archiepiscopum Aleppensem, inde ab Armenis catholicis Patriarcham fuisse electum, et electionem eiusmodi seu postulationem post debitum examen a nobis esse confirmatam. Intellexistis quoque praeclara eiusdem Petri Abrahami merita, qui pro catholica Romana fide, ab haereticis vindicanda, multa perpessus, ut sese eorum furori subduceret, in Montem Libanum inter Maronitas confugere coactus fuit: ubi monasterio a fundamentis et Ecclesia sub SS. Salvatoris ac Beatissimae Virginis Mariae invocatione excitatis, unacum monachis S. Antonii Abbatis, qui in antedicto monasterio divina officia Armenorum Ritu persolvunt, vitam laudabiliter egit. Audivistis pariter id, quod nuper a nobis ipsius Patriarchae nomine advocatus consistorialis satis diserte postulaverit, pallii scilicet decus, in quo pastoralis officii plenitudo continetur.

Equidem nos, perlectis Ecclesiae annalibus, a maioribus memoriae proditum esse accepimus, Sanctum Gregorium, qui illuminator dictus est, post Tiridatem regem et Armenorum gentem ad fidem conversam, cum ipso rege ad Urbem venisse; atque hic S. Silvestro Pontifici IESU CHRISTI Vicario, et universi christiani gregis Pastori obsequium et obedientiam praestitisse, a quo sane Patriarchatum seu Primatum inter Armenos obtinuit. Huius vero itineris occasione, ex consuetudine ac sermone cum Romano Pontifice habito derivatum putant Armenorum Ritum consecrandi in Azymo, tum etiam mitrae ac caeterarum sacrarum vestium usum, quibus illi latinorum more utuntur.

Longum foret et fortasse non ad rem praesentem, Armenorum Patriarcharum catholicorum seriem hoc loco texere, et luctuosam inde invectam Euthychianae sectae calamitatem dicendo prosequi. Verum abs re non erit illud vobis significare, quod Sancti Pontificis Gregorii VII. acta testantur, videlicet Gregorium Armenorum Patriarcham LX. errores eiurasse, ac ter deinde Ciliciae Patriarchis pallium a Romanis Pontificibus fuisse concessum, bis scilicet ab Innocentio III., qui primo ad Gregorium Patriarcham LXVI., deinde ad Ioannem Patriarcham LXVII. per Cardinales Legatos illud misit: tertio demum Gregorius IX. pallii munere decoravit Constantinum Patriarcham LXX., ut eiusdem Pontificis regesta loquuntur.

Nos itaque tam praeclaris praedecessorum nostrorum exemplis innixi, factae nobis eiusdem pallii petitioni libenti animo annuimus, ac in Basilica Liberiana die festivo Conceptioni Virginis Immaculatae super ipsius Patriarchae, viri sane religiosi, humeros, qui praesens adest, nos ipsi manibus nostris peculiari ratione pallium imponemus. Hunc igitur, et alium praedictum diem nobis pariter ac vobis faustum, felicem ac laetitiae plenum fore non dubitamus. Videmus enim oculis nostris exemplum a Sancti Silvestri Pontificis tempore non amplius visum, Patriarcham scilicet Armenorum Ciliciae ad Urbem venisse, et in nobis quanquam immerentibus, Ecclesiae Primatum, et in hac ipsa Romana Ecclesia centrum unitatis agnoscere; ac praeterea non ut alias per Legatos ad nos missos, sed per se ipsum a nobis apostolici pallii dignitatem accipere.

Huic autem gaudio, quod commune nobis vobiscum est, ut proinde Deo Opt. Max. gratias concordi animo agere debeamus, accedit quoque alterum nobis peculiare, quod nimirum triginta abhinc annis ex isto loco, unde nuper Advocatus Consistorialis pro Patriarcha Ciliciae Armenorum a nobis pallium petivit, nos ipsi, Advocatus item Consistorialis, a Clemente XI. fel. rec. pro Patriarcha Alexandrino illud petivimus, qui schismate caeterisque erroribus eiuratis, honorem pallii per Procuratorem huius rei causa a se missum efflagitabat. Quocirca diu multumque nobis laborandum fuit, ut quibusdam ad huiusmodi rei examen destinatis suaderemus, Romanam Ecclesiam non dedecere (quod illi putabant) Patriarchis et orientalis Ecclesiae Archiepiscopis pallii dignitatem conferre.

Ad honorem etc.

sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ipsamque electionem seu postulationem de fratrum eorumdem consilio apostolicâ auctoritate approbantes et confirmantes, omnesque et singulos etiam substantiales defectus, si qui in electione seu postulatione huiusmodi quomodolibet intervenerint, eadem apostolica auctoritate supplentes et sanantes, te iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propagandâ Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum, a vinculo quo dictae Ecclesiae Alepen. cui hactenus praefuisti tenebaris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad dictam Patriarchalem Ecclesiam Ciliciae dictae nationis de consilio et potestatis plenitudine paribus transferimus, teque illi in patriarcham nationis praedictae praeficimus et pastorem, curam regimen et administrationem dictae Patriarchalis Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad praedictam Patriarchalem Ecclesiam transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratiam et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praedicta Ecclesia Patriarchalis sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Facultates et iura electi.

§ 3. Quocirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus ad dictam Patriarchalem Ecclesiam cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas sollicite fideliter et prudenter, quod ex inde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, ipsaque Patriarchalis Ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque propter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis, nec non venerabilibus fratribus nostris universis suffraganeis orthodoxis ac dilectis etiam filiis capitulo et vassallis dictae Patriarchalis Ecclesiae Ciliciae Armenorum ac clero et populo eidem Ecclesiae Patriarchali subiectis per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi, tamquam membra capiti, obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum, humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino commendare. Ac clerus te pro nostra et eiusdem Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXLII., sexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno III.

XXVIII.

Hortatur Episcopos Ruthenos, ut unionem monachorum Sancti Basilii sub unico Proto-Archimandrita promoveant et foveant (1).

Venarabilibus fratribus, Athanasio Kioviae Archiepiscopo totius Russiae Metropolitano, necnon Episcopis Ruthenis, Theodoro Luceoriae, Feliciano Chelmensi, Hieronymo Premislia et Georgio Pinscensi Episcopis Ruthenis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis mens in demandanda monachorum unione.

Etsi dubitare non possumus, fraternitates vestras diligentem daturas operam, ut debita reverentia et nulla mora, decretis

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., pag. 72.

pareatur, quae de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei negotiis praesidentium, nuper edidimus pro colligendis in unum corpus sub uno capite, unaque iurisdictione, Ruthenis Monachis Basilianis; cum tamen e literis communi vestro nomine ad nos datis perceperimus, modeste vos subvereri, ne in iis quidpiam incommodum vestris consuetudinibus et privilegiis sancitum fuerit; vos pro singulari nostra erga vestram nationem benevolentia, censuimus admonendos, eadem decreta id solum spectare, ut ipsi monachi in unum coetum coalescentes, atque ita facilius monastica disciplina instituti, ad suam salutem incumbant et ad firmius obstringendos Apostolicae Sedi populorum animos.

Eadem alias a S. Sede optata fuit.

§ 1. Quae sane decreta eo etiam in veneratione esse debent, quo inhaerent perpetuo Romanae Cathedrae proposito, redigendi in unum Ordinem cunctos Ruthenos Basilianos monachos, eosque subiiciendi uni supremo praesidi, qui e propinquo servari iubeat domesticas leges, caveatque ne ulla ex parte religiosa disciplina detrimentum faciat. Quocirca *Unitorum,* ut vocant, *Ordini,* sub Sanctissimae Trinitatis nomine militantium, data fuit olim facultas condendi idoneas huic consilio leges, a Pontifice Maximo confirmandas, eiusque auctoritate robur habituras. Quod pariter vestra Zamosciensis Synodus luculenter sibi proposuit, testata, in unum congreganda esse corpus quotquot monasteria ad verum Christi ovile tum redierant, aut reditura forent, quae in schismate, nulli omnium maximo rectori cohaerebant. Id autem nemo non videt facilius obtineri, si quidquid est Ruthenorum Basilianorum sodalium, totius Russiae Proto-Archimandritae obediat, eiusque imperata faciat. Nec dubitari potest, hanc fuisse eiusdem Zamosciensis Concilii mentem, siquidem Metropolita Leo Kiska, qui, permittente Romana Sede, Synodum ipsam congregavit, vix ea finem acceperat, scilicet quadragesimo post die, cum aliis suae gentis Episcopis sedulo postulavit, ut cunctae Basilianae familiae supremus praefectus alternatim eligeretur ex Lithuanis et Volimniensibus monachis; dato documento, ita sensisse de uno constituendo praeside Zamosciensium Patrum constitutionem; qua in hunc sensum accepta, Synodum confirmavit Apostolica Sedes, cuius est de vero synodali sensu iudicare.

Et a Synodo Zamoscien. decreta.

Episcoporum iura et nationis ritus nullum ex ea detrimentum acceptura.

§ 2. Quod autem attinet ad vestras modeste exhibitas querelas, iisdem nostris decretis imminutum iri episcopalem iurisdictionem, monachis ab ipsa exemptis; satis erit ad eas sedandas, ut in memoriam revocetis, id antea a vobis concessum sponte fuisse, et in Oecumenica Tridentina Synodo expresse comprobatum, confirmatumque: quam saluberrimam Synodum libenter a vestro Zamosciensi conventu, nulla exceptione, venerabunde acceptam, ex eiusque placitis plura saepius a vobis sancita fuisse, profecto non ignoratis. Nec vobis in mentem veniat reputare, quicquam ibi vestris Ruthenis Ritibus adversari, quos et quoscumque alios laudabiliter institutos, ubique servandos existimarunt sapientissimi illi Patres; rati, ex incorruptarum caeremoniarum diversitate, Catholicae Ecclesiae decus accedere. Et a nobis quam maxime alienum est, ab huiusmodi sententia vel minime discedere.

Suadetur Episcopis, ut eidem constituendae non adversentur.

§ 3. Igitur cum nihil vobis timendum sit, ne, nostris pronunciatis decretis, probatae ab hac Sanctissima Sede consuetudines vestrae vulnus aliquod acceperint; cum vos ipsi sponte decreveritis monachos sui esse iuris; cum iidem illos optaverint in unum coire ordinem, conspicati, hoc pacto melius consuli monasticae disciplinae, ac Ruthenorum utilitati; quid est, quod apostolicam benignitatem ad praesidium vestrum invocetis? Hanc autem ad opportuniorem usum reservare poteritis et quam non semel experti estis, numquam vobis defuturam existimare; praesertim si ad ipsam conciliandam eximium studium adhibueritis, ut nihil impedimento sit, saepius nuncupatis decretis nostris debita obedientia exequendis. Quod ut commodius fieri queat, permisimus Nuntio isthic nostro, tempus idoneum designare ad cogendum monachorum conventum, ut ibi, maturo consilio, norma constituatur, qua negotium istud ad exitum perduci queat. Interim fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. novembris MDCCXLII., pontificatus nostri anno III.

XXIX.

De concursu et examine pro parochialium ecclesiarum collatione disponit; de appellationibus ab irrationabili Or-

dinarii iudicio admittendis vel reiiciendis (1).

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiae, Concil. Tridentini et Sedis Apostolicae mens circa dignioris electionem ad curam animarum.

Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia Catholica, ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum et dominici gregis custodia crederetur; quia totius familiae status et ordo nutat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim Sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisse, ut de illorum supra alios provectione ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem; sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur; san. mem. Innocentius XI. praedecessor noster erroneam doctrinam a vera et sincera patrum mente longius deflectentem damnavit et edocuit, quam prudens, ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

Ecclesiae parochiales per concursum providendae.

§ 1. Ad tramites idcirco eiusdem Sanctae Synodi, usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina et sufficientia, solerti inquisitione, Episcopus eligat quem caeteris magis idoneum iudicaverit.

Appellatio ab irrationab. iud. Ep. S. Pio V. permissa in devolutivo.

§ 2. At quia contingeret quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus aequo iudicio, minus digni dignioribus praeponantur, san. mem. Pius V. noster praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum, atque praeposterum, edita saluberrima constitutione, licere voluit iniuste in concursu reiectis, interposita ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita ius esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquo modo retardata praeelecto ab Ordinario parochialis ecclesiae possessione.

Abusus huiusmodi appellationum.

§ 3. Consultissimae huiusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim reiecti, ab Ordinario, dictae constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, et, minus legitima concurrente causa, electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

Et perniciosus quandoque iudiciorum exitus.

§ 4. Quin etiam experientia compertum est, magno iustitiae detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui examini se subiecerant, atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, reiecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam literis et industria navantes operam, praeferri aliis merebantur, et acerbe succensebant Episcopo, iudici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per iniuriam se fuisse reiectos.

Votum a SS. D. N. olim Congregat. Concil. Secret. prolatum et publicatum.

§ 5. Hinc apud bene moratos homines et iustitiae vindices, frequens querelarum occasio: quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini interpres omne studium diligentiamque conferret; nobis, qui secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: electi siquidem ad curam animarum ab Ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, ius legitimae collationis tueri non poterant certo, ac per-

(1) Ex Bull. huius Pontificis edit. Rom.

manenti testimonio iam probatae idoneitatis; sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi iustitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibito indebitae reiectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum, et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones Examinatis propositae, et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigetur; et si acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.

Quod a Congregatione, mox etiam a Pontif. Clemente XI. probatum fuit.

§ 6. Inita a nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die XVI. novembris MDCCXX. ratam habenti; sed, etiam pontificii iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI. ecclesiasticae disciplinae vindice, et assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, et diligentia exequerentur, iis datae sunt die X. ianuarii MDCCXXI. opportunae literae nostro calamo exaratae, eiusdemque Pontificis sensu, et oraculo comprobatae, quarum tenorem, etsi alias praelo commissum, et insertum in Bullario dicti Clementis praedecessoris nostri, congrue hic duximus referendum:

Epistola Congregationis nomine scripta, Ecclesiae disciplina in provisionibus ecclesiarum parochialium per concursum.

Reverendissime Domine uti frater. Quo Parochiales Ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus *sess.* XXIV. *cap.* XVIII., ut, vacante Ecclesia parochiali, indiceretur, et fieret concursus; ac, postquam concurrentes ab Episcopo, vel eius Vicario generali, atque ab examinatoribus synodalibus saltem tribus, examinati, approbati essent, Episcopus eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis, et opportunis, digniorem caeteris, magisque idoneum iudicaret. Adiecitque ad hanc concilii sanctionem validius confirmandam, re, et nomine sanctissimus Pontifex Pius V., quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui reiecti essent, a mala eiusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicae delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice, et eius examinatoribus, provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in eius constitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

Non eadem ubique examinis peragendi forma.

Cum autem neque Concilii decreto, neque Pontificis Bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa, ac peculiaris servanda proponatur; difficile dictu est, quanta examinum, aliorum alibi diversitas, extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eaedem omnibus quaestiones, non iidem casus propositi fuissent: erant identidem, qui, vel in iudicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, praeelecto autem faciliores ad solvendum quaestiones obtigisse. Alibi vero eaedem quidem omnibus quaestiones propositae fuerunt, sed neque hae, neque datae a concurrentibus responsiones, scripto, seu literis consignabantur.

Decretum anni MDCIII. pro novo examine concedendo, absque praevia probatione gravaminis.

Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam, iure Bullae supradictae, novum ad examen coram iudice appellationis, eiusque examinatoribus, electum provocaret: S. Congregatio usque ab anno MDCIII. considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine, probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio: in quo, probato, per novum examen appellantis, gravamine quoad doctrinam, probanda superest eiusdem prae iam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis praestantia, ut de maiori alterutrius ad parochialis ecclesiae gubernium idoneitate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit.

Sed alia deinde requisita, praeter doctrinam expendenda.

Quam Sacrae Congregationis sententiam scriptores, et tribunalia laudarunt. Aliis demum in dioecesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eaedem omnibus quaestiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, qui interrogati fuerint, quaeque responderint, sua manu perscribant.

[redacted]

Dubia super admissione appellationis in casibus particularibus, et in ulterioribus instantiis.

Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, sacrae deinde Congregationi etiam atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda; nec ne statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis praerequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinae facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo, seu novo, examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis ac peritiae in administrandis diu ecclesiis laude praestantes, qui monerent, fraenum aliquod huiusmodi appellantium licentiae tandem iniiciendum, eorumque iam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quae vix unquam sine magno ecclesiarum damno contingunt. Nam, cum novum examen coram iudice appellationis longe procul a parochia peragendum sit, electus ab Episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque oeconomo, vel vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus, relinquere, sponso non parumper, sed diu, sane abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam vel quaterna alia ex aliis examina, super praestantia primum doctrinae, tum deinde aliorum quae ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adiudicanda.

Praescribitur Ordinariis uniformitas in concursibus et examinibus.

Ad tollendam eiusmodi non minus querelarum quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione I. octobris et XVI. novembris MDCCXX. summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per praesentes literas encyclicas exequitur) omnes et singulos Episcopos aliosque praelatos, penes quos sit ius et auctoritas faciendi concursum, hortari, ut examen eiusmodi instituere non graventur, quale iam et multae dioeceses et urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat; sive cum, Sede vacante, vacat ecclesia aliqua parochialis, cuius collatio ad Sedem Apostolicam pertineat; sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, iuxta decretum; sive demum, cum, vacante in collegiatis aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliena maiori, annexam habente curam animarum, faciendus est concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in literis, quae de ordine Sanctissimi tunc a Dataria prodeunt, clare praescribitur.

Quid singillatim servandum in provisionibus ecclesiarum per concursum.

Vacante itaque ecclesia parochiali, quae conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec quae sequuntur, ex sacrae Congregationis sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur:

I. Primum nempe, ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, idem casus, iisdemque textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

II. Alterum, ut casus et quaestiones resolvendae dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.

III. Tertium, ut certum, idemque omnibus, spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant.

IV. Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia), nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.

V. Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

VI. Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem eâ, quae ad populum haberi solet, linguâ scribatur.

VII. Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo qui scripsit, atque a cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus, et ab Ordinario, vel eius vicario, qui concursui interfuerint, scribatur.

Praemissis omnibus servatis, appellatio post x. dies interposita non admittatur.

Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus, ac dignior iudicatus fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

Forma transferendi acta coram iudice ad quem.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a cancellario con-

cursus, atque altero notario collatum et auscultatum coram vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adiungendi electio pertinebit; necnon ab examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum.

Gravamine quoad doctrinam ex actis non probato, novum examen minime concedendum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut praemittitur, examinatus, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a sacra Congregatione frustra postulabit.

Neque permittenda prosecutio appellationis, nisi gravamen quoad alia saltem extraiudicialiter probetur.

Quemadmodum et in iudicio appellationis persequi ius suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus et documentis extraiudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit sacra Congregatio et Sanctissimus assensit.

Praemissis non servatis, admittetur appellatio et provocatio ad novum examen, etiam non probato gravamine.

At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexerit, perget et sacra ipsa Congregatio more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum literarum memoria dilabatur, vult eadem sacra Congregatio, eas in uniuscuiusque Ordinarii cancellaria perpetuo conservari. Cuius interea consilium, tum voluntatem, dum ego omnibus significo, amplitudini tuae fausta omnia e coelo precor. Romae hac die X. ianuarii MDCCXXI.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater

P. M. Card. Corradinus praefectus.
P. Lambertinus secretarius.

Pontificis experientia de praemissarum legum utilitate.

§ 7. Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae iustitiae, componendis dissidiis, continendisque in officio clericis proficeret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum ecclesiam, ac deinde Bononiensem sponsam nostram, paterna caritate cominus amplecteremur. Freti siquidem dictarum legum praesidio, digniores parochiis et curae animarum praefecimus: tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium, vel minus iuxte alteri credita vacantis ecclesiae gubernacula.

Aliqua tamen addenda supersunt.

§ 8. At, quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse; imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, saepe declinare, ac redarguere iudicium episcopale praesumant: nos propterea, soliciti de implendis, prout decet, muneris nostri partibus, nonnulla praefatis literis addenda, nonnulla vero tacite breviterque ibidem tradita, clarius explicanda censuimus, ut recte omnia atque ex ordine peragantur.

De concurrentium idoneitate, non ex doctrina tantum, sed ex aliis etiam qualitatibus iudicandum.

§ 9. Moerentes igitur audivimus, quod in plerisque dioecesibus etsi recepta sit laudabilis firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium, nihilominus examinatorum suffragia in sola literarum peritia versantur, nec illorum exequitur sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate, et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo iuvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *cap.* XVIII. *sess.* XXIV. *de Reformat: Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii interpres, pluries edixit, examinatores deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei, et commendabiles.

Super quibus expedit examinatorum quoque sententias exquiri.

§ 10. Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas examinatoribus renuntiandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis: *Ex hisque Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.* At si quem clericorum forte contigerit, appellare a mala relatione examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruat officio: ordo iudicii secumferet, ut etiam

iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur: nec sine gravi animarum detrimento et disciplinae iniuria praeficiatur ecclesiae, qui literis magis posset, licet caetera minus aptus et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui, licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu, ac multiplici virtutum laude praecellit.

Et iudicem appellationis cognoscere,

§ 11. Factum praeterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quam examinatores, coniunctis studiis, industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordi iudicio ecclesia personae, quae licet scientia et literis alteri concedat, maiori tamen caeterarum qualitatum eminet ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili iudicio Episcopi non raro appellat; causâque ad iudicem appellationis delata, idèm totus est in perquirenda maiori doctrina, ac reparando gravamine literato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur: lugentque ut plurimum vigiles ecclesiarum Antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

Atque in iudicio ferendo, legitimis probationibus et documentis inniti

§ 12. At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, maiori, et accuratiori examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius anteactae vitae ratio, pascendo gregi consentaneae: tot iudici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectae, ut, revocato episcopali iudicio, tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa tamque conspicua probitatis adiuvant documenta.

Habenda quoque ratio episcopalis iudicii ex informata conscientia prolati.

§ 13. Demum, cum praecipue Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu, tam inspecta scientia, quam moribus, ille idoneus ab examinatoribus renuntietur, cui foeda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta: si Episcopus, iusta suadente causa, crimine non revelato, eumdem criminosum tacitus praeterierit, aliumque immunem a sorde praeelegerit, illico postpositus, simulato gravamine, provocat ad superiorem iudicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

Appellatio saltem devolutiva denegari nequit ex Conc. Trid.

§ 14. Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis, ad iustitiae praesidium institutum, calide traducant ad iniquitatis defensionem: optimum factu aliquibus fortasse videretur, si, appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio et appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive eiusdem Sedis Legatos, aut vice-Legatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, primates, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat.* Cui sanctioni respondet etiam constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio Episcopi.

Series actorum servandorum in parochialium provisione per concursum.

§ 15. Qua de re, ut in huiusmodi negotio apte omnia atque composite peragantur, officii nostri esse duximus, eum vobis, ven. fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse, et prodesse possint.

Deputatio vicarii in Ecclesia vacante.

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

Indictio concursus, cum praefixione termini ad exhibenda in actis requisita.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrente assignato, coram cancellario episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant. Alioquin, dicto termino elapso, documenta huiusmodi, quaecumque et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

Summarium meritorum tam Ordinarii quam examinatorum iudicio subiiciendum.

III. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates et requisita, (ut vocat,) incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur: porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario generali vices illius obeunti, sed sigillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

Forma concursus et examinis, tum circa doctrinam, tum circa reliquas qualitates requisitas.

IV. Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis literis anno MDCCXXI. editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleatur. Porro examinatores, ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. Patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum, elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico vel alteri dato themati accommodata, parem, ni forte maiorem, solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisce omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuntient.

Suppressa requisitorum notula, dignior ab Ordinario eligendus et in possessionem inducendus.

V. Absoluto concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a vicario generali unacum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel eius vicarii generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio, ullo appellationis vel inhibitionis obtentu, retardetur.

Appellatione interposita, iudex ad quem non pronunciet nisi secundum acta.

VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi: coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat; et iudex, nisi illis visis et gravamine comperto, sententiam non pronunciet. Praeterea in ferenda sententia ac reparando gravamine, idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione, usque ad diem habiti concursus, tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessaria iuribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dd. attestationes, fides tam iudiciales quam extraiudiciales, et documenta quaecumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata, ullo modo recipiantur. Non obstantibus supra memoratis literis, a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno MDCCXXI. editis, quibus, ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

Si Ordinarius processerit ex informata conscientia, causam sibi notam per litteras familiares indicabit iudici superiori.

VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis notam: familiaribus literis iudicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. *Sessione* etiam XXIV. *cap.* XX. *de reform.* ita disponitur: *Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias, ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre,* eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.

Qui nec illam revelare poterit, nec iuridice probari postulabit.

Et quamvis iure nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit; attamen Episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit; illam iudici appellationis, datis secreto literis, denunciet, et aperiat. Sciant porro iudices, delatas ab Episcopo causas, et rationes, inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvipendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino manda-

tur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur; et in sacrorum canonum singularem iniuriam, ***dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.***

Ordinarius suspectum habens iudicem ad quem iudicii sui causas aperiet praefecto Congregat. Concilii.

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta: illa significet secretis literis S. R. E. Cardinali praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quo minus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur.

Duae conformes in utramque partem iudicio finem imponent.

§ 16. Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationis, quae magno litigantium dispendio, et ecclesiae pernicie, immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari: idcirco ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quae praeelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei iudicatae controversiae finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter, quam Ordinarius, pronunciaverit; liceat praeelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium iudicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, praesertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio; is legitimum regendae ecclesiae ius obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

Praemissorum executio Ordinariis commendatur.

§ 17. His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae, ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae executioni mandentur; eumque in scopum locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac submovendis abusibus novas implorari leges, ab iis, qui iam praestitutas negligunt et contemnunt.

Pro collatione ecclesiae a S. Apost. providendae, liceat semper Ordinariis concursum indicere et complere.

§ 18. Demum cum non raro contingat, ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus, aliaque beneficia curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint; nos praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, praecipimus et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam nostris hisce literis sibi tributam Episcopi intelligant.

Item digniorem eligere, non transmissis actis, pro collatione ecclesiae Sedi Ap. reservatae ratione mensis.

§ 19. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, *quae tantum ratione mensium reservata sint*, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quam mensium apostolicorum*, Sanctae Sedi reservata sint; eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro datariae exhibeat.

Secus, si ex alia causa reservationi fuerit obnoxia.

Pontifex Ordinariorum iudicio multum deferet.

§ 20. Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis, eidem denunciare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, et in actis iuste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe et magistra, luculento edocebimus exemplo, quanti faciendum sit episcopale iudicium, quantoque vos honore prosequamur, venerabiles fratres, in partem solicitudinis evocatos, quibus interim apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. decembris MDCCXLII., pontificatus nostri anno III.

XXX.

Abbatiam S. Benedicti de Ullano confert Nicolao de Marchis Episcopo Nemesino deputato in praesidem collegii Corsini, pro pueris Italo-graecis utriusque Siciliae erecti (1).

---

(1) Vide vol. II. Const. Clem. XII. *Inter multiplices — Ex iniuncto nobis — Suprema dispositione — Provida pastoralis — Praeclara Rom. Pont.*; et ANGELI ZAVARRONI *Historiam erectionis Pont. Collegii Corsini Ullanensis etc.* Neapoli MDCCL.

BENEDICTUS EPISCOPUS
servus servorum Dei,
Venerabili fratri Nicolao de Marchis
Episcopo Nemesin.
salutem et apostolicam benedictionem.

Causa concessionis Abbatiae olim regularis, postea in saecularem conversae et Italo-graecis applicatae.

Personam tuam nobis et Apostolicae Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes illa tibi favorabiliter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque, sicut accepimus, Abbatia S. Benedicti oppidi de Ullano bisignanen. dioeces. olim regularis, seu monasterium Abbatia nuncupatum, olim Ordinis eiusdem S. Benedicti, nunc vero ex eo quod, sicut etiam accepimus, fel. rec. Clemens PP. XII. praedecessor noster monasterium praedictum, illiusque Ordinem, huiusmodi omnemque statum et essentiam regulares in dicto monasterio illiusque ecclesia ac omnibus bonis, proprietatibus, iuribus et pertinentiis apostolica auctoritate, firma tamen dicti monasterii taxa in libris camerae apostolicae remanente, perpetuo suppressit, et extinxit, et ad saecularem statum redegit, et quam idem Clemens praedecessor Archiepiscopo, seu Episcopo, graeci ritus in partibus infidelium in praesidem Collegii Corsini nuncupati, ab eodem Clemente praedecessore in praedicto oppido pro pueris italo-graecis in partibus regni utriusque Siciliae citra et ultra Farum commorantibus erecti et instituti, pro tempore deputato perpetuo effecit, et quam bo. me. Felix Samuel Rodata, dum viveret Archiepiscopus berohen. ritus praedicti, eiusdemque Collegii praeses, etiam dum viveret obtinebat, per obitum dicti Felicis Samuelis Archiepiscopi et praesidis, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, vacaverit et vacet ad praesens, nos tibi qui ecclesiae nemesin. graeci ritus praedicti in partibus infidelium praeesse dignosceris, quique nuper a nobis in praedicti collegii praesidem, iuxta decretum in particulari Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum, et per nos approbatum, deputatus fuisti, ut statum tuum, iuxta pontificalis dignitatis exigentiam, decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, ac praemissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, Abbatiam praedictam, cuius fructus, reditus et proventus ad septuaginta tres florenos auri cum uno tertio alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut etiam accepimus, taxari reperiuntur, super quibus, ut asseris, una quadraginta duorum Paschali Ferrari, et alterae pensiones annuae antiquae aliorum quadraginta duorum scutorum monetae romanae Pompilio Rodata, clericis seu presbyteris dilectis filiis illas annuatim responsione percipientibus, apostolica auctoritate reservatae, aut in eos canonice translatae reperiuntur, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Felicis Samuelis Archiepiscopi et praesidis, vel cuiusvis alterius de illa in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, vacet, ipsaque Abbatia dispositioni apostolicae specialiter vel generaliter reservata extet, et super ea inter aliquos lis, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, cum illi fratri annexis ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illa etiam providemus, decernentes prout est irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum fuerit hactenus, vel in posterum contigerit attentari. Quo circa dilectis filiis, causa rumcuriae Camerae Apostolicae generali auditori et antiquiori canonico ecclesiae bisignanen. ac cantori saecularis et insignis collegiatae ecclesiae oppidi Montis Alti cusentin. dioeces., per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium, seu alios, te vel procuratorem tuum, nomine tuo, in corporalem possessionem dictae Abbatiae ac annexorum iurium et pertinentiarum praedictorum inducant auctoritate nostra, et defendant inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes te vel pro te procuratorem praedictum ad Abbatiam huiusmodi, ut est moris, admitti; tibique vel procuratori praedicto de illius ac

Eius vacatio.

Collatio in favorem praesidis collegii corsiniani.

Exequutores deputat.

annexorum eorumdem fructibus, reditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis integre responderi, contradictores auctoritate nostra praedicta, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus piae memoriae Bonifacii PP. VIII. etiam praedecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de abbatiis huiusmodi speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis aut legatorum eius literas impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum; quibus omnibus te in assequutionem dictae abbatiae volumus anteferri; sed nullum per hoc eis, quoad assequutionem abbatiarum vel beneficiorum, alterum praeiudicium generari; seu si venerabili fratri nostro Episcopo bisignanen. vel quibusvis aliis, communiter aut divisim, ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quodque de abbatiis huiusmodi, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, aut quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri, per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; volumus autem quod tu in praedicto collegio residere, oneraque tibi ratione muneris praesidentiae praedictae incumbentia supportare omnino tenearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, collationis, provisionis, decreti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Clausulae confirmatoriae et derogatoriae.

Onus residentiae in collegio Episcopo impositum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIII., IV. nonas ianuarii, pontif. nostri anno III.

XXXI.

Apostolicam benedictionem et plenariam indulgentiam ad septennium concedit singulis Societatis Iesu missionariis mittendis, ac christifidelibus uniuscuiusque missionis (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, libenter iis impartimur, quos pro sua in Deum et proximos caritate, et christianae religionis zelo animarum salutem omni studio procurare intelligimus, quo in genere cum Societatis Iesu religiosos habeamus, eosque in primis, quos dilectus filius Franciscus Retz, eiusdem Societatis Iesu praepositus generalis, ob hanc causam hoc ipso et consequentibus annis in diversas provincias christianae reipublicae mittere constituit: Nos sane eorumdem religiosorum pietatem ac operam, eorumque, ad quos illi mittendi erunt, religionem et devotionem spiritualibus gratiis confovere, atque augere cupientes, eiusdem Francisci praepositi generalis precibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piamque illius deliberationem, quantum in Domino possumus, promovere volentes, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis dictae Societatis religiosis mittendis (ubi tamen non erunt missionarii Congregationis de Propaganda Fide) et aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impartimur; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino auctoritate apostolica, tenore praesentium, pro unica vice dumtaxat, pro unaquaque missione

Elargitur apostolicam benedictionem et indulgentiam.

---

(1) Ex Archiv. typographiae Rev. Camerae Apostolicae.

Hortatio ad ecclesiarum rectores et praedicatores.

concedimus, et elargimur. Hortantes venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos et alios ecclesiarum praelatos et rectores, ac verbi Dei praedicatores, ut in suis quisque ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes literas, ac omnia in eis contenta publicent, et publicari faciant, ac omnem eisdem religiosis favorem et auxilium in praemissis praestent. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, seu dictae Societatis secretarii subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae, seu praepositi generalis eiusdem Societatis obsignatis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Fides adhibenda transumptis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die XII. ianuarii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

XXXII.

Duorum Episcoporum electionem ad Patriarchatum Maronitarum a dissidentibus Praesulibus factam irritam decernit; sibique, ex iure devolutionis, revocat collationem illius ecclesiae patriarchalis (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Recursus a Maronitis habitus ad Sanctam Sedem occasione schismatis inter eos orti.

Quod non humana, sed divina decretum est sententia a Numidiae Antistitibus antiquae traditionis exempla servantibus, et ecclesiasticae memoribus disciplinae, ut ad Apostolicae huius Sanctae Sedis referretur iudicium, quidquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis, ageretur; nec prius ducerent finiendum, nisi ad eiusdem Sedis notitiam perveniret, ut tota huius auctoritate, quae fuerit iusta pronuntiatio, firma-

(1) Ex Bull. P. de P. F. vol. III., p. 76. — Ex Reg. Brev. ad principes desumimus seq. lit. qua nunciat praesulibus Maronitarum irritam fuisse electionem ab iis factam duorum Patriarcharum, novam a se Patriarchae electionem factam, missionarii novi Ablegati seu Commissarii Apostolici quem illis commendat, ac simul eis asserit per hanc extraordinariam electionem nihil detrahi eorum iuribus quoad futuras electiones.

Venerabilibus fratribus Simoni ab Archiepiscopatu Damasci ad Patriarchalem Maronitarum Sedem translato, ceterisque Archiepiscopis et Episcopis eiusdem nationis,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex refert, ac deplorat, schisma inter Maronitas exortum,

Magnâ non minus admiratione quam aegritudine affecti sumus, postquam e sex Episcoporum vestri coetus aliorumque literis intelleximus, Maronitarum Ecclesiam, post obitum postremi Patriarchae Iosephi Petri, funesto schismate discissam fuisse a sex illis Episcopis in eius locum suffecto Eliâ Arcae, ab aliis Tobiâ Napolosiae Archiepiscopis. Et quidem mirari satis non possumus, adeo nunc valuisse inimicum hominem, ut superseminaverit divisionis zizania in agro isto adhuc eâ lue prorsus intacto, utque vobis eripuerit decus amplissimum, id scilicet nunquam ex omni temporis memoriâ evenisse in vestro Patriarchâ eligendo; qua laude nobiliores ecclesiae, vestro in conspectu positae, plurimum caruerunt. Angi autem quî nequeat in tantâ malorum colluvie, quae vestram nationem discordiis, tumultu, perturbatione obruerunt? Siquidem uterque electus non expectato Romanae Sedis iudicio (quod lege et more vetusto in dubiâ et controversâ electione necesse fuerat), statim pro Patriarchâ se gerens, forum aperuit, usurpansque patriarchalia iura, miscet humana divinis, ut suo se teneat loco. Hinc populus alterutri inhaerens, incertus, divisus, triste sui spectaculum praebet insultanti schismatico, Turcae irridenti; et metus est, ne vera Dei Religio, quamquam vestrae genti altis radicibus infixa, obcoecatis contentione mentibus discrimen adeat, ut saepius alibi.

Eiusque perniciosos effectus.

Controversiae examen in Congregat. particulari instituitur.

§ 1. Hac enimvero sollicitudine ac paternâ caritate commoti adeo sumus, ut vestris medendis vulneribus restituendaeque sanitati accurrere acceleravimus, vixdum Romam venerunt utriusque partis legati cum mandatis et monumentis supremum Apostolicae Sedis iudicium subituri. Nam statim selegimus aliquot e S. R. E. Cardinalium coetu Propagandae Fidei praepositorum, qui iuris ordine servato auditisque advocatis, de toto controversiae statu cognoscerent et coram nobis deciderent, an alterutra electio seu postulatio confirmanda foret aut sananda; et si utraque infirmanda, quid ultra nobis agendum esset. Illi apud nos convenerunt XV. kalendas martias, unaque fuit omnium sententia: utramque non modo nullam atque invalidam, sed insanabilem videri, tantis undique scatent erratis adversus canones ipsasque vestras constitutiones. Ius proinde eligendi in hoc informis electionis casu ad Apostolicam Sedem devolutum fuisse, sicuti ecclesiasticae iubent leges, et ubique perpetuo in more fuit: cuius si nullum istic exemplum reperitur, referri debet maiorum vestrorum prudentiae, qui ab huiusmodi nefario schismate sibi semper caverunt.

Congregationis sensus.

Abrogata duplici electione, alter eligitur Patriarcha meritorum laude praestans,

§ 2. Nos igitur eorumdem Cardinalium sententiam assensu nostro prosequuti, utramque electionem penitus abrogavimus, delevimus, cassamque pronuntiavimus. Simul autem Patriarcham vestrum elegimus ven. fratrem Simonem Archiepiscopum Damasci, qui antiquior vestri coetus, hoc etiam nomine commendationem habuit ad eam dignitatem, magis autem, quod miti ingenio et a partium studiis abhorrente, ut plurium testimonio accepimus, idoneus nobis visus est ad tantum munus gerendum. Quocirca illum acceptissimum vobis vestraeque genti fore, idque prompto atque alacri erga ipsum obsequio debitâque obedientiâ vos comprobaturos non dubitamus, daturosque documentum, praeteritas discordias non praecipiti voluntatis aestu commotas fuisse, sed incautae mentis errore, qui facilius excusari potest.

Salvis iuribus Antistitum Maronitarum.

§ 3. Nec vobis in mentem veniat suspicari, hac nostrâ extraordinariâ constituti Patriarchae providentiâ iuri vestro eius eligendi quidpiam detractum fuisse. Nam ius ipsum, inveteratâ consuetudine, et Sedis Apostolicae approbatione usitatum, in huiusce electionis diplomate vobis expresse reservavimus, et in provincialis seu nationalis recentis ve-

retur; id saepe alias, et nuper, ab inclyta Maronitarum de orthodoxa fide et obedientia eidem Apostolicae huic Sanctae Sedi debita semper tantopere meritorum natione praestitum est, cum post obitum bonae memoriae Iosephi Petri, dum viveret, Antiocheni eiusdem nationis patriarchae, extra Romanam Curiam universae carnis viam ingressi, scissuris et dissensionibus ob duorum patriarcharum electiones exortis, ad nos ambo electi appellantes, pallio etiam donari postularunt. Enimvero sex quidem ex una parte convenientes Antistites venerabilem fratrem Eliam Archiepiscopum Arcensem, pauci vero alii ex parte altera venerabilem pariter fratrem Tobiam Archiepiscopum Napolosiae, seorsim diversis in locis, in Patriarcham huiusmodi eligere ausi fuerunt. Ambo igitur, ut praemittitur, electi sive postulati praetensi Patriarchae ad nos et Apostolicam Sedem recursum habentes, enixis precibus rogarunt, ut cuiusque electionem approbare, ratam habere et confirmare, atque pallium etiam transmittere, de benignitate et potestate apostolica dignaremur.

Ca[u]sa delega[tu]r Cong. part. de Prop. Fide.

§ 1. Quoniam autem nos, ut in causa tanti momenti ea, qua decet, maturitate procederetur, utramque electionem seu postulationem particulari Congregationi nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum discutiendam examinandamque commisimus; et Cardinales dictae particularis Congregationis, postquam viros ab electis praedictis missos, ac defensores, plene audivissent, omnesque scripturas pro utraque parte productas recognovissent, coram nobis congregati, attentis peculiaribus et gravibus nullitatibus in utraque electione repertis, per concordia suffragia et vota censuerunt, neutram electionem, seu postulationem, sustineri debere, neque locum esse alterutrius sanationi; sed utramque electionem, sive postulationem, nullam, irritam, nullius roboris ac momenti esse ac fore, declarari et haberi; ac proinde Patriarchali Ecclesiae huiusmodi ex integro, iuxta sacros canones, atque inconcussum Apostolicae Sedis praedictae in similibus casibus stylum, provideri debere de persona nobis benevisa, et quatenus provisionem huiusmodi de aliquo Antistite cuicumque ecclesiae addicto faceremus, hanc, praevia solutione vinculi ecclesiae, quo tenetur, fieri debere.

Congregatio[ni]s consilium.

Pontifex, illi inhaerendo, utramque electionem seu postulationem, nullam declarat.

§ 2. Hinc est, quod nos, quos tam paterna caritas, qua nationem huiusmodi maximopere diligimus et amplius complecti cupimus, quam apostolica omnium ecclesiarum solicitudo a Pastorum Principe Iesu Christo nobis iniecta vehementius urget, de memoratae congregationis consilio, necnon motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, utramque tam Eliae Archiepiscopi Arcen. a sex Antistitibus, quam Tobiae Archiepiscopi Napolosiae a paucis factam electionem, sive postulationem, nullam, irritam, et inanem, ac nullius roboris et momenti esse et fore, nullique eorum suffragari debere declaramus, annullamus, irritamus, et cassamus, atque utramque de utroque electionem, sive postulationem, habitam et factam, perinde haberi debere in omnibus et per omnia, ac si minime et numquam habita et facta fuisset, pariter decernimus, praecipimus, et declaramus; ipsamque ecclesiam patriarchalem adhuc eo, quo ante ele-

---

strae Synodi confirmatione novo, ut petebatis, pontificiae auctoritatis robore permunivimus.

[C]ommissarius [p]ost pluribus [co]nllatibus, et [illegible] in[stru]ctus able[gatu]r.

§ 4. Haec per nostras istas literas in formâ Brevis vobis referre satis duximus. Plura cognoscetis a dilecto filio Iacobo ab urbe Luca, observantium franciscanorum alumno, apostolico Hierosolymis Visitatore, quem ad vos nostro nomine ire commissarium iussimus, ut sedulo curet observari et custodiri quicquid in praenunciatâ Synodo et a nobis pro ecclesiasticae istic disciplinae sanctissimaeque religionis tutelâ sancitum fuit; utque receptis a sacerdote Eliâ Felice, quem Patriarcha Ioseph Petrus paulo post vitâ fructus Romam ablegaverat, nostris in formâ Brevis ad eum literis, ubi plura peragenda commendavimus, (*) (et recuperato aliquo religioso dono ad eumdem Patriarcham transmisso) id omne Simoni eius successori repraesentet, nostramque de rerum istic sacrarum cultu rite ac prudenter instituendo retinendoque voluntatem, cuius conscium fecimus, patefaciat.

Debitam S. Sedi obedientiam, et animorum concordiam commendat.

§ 5. Quin illum perhumaniter excepturi, praescriptasque vobis leges accuratâ obedientiâ exequuturi sitis, nullum nobis relinquit ambigendi locum omnium vestrum animus religione et constantissima erga supremum Pastorem fide penitus obstrictus. Praecipue vero vos adhortamur, ut obliti praeteritae aemulationis (Apostoli verbis utimur) unanimes sitis in Christo Iesu, sine querela, sine reprehensione, simplices filii Dei in medio nationis, Turcarum scilicet, pravae et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Quod in auspicium, venn. fratres, apostolicam benedictionem vobis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. martii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

(*) *In Reg. Vatic. desunt seq. verba, quae inveniuntur in Bull. Pont. de Prop.* et recuperato *usque ad verb.* transmisso, *et pro id omne est* eas.

ctionem, sive postulationem praedictam, per obitum dicti Iosephi Petri, vacabat, modo vacare; nullumque ius et auctoritatem per electionem sive postulationem antedictam utrique praetenso electo, sive postulato, acquisitum sive acquisitam esse, et fore, ac irritum et inanem, nulliusque roboris ac momenti quemcumque actum per ipsos praetensos electos et postulatos, sive factum aut faciendum, quemadmodum etiam alterum eorum in iis omnibus et singulis ad patriarchalem potestatem et auctoritatem spectantibus sese ingerere et intromittere audentem, ipso facto poenis omnibus contra non parentes mandatis apostolicis per sacros canones inflictis, et indignationi nostrae obnoxium esse ac fore, easque incurrere et incursum esse, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus decernimus, statuimus, et declaramus; ipsiusque patriarchalis ecclesiae Antiochenae Maronitarum ita, ut praemittitur, vacantis, collationem provisionemque, quandocumque faciendam, nobis et Apostolicae Sedi praedictae reservamus.

Prohibet sub poenis etc., ne electi in Patriarchatus gubernio se ingerant.

Provisionem Ecclesiae Patriarchalis sibi et Sedi Apostolicae reservat.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae, et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis iusta, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices, ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes, et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes

§ 4. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac apostolicis et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae patriarchalis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel, quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum auctoritas

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. martii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

XXXIII.

Simonem (Evodium) Archiepiscopum Damascenum auctoritate apostolica constituit Patriarcham Maronitam: ei praescribit, adiectis formulis, fidei professionem et iuramentum fidelitatis, quo-

***rum authentica documenta Romam per nuncium mittat* (1).**

Venerabili fratri, Simoni Archiepiscopo Damasceno,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex refert cassationem duplicis electionis Patriarchae, cum insertione brevis.

Nuper ad nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem delatis scissuris dissidiisque propter electionem patriarchae patriarchalis ecclesiae Antiochenae inclytae nationis Maronitarum, per obitum Iosephi Petri, dum vixit, eiusdem ecclesiae Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolverat, exortis, ad opportunum et salutare iisdem componendis sedandisque remedium afferendum, dedimus alias nostras in pari forma Brevis literas, tenoris sequentis:

Benedictus Papa XIV. ad futuram rei memoriam.

Quod non humana etc. *ut supra pag.* 96.

Ecclesiae vacanti praeficit Archiepisc. Damasc.

§ 1. Eapropter nos, aegre ferentes patriarchalem ecclesiam praedictam Pastoris destitutam solatio, et tot tantisque inter haereticos, schismaticos, maumethanos, et infideles, veluti rosam inter spinas, circumdatam angustiis et calamitatibus, amplius vacare, ad provisionem eiusdem patriarchalis ecclesiae Antiochenae celerem et felicem, ne ecclesia ipsa Antiochena maioribus longae vacationis exponatur incommodis et dissidiis, paternis et solicitis studiis intendentes, ac perspectam habentes notitiam de eximiis virtutibus fraternitatis tuae in tua ad archiepiscopatum Damascenum promotione plurimi habitis, necnon quod tu venerabilium fratrum nationis Maroniticae Antistitum Decanus sis, et apud nos plurimorum fide dignorum testimonio commenderis, postquam de praeficiendo eidem ecclesiae Antiochenae praedictae nationis personam utilem, ac etiam fructuosam, cum iisdem Cardinalibus dictae Congregationis particularis deliberationem habuimus diligentem, te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc dumtaxat, ut translatio et praefectio per Nos, ut infra, facienda, necnon praesentes suum sortiantur effectum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac a vinculo, quo dictae Ecclesiae Damascenae, cui praees, teneris, de simili consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem ecclesiam Antiochenam nationis praefatae, de consilio et potestatis plenitudine paribus, transferimus, teque illi in patriarcham eiusdem nationis praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem dictae ecclesiae Antiochenae nationis praedictae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; atque etiam non solum liberam tibi ad patriarchalem ecclesiam praefatam transeundi licentiam tribuimus, sed etiam in virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, praecipimus et mandamus, ut patriarchalis ecclesiae huiusmodi possessionem, statim ac praesentes nostrae literae ad te pervenerint, nulla interposita mora, adeas et capias, atque omnia et singula iura, auctoritatem, potestatem, praeeminentiam, praerogativas, iurisdictionem, privilegia, aliaque huiusmodi ad patriarcham dictae patriarchalis ecclesiae pro tempore existentem quomodolibet spectantia, et quibus alii patriarchae ecclesiae praefatae praedecessores tui de iure, usu, et consuetudine, usi, gavisi et fruiti fuerunt, pari modo exerceas, ac iis utaris, fruaris et gaudeas: in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, praedicta ecclesia antiochena nationis eiusdem sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Ab Ecclesiae Damasc. vinculo absolutum.

Cum praecepto de capienda possessione.

Eumdem hortatur ad pastoralis muneris implementum.

§ 2. Tu igitur ad eamdem patriarchalem ecclesiam antiochenam nationis praefatae cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem praedictas sic exercere studeas fideliter, solicite et prudenter, quod ecclesia ipsa antiochena dictae nationis gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis benedictionem ac gratiam exinde uberius consequi merearis.

Praecipit Episcopor. suffrag. clero, populo et vassallis, ut novum Patriarch. agnoscant, eique obsequantur.

§ 3. Quocirca eisdem venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis suffraganeis, ac dilectis pariter filiis capitulo et vassallis ecclesiae Antiochenae nationis praefatae, ac clero saeculari et regulari, etiam

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., pag. 87.

Societatis Iesu, et populo civitatis ac dioecesis Antiochenae eiusdem nationis, per apostolica scripta mandamus, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes, et capitulum tibi tamquam patri et pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas; ita quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare; ac clerus te, pro nostra et eiusdem Sedis reverentia, benigne recipientes, et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent; populus vero te tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, et ipsi in te per consequens patrem benevolum, invenisse gaudeatis: vassalli autem praedicti te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam, ac consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris sive statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Mandat electo, ut fidei professionem emittat et iuramentum fidelitatis praestet.

§ 4. Volumus autem, quod tu, antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis ecclesiae Antiochenae nationis praefatae te in aliquo immisceas, in manibus alicuius catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis et in illis partibus degentis, fidei catholicae professionem a Sede praedicta Orientalibus praescriptam, iuxta unam, expresse emittere; et fidelitatis debitae solitum iuramentum, iuxta alteram, formas praesentibus adnotatas, praestare omnino tenearis, ac professionis fidei quam emiseris, et iuramenti huiusmodi, quod praestaveris, formas eidem Congregationi de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo sigillo munitas, per proprium nuntium quantocitius destinare procures.

Forma professionis fidei.

§ 5. Forma autem professionis fidei, quam emittes, haec est: *Ego Simon electus patriarchalis ecclesiae Antiochenae nationis Maronitarum firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium: et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei Unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est; crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris; et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius Regni non erit finis: et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per prophetas: et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam; confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum; et expecto resurrectionem mortuorum; et vitam venturi saeculi. Amen. Veneror etiam et suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet: Nicaenam primam, et profiteor quod in ea contra Arium damnatae memoriae definitum est, Dominum Iesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, idest ex substantia Patris natum non factum, consubstantialem Patri, atque impias illas voces recte in eadem Synodo damnatas esse, quod aliquando non fuerit, aut quod factus sit ex iis quae non sunt, aut ex alia substantia vel essentia, aut quod sit mutabilis, vel convertibilis Filius Dei; Constantinopolitanam primam, secundam in ordine, et profiteor quod in ea contra Macedonium damnatae memoriae definitum est, Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum, non creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre et Filio Deitatem; Ephesinam primam, tertiam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, divinitatem et humanitatem, ineffabili et incomprehensibili unione, in una persona Filii Dei unum nobis Iesum Christum constituisse, eaque de causa Beatissimam Virginem vere esse Dei Genitricem; Calcedonensem, quartam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Eutychen et Dioscorum, ambos damnatae memoriae, definitum est,*

unum eumdemque Filium Dei Dominum Nostrum Iesum Christum perfectum esse in deitate et perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, eumdem consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato, ante saecula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eumdem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, unum eumdemque Christum Filium Dominum Unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, in unam personam, atque substantiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eumdemque Filium et Unigenitum Deum Verbum Dominum Iesum Christum: Item eiusmodi Domini Nostri Iesu Christi divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri et Spiritui Sancto, impassibilem esse et immortalem, eumdem autem crucifixum et mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo et in Epistola S. Leonis Romani Pontificis, cuius ore B. Petrum Apostolum locutum esse Patres in eadem Synodo acclamaverunt, per quam definitionem damnatur impia haeresis illorum, qui Trisagio ab Angelis tradito et in praefata Calcedonensi Synodo decantato, (Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miserere nobis) addebant, qui crucifixus es pro nobis, *atque adeo divinam naturam trium personarum passibilem asserebant et mortalem; Constantinopolitanam secundam, quintam in ordine, in qua praefata Calcedonensis Synodi definitio renovata est; Constantinopolitanam tertiam, sextam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Monothelitas definitum est, in uno eodemque Domino Nostro Iesu Christo duas esse naturales voluntates, et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, et humanam eius voluntatem non contrariam, sed subiectam divinae eius atque omnipotenti voluntati; Nicaenam secundam, septimam in ordine, et profiteor, quod in ea contra Iconoclastas definitum est, Imagines Christi ac Deiparae Virginis necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam; Constantinopolitanam quartam, octavam in ordine, et profiteor in ea Photium merito fuisse damnatum, et Sanctum Ignatium Patriarcham restitutum. Veneror etiam et suscipio omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas et confirmatas, et praesertim Florentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita sunt, videlicet, quod Spiritus Sanctus ex Patre ex Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica spiratione, procedit; item dictionem illam* Filioque, *veritatis declarandae gratia, et imminente necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Item in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae, sive Occidentalis sive Orientalis, consuetudinem. Item si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari, et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis Fidelium vivorum suffragia; Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, ac alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consuescunt secundum Ecclesiae institutum, illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus vel eisdem exuta, sunt purgatae, in coelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas. Item Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, ac omnium Christia-*

norum patrem, ac doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam, ut eadem Florentina Synodus asserit, in gestis Oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicae Legis ceremonias, sacra sacrificia et sacramenta, Domino Iesu Christo adveniente cessasse et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse; eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter iudaeos et gentiles dissensionis materies tolleretur, cuius apostolicae prohibitionis causa cessante etiam cessavit effectus. Pariter veneror et suscipio Tridentinam Synodum, et profiteor, quae in ea definita et declarata sunt, et praesertim offerri Deo in Missa verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, iuxta fidem quae semper in ecclesia Dei fuit, contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate, Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem *appellat, et sub unaquaque specie et singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri. Item Septem esse novae legis sacramenta a Christo D. Nostro instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem iterari non posse. Item Baptismum esse necessarium ad salutem, ac proinde, si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse et a quocumque et quandocumque sub debita materia et forma et intentione collatum, esse validum. Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse, et, quamvis propter adulterium, haeresim, aut alias causas possit inter coniuges thori et cohabitationis separatio fieri, non tamen illis aliud matrimonium contrahere fas esse. Item apostolicas et ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse et venerandas. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo Ecclesiae relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse. Pariter quae de peccato originali, de iustificatione, de sacrorum librorum, tam veteris quam novi testamenti, indice et interpretatione in praefata Tridentina Synodo definita sunt, suscipio et profiteor. Caetera item suscipio et profiteor, quae recipit et profitetur S. R. E., simulque contraria omnia et schismata et haereses ab eadem Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Insuper Romano Pontifici Beati Petri Principis Apostolorum successori, et Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro. Hanc fidem catholicae Ecclesiae, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo adiuvante, retinere, ac confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem Simon Electus, modo quo supra, spondeo, voveo et iuro, sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.*

Formula iuramenti fidelitatis.

§ 6. Forma vero iuramenti, quod praestabis, haec est: *Ego Simon, electus patriarchalis ecclesiae antiochenae nationis Maronitarum, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac Domino Nostro Benedicto Papae XIV., suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, seu iniuriae aliquae inferantur, quovis quaesito colore: consilium vero, quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios, seu literas, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad defendendum et retinendum contra omnem hominem: Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo*

et in suis necessitatibus adiuvabo: iura, honores, privilegia et auctoritatem R. E. Domini nostri Papae et successorum praefatorum conservare, defendere, augere et promovere curabo; nec ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra vel praeiudicialia personae, honoris, iuris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero, vel tractari, impediam hoc pro posse, et, quanto citius potero commode, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari; Haereticos et schismaticos ac rebelles Domino nostro et successoribus praefatis pro posse persequar, et impugnabo: vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis decenniis personaliter, ac per me ipsum, visitabo, et Domino nostro et successoribus praefatis rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad ecclesiae meae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquomodo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica praefata humiliter recipiam, et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio capituli mei, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per dioecesanum sacerdotem, et, clero deficiente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus plene instructum; de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii Tridentini per supradictum nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque denuo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu capituli ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice, et constitutionem super prohibitione investiturarum bonorum iurisdictionalium de anno Domini MDCXXV. *editum servabo, et, si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.*

De pallio eidem concedendo.

§ 7. Caeterum pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, de corpore Beati Petri Apostoli sumptum, tunc ad fraternitatem tuam, cum per tuum nuntium, ea, qua decet, instantia postulatum fuerit, destinandum transmittendumque mandabimus. Non obstantibus iis omnibus, quae in praeinsertis nostris literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVI. martii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

XXXIV.

F. Iacobum Ord. Min. Obs. ablegatum ad Maronitas mittit ad exequendum antecedentes literas apostolicas; extraordinarias ipsi concedit facultates repetendi a nuncio defuncti Patriarchae literas aliaque documenta pontificia et S. Congregationis de P. F. eaque novo Patriachae tradendi (1).

Dilecto filio Iacobo a Luca, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum professori, conventus Sancti Sepulchri, eiusque dependentium, visitatori, ac commissario apostolico,

BENEDICTUS PP. XIV.

**Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.**

De cassatione duplicis electionis Patriarchae et electione alterius auctoritate apostolica cum insertione brevium.

Nuper ad sedandas componendasque lites, scissuras et controversias post bonae memoriae Iosephi Petri, dum vixit, Antiocheni nationis Maronitarum Patriarchae obitum excitatas, ob electionem seu postulationem duorum Patriarcharum ad ecclesiam patriarchalem dictae nationis factam, edidimus apostolicas nostri in simili forma Brevis literas ad venerabilem fratrem Simonem Archiepiscopum Damascenum da-

(1) Ex Bull. de Prop. Fide vol. III., pag. 87.

tas, in quibus alias pariter nostras in pari forma Brevis literas ad futuram memoriam editas inseruimus; ambarum autem literarum tenor est, qui sequitur. *Venerabili fratri Simoni etc. Nuper ad Nos etc. ut supra num.* LXXVIII. Praeinsertarum autem literarum exemplaria seorsim in chartis pergamenis scripta, et annulo piscatoris munita, cum hisce nostris coniuncta, ad te transmittenda mandamus, ut non solum, quaecumque in iisdem continentur, debitae executioni demandari prudenter fideliterque cures, verum etiam quaecumque hisce nostris in pari forma Brevis a te peragenda in virtute sanctae obedientiae iniungimus, omni studio atque conatu conficere satagas.

Pro quorum executione ablegatus S. Sedis et Commissarius Apostolicus deputatur.

§ 1. Primum igitur omnium, te, de cuius singulari fide, prudentia, sapientia, dexteritate, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, et ex eo praesertim, quod diu in istis regionibus, dum per plures annos in sancta Hierosolymorum civitate conventus Ordinis tui guardiani munus laudabiliter exercebas, commoratus, mores, idiomata et instituta nationis Maronitarum apprime noveris, nostro et Apostolicae Sedis nomine, ad ea omnia, quae in memoratis nostris praeinsertis literis continentur, peragenda et conficienda; ablegatum nostrum apud dictam nationem, et apostolicum commissarium, cum omnibus et singulis facultatibus ad hunc effectum necessariis et opportunis, tenore et auctoritate paribus facimus, constituimus et deputamus.

Cum facultate compellendi contumaces.

§ 2. Praeterea facultatem tibi etiam tribuimus et impertimur, contra quoscumque mandatis tuis apostolica auctoritate nostra munitis non parentes, contumaces et rebelles, sive archiepiscopali et episcopali dignitate praeditos, sive clerum saecularem et regularem, etiam Societatis Iesu, necnon saeculares et laicos quoscumque, cuiusvis gradus et conditionis ac dignitatis, procedendi, si opus fuerit, cum canonicis censuris et poenis, quas pariter a te inflictas auctore Domino ratas habebimus, et observari faciemus.

Eidem demandatur recuperatio et executio mandatorum S. Sedis defuncto Patriarchae direct.

§ 3. Insuper, quoniam nos apostolicas nostras in simili forma Brevis literas, tum pro confirmatione provincialis seu nationalis Synodi dictae nationis, tum pro nonnullis aliis apostolicis ordinationibus occasione dictae confirmationis necessariis, expeditas, dilecto filio Eliae Felici, qui a dicto Iosepho Patriarcha, dum viveret, ad hanc almam Urbem propter eamdem confirmationem et apostolicas ordinationes huiusmodi missus fuerat, dedimus perferendas ad memoratum Iosephum Petrum Patriarcham; hoc interea, dum dictus missus esset in itinere, iam defuncto, tibi committimus et mandamus, ut omnes et singulas apostolicas literas nostras huiusmodi et apostolicas ordinationes, necnon dicta Congregationis Propagandae Fidei epistolas et instructiones, tum ad ipsum defunctum Iosephum Petrum Patriarcham, tum ad alios Antistites datas et scriptas, ab eodem Elia Felice tibi restituendas consignandasque nostro Nomine compellas et cogas; et eas, quae quidem ad defunctum Patriarcham scriptae erant, novo a nobis constituto et deputato; quae vero ad alios directae, iis reddas, et debitae executioni demandari cures et facias; etiam, si opus fuerit, facultate et auctoritate ablegati et commissarii apostolici utendo contra rebelles, et contumaces, et apostolicis mandatis non obtemperantes.

Aliae facultates ad negotium conficiendum necessariae ipsi tribuuntur.

§ 4. Verum, ut ad optatum finem rem tanti momenti, et tam inclytae nationi, orthodoxae fidei et bonis moribus perniciosam perducere valeas, summae tuae dexteritatis, prudentiae et zeli opus esse intelligentes, te rogamus et in Domino hortamur, ut omnem operam et consilium hac in re adhibere adnitaris, nihil omittendo, quod ad facilem negotiorum tibi commissorum expeditionem conducere noveris, tum propensiorem erga eam nationem paternae caritatis nostrae voluntatem explicando, tum apostolicae benignitatis argumenta eidem per te, postquam apostolicis mandatis et ordinationibus nostris ac praeceptis tuis debitam fidelemque praestiterint obedientiam et non aliter, conferenda declarando.

I. Illaesa praeservandi iura nationis quoad electionem Patriarchae.

§ 5. I. Ac primum quidem declares oportet, nos per hanc a nobis factam novi Patriarchae, ut praemittitur, electionem, deputationemque, nullum Antistitibus dictae nationis praeiudicium illatum iri voluisse, sed, ut obortis dissidiis nationem ipsam distrahentibus opportune consuleremus, suprema nostrae potestatis apostolicae auctoritate in appellationibus praesertim ad eamdem Sedem delatis canonice, ac necessario interponenda utentes, novum Patriarcham elegisse, nec propterea ius eligendi sive postulandi Patriarcham huiusmodi, iuxta eorum morem, Antistitibus dictae nationis sublatum esse, imo nos velle et mandare ut omnia in posterum, quae a laudata Syn-

odo a nobis approbata et confirmata sunt circa Patriarchae electionem praescripta, ab ipsis Antistitibus servari debeant.

II. Absolvendi a censuris, et dispensandi super irregularitate incursis;

§ 6. II. Tibi a nobis omnem facultatem impertitam esse absolvendi a censuris omnibus, et dispensandi a quibusvis irregularitatibus, ob celebrationem cum censuris, forsan, occasione dictarum electionum, et ob excessus, etiam cum oneratione potestatis ecclesiasticae et usu potestatis laicae, commissos, contractis et incursis.

III. Sanandi actuum et expeditionum nullitates;

§ 7. III. Facultatem tibi pariter concessam apostolica auctoritate sanandi omnes, et singulos actus et patriarchales expeditiones, ab utroque praetenso electo, ad usque denuntiationis et intimationis apostolicae provisionis nostrae diem, peractos et peractas.

IV. Condonandi exactiones pecuniarum, non tamen Sedi Patriarchali debitarum;

§ 8. IV. Facultatem similiter tributam remittendi et condonandi omnes pecuniarum, quae ad Patriarchas spectabant, exactiones, ab utroque praetenso electo quomodolibet factas; ita tamen, ut, quoad pecunias quidem ad Patriarcham spectantes, benigna utique impendatur condonatio; quoad pecunias vero ad Sedem Patriarchalem pertinentes, unusquisque eidem Patriarchali Sedi restituere teneatur.

V. Utriusque electi famam, et existimationem purgandi;

§ 9. V. Scripturas omnes ad utriusque praetensi electi patrocinium et favorem editas et praedictae Congregationi de Propaganda Fide hinc inde exhibitas, tamquam in forma non probante esse, ac fore, et haberi, ac proinde in nullum famae et existimationi utriusque electi ex ipsis detrimentum illatum esse, aut in futurum inferri posse, nisi iudicialiter, servatis servandis, aliter constet.

VI. Absolvendi Episcopos illicite consecratos, eorumque consecratorem.

§ 10. VI. Facultatem tibi a nobis collatam, prout earumdem praesentium tenore et auctoritate similibus tribuimus, et impertimur, dispensandi cum monachis episcopali dignitate inauguratis ab Archiepiscopo Soriano super suspensione et irregularitate contracta, praeviis tamen salutaribus poenitentiis, et iniuncto onere sese in aliquo monasterio continendi, ibique per mensem saltem a celebratione et a pontificalium exercitio sese abstinendi: necnon facultatem tibi traditam absolvendi ipsum pariter Archiepiscopum Sorianum, alterius proinde Ritus, a praedicta ordinatione. Quibus sane Episcopis denuncies, se eas dioeceses a dicto Archiepiscopo Tobia ipsis assignatas, quae ab eodem Tobia Archiepiscopo retinebantur, et ad ipsum redire debent, habere non posse, sed eas dumtaxat, quae de iure, iuxta distributionem dioecesum, ad formam nostrae ordinationis praescriptae occasione confirmationis laudatae Synodi provincialis, seu nationalis, faciendam, assignari debent.

VII. Altaria privilegiata et indulgentias concedendi.

§ 11. VII. Indultum altaris privilegiati perpetui pro singulis cathedralibus ecclesiis a fel. recor. Benedicto Papa XIII. praedecessore nostro per alias literas concessum, si ad ecclesias cathedrales eiusdem patriarchatus dictae nationis non fuerit extensum, auctoritate nostra extendas et confirmes. Praeterea iis ecclesiis parochialibus, in quibus aliud altare privilegiatum, sive perpetuum sive ad tempus, concessum non reperitur, nec sufficiens missarum numerus celebratur, altare privilegiatum pro uno die in hebdomada, per Ordinarium loci designando, ad viginti quinque annos concedas. Insuper, patriarchali quidem ecclesiae plenarias indulgentias perpetuas, revocando alias, sive ad tempus, sive in perpetuum concessas, quater in anno, aliis vero cathedralibus bis in anno, per unumquemque christifidelem, servatis servandis, lucrifaciendas, pariter concedas et indulgeas.

Idem contendentium reconciliationi operam dare iubetur.

§ 12. Denique tuum erit in primis nihil intentatum relinquere, quod ad veram fraternamque caritatem, qua decet Episcopos sese mutuo complecti et confovere, ut populis sibi commissis exemplo sint atque incitamento, inter memoratos praetensos electos Eliam Arcen. et Tobiam Napolosiae Archiepiscopos glutino Christi Pastorum Principis conciliandam confirmandamque conducere possit: nos enim tibi omnes, ut praemittitur, facultates in hac re gravissima peragenda et conficienda necessarias et opportunas tribuimus et impertimur. Non obstantibus iis omnibus, quae in praeinsertis nostris literis diximus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Et ad praemissa omnia recte peragenda excitatur.

§ 13. Caeterum, dilecte fili, te iterum rogamus, et in Domino hortamur, ut serio animo considerans et quam ardua sit provincia tibi commissa, et quam amplae facultates ad illam alacrius adeundam et felicius explicandam componendamque attributae, omnia studia, omnes conatus et vires intendas, non ut apostolicam tantum benignitatem nostram tibi promerearis, sed ut aeternam etiam in coelis repositam mercedem a bonorum omnium remuneratore Deo, quem unum prae oculis habere debes, consequi possis et valeas. Nos interim, ad prosperi successus auspicium, tibi aposto-

licam benedictionem, quam nostro nomine universae nationi mandatis tuis obtemperanti, tuaque salubria monita adimplenti, elargiri poteris, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. martii MDCCXLIII., pontif. nostri anno III.

XXXV.

Dignitatem Protopapae in ecclesia collegiata S. Mariae del Grafeo *graeco-latini ritus in Dioecesi Messanensi cum eius privilegiis confirmat, clero eiusdem ecclesiae ius electionis Protopapae reservat, ac mandat eumdem ritum perpetuo in eâ ecclesia servari debere* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Ecclesiarum iura, et probatorum rituum varietas, conservanda.

Romana Ecclesia, omnium catholici orbis ecclesiarum mater et Magistra, assiduis pontificiae solicitudinis, apostolicae caritatis, ac supremae auctoritatis studiis sedulam vigilemque in eo potissimum operam posuit, ut omnia et singula ecclesiarum, praesertim aliis Patriarchis subiectarum, diversisque in divinorum officiorum et sacrosancti missae sacrificii celebratione ritibus, linguis et ceremoniis, per sacros canones et ecclesiasticam disciplinam comprobatis et confirmatis, utentium, iura, privilegia, indulta, decora, praerogativas, dignitates, gradus et honores, quoad sibi integrum fuisset, tueri, confirmare et adaugere adniteretur. Quamobrem adeo vetustae antiquitatis et integerrimae traditionis tenax fuit, ut ea, quae in quibusvis ecclesiis sapienter statuta et sanctissime custodita reperirentur, non solum inviolabili etiam supremae apostolicae auctoritatis ac firmitatis robore communire studuerit, verum etiam apostolicis mandatis, et sub ecclesiasticis censuris ac poenis, in posterum servanda mandaverit.

Dignitas Protopapae in eccles. S. M. *del Grafeo.*

§ 1. Quoniam autem, sicut accepimus, munus sive dignitas *Protopapae*, cuius auctoritas ac praerogativa plurimi semper in omnibus fere Constantinopolitani patriarchatus cathedralibus ecclesiis habita fuerat, Messanae, quemadmodum in nonnullis aliis civitatibus et dioecesibus reperitur, adhuc extat in collegiata ecclesia sub invocatione Sanctae Mariae *del Grafeo,* inde *Catholica* dicta, quod ecclesia huiusmodi, ut asseritur, sub Graecorum imperio, in Spiritus Sancti ex Patre Filioque procedentis confessione, cum Romana Ecclesia invicem unita permanserit; et in eadem ecclesia semper a tunc temporis divina officia et sacrosanctum missae sacrificium graeca quidem lingua, sed latino romano ritu celebrantur; nam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in azymo conficitur, sacrae vestes et sacerdotalia indumenta ad instar Latinorum adhibentur, et dies festi iuxta Kalendarium Gregorianum servantur; praeter alia, quae adhuc religioso cultu peraguntur.

Ritus Graeco-Latinus in eadem ecclesia.

Pontifex praed. dignitatem, eiusque praerogativas confirmat.

§ 2. Hinc est, quod nos, quibus omnimoda universalis ecclesiae servitus, atque adeo omnium ecclesiarum solicitudo a Pastorum Principe Iesu Christo iniuncta est, eamdem ecclesiam in eo bene constituto, quem hactenus egregie servaverunt et de praesenti laudabiliter servant, statu deinceps firmius permanere et constabiliri cupientes; motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositorum consilio, dignitatem antedicti *Protopapae,* cum omnibus insigniis, praerogativis, privilegiis, facultatibus, iurisdictionibus, iuribus, exemptionibus, titulis, honoribus et oneribus, quibus alii *Protopapae* antecessores de iure, usu, consuetudine et indultis, legitime tamen, et canonice, et de apostolicae huius Sanctae Sedis licentia, benignitate et concessione, hactenus usi, fruiti et gavisi sunt, tenore praesentium approbamus et confirmamus; necnon volumus et mandamus, ut perpetuis futuris temporibus omnino servetur, quemadmodum a plurimis saeculis servatus est, in eadem ecclesia sanctae Mariae *del Grafeo* ritus graeco-latinus, nimirum divina officia et sacrosanctum missae sacrificium graeca quidem lingua et idiomate celebrandi, sed cum sacris vestibus et sacerdotalibus indumentis latinis et iuxta Kalendarium Gregorianum, atque azymo, prout antehac in usu positum et servatum est.

Ritum Graeco-Latinum servari perpetuo iubet.

Electionem Protopapae eiusdem ecclesiae clero privative praeservat.

§ 3. Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, volumus et mandamus, ut antiqua consuetudo, cum *Protopapam* huiusmodi viam universae carnis

---

(1) Ex Bull. de Prop. Fide vol. III., pag. 93, coll. etc.

ingredi contigerit, unum ex caetu et corpore cleri dictae ecclesiae dumtaxat (in quem clerum deinceps perpetuis futuris temporibus nullum omnino, nisi eodem Graeco-Latino Ritu, ut praemittitur, initiatum, cooptari et incorporari pariter volumus et mandamus) in *Protopapam*, pro tempore existentem, ab eodem clero eligendi et constituendi, sanctissime custodiatur; quamcumque vero electionem *Protopapae* huiusmodi aliter, quam ut praemittitur factam, aut quandocumque faciendam, nunc pro tunc annullamus irritamusque, ac nullam irritamque esse, et fore, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus declaramus.

Literarum firmitatem asserit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas, ac omnia et singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati et auditi, seu causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu alias sufficientes, aut etiam ullatenus iustificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitato defectu, notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in iudicio, vel extra illud, uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas et in eis contenta quaecumque, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et quosvis alios, quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sublata etc. irritans etc.

Executores deputat cum facultatibus.

§ 5. Quocirca dilecto filio causarum Curiae Camerae Apostolicae generali auditori, necnon venerabili fratri moderno et pro tempore existenti Archiepiscopo Messanensi, committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel alter eorum, per se, vel per alium, seu alios, perpetuis futuris temporibus, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte Protopapae et cleri dictae ecclesiae pro tempore pariter existentis fuerint requisiti, si opus fuerit, solemniter publicantes, et Protopapae ac clero praedictis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra apostolica Protopapam et clerum huiusmodi praemissorum omnium et singulorum commodo, effectu et iure pacifice frui et gaudere, non permittentes Protopapam et clerum huiusmodi desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariis derogat.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibusque vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon dictae ecclesiae et nationis Graecorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. martii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

XXXVI.

Ad Ecclesiam pertinere publicarum precum formulas statuere, easque indicere ostendit (1).

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad Ecclesiam pertinet publicarum precum formulas statuere, easque indicere.

Quemadmodum preces ad Deum pro principibus effundere valde consentaneum est, ita convenit ut precum ipsarum formulae sint ex illis, quas Ecclesia usu recepit; maxime vero, si eiusmodi preces in celebratione missarum adhibendae sint. Praeterea ad ecclesiasticam auctoritatem unice spectat preces illas statuere atque indicere; cum nulli saeculari potestati fas sit decernere, praeceptoque mandare, ut publicae preces fiant, sive ad persolvendas Deo gratias pro beneficio aliquo accepto, sive ad illius opem in gravi aliqua necessitate implorandam.

Ecclesia pro principibus orari iubet.

§ 1. Divus Paulus *in prima ad Timotheum cap. 2.*, ut vos bene nostis, ita loquitur: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro hominibus, pro Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*. Quod si expediat hoc loco praxim ostendere, qua primaeva Ecclesia utebatur in orationibus et precibus ad Deum pro principibus offerendis, eam satis patefacere poterunt Sancti Dionysii Episcopi Alexandrini ad praesidem Æmilianum epistola, Tertullianus *in lib. ad Scapulam et in Apologetico*, Sanctus Cyprianus *in epistola ad Demetrianum*, Origenes *in respons. ad Celsum*, et Athanagoras *in sua Legatione ad Imperatores pro Christianis*.

Eadem, ut credendi normam, sic et orandi rationem, praescribit.

§ 2. Multum quidem inter se conveniunt credendi et orandi ratio. Proinde in celebratissimis epistolae S. Coelestini ad Galliae Episcopos additionibus *cap. 11.* legitur: *Obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus . . . ut legem credendi lex statuat supplicandi*. Atque hinc oritur, in publicis supplicationibus formulas ab Ecclesia praescriptas esse adhibendas; praesertim si res agatur de orationibus, quae recitari debeant in missa, ut dictum est. Idcirco etiam a sacro Concilio Tridentino cavetur, ne preces in missarum celebratione adhibeantur, *praeter eas quae ab Ecclesia probatae, et frequenti ac laudabili usu receptae fuerint*. Quamobrem in Missali Romano pro omni fere necessitate existunt piae quidem ac religiosae orationes, e vetustis ac venerabilibus sacramentariis opportune depromptae.

Nullum ius potestati laicae in spiritualia.

§ 3. Neque vero putamus nimium progredi, immo inter aequos auctoritatis nostrae limites nos certe consistere credimus, cum asserimus, ad ecclesiasticam quidem, non autem ad saecularem potestatem, pertinere, de ecclesiasticis ac spiritualibus rebus disponere. Magnus ille Osius, Episcopus Cordubensis, apud Sanctum Athanasium in Epistola ad solitariam vitam agentes, ecclesiastica sane libertate ad Constantium Imperatorem haec scripsit: *Ne te misceas ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc genere praecipe; sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus imperium commisit: nobis, quae sunt Ecclesiae, concredidit.... Cave, ne quae sunt Ecclesiae ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Scriptum est: Quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo.*

Praecepta magistratuum de publicis habendis precibus, alias revocata et abrogata.

§ 4. Ad viciniora autem tempora, et ad rem, quae epistolae huic nostrae occasionem dedit, propius accedentes, dicimus, a laicorum ipsorum tribunali abrogata fuisse atque rescissa saecularis alicuius magistratus decreta, quibus publicae pro principibus preces indictae fuerant, quod eiusmodi decreta nullius auctoritatis aut roboris esse per se innotesceret. Et non multis ab hinc annis sacra Concilii Congregatio, praedecessoribus nostris annuentibus, publice abrogavit irritumque fecit saecularis potestatis edictum, quo illa, ob partam a principe victoriam, indixerat pro gratiarum actione *Te Deum laudamus*, etiamsi protestationem inseruisset de praeiudicio ecclesiastico iuri non inferendo, quod nimirum facto protestatio ipsa adversaretur.

Monentur Episcopi, ut pro principibus, iuxta Ecclesiae ritus, orari iubeant.

§ 5. Ut igitur aequitatis iure, rectoque ordine omnino procedatur, monemus vos atque hortamur, ut tum vos, tum alii opera vestra, Deum sedulo rogent pro incolumitate ac felicitate vestrorum principum, quemadmodum et nos pro principibus catholicis quotidie facimus. Æquo li-

(1) Ex Arch. Brev.

bentique animo accipite, quod potestates saeculares a vobis petant, ut pro se publicae preces fiant; atque operam date, ut Ecclesiae formulae in illis usurpentur, neque novae aut inusitatae orationes in missa recitentur.

Sed laicae potestati idipsum forte imperanti non assentiantur.

§ 6. Sin autem, quod nobis persuadere non possumus, laicalis aliqua potestas, usu vel consuetudine aliqua (quae abusus revera dici debet), praesumat auctoritatem vestram in hoc minime agnoscere, sed iure suo directe velit publicas preces indicere, immo et poenam parere renuentibus statuere audeat; loquiminor et vos, quemadmodum Osius ad Imperatorem locutus est. Rationes adducite, quas, qui errant, fortasse ignorant. Palam ipsis facite, hanc nullatenus esse rationem exorandi Deum, atque id, quod cupiunt, consequendi: ad vos confugere eos debere, cum vos ii sitis, qui licet *ex hominibus assumpti,* tamen estis ***pro hominibus constituti in iis, quae sunt ad Deum,*** ut ad Hebraeos Apostolus loquitur: nec, praeter vos, posse aliquem opus huiusmodi suscipere et hunc sumere sibi honorem; *sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Si qui pervicaces fuerint, de iis ad S. Sedem referant.

§ 7. Quod si dictis non acquiescant, neque a vobis opportunum iudicetur in eos ita procedere, ut ecclesiasticae disciplinae iura exigerent; vobis stricte mandamus, ut nos quamprimum certiores de iis faciatis, opportunis quoque transmissis ad manus nostras documentis: cum nos parati simus ea omnia facere quae clarissimi praedecessores nostri in eiusmodi occasionibus facere consueverunt. Nolumus enim, ad supremum Dei tribunal vocati, de neglectis sanctuarii iuribus forte iudicari. Interea vos paterno amore complectimur, vobisque apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. martii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

XXXVII.

De Vicariatu Apostolico in ditionibus borussicis tam intra limites imperii quam in ducatu Silesiae (1).

Venerabili fratri nostro Card. de Sinzendorf Episcopo Wratislaviensi,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Respondet Vicariatus propositioni.

Accusiamo già la ricevuta della sua lettera col consaputo piano del Vicariato, ed avendo avuto un tal quale respiro dopo le funzioni continuate della Settimana Santa e di Pasqua, ci siamo posti al tavolino, ed avendo considerato il piano, poniamo ora in carta le considerazioni che finora abbiamo fatte sopra lo stesso, acciò ancor Ella si prenda l'incomodo di seriamente riflettere a quanto le accenniamo.

Praemittenda.

Ed avanti d'entrar nella materia, siamo in obligo di premetter due cose: l'una, che noi ci protestiamo molto obligati al Sovrano, che sta costante nella massima di lasciar vivere i sudditi cattolici, che sono nei suoi Stati, nel libero esercizio, e secondo i principii della nostra Santa Religione, incaricando lei in buona congiuntura a fargli presente questa nostra sincera riconoscenza: l'altra, che sempre più abbiamo prove della dipendenza ch'ella professa d'avere, ed ha da questa Santa Sede Apostolica e da noi, vedendo che ha usata ed usa ogni maggior diligenza, e che nulla ha conchiuso e intende di conchiudere senza la nostra approvazione.

Vicariatus propositi expendit limites.

Quindi entrando nella materia, se non c'inganniamo, il Vicariato, di cui si tratta, ha due parti. Una riguarda il Vicariato apostolico di prima e seconda istanza sopra alcuni Stati posseduti da codesto Sovrano dentro i limiti dell'Impero, cioè sopra il marchesato di Brandeburgo, il ducato di Magdeburgo, di Pomerania e di Grossen, ed i principati di Halberstadt, di Minden e di Camin. L'altra risguarda il Vicariato di seconda istanza sopra le nuove conquiste fatte dal Sovrano nel ducato di Silesia; che è lo stesso che dire, sopra la Silesia a lui ceduta, la contea di Glatz, ed i principati di Troppaü e di Iaegerndorf.

Bona Vicariatus propositio ex parte.

I paesi posseduti dal Sovrano dentro i limiti della Germania, e che sono compresi nella prima parte del Vicariato, sono, come ella ben sa, presentemente sotto la

(1) Ex Opere Augustini Theiner — *Zustände der Katholischen Kirche in Schlesien* — von 1740–1758. Zweiter Band pag. 237, Regensburg 1852.

direzione del Vicario Apostolico delle missioni settentrionali di Hannover. Per eseguir dunque la prima parte del Vicariato sarebbe d'uopo sottrarre i paesi dalla direzione del sopradetto altro Vicario Apostolico, e sottoporli al nuovo Vicario: nè in ciò possiamo figurarci l'incontro di veruna difficoltà, almeno in quello che riguarda la giurisdizione nella prima istanza; riservandoci a parlare della seconda un poco più abbasso.

Sono i predetti paesi lontani dal presente Vicario Apostolico: ne' predetti paesi è affatto abolita tutta la giurisdizione vescovile; dipende la loro reggenza nello spirituale da un Pastore lontano, e quando ve ne fosse uno vicino legittimamente costituito, non vi è chi non veda l'evidente utilità della nostra Santa Religione; avvegnachè un vicino può, se non altro, senza dubbio usare maggior diligenza per conferir bene le parrocchie, di quello che possa farsi da un Vicario lontano che risiede o in Hannover o in Hildesheim.

Quinam dicendus Vicarius legitime constitutus.

Sappiamo che a lei non manca vivezza di spirito e penetrazione nel capire e nell'intendere; e però ci figuriamo, che ci domanderà, cosa intendiamo per Vicario legittimamente costituito. E noi francamente risponderemo, intendere d'un Vicario eletto da noi, e che non si vergogni di riconoscere noi per Capo visibile della Chiesa e la primazia di questa Santa Sede, e che sia ben persuaso, che nulla può nel suo ministero, se non dipendentemente da noi e dalle nostre concessioni, e che imprima simili massime nel popolo a lui commesso.

De Vicarii denominatione.

E quand' ella replicasse, che tutto ciò si ottiene, ancorchè non siasi potuto ottenere che il Vicario si chiami Vicario Pontificio, ma *Vicario Cattolico in spiritualibus*, ed ancorchè il Sovrano voglia la nomina della persona che deve esser Vicario, quale, dovendo ricevere da noi le facoltà, dovrà per necessità dipendere da noi, che sempre saremo in grado di levarlo quando egli se ne abusasse, e presumesse d'esercitarle con indipendenza, noi porremmo sotto la di lei avvedutezza, acciò considerasse e facesse considerare: primo, non essere in queste materie cosa indifferente la denominazione, nè consistere la questione nella parola, ma nelle conseguenze che risultano dalla parola. Secondo i nostri principii, è verissimo che alla sola Chiesa Romana appartiene il titolo di Cattolica, cioè, universale, estendendosi a tutti i tempi ed a tutti i luoghi. Ma non avendo i protestanti che se ne sono separati, veruna difficoltà di chiamarla cattolica, come si vede nella transazione di Passavia dell'anno MDLV., che è detta la *Pace di religione*, in cui distinguendosi le due religioni nelle quali era divisa la Germania, ed una denominandosi *cattolica*, e l'altra della *confessione augustana*, qual linguaggio si è di poi continuato ne' seguenti trattati, ed anche in quelli di Westfalia, ciascheduno può riconoscere, prendersi la voce *cattolica*, come esprimente una chiesa particolare, e per conseguenza non essere la denominazione di Vicariato cattolico atta e sufficiente ad imprimere e mantenere nei sudditi cattolici del Vicariato quella credenza che debbono avere della Chiesa Romana, anzi potergli indurre in qualche equivoco, o in qualche errore.

In Germania Vicarii S. Sedis appellantur Apostolici.

La voce *apostolica* è voce adoperata nel Simbolo che si recita nella Santa Messa, per ammaestrare i fedeli, che la Chiesa Romana è l'unica che crede ed insegna tutto ciò che gli Apostoli crederono ed insegnarono; e se ancor oggi nei brevi di deputazione di vicarii per le diocesi acattoliche della Germania non sono i predetti chiamati vicarii cattolici, nè tampoco vicarii *pontificii*, ma *vicarii apostolici*, non si sa per qual motivo non si possa nella stessa maniera chiamare il Vicario che è in questione.

Ius nominandi praetensum a principe excedit Vicariatus quidditatem.

Secondo, che quanto è congrua e ragionevole la pretensione del Sovrano, che il soggetto da deputarsi per Vicario sia grato a lui, e prescelto tra suoi sudditi, dovendo quindi sperarsi maggior bene, altrettanto sembra difficoltosa l'altra pretensione del *ius* di nominarlo, essendo essa contraria alla quiddità del Vicariato, e potendo essere di nostro gran danno senza verun vantaggio di lui.

Il Vicariato Apostolico è un puro ministero; e però ne' brevi di deputazione s'inserisce la clausula *ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum:* e questa, unita colla natura di puro ministero, osta al diritto della nomina.

Quae sequerentur inconvenientia.

Inoltre vi sono pel mondo molti vicarii apostolici, e non vi è esempio che a verun sovrano, nelle di cui regioni qualcheduno d'essi esercita giurisdizione, sia stata mai dalla Sede Apostolica accordata la nomina: il che è tanto vero, che avendo gli Stati generali d'Olanda, per quietare le turbolenze insorte, proposto non già di nominare una persona per Vicario Apostolico

ivi residente, ma di proporne tre, lasciandone al Sommo Pontefice la prescelta, e non essendosi da veruno de' nostri predecessori voluto ammettere questo partito, non vi vuol molto a comprendere di quanto danno sarebbe a noi l'accordare presentemente la nomina richiesta, e di quanto poco profitto sarebbe pel Sovrano, che si trova bastantemente cautelato colla deputazione d'un Vicario a lui grato e suo suddito.

Terzo finalmente, che è ben facile il dire, che abusandosi il Vicario delle facoltà, si è sempre in grado di levarlo, ma non è poi così facile a porlo in pratica, e particolarmente quand'esso fosse nominato dal Sovrano, essendo alle volte i lontani portati all'indipendenza, e, coll'aiuto di chi comanda, ad alzar la cresta contro chi gli ha data l'autorità che esercitano.

Consideranda quoad alteram partem Vicariatus.

Alla prima parte del Vicariato succede la seconda, ed oltre le ispezioni della voce, o sia titolo, e della nomina, che sono comuni all'una ed all'altra, ed oltre altresì la confusione di tutto il diritto canonico, dovendo la stessa persona esser giudice di prima e di seconda istanza, porremo ancor qui le nostre considerazioni, acciò ella vi rifletta, ed anche vi faccia riflettere.

Questa seconda parte del Vicariato comprende, com'ella ben sa, una parte di paese sottoposta nello spirituale al Vescovo di Cracovia, la contea di Glatz sottoposta nello spirituale al prelato di Praga, e le signorie di Troppaü e di Iaegerndorf a quello di Olmütz.

Aliorum iurisdictio tangenda esset, qua illos spoliare non liceret, quin saltem audiantur.

Tutti questi sarebbe d'uopo spogliar della giurisdizione che ora hanno, senza nemmeno sentirli: e qui sia lecito interrogare il nostro Sig. Cardinale di Sinzendorf, se questo modo di agire piacesse a lui, quando egli invece di essere Vescovo di Breslavia, lo fosse di Cracovia, di Praga, o di Olmütz, o pure fosse uno de' Magnati della Polonia?

Et etiam in principes offenderetur.

Di più, questo modo di agire porta seco il separare le giurisdizioni spirituali sul piano de' dominii temporali: ed in questo stato di cose bisognerebbe essere affatto cieco per non vedere il grave imbarazzo in cui saremmo costituiti e noi ed i nostri successori per altre simili istanze; e per tacere dell'altre, sarebbero inevitabili quelle delle Case di Brunswick, di Hassia Cassel, di Brandeburgo, Bareïth nella Germania, di quasi tutte le città imperiali, degli Stati d'Olanda per l'Olanda, e di chi regna in Inghilterra per l'Irlanda. Finalmente nè si può, nè si dee tralasciare, che dovendo noi essere ed essendo Padre comune di tutti, e sapendo noi il convenuto fra la Regina d'Ungheria e cotesto Sovrano nella cessione della Silesia, cioè, che la religione rimanga in *statu quo,* che il Vescovo di Breslavia co' suoi tribunali ecclesiastici resti colla giurisdizione ecclesiastica come dianzi, e conforme l'ha trovata nel suo ingresso alla Silesia, e chi sarebbe mai che potesse liberarci dalle giuste querele della predetta Regina, quando vedesse approvato da noi un piano che fa una sensibile alterazione al suo concordato e al diritto de' Vescovi confinanti, tanto più quando lo facessimo alla sordina, e senza ch'essa nulla ne avesse saputo?

In hac re tanti momenti considerate agendum.

Queste sono le riflessioni, diremo così, all'ingrosso, che facciamo dopo avere anche sentito il parere degli altri, essendo questa una di quelle materie nelle quali sarebbe arbitrio effrenato il far passo senza l'altrui consiglio, assicurandola, che sono da noi esposte, ed anche da noi sono state suggerite, pel puro fine di porre l'affare ne' suoi termini doverosi: e sarà, come vivamente la preghiamo, sua incombenza, il farne partecipe chi vi ha ingerenza, sperando che nel tempo in cui qui si andranno esaminando gli altri punti inseriti nel progetto del Vicariato, la di lei efficacia otterrà dalla buona volontà del Sovrano i necessarii compensi ai disordini poc'anzi accennati.

Nimis longa epistola obiectiones compendiat.

Qui dovrebbe finire questa nostra lettera ormai troppo lunga: ma se è vero l'adagio, che *non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis,* siccome noi ci vediamo astretti a soggiungere qualche altra cosa che reputiamo molto importante, così ella avrà la pazienza di proseguire a leggere.

Se non c'inganniamo, come in ciò veramente non crediamo d'ingannarci, tutta questa nuova macchina s'appoggia al non volere inquietudini ed imbarazzi nello Stato, al non volere ch'esca danaro e venga a Roma, al non volere che le cause nè in prima, nè in seconda istanza sieno esaminate e discusse in Tribunali esteri, ed ai bisogni e necessità dei sudditi, acciò abbiano un rimedio presentaneo.

Perturbationum vanus timor.

Se parliamo delle inquietudini ed imbarazzi nello Stato, e qual macchina di nuova invenzione, per vero dire, è necessaria, acciò le inquietudini e gl'imbarazzi non sieno eccitati dai cattolici sudditi di codesto Sovrano? e chi vi è che non sappia, non

esservi religione più obbediente ai sovrani della nostra, esser precetto di essa l'esser fedele al principe, dover pregare per esso, e dover vivere quietamente sotto il di lui comando? Facilmente potrebbero aggiungersi altre cose; ma avendo il Sovrano in sua casa gli esempii freschi e domestici, ci contenteremo d'additare, che se non ebbe il suo padre verun timore, o veruna soggezione de' suoi sudditi cattolici, ai quali con somma degnazione permise l'aprire nuove chiese, nuove scuole, e l'erigere nuove missioni, molto meno dovrà esso temere di simili cose, essendo giunto al colmo d'ogni umana grandezza, ed attualmente sperimentando la morigeratezza e l'obedienza de' cattolici in quei sudditi suoi cattolici che vivono subordinati nello spirituale all'amministrazione del Vescovo di Ruremonda.

De distractione pecuniae respondet.

Se poi parliamo del non volere che il denaro esca di Stato, e venga a Roma, noi qui volentieri sapressimo, come dalla Silesia esca danaro, e venga a Roma; sappiamo bensì d'aver concedute varie dispense, ma o dando a lei la facoltà di dispensare, o facendole spedire pel canale della Penitenzieria, senza che si sia esatto un minimo quattrino. Sappiamo inoltre d'aver facilitato, e ridotto a bagattella, cioè, alla pura mercede di chi ha operato, quando si è trattato di spedizioni di cotesti paesi, ciò che sarebbe stato di maggiore spesa, se si fosse trattato di spedizioni d'altri paesi, e che l'avrebbero volentieri pagata per sovvenzione del primo sacerdote, ed in riconoscimento del primato.

E per stringere in poche parole il discorso, sopra cui si potrebbe fare un giusto volume, e per porre in un fascio i nostri antecessori e noi, proponiamo il seguente partito.

Grida la Germania d'essere smunta da Roma. Sono in Roma i libri e della Camera, e della Dataria, e della Segreteria de' Brevi, almeno da S. Pio V. in giù. Si estraggano dai libri della camera i denari che di qui si sono mandati in Germania nelle pubbliche urgenze, e specialmente di guerra col Turco, si estraggano dai libri della Dataria e della Segreteria de' Brevi tutte le partite dell'esatto a conto delle spedizioni di Germania, e chi ha da rifare rifaccia: e noi siamo sicuri d'andare quasi al pari di Sisto V., che ripose più milioni in Castello. Sig. Card. nostro, non è tutt'oro quello che risplende, e molti parlano, e seguiteranno a parlare, perchè così gli comple di fare, non perchè abbiano ragione di farlo.

Ad causas facilius expediendas institutio Vicariatus inutiliter invocatur.

Altro non resta che il motivar qualche cosa sopra il punto, che le cause in prima e seconda istanza si vedano nel luogo, e che per gli bisogni vi sia un rimedio presentaneo. Questo secondo punto non ha d'uopo di gran discussione, non essendosi mai negato di soccorrere i lontani, essendosi sempre dato, ed essendo ancor noi sempre preparati a dare le facoltà opportune e necessarie, acciò i poveri lontani abbiano il pronto rimedio, senza essere astretti a dover troppo spesso ricorrere a Roma. Quello che non si può ammettere è il muro di divisione che sembra volersi alzare per rompere la totale comunicazione fra il Capo e le membra, e la subordinazione de' membri al Capo, non essendo questa subordinazione punto di disciplina, ma di dogma.

Ed in ciò che risguarda le cause, ella sa meglio di noi che la prima istanza è dell'Ordinario, e la seconda è del Metropolitano, e che si è introdotto in alcuni paesi il portarne qualcheduna avanti i Nunzii per levare ai litiganti l'incomodo e il dispendio di venire a Roma. Ora si vuole, che le cause si vedano nel luogo in prima e seconda istanza: ma per far questo che bisogno v'è, per amor di Dio, di guastar tutto, e di levare ai Metropolitani ed ai Nunzii il ricorso, come si progetta nella prima parte e nella seconda del piano trasmesso, col porre in iscompiglio il tutto e porre il Papa in angustie, ed eccitare i reclami ben giusti degli interessati che restano lesi? È forse la Silesia, il primo paese in cui si ha la pretensione, che le cause si vedano nel luogo in prima e seconda istanza? Ciò facilmente si ottiene colla delegazione di giudici locali, quando nei luoghi si ritrovano persone capaci di giudicare. Con lettera circolare già da noi fu fatto sapere a tutti gli Ordinarii che col consiglio dei loro capitoli mandassero una nota di più persone capaci, unicamente pel fine di sapere a chi si possano commettere le cause anche in prima istanza, quando l'Ordinario non può procedere, e molto più in seconda istanza, quando si tratta di paesi che hanno il privilegio *de causis non evocandis*.

Aliter provideri potest.

Questa sarebbe la vera pezza da porre sopra questa esagerata gran ferita. Prendendosi sistema nelle altre cose è facile l'ordinare ai Vescovi, ai Metropolitani ed

ai Nunzii il subdelegare nelle cause contenziose, o in prima o in seconda istanza, giudici locali; e camminando per questa strada, si ottiene il bramato fine, che le cause *non evocentur,* senza porre tutto in rovina.

Potrà ella da ciò riconoscere, che si tira al buono, e che si fa tutto quello che si può; e che quello che non si farà, non si farà perchè non si voglia fare, ma perchè, salva la coscinza, non si potrà fare. Ci conservi ella il suo buon affetto: e teneramente abbracciandola le diamo l'apostolica benedizione.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XXVII. aprilis MDCCXLIII. pontificatus nostri anno III.

XXXVIII.

Matrimoniorum firmitati consulendo, damnantur et annullantur pacta inter coniuges inita de non appellando a sententia lata pro matrimonii nullitate; confirmatur constitutio edita super huiusmodi iudiciorum forma; ecclesiasticae disciplinae observantia in matrimonii celebratione commendatur.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Connubiorum frequentes in Polonia solutiones alias improbatae

Nimiam licentiam, ac libertatem, abusumque, in perpetuis indissolubilibusque vinculis matrimoniorum canonice celebratorum, diuturna etiam animorum concordia stabilium, nulla legitima causa intercedente, nec, si qua esset, iuxta canonicas praescriptiones expensa, ac tanta cum facilitate, non sine gravi bonorum offensione, dissolvendis, in ecclesiasticis istius Poloniae regni curiis inductum vigentemque, per alias nostras in simili forma Brevis literas die XI. mensis aprilis anno MDCCXLI. ad vos datas, deplorantes nos et detestantes, atque insimul fraternitates vestras rogantes et in Domino exhortantes ad custodiendas vigilias super ovibus vestrae curae commissis admonueramus, nos hac in resalutares leges modumque opportunum serio meditari (1).

Leges super matrimoniis occultis a Pontifice editae.

§ 1. Interea certiores facti, in quamplurimis christiani orbis regionibus invectam esse pravam consuetudinem matrimoniorum occultorum, vulgo conscientiae dictorum, a quibus illa quoque, inter caeteras inde provenientes inordinationes, confusionesque, emanabat, qua occulta huiusmodi matrimonia, aliis matrimoniis cum aliis coniugibus publice celebratis, re ipsa solvebantur; per Encyclicas alias nostras literas ad venerabiles fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos universos, die XXVI. mensis augusti eiusdem anni scriptas, ea, ad antedictam pravam consuetudinem penitus abrogandam, praescripsimus, quae sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis consona, si accurate servarentur, iniectam nobis sollicitudinem imminuerent.

Reformata iudicia causarum matrimonialium.

§ 2. Hisce insuper alias pariter nostras sub plumbo literas III. nonas novembres anno Incarnationis Dominicae MDCCXLI. expeditas addidimus, in quibus typorum arte editis, ac palam propositis et vulgatis, statuimus et in causis matrimonialibus super validitate et nullitate matrimoniorum servandas mandavimus leges ac regulas, quantum ab hominibus prospici potest, opportunas ac necessarias, secundum quas ecclesiastici iudices, neque culpa et improbitate, neque inscitia ac ignorantia abrepti, cum disceptationem de validitate et nullitate matrimoniorum huiusmodi apud ipsos haberi contigisset, non pro ingenio, sed pro iustitia tuto sententiam suam ferre possent.

Idoneorum iudicum deputationi consultum.

§ 3. Praeterea cum relatum obiectumque esset, malum huiusmodi inde evenire, quod commissiones quae quoad secunda in causis matrimonialibus edita postulata et instantias dabantur, ad viros ad ius dicendum neque aptos neque idoneos, sed iudicandi prorsus incapaces dirigerentur: Nos non solum per Encyclicas alias literas universis Antistitibus inscriptas, singulis iniunximus et mandavimus, ut unusquisque cum capituli cathedralis ecclesiae suae consilio, eorum virorum, quos ad grave iudicii huiusmodi ministerium probe et sapienter obeundum aptos et idoneos, rebus omnibus considerato exacteque expensis, in Domino reputassent, indicem confectum, ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem mitterent; verum etiam in memoratis nostris sub plumbo expeditis literis addendum cu-

Praesertim in huiusmodi causis.

(1) Vide Bull. Rom. *Matrimonii perpetuum,* etc.

ravimus, ne antedictae commissiones in secundis instantiis super causis matrimonialibus deinceps ad alios dirigerentur, quam ad viciniores Antistites; atque ut tunc dumtaxat, si forte contingeret ita fieri non posse, ad quempiam ex indicatis viris aptis et idoneis commissiones huiusmodi dirigantur.

Praemissa a Polonis eluduntur, initis pactis poenalibus de non appellando a sententia super nullitate matrimonii.

§ 4. Ex praescriptis apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae sanctionibus conceptam fiduciam sustentantes, fore nimirum, ut abusus antedictus et omnis inordinatio istinc potissimum, quemadmodum alibi, benedicente Domino, evenire gratulabamur, penitus auferretur; ingenti cum pontificii cordis nostri dolore accepimus, istic novas fraudes adinventas, novaque effugia quaesita, quibus apostolicae salutares ordinationes eluderentur. Horret animus referre non solum pacta inter coniuges, matrimonii dissolutionem contendentes, vicissim conventa, ut alter eorum, post latam ab ecclesiastico iudice super matrimonii nullitate sententiam, ab eadem appellare audens, ad quamdam certam pecuniae summam alteri de ipsa sententia acquiescenti solvendam teneatur, verum etiam ab ecclesiastico iudice, apud quem appellatio instituta fuerit, appellantem ad omnimodam summae huiusmodi solutionem damnari.

Neglectus formae praescriptae pro celebratione matrimonii, fomes controversiarum super validitate.

§ 5. De hisce autem rebus accuratissime exquisitis plenissime docti, nos in ea sumus sententia, inordinationem confusionemque antedictam in Regno Poloniae vigentem, maiorem in partem, ex more modoque, quo matrimonia per Poloniam contrahuntur ac celebrantur, omnino exoriri. Saepe numero enim ac passim praesentia proprii parochi, dum matrimonium per verba de praesenti contrahitur, desideratur, et cuilibet sacerdoti interessendi commissio, interdum inscio etiam proprio parocho, demandatur. Frequentissime etiam super denunciationibus per tres festos dies inter Missarum solemnia in parochiali ecclesia tam viri, quam mulieris, de matrimonio contrahendo fieri solitis, ac tantopere praescriptis, dispensatur; itaut, nulla intercedente legitima et urgenti causa, ne una quidem denuntiatio fiat.

Pravi effectus, et scandala inde consequentia.

§ 6. Quamobrem obstructa omni via, qua ad agnitionem perveniri posset, an quodlibet matrimonium cum debita utriusque contrahentis libertate et consensu celebretur; intercedatne inter utrumque contrahentem impedimentum aliquod, cuius causa deinceps idem matrimonium iam contractum dissolvi et irritari debeat: hinc opportunus datur locus frequentissimis super nullitate matrimoniorum in facie ecclesiae etiam initorum disputationibus; interdum quidem contenditur matrimonium, sive per vim, sive per metum, et sine alterius coniugis libero consensu, contractum fuisse; interdum vero impedimentum obtenditur, quod, caeteroquin legitimum ac canonicum, ante resciri potuisset, quam matrimonium contraheretur, nisi de industria deditaque opera occultum esse voluissent; interdum etiam, quod frequentius accidit, inde matrimonii nullitas arcessitur, quod coram alio sacerdote, licet de commissione sive parochi, sive Antistitis Ordinarii, sine tamen debitis consuetisque formis attributa, celebratum fuerit matrimonium. Nemo sane est, qui non intelligat, praemissa omnia, tamquam perpetuum diabolicae nequitiae fomitem, apertumque sceleri aditum, in causa esse et ut canonicum appellationis beneficium a nobis in ultimis nostris literis tantopere commendatum, quo alter coniugum, post adiudicatam alteri super matrimonii nullitate causam, frui potest, per hasce fraudes et effugia impediatur, et ut frequentiores sint, non sine gravissima bonorum offensione et scandalo, in Polonia huiusmodi connubiorum dissolutiones.

Pontifex damnat, et annullat praedicta pacta inita, sive ineunda.

§ 7. Itaque, ut iniunctis imbecillitati nostrae apostolici muneris partibus, quantum cum Domino possumus, satisfacere et opportunum perniciosissimo huic malo remedium adhibere adnitamur, motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, non solum omnia et singula eiusmodi pacta inter coniuges, pro dissolutione matrimonii quandocumque facienda, quomodolibet inita; verum etiam ea, quibus sive directe sive indirecte appellatio ab iudicis sententia iam lata super matrimonii nullitate impediatur, etiamsi utraque pacta interposito iureiurando approbata et confirmata, atque etiamsi ante editas nostras memoratas ultimas literas quomodolibet conventa et facta fuissent, nulla, invalida, irrita nullius roboris et momenti esse ac fore et imposterum futura et habenda esse declaramus et nunc pro tunc annullamus, invalidamus, irritamusque; itaut nullo unquam pacto, tam in foro interno, quam externo, obligatoria sint et habeantur, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, a qua nemo,

Eorum observantiam prohibet contrahentibus, sub poena excommun. reserv.

quicumque pacta huiusmodi celebraverit, praeterquam a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente successore nostro, nisi in mortis articulo, absolutionem obtinere possit. Praeterea eidem excommunicationis poenae ipso facto obnoxium esse et fore, eamque incurrere et incursum esse pariter, declaramus et nunc pro tunc pronuntiamus quemcumque iudicem, qui pacta antedicta executioni demandanda et servanda curare et pronuntiare ausus fuerit; ac propterea praefatas ultimas literas, seu constitutionem nostram et quaecumque in iis, sive in ea, contenta, ac praesertim omne id, quod quoad ordinem seriemque appellationis a deputato matrimonii defensore, semper ac ab iudice contra eiusdem matrimonii nullitatem sententia pronuntiata fuerit, interponendae, continetur, statuitur, ac praecipitur, quatenus opus sit, iterum innovamus et confirmamus, denuntiamusque; et fraternitatibus vestris easdem nostras literas iterum proponendas, evulgandasque, in virtute sanctae obedientiae iubemus, perinde ac si de verbo ad verbum iisdem praesentibus expressae et insertae fuissent, quemadmodum earumdem tenorem ipsis praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus.

Leges a se statutas circa appellationes in causis matrim. confirmat et innovat.

Canonum observantiam, quoad celebr. matrimon. Episcopis inculcat.

§ 8. Quamquam vero quaecumque hactenus gessimus, retulimus, praescripsimus, satis esse intelligimus, ut fideles istic praesertim matrimonii sanctitatem cognitam habentes, ad sacramentum hoc magnum, ea, qua decet, animi reverentia ac pietate, ineundum accedant, eamdemque sanctitatem, mutuamque animorum concordiam perpetuo inviolatam indissolubilemque servent; tamen nostrae hac in re gravissimâ apostolicae sollicitudini haud satis esse ducimus, nisi fraternitatibus vestris proponamus praeclaras salutaresque leges, ac regulas aliarum bene constitutarum dioecesum, in quibus fere nunquam, aut raro, lites super contractis matrimoniis agitantur et sententiae super eorumdem matrimoniorum nullitate pronuntiantur.

Praesertim assistentiam proprii parochi.

§ 9. Ac primum omnium, munus, quod ad proprium parochum iure spectat, interessendi matrimoniis celebrandis, per se ipse parochus, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus, obire tenetur.

Inquisitionem super contrahentium consensu et impedimentis matrimonii.

§ 10. Onus pariter proprio parocho iniunctum est, ut ante quam denunciationes de ineundo matrimonio publice in ecclesia inter missarum solemnia fiant, ipse tum sponsum, tum sponsam seorsim caute et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat, an ex voluntate, sponte, ac libenter et vero cum animi consensu, in matrimonium vicissim coniungantur; necnon ut, quantum fieri potest, inquirere nitatur, ullum ne et cuius generis impedimentum inter contrahentes intercedat; aliis ne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit; de consensu ne parentum filii, filiaeque familias contrahant. Haec, aliaque huiusmodi momenta postquam parochi accuratissime exploraverunt; si aliquod eorumdem momentorum sive deficere aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium Antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito, opportune provideat.

Trinam matrimonii denunciationem.

§ 11. Quod si parochi nihil, quod denuntiationibus publice et de more faciendis obstet, tuto animadverterint, tunc illas per tres festos dies continuos in ecclesia inter missarum solemnia, iuxta tam Concilii Lateranensis sub fel. record. Innocentio Papa III. praedecessore nostro, quam Concilii Tridentini praescriptum, proponent, ut impedimentum, si quod prius resciri non potuerat, ab interessentibus auditoribus indicetur.

Mandat Ordinariis ne temere delegent alienum sacerdotem ad assistendum celebrat. matrim.

§ 12. Etsi autem Antistites super ovibus sibi commissis vigilias, ea, quam ante diximus, salutari ratione, custodientes, non ignorant, matrimonium coram quolibet sacerdote non parocho, facta illi copia, dataque licentia, sive a proprio parocho, sive a loci ordinario Antistite, validum esse, auctoritatemque super denuntiationibus dispensandi, atque ut una pro tribus et ne una quidem, urgente legitima gravissimaque causa, denuntiatio fiat, permittendi, se habere; tamen diligentissime cavent, ne ad libitum hac sua auctoritate, tum super denuntiationibus dispensandi, tum cuilibet potius sacerdoti, quam proprio parocho facultatem, ut in contrahendis matrimoniis interesse possit, committendi, nisi ubi ineluctabilem necessitatem ita exigere animadverterint, utantur. Immo cum, ut praemissum est, commissionem huiusmodi necessario dandam esse perspexerint, eam non statim, sed postquam ex adhibitis diligentiis, acceptisque certis notitiis, sibi tuto constiterit nullum inter contrahentes interponi impedimentum, impertiuntur.

Nec dispensent super denunciationibus, ni-

§ 13. Quoad dispensationem vero super denuntiationibus, semper prae oculis Con-

si iuxta praescriptum Conc. Trid.

cilii Tridentini decretum de reformatione matrimonii habentes, apertissime intelligunt, facultatem in huiusmodi dispensationibus effraenatam immoderatamque sibi nullatenus inesse, sed facultatem ad prudentiae rationem, legitimarumque causarum emergentes occasiones dirigendam, eâque caute uti, ita ut hac in re semper recitent haec eiusdem Concilii Tridentini verba: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot, nempe tres praecesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus, vel tribus, testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

Leges ecclesiasticas ipsi custodiant, et a subditis impleri curent.

§ 14. Haec, venerabiles fratres, Antistitum gravissimas episcopalis in matrimoniis praesertim celebrandis ministerii partes adimplere studentium sollicitudo, diligentia, ac ratio agendi, omnes fere connubiorum dissolutiones e medio tollit; hanc igitur sequamini. Per hanc semitam, non recens apertam, sed semper tuto tritam et a laudato Concilio Tridentino tantopere commendatam, atque sub praecepto ad suscipiendam frequentandamque universis antistibus traditam, dirigite gressus vestros, ut iniuncto vobis oneri etiam hac in parte satisfacere possitis. Vigiles ac solliciti adnitamini, ut parochi, animarumque christifidelium rectores, in partem laborum vestrorum coadiutores vocati, in suis, ea, qua tenentur, vigilantia, sedulitate et integritate, muneribus exercendis, per se ipsi omnem operam et curam impendant. Ne patiamini, ut facili humanitate ducti, non autem legitima necessitate coacti, iuridicam propriorum parochorum praesentiam, in contrahendis matrimoniis necessariam, ob quodlibet leve momentum removentes, cuilibet sacerdoti in illis interessendi licentiam concedatis. Canonicas ordinationes, ae leges super denuntiationibus ante contrahendum matrimonium faciendis, non sine gravi animi angore conscientiaeque stimulo servandas et summa cum nonnullorum offensione scandaloque minime praetereundas, vos ipsi custodite et ab aliis, quorum interest, re ipsa servari facite.

Contrarias consuetudines reiicit.

§ 15. Nec obtentu, praetextu, aut colore cuiuscumque consuetudinis et usus hactenus quomodolibet invecti et in vestris dioecesibus vigentis, eâ, quae ad haec usque tempora, super denuntiationibus sine legitima causa dispensandi, versa est in fastidium et tot litium fomitem, facilitate, deinceps abuti, audeatis; perniciosa enim consuetudo et auctoritatis abusus, non ad normam agendi, sed ad male actorum exprobationem confert.

Adimit Nuntio Apostolico facultatem dispensandi super denunciat., et committendi assistentiam alienis sacerdotibus.

§ 16. Quam vero vobis, ad commissiones et dispensationes huiusmodi praecipitanter effuseque dandas, exemplo et incitamento fuisse asseritur, nimiam in iisdem tribuendis indulgentiam, qua vere, nec ne, Ordinarius Apostolicae huius Sanctae Sedis in Polonia pro tempore existens Nuntius, vigore facultatis, ipsi inter caeteras tamquam a latere legato concedi solitas, utcumque hac in re competentis, easdem commissiones dispensationesque impertitur; ipsam moderno et pro tempore existenti in Polonia Nuntio inhibendam mandamus, ut fraternitates vestrae, hoc exemplo et incitamento etiam sublato, exinde sese a commissionibus dispensationibusque antedictis abstineant.

Acriora remedia adhibiturum se profitetur.

§ 17. Itaque, venerabiles fratres, nolumus vos ignorare, nos, tot nostras susceptas sollicitudines, tot nostras non omissas adhortationes, tot praescriptas apostolicae nostrae providentiae auctoritatisque ordinationes, ex animi nostri, ad maiorem Dei gloriam, animarumque salutem intenti, sententia, minime succedere, nec pristinas in matrimoniis ineundis dissolvendisque lites et controversias e medio tolli animadvertentes, suprema auctoritate nostra, ad efficaciora et asperiora remedia hisce malis curandis apta atque idonea opportune adhibenda, esse usuros: vobis enim satis superque perspectum est, nos iustis ac rationabilibus de causis, quemadmodum, si secus fortasse fiet quam praescripsimus, certe accideret, iudicium causarum matrimonialium Poloniae quoad primam etiam instantiam reservare posse; et insuper, relicta Episcopis locorum prima et Metropolitanis secunda instantia, decernere (sicut, necessitate tamen coacti, omnino decernemus), ut in causis matrimonialibus Poloniae, tum prima ab episcopalibus, tum secunda a metropolitanis curiis sententia, super nullitate matrimonii pronuntiata, executioni minime demandetur, nisi utraque sententia, cum rationum momentis, prius in Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum mature exacteque fuerit expensa, ac probata; necnon matrimo-

Eaque in promptu esse demonstrat.

nium quodlibet, post utramque sententiam in curiis vestris latam, vel interea temporis, dum in eadem Congregatione Cardinalium utraque sententia huiusmodi expenditur, vel nullo apud eamdem Congregationem Cardinalium habito recursu, quomodolibet, servatis etiam servandis, exinde contractum, nullum, irritum, nullius roboris et momenti esse et fore declarare.

Literarum firmitati consulit.

§ 18. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis quomodolibet ius vel interesse habentes, seu habere praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, seu alias specifica et individua mentione et expressione digni existant, iisdem praemissis non consenserint, nec ad ea vocati seu auditi fuerint, tametsi suorum indultorum, vel privilegiorum vigore, consentire, seu vocari semel, vel pluries quomodolibet debuissent, aut ex alia quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno et formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari nullatenus posse; sed ipsas praesentes literas et in eis contenta quaecumque, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et ab omnibus ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus iis omnibus, quae in saepememoratis nostris literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Aliter iudicari prohibet, irritans etc.

Transumptis fidem haberi decernit.

§ 19. Volumus denique, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Ministrorum delectum, et in officio obeundo vigilantiam Episcopis commendat.

§ 20. Caeterum fraternitates vestras in partem pontificiae sollicitudinis nostrae advocantes, rogamus et, quibus maximis possumus, apostolicis exhortationibus excitamus, ut singulos curiarum vestrarum ministros et officiales, pietatis, probitatis, doctrinae, prudentiae, aliarumque christianarum virtutum laude praestantiores et diuturna experientia commendatos, semper ea, qua opus est, diligentia exquirere et seligere studeatis; atque iisdem districte mandetis, ut ministerium suum quisque integerrime obire satagat; nec interea vos de assidua vigilantia vestra quidquam omittatis; considerantes et gravissimam Pastorum Principi Iesu Christo de procuratione gregis vobis crediti rationem esse reddendam et aeternam mercedem in coelis propositam iis, qui legitime certaverint, esse retribuendam. Nos interim ad prosperi successus auspicium et ad coelestium charismatum copiam promerendam, fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVIII. maii MDCCXLIII., pontificatus nostri anno III.

XXXIX.

Patriarchis Archiepisc. etc. mandat ut ad minus quatuor vicibus *quolibet anno necessitates Terrae Sanctae per verbi Dei praedicatores commendari curent* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Emanarunt nuper a nobis quaedam literae in simili forma Brevis expeditae tenoris sequentis, videlicet:

(1) Ex Regest. in Secret. Brevium.

Benedictus PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Salvatoris et Domini etc. *Reliqua vide pag.* 14.

§ 2. Cum autem sicut dilecti filii moderni procurator et commissarius generalis terrae sanctae huiusmodi nobis nuper exponi fecerunt, licet necessitates terrae sanctae praedictae praepositae, et commendatae sint, nihilominus eleemosynae pluribus ab hinc annis ob praesentium temporum calamitates, ita tenues sint, ut exponentes praedicti necessitatibus huiusmodi praesto esse nequeant, ac propterea opportune sibi in praemissis a nobis provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderent; nos ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, necnon omnibus et singulis quorumvis ordinum, Congregationum et institutorum regularium generalibus per praesentes committimus et mandamus, *ut ad minus quatuor vicibus quolibet anno Adventus et Quadragesimae temporibus,* tam per verbi Dei praedicatores in suis sacris concionibus, quam in quibusvis aliis actionibus et functionibus publicis, necessitates eiusdem terrae sanctae proponi et commendari curent et faciant. Ac insuper, ut parochialium rectores aliarumque ecclesiarum administratores unum seu plures viros probos ad colligendas eleemosynas huiusmodi in earum ecclesiis statutis diebus deputent, qui statim ac eleemosynas collectas in eorum manibus consignari debeant et faciant, qui elapsis Adventus et Quadragesimae Temporibus ad proprios Ordinarios pecuniam sibi consignatam transmitti debeant, dictique Ordinarii eam sindicis in earum respective dioecesibus ad hoc deputatis consignari curent et faciant, servata in reliquis praedictarum literarum forma et dispositione auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, volumus, praecipimus et ordinamus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Volumus insuper, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. augusti MDCCXLIII., pontif. nostri anno IV.

XL.

Collegio apostolico Sinensium Neapoli a M. Ripa erecto concedit monasterium S. Petri de Ebumbo seu Ebuli, cum suis proprietatibus, pertinentiis et fructibus, reservata pensione quingentorum ducatorum (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium. In sacro Principis Apostolorum solio licet inferioribus meritis constituti, officii nostri partes sedulo praestare tenemur, ut collegia pro pueris ad pietatem et religionem informandis, literisque et ecclesiastica disciplina erudiendis instituta, potissimum ea quae orthodoxae fidei propagandae in gentibus et nationibus profutura noscuntur, felicia suscipiant incrementa, et, si quae temporalibus humanae vitae subsidiis indigere comperimus, nos esse agnoscimus debitores, ut eorum necessitatibus omni opere, etiam per beneficiorum ecclesiasticorum unionem, opportune succurramus.

Narratio. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, Collegium sacrae Iesus Familiae nuncupatum, in civitate neapolitana pro pueris et adolescentibus sinensibus ac indianis Christiana Religione, piisque ac christiano nomine dignis instruendis, literisque ac scientiis erudiendis institutum et fundatum, ac apostolica auctoritate confirmatum, quod a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de

(1) Ex originali servato in Tab. Colleg.

Propaganda Fide praepositorum dependet, et sub cura et directione dilecti filii Matthaei Ripa moderni eiusdem collegii rectoris deputati reperitur, exiguos sic habeat redditus, ut substentationi puerorum et adolescentium praedictorum, necnon ministrorum servitiis et gubernio eiusque collegii insistentium impares esse dignoscuntur, nos attente prospicientes quod, si monasterium abbatia nuncupatum S. Petri de Ebumbo, seu Eboli, Ordinis S. Benedicti salernitanae dioecesis, quod dilectus etiam filius Magister Marius Millini, unus ex causarum palatii nostri apostolici auditoribus et cappellanus noster, in commendam ad sui vitam ex concessione apostolica ad praesens obtinet, quodque in similem commendam ex pari concessione apostolica ad vitam obtineri consuevit, cum omnibus bonis, iuribus et pertinentiis suis praedicto Collegio, ex nunc pro tunc et e contra, cum primum dictum monasterium, illius commenda huiusmodi ex persona eiusque magistri Marii quovis modo cessante, vacare contigerit, apostolica auctoritate, ut infra, uniretur, annecteretur et incorporaretur, per hoc profecto dicti Collegii et illius alumnorum necessitatibus et indigentiis congrua ratione consultum remaneret, opportunum quidem arbitramur per unionem, annexionem et incorporationem huiusmodi praedicti Collegii stabilitati et profectibus salubriter providere.

Abbatia S. Petri cum suis bonis et fructibus collegio Sacrae Familiae unitur.

§ 2. Intendentes itaque pium hoc opus praedictis nationibus adeo utile et salutare totis viribus promovere, illudque temporalibus vitae subsidiis sic provide communire, ut alumni praedicti liberalibus disciplinis scientiisque commodius proficere valeant, et exinde orthodoxae fidei propagatio in eisdem nationibus possit, benedicente Domino, uberius provenire, ipsumque Matthaeum modernum dicti Colegii rectorem, singulosque alios illius ministros et alumnos specialis gratiae favore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praecedentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, monasterium praedictum, quod cura et conventu caret, ac cuius fructus ad sexaginta florenos auri cum duobus tertiis alterius floreni similis in libris camerae apostolicae, ut etiam accepimus, taxati reperiuntur, super quibus pensio annua antiqua, seu plures pensiones annuae antiquae, insimul summam quadraginta quinque scutorum monetae romanae non excedentes, certae personae ecclesiasticae, seu certis personis ecclesiasticis, aut aliis pensionis seu pensionum huiusmodi capaci seu capacibus, illam seu illas annuatim percipiendi seu percipientibus, apostolica auctoritate reservata vel reservatae, aut in eam vel eas canonice translata seu translatae reperitur vel reperiuntur, ut pariter accepimus, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum monasterium praedictum per cessionem, etiam ex causa permutationis, vel decessionem, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem, seu religionis ingressum vel professionis emissionem dicti magistri Marii, seu alias quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam commenda praedicta cessante, vacare contigerit, etiam si actu nunc quovis modo, quem, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa resultet, praesentibus pro expresso haberi volumus, aut ex alterius cuiuscumque persona, seu per liberam dicti magistri Marii vel cuiusvis alterius cessionem de dicto monasterio illiusque regimine et administratione in Romana Curia vel extra eam, etiam notario publico et testibus, sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, commenda praedicta cessante, vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius provisio iuxta Lateranensis statuta Concilii aut alias canonicas sanctiones ad Sedem Apostolicam praedictam legitime devoluta extat, et super eo illiusque regimine et administratione inter aliquos lis in petitorio vel possessorio, seu quasi molestia, cuius litis statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ac illius provisio ad Sedem praedictam specialiter vel generaliter pertineat et de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat; cum annexis quibuscumque, ac omnibus et singulis dicti monasterii bonis, rebus, proprietatibus, iuribus et pertinentiis suis, necnon quibusvis illius fructibus, redditibus, proventibus certis et incertis, aliisque iuribus, obventionibus et emolumentis variis, ad dictum monasterium spectantibus et pertinentibus, eidem Col-

legio, ita quod statim ac casus vacationis huiusmodi evenerit, liceat collegio praedicto et pro eo dicto Matthaeo, eiusque in officio successoribus, seu rectori et administratoribus, aut deputatis eiusdem collegii pro tempore existentibus, dicti monasterii illiusque bonorum, rerum, proprietatum, membrorum, dependentiarum et pertinentiarum quarumcumque, necnon fructuum, reddituum, proventuum, aliorumque iurium, obventionum et emolumentorum praedictorum veram, realem et actualem possessionem per se vel alium seu alios, eiusdem collegii nomine, propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam retinere, dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus, redditus, proventus et emolumenta quaecumque, in quibusvis rebus consistentia, et quomodocumque et qualitercumque ex eius provenientia, exigere, percipere, levare, ac in dicti collegii illiusque adolescentium et ministrorum nunc et pro tempore existentium usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, supportatis tamen per praedictum collegium et pro eo per dictum Matthaeum, eiusque in officio successores, seu rectorem et administratores, aut deputatos praedictos, omnibus et singulis dicti monasterii oneribus, apostolica auctoritate, donec tamen et quousque praedictum collegium in dicta civitate neapolitana extiterit et sine alicuius praeiudicio, tenore earumdem praesentium unimus, annectimus et incorporamus. Cum hoc tamen quod dictum collegium et pro eo Matthaeus modernus illius rector praedictus reservationi, conservationi et assignationi pensionis annuae quingentorum ducatorum monetae eiusdem regni neapolitani, per nos super eiusdem monasterii fructibus, redditibus et proventibus praedictis reservandae, et ab eodem collegio, donec et quousque unio praedicta perduraverit, persolvendae, in omnibus et per omnia, iuxta et secundum schedulam nostri motus-proprii desuper manu nostra signandam, consentire omnino debeat et teneatur.

Quingentorum ducatorum pensio reservata.

Curialium iurium in perpetuum relaxatio.

§ 3. Praeterea necessitatibus praefati collegii ulterius consulere volentes, collegium ipsum ab annatarum, quindenniorum, communium, minutorum, aliorumque iurium, camerae apostolicae ac etiam S. R. E. Cardinalibus et dictae curiae officialibus de annatis, quindenniis, communibus, minutis et aliis iuribus praedictis quomodolibet participantibus, eorumque respective collegiis ratione unionis huiusmodi debitorum, solutione et praestatione, auctoritate et tenore praesentis, omnino eximimus et liberamus, liberamque et exemptam omni futuro tempore fore et esse volumus et mandamus.

Clausulae confirmatoriae.

§ 4. Decernentes dictum monasterium ex nunc praedicto collegio annexum, unitum et incorporatum esse et fore, ac ex nunc plenum ius eidem collegio in dicto monasterio vel ad illud vere et non ficte acquisitum exercere; ipsumque collegium beneficio regularum nostrarum et Cancellariae praedictae de non tollendo iure quaesito ac de annali et triennali possessoribus gaudere, idemque monasterium, illius commenda praedicta de cetero ex persona dicti Magistri Marii quovis modo cessante, ad hoc ut de illo in alterius quam dicti collegii favorem disponi possit, minime vacare posse; ac ex nunc omnes et singulas collationes, provisiones, commendas et quasvis alias dispositiones de eodem monasterio quovis modo vacaturo, per nos et romanum Pontificem pro tempore existentem, aut Sedem eamdem, vel illius etiam de Latere legatos, etiam cum quibusvis clausulis et decretis, in alterius quam collegii praedicti favorem faciendas, tanquam praeter et contra mentem et intentionem nostras factas, nullas et invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, nullumque per eas cuiquam ius acquiri, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse; praesentes quoque nostras literas nullo unquam tempore, ex quocumque capite vel quacumque causa quantumvis iuridica et legitima, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu, etiam ex eo quod in praemissis et circa ea quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes eisdem expresse non consenserint, nec ad id citati vel auditi fuerint, et causae, propter quas unio, annexio et incorporatio huiusmodi fiunt, coram Ordinario loci tamquam Sedis Apostolicae delegato examinatae et iustificatae non fuerint, aut alias ex quavis causa notari, impugnari, invalidari; aut alias quomodolibet infringi, aut per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praedictam vel eiusdem S. R. E. Cardinales, aut quoscumque alios quavis auctoritate fungentes, revocari, suspendi, restrin-

gi, limitari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus eas restitutionis in integrum, aut quodcumque aliud gratiae, iustitiae vel facti remedium impetrari, aut illis in aliquo derogari nullatenus unquam, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, ac Cancellariae praedictae regulis unionum effectum suum non sortitarum revocatoriis, a nobis et quibusvis romanis pontificibus praedecessoribus et successoribus nostris emanatis et emanandis, comprehendi vel confundi; sed tanquam pro conservatione praedicti collegii ad bonarum artium cultum, fideique catholicae propagationem instituti factas semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per dictum Matthaeum, eiusque in officio successores, seu rectorem et administratores vel deputatos pro tempore existentes praedictos, quandocumque eligendos, concessas esse et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum eiusdem palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causa et instantia iudicari et definiri debere; irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 5. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae praedictae regulis de exprimendo vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore in unionibus, deque unionibus huiusmodi ad partes committendis, vocatis quorum interest, ac lateranensis et aliorum etiam generalium et ultimo celebratorum conciliorum uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis, fieri, ac etiam beneficia unius dioecesis cum aliis beneficiis, collegiis et locis alterius dioecesis uniri prohibentium, necnon felicis recordationis Pii PP. IV. de gratiis interesse dictae camerae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in ea registrandis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet factis, concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica, expressa ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis et insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, necnon opportune et valide, motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Magister Marius in praeiudicium unionis, annexionis et incorporationis praedictarum commendae dicti monasterii, in nostris seu romani pontificis pro tempore existentis vel cuiusvis alterius manibus, aut etiam coram notario publico et testibus, vel alias quomodolibet, in cuiuscumque personae favorem, etiam ex causa permutationis, cedere vel cum aliquo desuper concordare nequeat; quodque cessio commendae huiusmodi, aut concordia, si fiat, in unionis huiusmodi et non in alterius quam praedicti collegii favorem et commodum facta sit et esse censeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, unionis, annexionis, incorporationis, exemptionis, liberationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIII., pridie kalendas septembris, pontificatus nostri anno IV.

XLI.

Erigit Ecclesiam Cathedralem Guatimalensem in Metropolitanam cum assignatione trium ecclesiarum cathedralium pro suffraganeis (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Ad supremum catholicae Ecclesiae culmen nullis suffragantibus meritis, sed solum ineffabili divinae gratiae munere evecti, erga gregem dominicum toto orbe diffusum feliciter regendum pastoralis vigilantiae nostrae studium incessanter impendimus; ideoque sedulo incumbendum putamus, ut remotissimae quoque regiones, ac provinciae, quas in admirabile lumen suum vocavit Altissimus, quaeque depositum fidei alias Dei miseratione susceptum constanter retinent, in earum opportunitatibus apostolicae benignitatis consequantur effectum. Quare si christifideles inibi degentes ob Metropolitanorum Praesulum nimiam distantiam in ecclesiasticis rebus pertractandis, et propriis iuribus tuendis, atque quaestionibus agitandis grave incommodum perferre comperiantur, illis tempestive occurrere non omittimus et quotiescumque convenire arbitramur cathedralibus ecclesiis, decenter tamen constructis ac ministrorum copia refertis, metropoliticum honorem tribuentes christiano populo pro negotiis et controversiis citius maturandis et expediendis faciliorem viam sternimus, idque etiam libentiori animo efficimus, si catholicis regibus pergratum fore dignoscamus.

§ 1. Sane, cum, sicut accepimus et dudum charissimus in Christo Filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus ex praecipuo eius religionis affectu nobis exponi fecit, Guatimalensis, Nicaraguensis, Chiapensis et Comayaguensis Ecclesiae, quae Archiepiscopo Mexicano metropolitico iure subiectae esse dignoscuntur, ipsarumque civitates et dioeceses in Indiis Occidentalibus constitutae ab earum metropolitana ecclesia Mexicana longissime distent, et ob nimiam distantiam huiusmodi (usque ad bismille milliaria et ultra a dicta Metropoli computatam) incolae praefatarum quatuor civitatum et dioecesum (attento quod viae ut plurimum imperviae et a fluminibus maxime profundis intersecatae et frequentibus periculis obnoxiae sunt, et etiam ob propriam paupertatem) in tam dissita regione ad audientiam metropolitanam Mexici recurrere minusque in ea lites prosequi nequeant; ideoque multorum annorum lapsu nullos recursus ad Metropolitanum habitos fuisse experientia compertum existat: si tamen ecclesia Sancti Iacobi Guatimalensis, quae sita est in centro omnium illarum provinciarum et dioecesum, in Metropolitanam ecclesiam, illiusque Episcopus in Archiepiscopum et Metropolitanum assignando illi in suffraganeos Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. Episcopos praevia eorumdem a subiectione ecclesiae Metropolitanae Mexican. praefatae dismembratione apostolica auctoritate perpetuo, ut infra, erigeretur et institueretur, profecto praefata praeiudicia et pericula evitarentur, ac dictis incolarum huiusmodi congrue occurreretur incommodis:

§ 2. Nos igitur religiosam pietatis sollicitudinem, qua dictus Philippus Rex Christianus provincias regiae suae ditioni subiectas pro ecclesiasticis negotiis in metropolitana curia agitandis faciliorem et utiliorem accessum assequi ex animo concupiscit, plurimum in Domino commendantes, ac enixis precibus desuper nomine eiusdem Philippi Regis nobis humiliter porrectis annuere, atque incolis Guatimalen., Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. civitatum et dioecesum huiusmodi in praemissis opportune providere, necnon etiam venerabilis fratris nostri Petri Pardo moderni Episcopi Guatimalen., eiusdemque Ecclesiae Guatimalen. decori et ornamento consulere volentes, ipsumque Petrum Episcopum a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, audita prius particularis Congregationis super rebus consistorialibus praepositae sententia, ac re mature perpensa et accedente quoque venerabilis etiam fratris nostri moderni Archiepiscopi Mexican., aliorumque interesse habentium consensu, ad Philippi Regis preces huiusmodi Guatimalen., Chiapen., Nicaraguen. et Comayaguen. ecclesias praefatas,

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

quae, sicut etiam dicta Metropolitana Mexican. ecclesia de iure patronatus dicti Philippi Regis ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, existere dignoscuntur, dictasque Guatimalen., Chiapen., Nicaraguen. et Comayaguen. civitates et dioeceses cum omnibus et quibuscumque earum territoriis et terminis, ac dictum Petrum, necnon venerabiles quoque fratres nostros modernos Chiapen., Nicaraguen. et Comayaguen. Episcopos, ac dilectos filios dictarum quatuor civitatum et dioecesum, universum Clerum una cum dilectis etiam filiis illarum capitulis, populo, collegiatis, parochialibus et aliis ecclesiis, necnon monasteriis utriusque sexus, ceterisque beneficiis et officiis ecclesiasticis cum cura et sine cura secularibus, et quorumvis ordinum et militiarum regularibus, necnon hospitalibus, domibus, collegiis et locis religiosis quibuscumque, a iurisdictione praefati Archiepiscopi Mexicani apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo seiungimus et dismembramus, ac ab eiusdem Archiepisopi Mexicani subiectione etiam perpetuo eximimus et liberamus.

§ 3. Ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac de apostolicae potestatis plenitudine ipsam ecclesiam Guatimalen., cui optime aedificatae quinque inserviunt dignitates et sex canonici cum theologali et poenitentiaria praebendis, pluribusque cappellanis et presbyteris, et quae sacrario sacris supellectilibus et Sanctorum reliquiis egregie referto instructa existit, cuiusque ecclesiae Guatimalen. civitas, sicut accepimus, est caput provinciae eiusdem nominis, ac perampla et pluribus illustribus familiis referta, necnon universitate, duobus seminariis, tribus xenodochiis, ac pluribus tum virorum, tum mulierum coenobiis condecorata est, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei ac Beatae Mariae Virginis et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli totiusque curiae coelestis honorem, necnon fidei catholicae et totius militantis ecclesiae exaltationem, in Metropolitanam Ecclesiam et Sedem Episcopalem Guatimalen. in Archiepiscopalem Archiepiscopalisque et Metropolitani Praesulis sedem et provinciae Guatimalensis deinceps nuncupandae caput pro uno deinceps Archiepiscopo, qui pallii et crucis usum aliorum Archiepiscoporum more habeat, omnibusque aliis insigniis archiepiscopalibus, necnon privilegiis, honoribus et praerogativis Archiepiscopis debitis et concessis gaudeat similiter, perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo ac honore archiepiscopali et metropolitano decoramus.

§ 4. Necnon dictum Petrum Episcopum ac pro tempore existentem Ecclesiae Guatimalen. praefatae Praesulem verum, certum et indubium Archiepiscopum Guatimalen. etiam perpetuo constituimus et deputamus; eidemque Archiepiscopo Guatimalen. caetera omnia et singula quae Metropolitanis praesulibus in eorum civitatibus, dioecesibus et provinciis facere, exercere, administrare et exequi a iure indultum existit, ut ipse facere, exercere, administrare, et exequi libere et licite possit et valeat eadem auctoritate concedimus et indulgemus, ita quod idem Petrus Episcopus absque alia de eius persona ecclesiae Guatimalen. praefatae de novo facienda provisione seu prefectione, in Archiepiscopum Guatimalen. perfectus esse intelligatur.

§ 5. Praeterea eidem Ecclesiae Guatimalen. praefatas Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. ecclesias dictosque modernos Episcopos Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. ac pro tempore existentes illarum Praesules, seu administratores pro tempore, existentis Archiepiscopi Guatimelen. suffraganeos, qui tamquam membra Capiti eidem Archiepiscopo Guatimalen. iure metropolitico subsint, ita quod Archiepiscopus Guatimalen. pro tempore existens in eisdem Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. civitatibus et dioecesibus ius metropoliticum sibi vindicet, necnon Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. ecclesiae praefatae eidem Archiepiscopo et Metropolitano Guatimalen. ad omnia et singula teneantur et sint adstrictae, ad quae suffraganeae suis metropoliticis ecclesiis et Metropolitanis Praesulibus tenentur et obligatae existunt, nempe ut iudicentur secundum canonicas sanctiones; ac eidem Archiepiscopo Guatimalen. praefatos suos suffraganeos consecrandi, ad provinciales Synodos evocandi, ac cum eo etiam ecclesiastica negotia terminandi, earum ecclesias disponendi, et causas quarumcumque appellationum sive querelas alias ad eum, tamquam Metropolitanum Praesulem iuxta decreta Concilii Tridentini devolutas ac alias iuxta Sacrorum Canonum statuta, spectantes cognoscendi, omniaque alia et singula quaecumque, quae de iure vel consuetudine, aut alias quoquo modo ad Archiepiscopos et archiepiscopale munus spectare et pertinere solent et debent, gerendi, faciendi et exercendi plenam et om-

nimodam auctoritatem et facultatem earumdem tenore praesentium etiam perpetuo concedimus et impartimur: provinciae quoque Guatimalen. clerum et populum universum Guatimalen. pro eorumdem ecclesiae et Archiepiscopi Guatimalen. provincialibus pariter perpetuo concedimus et assignamus.

§ 6. Ac deinceps perpetuis futuris temporibus Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. ecclesias praefatas eidem ecclesiae Guatimalen. suffraganeas censendas et habendas, ac tam eas quam illarum civitates et dioeceses universas sub ipsa provincia Guatimalen. comprehensas et contentas ac nullatenus ab ea exemptas, nec ulli alteri, nisi uni tantum Guatimalen. ecclesiae et illius pro tempore existenti Archiepiscopo praefatis, quoad archiepiscopalia, metropolitica ac provincialia iura et iurisdictiones subiectas esse et fore, iuxta decreta eiusdem congregationis rerum consistorialium, auctoritate et tenore praemissis pariter perpetuo volumus et declaramus; decernentes ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus praemissis ac, quatenus opus sit, Lateranen. Concilii novissime celebrati ac nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Mexican., Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. ecclesiarum praefatarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis, quoque indultis eisdem Mexican., Nicaraguen., Chiapen. et Comayaguen. ecclesiis, illarumque Praesulibus et administratoribus ac capitulis et canonicis, necnon quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, necnon insolitis clausulis ac irritantibus et aliis decretis etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine praefata et consistorialiter ac de simili consilio, aut alias quomodolibet etiam pluries concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si illae exhibitae forent vel ostensae.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, seiunctionis, dismembrationis, eximitionis, liberationis, erectionis, institutionis, decorationis, constitutionis, deputationis, concessionis, indulti, impartitionis, assignationis, declarationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIII., XVII. kalendas ianuarii, pont. nostri an. IV.

XLII.

Decernit nonnisi auctoritate R. P. mutari posse ritus et consuetudines Ecclesiae Graecae; plura disponit de iurisdictione Episcop. Graeco-Melchitarum, et super regula monachorum et monialium (1).

Venerabilibus fratribus et Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum et omnibus eiusdem ritus catholicis Episcopis eidem Patriarchae subiectis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Demandatam caelitus humilitati nostrae omnium ecclesiarum curam subeuntes, sub ipsum initium Pontificatus nostri, per en- Pontificis cura de statu omnium ecclesiarum.

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide vol. III., pag. 96, coll. etc.

cyclicas literas datas die IV. decemb. anni MDCCXL. ad venn. fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos per universum terrarum orbem regentes Ecclesiam Dei, inter ceteros animi nostri sensus, quos illis manifestos esse voluimus, eosdem etiam omnes hortati sumus, ut quibuscumque in rebus ad catholicae fidei disciplinaeque conservationem et incrementum pertinentibus, nostram atque huius S. Sedis auctoritatem ac opem sibi suisque ecclesiis necessariam esse contingeret, de iis ad nos cum omni fiducia referre non dubitarent; atque omnibus illis ea adiumenta polliciti sumus, quae ab apostolicâ supremâ potestate nobis concredita et ab eâ solicitudine, quae nostrum pastorale decet officium, inferiorum ecclesiarum praelatis afferri maxime convenit. Haec autem a nobis universo Episcoporum coetui publice promissa, cum semper hucusque omni curâ et vigilantiâ in mediis etiam difficillimorum temporum perturbationibus, Domino vires subministrante, effectu complere studuerimus; atque iis omnibus, qui hortationibus nostris excitati, de suis suarumque ecclesiarum rebus ad nos adierunt, ea omnia praestiterimus quae tum ad propriam ipsorum, tum ad animarum ipsis subditarum incolumitatem atque utilitatem conducere iudicavimus. Minime quidem negligendum esse censuimus recursum, quem de rebus non parvi momenti et alias ad fel. record. praedecessores nostros Benedictum XIII. et Clementem XII. et nuper ad nos ipsos habuerat ven. frater Cyrillus Patriarcha Antiochenus, qui ardenti zelo erga fidei et disciplinae puritatem atque animarum salutem impulsus, pro quo etiam illustres labores exantlasse et magna pericula adiisse dignoscitur, complura dubia in suae aliarumque ecclesiarum sibi subiectarum regimine incidentia, et varia postulata de rebus suâ sententiâ sibi opportunis, ad huius Apostolicae Sedis iudicium, more maiorum, detulerat, ut suprema Romani Pontificis auctoritate et omnis dubitationum ambiguitas errorumque tolleretur occasio, et ecclesiastici regiminis ordo ac tranquillitas in iis regionibus ad populorum salutem providis legibus assereretur.

Dubia, et postulata a Patriarcha Antiocheno ad S. Sedem referuntur.

Pontifex ea expendit cum concilio etc. et, ut infra, decernit.

§ 1. Itaque laudabili iustoque illius desiderio obsecundare, eiusdemque iteratis precibus, quantum opportune fieri posset, satisfacere cupientes, totam rerum summam longo intervallo iacentem resumpsimus, eamque per nosmetipsos examinare atque accurate definire volentes, summo studio ac diligentiâ praedicta dubia et postulata singulatim perpendimus; adhibitisque in concilium nonnullis ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus ex eo coetu delectis, qui Propagandae Fidei negotiis praesunt, tum etiam aliquibus ex clero seculari et regulari gravibus viris ac theologicâ et canonicâ facultate praestantibus, quos omnes coram nobis semel, bis, tertio de praedictis rebus sententias suas aperire mandavimus; ea tandem decernere atque sancire statuimus, quae per has literas nostras vobis, venn. fratres, per universum Antiochiae Patriarchatum orthodoxis Graeco-Melchitarum Ecclesiarum Episcopis tenenda atque observanda apostolicâ auctoritate declaramus, maximam de vobis omnibus in Domino fiduciam habentes, fore ut paternae nostrae erga vos caritati ac studiosae de rebus vestris solicitudini integrâ, promptâque, ut par est, obedientiâ atque observantiâ respondeatis.

Quaesitorum partitio.

§ 2. Porro ex dubiis et postulatis a praelaudato ven. fratre Cyrillo Patriarchâ propositis, aliqua pertinent ad conservationem rituum et morum Ecclesiae Graecae, tum universorum in genere, tum eorum in specie qui ad ieiuniorum observantiam et sacrosancti missae sacrificii celebrationem attinent; alia versantur circa iurisdictionem eiusdem Patriarchae et Episcoporum ei subiectorum, quam hinc vero a missionariis latinis perturbari asseritur; nonnulla denique spectant ad monachorum disciplinam eorumque legitimam superioribus subiectionem, tum etiam ad religiosarum foeminarum vivendi regulam, earumque regimen et tutelam.

Nihil innovari iubet circa ritus Eccl. Graecae in genere.

§ 3. De ritibus igitur et moribus Ecclesiae Graecae illud imprimis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore et quaque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali aut episcopali, praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observationem imminuat. Hinc est, quod Euthymii olim Archiepiscopi Tyri et Sidonis, viri alioquin catholici reique christianae propagandae studiosissimi, factum, alias ab hac Sede Apostolicâ de anno MDCCXVI. improbatum, iterum cogimur reprobare; inductamque ab eo, auctoritate propriâ inconsultoque Romano Pontifice, nonnullarum Ecclesiae Graecae consuetudinum immuta-

Innovationes ab Archiep. Tyri indictas reprobat.

tionem revocamus, atque irritam fuisse et esse decernimus; omnesque in posterum et singulos Ecclesiae Graecae ritus et mores a Patribus traditos omnino servari mandamus; specialiter iniungentes ven. fratri Patriarchae Antiocheno, ut eorum conservationi diligenter invigilet, ac provideat, ne ulla novitas (unde confusionis, ut plurimum, et scandali occasio) in ipsis introducatur: permittentes solummodo eidem Patriarchae et Episcopis catholicis in propriis dioecesibus facultatem corrigendi atque extirpandi abusus, si quos, aut errore vulgi aut schismaticorum dolo sive seculi vitio, inter eos irrepsisse compererint; vel etiam aliqua peculiaria pietatis exercitia admittendi ac probandi, si quae ad promovendam fidelium religionem apta et proficua prudenter in Domino iudicaverint.

Patriarchae iniungit, ut pro receptarum consuetudinum etc.

Salva eiusdem, et Episcoporum auctoritate quoad indifferentias.

De aliquibus ritibus in specie.

§ 4. Huic autem sanctioni generaliter a nobis prolatae consentaneum est, ut illae consuetudines in specie, quae aliquam mutationem aut detrimentum subiisse feruntur, in pristinum vigorem reducantur et restituantur.

De disciplina ieiunii perperam instituta.

§ 5. Cum itaque praedictus Cyrillus Patriarcha Antiochenus, in quodam Episcoporum consessu de anno MDCCXXXVI. in Monte Libano habito, supra enunciati Euthymii Archiepiscopi exemplum aliquâ ex parte sequendum sibi esse duxerit; ignorans vero, ut asseritur, Apostolicae Sedis decreta, quae ad ipsius petitionem anno MDCCXXXII. prodierant (et quorum quidem executionem, ab eodem in accipiendâ suae dignitatis confirmatione in genere promissam, pro illius perspectâ vitae officiique religione, et constanti in hanc S. Sedem observantiâ, nunquam eum scienter praetermissurum fuisse, in animum inducimus); non solum sibi licere sed etiam expedire putaverit, receptam Ecclesiae Graecae disciplinam circa ieiunia immutare: considerans nempe inopiam complurium suorum subditorum Graeco-Melchitarum, desertos Arabum pagos incolentium, ubi ciborum quadragesimalium maxima est penuria, magnam insuper severitatem ac diuturnitatem abstinentiarum, quae in Ecclesiâ Graecâ observantur; ubi nimirum, praeter ieiunium quadragesimae, quod in totâ Ecclesiâ paschalibus Resurrectionis Domini festis apostolicâ institutione praemittitur, similis etiam quadraginta dierum abstinentia natalitiae Christi solemnitati praecedit, cum alia quatuordecim dierum ante festum Assumptionis B. Mariae Virginis observatur, et alia demum ante festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli, totidem dies complectens, quot a feriâ secundâ post octavam Pentecostes ad eorumdem Apostolorum festum intercurrunt: perpendens etiam relaxationem disciplinae, quae per Euthymii decreta iam apud illas gentes invaluerat, difficile posse ad veterem rigorem revocari; super tribus huiusmodi abstinentiis postremo loco recensitis, quoad omnes incolas pagorum montanorum, perpetuo dispensans, eas coarctaverit singulas ad unum diem immediate praecedentem enunciatas solemnitates Natalis Christi, Assumptionis B. Mariae Virginis, et Martyrium SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Abstinentiae a Gr. servari solitae.

Earum reductio a Patriarcha attentata.

§ 6. Nos huiusmodi innovationem et abstinentiarum relaxationem et coarctationem in nimium detrimentum veteris Graecarum Ecclesiarum disciplinae vergere iudicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eam tamen auctoritate nostrâ expresse revocamus, et nullum effectum in posterum habere neque ullatenus executioni mandari; sed omnia in pristinum restitui debere iubemus. Atque insuper in toto tractu Patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem, a maioribus derivatam, abstinendi etiam qualibet feriâ quartâ et sextâ per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimis populis eiusdem graeci ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus.

Factum Patriarch. annullatur: vetus observantia constabilitur.

Confirmantur aliae abstinentiae Gr. per annum.

§ 7. Et nihilominus decreta Congregationis particularis de Propagandâ Fide alias die XXII. ianuarii anni MDCCXXXII. de eiusmodi rebus edita et a praedicto Patriarchâ, ut asseritur, ignorata, renovantes, ac paterno animo commiserantes egestatem fidelium incolarum Libani et Anti-Libani et inopiam ciborum quadragesimalium, quae in plerisque locis illius tractus adesse fertur, ob quam saepe accidit ut carnibus et lacticiniis necessario vesci debeant, indulgendo statuimus, ut, illaesâ remanente etiam quoad illos generali lege de ieiuniis et abstinentiis, a qua nemini liceat dispensationem in genere concedere, si tamen aliquando vera et gravis necessitas urgeat dispensandi cum aliquo coetu seu communitate, facultatem concedimus ven. fratri Patriarchae Antiocheno, ut in singulos tantum annos, quibus eam necessitatem persistere cognoverit, et non aliter nec alio modo, huiusmodi dispensationem singulis praefatis communitatibus concedere possit:

Facultas Patriarch. conceditur dispensandi cum singulis universitatibus in casibus particularibus.

non omissis interim debitis cautionibus, per quas veterum rituum neglectui et oblivioni sensim irrepenti occurri posse pro suo arbitrio et prudentiâ existimaverit (1).

Unica missa singulis diebus super quolibet altari celebranda.

§ 8. Simili modo nullam innovationem fieri debere decernimus in eo quod respicit celebrationem sacrosancti missae sacrificii, quod unicum in singulos dies super quolibet altari offerri, veterum SS. Ecclesiae Graecae Patrum praecepto et consuetudine traditum est; proptereaque minime indulgendum censuimus petitioni per eumdem Patriarcham nobis porrectae, qua postulaverat, ut ad satisfaciendum pietati sacerdotum et multiplicibus fidelium oblationibus, praedictum ritum antiquitate commendatum immutari permitteremus et in ecclesiis Libani et Anti-Libani plures missas eodem die super eodem altari offerendi sacerdotibus fieret potestas, ac praeterea in feriis quadragesimae (quo tempore, exceptis diebus sabbati et dominicae, nonnisi praesanctificatorum missa in graecis ecclesiis celebratur) integrum sacrificium peragendi facultatem concederemus. Quibus de rebus veteres Ecclesiae Graecae rubricas omnino servari earumque executionem sacerdotibus inculcari mandamus; eliminatâ tamen ab opinione vulgi ineptâ credulitate, qua nonnulli arbitrari dicuntur, sacerdotem utentem indumentis et supellectilibus, quibus alius sacerdos eodem die usus est, ieiunii observantiam infringere.

In quadragesima vero missa dumtaxat praesanctificatorum.

Falsa vulgi opinio corrigenda.

Plura altaria in unica ecclesia erigi permittuntur.

§ 9. Permittimus tamen, iuxta decretum latum die XXXI. martii MDCCXXIX. ab aliquibus ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propag. Fidei praepositis, ut alia altaria in loco ecclesiae apto erigi possint. Si autem altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus sacerdotibus, ubi huiusmodi consuetudo viget, super eodem altari una cum Episcopo vel alio sacerdote sacrificium peragente concelebrare; ita tamen ut sacris vestibus more celebrantium induti, unusquisque totam liturgiam integre recitet et verba consecrationis proferat, perinde ac si sacrosanctum sacrificium singulatim conficerent.

Et plures sacerdotes simul missam celebrare.

De applicatione sacrificii.

§ 10. Huiusmodi autem sacrificium singuli sacerdotes iuxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent, licite valeant applicare. Quod si secundae et ulteriores oblationes pro eiusdem sacrificii applicatione superaddantur, sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriore loco offerentes de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; et, nisi iidem offerentes unicâ missae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum vero mentem, qui pro sacrificio obtulerunt, nunquam a sacerdotibus impletum iri declaramus per solam adiectionem particularum et commemorationem, quae in panis praeparatione ante missae Sacrificium fieri solet: cum omnino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

Particularum adiectio, cum commem. ante miss. sacrificii rationem habere nequit.

In liturgia uniformitas servanda.

§ 11. Ut autem a sacerdotibus Graeco-Melchitis in sacris mysteriis peragendis una et eadem caeremoniarum ratio iidemque ritus serventur, et ne aliqua sensim in iisdem obrepat difformitas, mandavimus typis Congregationis de Propaganda Fide imprimi missale ad usum illorum Ecclesiae iuxta rubricas remotissimâ antiquitate firmatas; quod, absolutâ editione sacrorum librorum ritus Coptici qui sub praelo sunt, incessanter impleri curabimus.

De iurisdictione Melchitarum multis modis a Maronitis turbata.

§ 12. Quod vero attinet ad praedictorum venn. fratrum Patriarchae Antiocheni et Episcoporum Graeco-Melchitarum iurisdictionem, cuius conservatio magnopere nobis cordi esse debet, non sine magno animi nostri dolore accepimus, nonnullos Episcopos Maronitas, praedictorum iura sibi asserentes, in illorum subditos iurisdictionem sibi neutiquam competentem saepe, ut asseritur, exercuisse absolvendo eos, qui ecclesiasticis censuris a propriis pastoribus innodati fuerant, dispensationes matrimoniales concedendo in gradibus et circumstantiis a ritibus graecis minime permissis, dispensando etiam cum monachis Graeco-Melchitis super votis religionis, subditos denique Antiocheni Patriarchae ad maroniticum ritum amplectendum variis artibus attrahendo. Quae omnia et singula a dictis Episcopis, ut fertur, peracta, iam per se nulla et pontificio canonicoque iure damnata, ne in alienae iurisdictionis perturbationem et simultatum ac discordiarum fomentum iterum renovari contingat, supremâ, quam Iesus Christus Princeps pastorum B. Petro Apostolo nobisque huius successoribus in Ecclesiâ catholicâ tribuit, potestate, omnibus et singulis Maronitarum Episcopis, ipsique Patriarchae nationis

Quibus praecipitur, ut ab huiusm. se abstineant.

(1) Vide inferius const. *Inter gravissima;* citata vero decreta Cong. in sec. p. h. iur.

Maronitarum eorumque successoribus, in perpetuum, in virtutem sanctae obedientiae, quatenus nobis exposita veritate nitantur, praecipimus, ut ab huiusmodi in posterum abstineant; inhibentes praeterea, ne quocumque praetextu aut obtentu rebus spiritualibus nationis Graeco-Melchitarum, in iis quae spectant ad iurisdictionem et auctoritatem illius Patriarchae, Episcoporum et parochorum se ingerere audeant, aut eorum subditis transitum a graeco ad maroniticum ritum suadere, vel eos, qui sponte transire vellent, nisi forte peculiaris Romani Pontificis licentia interveniret, acceptare praesumant.

Neque Gr. Melchitas ad ritum Maronitar. attrahant.

Item missionariis latinis ne praedictorum iurisdictionem perturbent.

§ 13. Et quoniam intelleximus saepedictum Patriarcham Antiochenum eique subiectos Episcopos vereri, ne missionarii latini, quos in eorumdem adiutorium et levamen Apostolica Sedes in eas regiones mittere, nec sine gravi incommodo magnisque sumptibus illic sustentare consuevit, utendo facultatibus sibi concessis, eorum iurisdictioni praeiudicium inferant et numerum subditorum imminuant, volentes etiam in hac parte eorumdem indemnitati consulere ac libero propriae auctoritatis exercitio prospicere, statuimus primo et declaramus, licere tantummodo fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci custodiae Terrae Sanctae parochialia munia obire circa Graecos-Melchitas eisque sacramenta administrare in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi parochum aut alium Antistitem graeci ritus: quo casu praedicti fratres emolumenta legitimo iure debita percipere licite valeant et a iurisdictione Antiocheni Patriarchae nullatenus ipsi dependeant, sed huic dumtaxat petenti teneantur singulis annis notulam tradere animarum graeci ritus in eâ civitate seu loco existentium, utpote quae in reliquis eidem Patriarchae omnino subesse intelligantur. Curet autem Patriarcha pro sui muneris implemento ut, ubicumque opus fuerit, catholici parochi copia suppetat, a quo praefati Graeci-Melchitae sacramenta graeco ritu recipere queant.

Soli Minoritae curam animarum exerceant in absentia parochi graeci.

Guardianus Terrae Sanctae confirmationem Græcis ministret dumtaxat in absentia Episc. Gr.

§ 14. Sacramentum vero Confirmationis a P. Guardiano Terrae Sanctae in civitate Hierosolymitanâ et in iis locis, ubi Episcopus Graecus catholicus iure suo et in propriâ dioecesi non resideat, conferri posse *sub conditione* Graecis a simplici sacerdote confirmatis, ac sponte ab eodem confirmàri petentibus. Ubi vero sit Episcopus catholicus residens, huiusmodi sacramentum non conferat, nisi de eiusdem Episcopi consensu; eo autem dissentiente, abstineat.

Graeci ad latinum ritum non attrahendi.

§ 15. Praeterea omnibus et singulis Melchitis catholicis graecum ritum servantibus ad latinum ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub poenis etiam infra exprimendis aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis huiusmodi transitum a graeco ad latinum ritum suadere praesumant, aut etiam cupientibus, inconsultâ Apostolicâ Sede, permittant.

Latinizantes semel profiteri debeant quo ritu vivere velint, et in eo perseverare debent.

§ 16. De iis autem, quos *Latinizantes* appellant, nimirum qui a graecis parentibus progeniti, deficientibus graecis sacerdotibus, latino ritu a Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt eumque ritum hactenus tenuerunt, quorum magnus numerus Damasci inveniri perhibetur, neque satis hucusque definitum fuit, cui potissimum ritui addicti esse deberent; statuimus et declaramus, ut coram personâ a nobis deputandâ semel profiteri debeant in quo ritu vivere malint; in eoque in posterum, omni variandi facultate ademptâ, perseverare teneantur.

Eorum filii parentum ritum sequantur.

§ 17. Filii vero, qui ab huiusmodi parentibus post emissam ab illis praedictam declarationem nascentur, necnon ii qui iam nati sunt, sed nondum ad usum rationis pervenerunt, sequantur conditionem parentum, si coniuges unum eumdemque ritum elegerint; sin minus, patris ritum sequantur.

Gr. latino ritu in posterum baptizati, graecum ritum servare teneantur.

§ 18. Ceterum, si quos in posterum Graecos, necessitate cogente ob defectum parochi catholici ritus graeci, Baptismum aut alia Sacramenta a latino presbytero recipere eveniat, illi non ideo censendi erunt latinum ritum suscepisse; sed, omni dubitatione sublatâ, ritum graecum, in quo orti sunt, observare teneantur. Et eum quidem, durante praedictâ necessitate, in omnibus rebus, quibus possunt, et praecipue in ieiuniorum observatione, retineant; in reliquis vero integre resumant et prosequantur, statim ac Episcopus aut parochus graecus supervenerit.

Dissensiones super praemissis, inter missionarios, extinguendae.

§ 19. Ad praecidendas denique controversias omnes, quae super huiusmodi quaestionibus oriri solent etiam inter ipsos missionarios propter diversas eorum sententias atque doctrinas, utque omnis contentio inter fideles inde promanans penitus extinguatur, expresse praecipimus missionariis cuiuscumque Ordinis et instituti, etiam So-

cietatis Iesu, ut soliciti sint super his omnibus servare unitatem spiritus et doctrinae: quod quidem, nostris hisce decretis aliisque de ritibus Graecorum in partibus orientalibus observandis alias a Sede Apostolicâ editis fideliter obtemperantes, facile consequentur.

Eisdem commendatur conservatio rit. Ecclesiae Gr.

Curent praeterea, ut omnia laudabilia Ecclesiae Graecae instituta ab antiquâ Patrum traditione derivata et apostolicâ comprobatione firmata in suo vigore permaneant, atque a fidelibus istius nationis integre executioni tradantur; neque aliquid iisdem suggerere aut suadere audeant, quod illorum contemptum atque imminutionem inducere possit; multoque minus auctoritate propriâ aliquid circa illa innovare, aut etiam super iisdem aliquam dispensationem concedere vel admittere praesumant.

Eae innovationes, ac dispensationes super illis inhibentur, sub poenis etc.

Alioquin, praeter districtam, quam Deo, nobis, suisque superioribus (quos de urgendâ huius decreti observantiâ peculiariter oneramus) rationem reddent, sciant se harum literarum vigore privationem vocis activae et passivae et inhabilitationem ad quemcumque gradum et officium in suis respective Ordinibus, institutis et congregationibus ipso facto incursuros.

Monachi subiiciuntur regulae S. Basilii, et iurisdictioni Ordinariorum.

§ 20. Demum, quod attinet ad regularem monachorum disciplinam, decernimus, ut monachi utriusque Congregationis, sub invocatione respective SS̃mi Salvatoris et S. Ioannis, observent regulam genuinam S. Basilii, eis tradendam a venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis: abstineantque ab esu carnium in sensu praedictae regulae. Utriusque autem supradictae Congregationis sive alterius cuiuscumque instituti monachos immediate subesse iubemus Episcopis Ordinariis catholicis, et mediate Patriarchae pariter catholico. At in Dioecesibus, in quibus non est catholicus Antistes, Patriarchae catholico immediate subiaceant.

Praesertim quoad librorum editiones.

§ 21. Nullius vero generis libros aut folia sine praevia approbatione et licentiâ Episcopi dioecesani et Patriarchae praedictorum edere possint; atque insuper nullum de rebus sacris librum aut folium publici iuris faciant, inconsultâ Sede Apostolicâ. Quod si novas librorum ab eâdem S. Sede iam probatorum editiones fieri contingat, onus erit Patriarchae et Episcoporum catholicorum inspicere, ne ullâ in re discordent ab editionibus approbatis.

Monasterium Monialium in Kesruano existens, solis puellis etc.

§ 22. Monasterium porro Monialium in Kesruano erectum a Graeco-Melchitis pro puellis suae nationis et ritus, ante omnia declaramus, eidem Graeco-Melchitarum nationi iure proprietatis acquisitum esse; ita ut puellae alterius cuiuscumque ritus et nationis nullatenus quacumque de causâ in eodem deinceps admitti possint, sublatâ cuicumque, etiam Patriarchae atque Episcopis, super hoc dispensandi facultate.

Eius gubernium ad monac. S. Ioannis pertinet, sub iurisdictione Ordinarii, tamquam Sedis Apostolicae delegati etc.

§ 23. Insuper praedictum monasterium et moniales sub protectione S. Sedis Apostolicae et Congregationis de Propagandâ Fide recipimus; illius vero seu illarum regimen tum spirituale tum temporale ad monachos Congregationis S. Ioannis de Soairo spectare decernimus, cum immediatâ subiectione Episcopo Ordinario et mediatâ Patriarchae Graeco-Melchitarum Antiocheno, qui etiam immediatam super eo et illis auctoritatem acquirere debeat, quotiescumque futuris temporibus non adesset Episcopus orthodoxus illius sedis: quatenus vero (quod Deus avertat) neuter esset catholicus, per id tantum temporis et donec alteruter catholicus supervenerit, praedictum Monasterium immediate subiaceat abbati generali praefatae Congregationis S. Ioannis tamquam Delegato Sedis Apostolicae.

De eiusdem confessariis ordinariis et extraordinariis.

§ 24. Confessarius ordinarius monialium praedicti monasterii sit monachus professus dictae Congregationis S. Ioannis, quem scientiae, pietatis ac prudentiae commendatione ab ipsius abbate generali delectum et praesentatum Episcopus dioecesanus probaverit: idemque statuimus de confessario extraordinario, quem idem abbas generalis ter in anno, et quandocumque necessitas urgeat, ad audiendas dictarum monialium confessiones valeat deputare: factâ insuper praedicto Episcopo potestate, quatenus id expedire putaverit, alium quemcumque sacerdotem regularem, etiam alterius instituti et ritus latini, vel etiam saecularem eiusdem ritus, in confessarium extraordinarium dictis monialibus deputandi.

Regula similiter S. Basilii a Monialibus servanda.

§ 25. Non aliam vero regulam a praedictis Monialibus servandam statuimus, quam genuinam illam S. Basilii, quam monachis tradendam supra significavimus.

Cum facultate condendi constitut. a S. Sede approbandas.

Cui quidem regulae, si tam supradicti monachi quam mox enunciatae Moniales, aliquas peculiares Constitutiones addere velint, quae nec eiusdem regulae observantiae, neque graecis ritibus adversentur, eas ad Congregationem de Propaganda Fide prius cognoscendas et si opus fuerit corrigendas nobisque auctoritate apostolicâ confirmandas, exhibere teneantur.

Cura Pontificis pro conservanda Ecclesiæ Graecae disciplina, et Episcoporum auctoritate.

§ 26. In omnibus hisce decretis, venn. fratres, quae praevio maturo examine, ut supra diximus, auditoque consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium aliorumque praestantium integritate ac doctrinâ virorum, statuenda, edenda ac vobis denuncianda esse iudicavimus, minime dubitamus quin agnoscatis, nihil aliud nobis propositum fuisse, quam ut et venerabiles Ecclesiae Graecae ritus ac mores in suo vigore persistant, et debita vobis a populis obedientia, vestraque simul in hos auctoritas et iurisdictio sarta tecta servetur. Quorum utrumque ex unâ eâdemque animi ac iudicii aequabilitate proficiscitur; per quam et varias ecclesiarum institutiones et consuetudines iustâ aestimatione pensantes, unum illud ad animarum salutem omnino necessarium in votis habemus, ut scilicet omnes, qui ubique terrarum catholico censentur nomine, unico fidei atque unitatis vinculo teneantur: et supremam huius S. Sedis auctoritatem, qua super alias divinâ institutione praeeminet, ad promovendam omnium ecclesiarum utilitatem solummodo interponentes, de cetero fraternitatibus vestris intacta manere volumus iura omnia ac privilegia et liberum iurisdictionis vestrae exercitium ad regendas oves vestrae fidei commissas, easque per semitas mandatorum Dei ad salutis aeternae metam, adiuvante divinâ gratiâ, dirigendas.

Praeceptum de observandis praemissis decretis.

Hinc est, quod et huiusmodi decreta libenter a vobis et cum debitâ devotione atque observantia suscipienda et amplectenda fore confidimus. Et nihilominus auctoritate nostrâ vobis mandamus atque praecipimus, ut ea omnia et singula servetis, et ab aliis, ad quos attinet, executioni mandari atque exactissime observari curetis. Et apostolicam benedictionem fraternitatibus vestris ex animo impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. decembris MDCCXLIII., pontificatus nostri anno IV.

XLIII.

Synodum Albanam in Servia custodiri mandat; nonnulla vero determinat et praecipit super disciplinae et morum regula pro incolis illius regni et finitimarum regionum (1).

Venerabilibus fratribus, Dilectis Filiis, Archiepiscopis, Episcopis, Parochis et Universo Clero et Populo Regni Serviae, aliarumque finitimarum Regionum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Sollicitudo Pont. pro fidei, ac disciplinae integritate, in Servia, et propinquis locis collapsa.

Inter omnigenas calamitates, quibus Ecclesiae Filii sub infidelium dominatione degentes undique opprimuntur, quibusque omnibus paterna caritate compatimur, non aliae magis animum nostrum solicitant, atque urgent, quam quae sunt eius generis, unde animabus Christi Sanguine redemptis perditionis occasionem oriri et catholicae fidei disciplinaeque integritati detrimentum inferri posse veremur. Ex quibus cum illae, quas in Serviae regno sub durissimo Turcarum iugo iamdiu sustinetis, venerabiles fratres, dilecti filii, multis ex partibus alias ad aures nostras pervenerint; tum vero novissime, per venerabilem fratrem Ioannem Baptistam, electum a nobis et constitutum Archiepiscopum Scopiae, distinctius expressae ac pene ob oculos nostros expositae, incredibili nos dolore affecerunt. Licet enim inter gravissimas vexationes et persecutiones ab infidelium crudelitate et schismaticorum odio illatas, assiduam pastorum istius regni vigilantiam ac solicitudinem in proprios greges, firmamque populorum in fide ac pietate constantiam commendare, immo et admirari debuerimus; plures tamen dolendi causas nobis attulerunt, tum nonnullorum ex illis infracta et fluctans, vel etiam arbitraria, in maximi momenti rebus, agendi ratio; tum invecta inter plerosque fideles, ex alienigenarum consortio, morum ac disciplinae corruptela; praesertim vero turpis christianae professionis occultatio, ad infidelitatem accedens, qua plures in istis regionibus uti, temporalium damnorum timore, perhibentur.

Commendatur observantia decretorum Concilii Albani.

§ 1. Debuerant quidem pleraque ex iis, quae contra fidei et morum puritatem inter istarum ecclesiarum fideles irrepsisse dicuntur, vel anteverti vel introducta corrigi atque emendari, per satis notas Pontificii et canonici iuris sanctiones et per Apostolicae Sedis decreta per organum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Car-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide vol. III., pag. 110.

dinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum saepius emanata; potissimum vero per ea, quae statuta fuerunt in Albano Concilio, quod sub fel. rec. praedecessore nostro Clemente XI., ab istius regni primate, pro universo clero et populo Albaniae et Serviae, indictum et celebratum fuit. Ideoque praedictas omnes iuris ecclesiastici et Sedis Apostolicae leges vobis omnibus in memoriam revocantes, earumque studium et observantiam impense commendantes, praedictum Concilium Albanum vestris praecipue rebus ac temporibus accommodatum et opportunum, omnino teneri ac per omnia observari praecipimus; volentes, ut omnes istius regni Archiepiscopi, Episcopi, parochi et missionarii, et reliqui animarum curam habentes, aliquod illius exemplar apud se habeant, atque ad illius normam suos et populorum mores exigere studeant et conformare.

Relati abusus in specie corrigendi per infrascripta decreta.

§ 2. Attamen, ut graviores abusus ad fidei, morum ac rituum integritatem pertinentes, quae ex istis regionibus ad nostram notitiam in specie pervenerunt, penitus tollantur, ac perpetuo eliminentur; postquam eosdem accurate ac diligenter per nosmetipsos perpendimus, examinavimus; ea, quae sequuntur, decreta, non sine venerabilium fratrum nostrorum consilio, perferre ac vobis denunciare statuimus; quorum dispositiones a vobis omnibus, ad quos attinet, utpote utiles ac necessarias, libenter amplectendas esse in Domino confidimus; et nihilominus auctoritate apostolica exactissime impleri et custodiri mandamus.

Non licere fidei professionem ita occultare, ut mahumetismus simuletur.

§ 3. Ordientes itaque a negotiis fidei, sine qua impossibile est placere Deo, omnibus et singulis istius regni fidelibus, qui ecclesiae catholicae communionem retinere cupiunt, districte praecipimus atque iubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum et necesse est aliquando, Christianae Religionis professionem, aliqua faciant, aut admittant, contra evangelica praecepta et instituta; praesertim vero, quae protestationem includunt Mahumeticae sectae: ideoque, si Circumcisionem susceperint, sciant, quod Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere: abominanda infidelium templa, quae Moschaeas vocant, frequentare: ecclesiasticorum ieiuniorum dies carnium esu profanare, et haec eo fine, ut Mahumetani credantur, prorsus devitent. Haec enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati christianae contraria, quae mendacium in re gravissima continet et virtualem fidei negationem, maxima cum Dei iniuria proximique scandalo, includit.

Praesertim in iudicio.

§ 4. Multo vero magis, quum a publica potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant mahumeticae sectae se addictos profiteri; sed illud noverint esse tempus, quo eos oportet, sumentes scutum fidei, non solum corde credere ad iustitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin, si eum coram hominibus negare ausi fuerint, et ipse negabit eos coram Patre suo.

Et in morte.

§ 5. Impius pariter et illicitus est illorum Serviae christianorum abusus, qui, ex hac vita migraturi, cadavera sua Turcarum sepulturis mandari, cum istorum assistentia et mahumeticis adhibitis ritibus, permittunt, aut iubent. Etenim si Christum in vita erubescere minime debent, quanto minus quum eiusdem tremendo iudicio sistendi sunt; ne et ipse eorumdem coram Æterno suo Patre erubescat.

Simulatores a Sacramentis arcendi, et a suffragiis excludendi.

§ 6. Munus itaque Episcoporum, parochorum et missionariorum erit, serio christianos illos, qui supradicta, cum ingenti fidei iniuria, nefarie praesumunt, docere et admonere; quod frustra sibi de christianae legis custodia et zelo, deque filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes, facti sunt omnium rei. Itaque ipsis aperte denuncient, quod quisquis metu cuiuslibet potestatis vel temporalium amittendorum formidine fidem suam prodit, iram Dei super se provocat; seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit; quoniam magis timet hominem, quam Deum, et momentanea retinere, quam aeterna acquirere mavult. Si qui autem obstinati in huiusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt sacramentorum in vita et, si impoenitentes decesserint, suffragiorum post mortem: ad quae nullus ecclesiae minister illos admittere praesumat; alioquin a proprio Episcopo canonicis poenis, ad praescriptum etiam supradicti Albani Concilii, plectendus erit.

Item mulieres, absque christianae religionis exercitio viventes in Turcarum contubernio.

§ 7. Arcendae pariter a Sacramentis Ecclesiae sunt illae mulieres, quae nuptiarum nomine in Turcarum conturbernium admissae, celantes Christianae Religionis professionem, ibi vitam agunt ab omni religionis exercitio remotam; eisque a Pasto-

ribus denunciandum est, ne salutis aeternae fiduciam collocent in ea fide, quam, sine operibus mortuam, in corde tantum utiliter conservare posse sibi persuadent.

Harum filii quando baptizari possint, nec ne.

§ 8. Istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent; admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent. De iis vero, qui validam ac vivacem corporis constitutionem praeseferunt et nullo superstitioso fine, sed unico salutis obtinendae voto, ad baptismum a supradictis matribus offeruntur; quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere, quae suadere possunt vel eos in evangelicae legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab huiusmodi matribus fraudatos, mahumetani patris impietatem sequuturos esse; perpensis etiam infantilis aetatis periculis, ob quae tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt; nihil expresse iubendum censemus; Ecclesiaeque ministros duntaxat hortamur, ut, invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, iuxta illius ductum et prudentiae suae dictamina se gerant. Quod si eos ad baptismum admitti posse crediderint, ne omittant matribus inculcare districtam obligationem, qua tenentur, huiusmodi Ecclesiae filiis, si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina et correptione Domini educare.

Si baptizentur, eorum educationi consulendum.

Matrimonia iuxta decretum Concilii Trid. celebranda, abrogatis clandestinis aut coram iudice contractis.

§ 9. Illud etiam grave ac permolestum auribus nostris accidit, Concilii Tridentini decreta de Sacramento matrimonii ab aliquibus non observari in istis regionibus, in quibus debitam eorum publicationem iamdiu sequutam fuisse, ipsius Albani Concilii testimonio comprobatur. Itaque omnes istarum partium fideles supradictis decretis teneri declarantes, irrita omnino et nulla esse definimus praetensa matrimonia, quae coram solo Turcarum iudice, Caddi dicto, vel etiam absque isto, per solos sponsos et non ad praedicti Tridentini Concilii praescriptum contrahuntur. Quique huiusmodi nullas et clandestinas nuptias contraxerint et post contractas convivunt, tamquam in illicito concubinatu versantes, (nisi de praeterito poenitentiam agant et iusto matrimonio in facie Ecclesiae iungantur), a Sacramentorum participatione arceri praecipimus.

Non licere matrimonium per procuratores renovare turcico ritu, nisi sit mere civilis.

§ 10. Matrimonio autem a fidelibus rite contracto, eisdem minime permittimus, ne quidem ob causam uxorum a Turcarum raptu servandarum, idem coram Caddi per procuratores turcico ritu renovare; nisi tamen mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis et nullam Mahumetis invocationem aut aliud quodcumque superstitionis genus includat. Etsi enim non per se ipsos, sed per procuratores, id peragant; numquam tamen illius delicti insontes haberi debent, quod ipsorum auctoritate vel mandato committitur.

Proclamationes servandae, nisi necessitas contra urgeat.

§ 11. Quoad proclamationes vero a Tridentino Concilio statutas, licet in Servia minime usu firmatae asserantur; quum tamen in praelaudato Concilio Albano parochis etiam Serviae praescribantur, edempta dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem; nos idem omnino, quum fieri potest, observari praecipimus.

Matrimonia non dissolvi per uxoris fugam, et nuptias ab ea cum infideli contractas.

§ 12. Quod si alicuius fidelis uxor ad Turcas confugiat et cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet viro aliam uxorem in illius locum ducere; quum matrimonium, iure divino, coniugibus superstitibus, indissolubile, per huiusmodi mulieris facinus minime dissolvatur. Unde, qui in tali casu alteram ducit, moechatur; et nisi ab ea omnino separetur, a sacramentis arcendus est.

Mulieres nulliter nuptae cum infidelibus, donec in eorum concubinatu permanserint, Sacramentis arcendae.

§ 13. Et quidem de huiusmodi mulierum salute, nisi poenitentiam agant, quid iudicandum sit, omnibus patet. De mulieribus autem christianis a Turcis per vim raptis, iisdemque violenter vel in pueritia nuptis, quae nullo sacramentalis fidei iure coniunctae, in illicito concubinatu cum infidelibus perseverant, idem omnino statuimus, quod in praedicto Concilio Albano decretum fuit; ut scilicet illis Ecclesiae sacramenta denegentur; nulla ratione habita vel praetensae illarum in christiana fide perseverantiae vel violentiae in puerili aetate a Turcis illatae vel etiam quod unicae aut potioris et iustae uxoris loco a Turcis habeantur; quum ista nullum ius tribuant in concubinatu et fornicatione degentibus, ad percipienda sacramenta; nullamque sacerdotibus, ad eadem indignis ministranda, praebeant facultatem.

Dispensationes non concedendae simulatoribus mahumeticae sectae.

§ 14. Circa dispensationes matrimoniales, caveant Episcopi et missionarii Serviae, ne facultatibus sibi ab hac Sancta Sede communicatis inconsulte vel erga immerentes utantur; neve terminos potestatis transiliant. Nullas itaque dispensationes, conce-

dendas esse statuimus illis christianis occultis, de quibus dictum est, quod mahumeticos simulent ritus. Etenim isti, quum Christum erubescant, gratiarum Ecclesiae, quae Christi sponsa est, indignos se faciunt. Praeterea nullas dispensationes concedant in iis casibus, quibus matrimonia iuxta ritum Ecclesiae catholicae, ut supra dictum est, et valide et sancte celebranda non esse praeviderint; tunc enim non dispensationes, sed dissipationes et incontinentiae fomenta essent, a quibus fidelis prudensque minister Christi omnimode abstinere tenetur.

Nec iis, qui matrimonium contra ecclesiae ritus contrahere velint.

Declaratio super disp. quoad impedimentum iust. publ. hon. ex matrim. rato non consum.

§ 15. Specialiter autem advertant, eam facultatem, inter caeteras ipsis communicatas, non reperiri, dispensandi scilicet super impedimento iustitiae publicae honestatis, proveniente ex matrimonio rato, quod alias inter alterutram partem et alterius consanguineum in primo gradu intercesserit; sed ante consummationem vel morte vel aliter legitime solutum fuerit. Hoc enim impedimentum fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur; idcirco ab huiusmodi dispensatione concedenda abstinere debebunt.

De nuptiarum celebrandarum temporibus, et assistentia nuptiis infidelium.

§ 16. In celebratione nuptiarum observentur tempora ab Ecclesia catholica praescripta. Quod si infra vetitos dies Mahumetani suas nuptias celebrantes, aliquem ex fidelibus officii causa invitaverint; quoniam Ecclesiae praecepta ad eos, qui foris sunt, minime pertinent; non prohibentur catholici Serviae christianam modestiam secum ferentes illis interesse; dummodo fieri possit absque Creatoris iniuria et offensione fidelium et Ecclesiae Dei; et nulla in Turcarum nuptiis Mahumetis invocatio, nullique superstitiosi ritus intercedant, quibus invitati, ore vel opere iungi debent et consentire. Quae tamen infidelium consortia et profana convivia, si, quantum poterunt, devitare curaverint, multa sane animarum pericula praecavebunt.

Cognatio spiritualis non extendatur ultra casus et gradus a Concil. Trid. praefinitos.

§ 17. Quod pertinet ad cognationem spiritualem, sapientissima Tridentini Concilii decreta, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante, in Servia omnino observari mandamus. Itaque nec eam, quae oritur ex Sacramentis Baptismi et Confirmationis, ultra personas et gradus ab eodem Concilio praefinitos, extendi permittimus; nullam vero spiritualem cognationem aliunde oriri, et in specie ex assistentia matrimonio praestita, etiam ad contrahentium invitationem, sicuti nec inter eos, a quibus capilli pueris primo tondentur, expresse declaramus. Urget enim ratio praedicti conciliaris decreti, ne scilicet propter multitudinem prohibitionum contingat saepius, in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel cum peccato perseveretur, vel quae cum scandalo dirimi debeant. Quod cum sapienter statutum fuerit circa ea spiritualis cognationis genera, quae iam in Ecclesia recepta erant, multo maiori ratione obtinere debet in aliis huiusmodi speciebus, quae, in Ecclesia catholica ignotae, infectum a schismaticis principium habent, quorum est alligare hominibus onera gravia et importabilia, digito autem suo ea non movere. Itaque et istorum scandalum, si quod acceperint ex huius decreti inter fideles observantia, secure contemnendum est.

Romani missalis, ritualis ac ceremonialis usus retinendus, reiectis ritibus et precationibus aliunde petitis.

§ 18. De sacris autem ritibus, in quibus istarum regionum Ecclesiae, Romanam hanc, reliquarum omnium matrem et magistram, speculum sibi et exemplum proponentes, non alio quam Romano Missali, Rituali, ac Ceremoniali uti perhibentur, hortamur venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos, ut nihil in huiusmodi tuta ac laudabili consuetudine immutari, et tam in sacrorum celebratione et sacramentorum administratione, quam in benedictionibus et exorcismis, non aliis quibuscumque aliunde peritis ritibus, ceremoniis et precationibus, quocumque praetextu, aditum reserari permittant.

Ceremoniae baptismi non omittantur, vel cito suppleantur.

§ 19. Videant autem, ne forte inanes aut leves timendi causae illae sint, quae passim afferuntur, pro omittendis in baptismatis administratione ceremoniis a Rituali Romano praescriptis; quas etiam, quum ex veris gravibusque causis praemitti contingat, primo quoque tempore suppleri curabunt. Neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis tantaeque antiquitatis ritus, atque ad reverentiam sacramento conciliandam maxime necessarii.

Aqua baptisterii iuxta ritum Romanum benedicatur, et in baptismo adhibeatur.

§ 20. Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis iustique timoris ab infidelibus incussi, communis et naturalis aqua vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in baptismi administratione adhibeatur; ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae iuxta praescriptum Ritualis Romani. Vix enim sine maxima incuria, vel inani timore (iuxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in Ecclesiis parochialibus, ubi illi existunt, baptismales fontes statutis

temporibus et ritibus non benedicantur, aut sacrorum Oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

Communionis in Paschate sumendae commodum fidelibus suppetat.

§ 21. Invigilent etiam, pro pastoralis muneris implemento, ne fidelibus quocumque in loco degentibus sacerdotes catholici desint, qui ipsis in Paschatis solemniis Sacrosanctam Eucharistiam ministrare possint: tum ut Lateranensis Concilii pro omnibus utriusque sexus fidelibus decretum observetur; tum ut in communi totius Ecclesiae de Resurrectione Domini laetitia, hoc vivifico pabulo, quod simbolum quoque unitatis est, Ecclesiae filii roborentur ac nutriantur. Quod si propter locorum et temporum infelicitatem eveniat, ut infra duas hebdomadas, quae a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis intercurrunt, nullatenus id fieri possit; tunc, ut eidem praecepto vel in quadragesima vel in solemniis Pentecostes, praeviisque diebus, iuxta proprii sacerdotis consilium, a populis istarum Serviae regionum satisfieri valeat, harum literarum tenore concedimus et indulgemus.

Dispensatur quoad tempus, pro casibus necessitatis.

Eucharistia infirmis ministretur.

§ 22. Dolenter vero nimis accepimus vel adeo desertas et ruinosas esse istorum Regionum ecclesias, vel adeo insolescere infidelium furorem, ut Sanctissima Eucharistia neque decenter, neque tuto, ut par est, asservari possit; unde eveniat, ut plerique fideles infirmi, absque salutari Viatico, naturae debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri, et provideri debet. Quamobrem infirmorum notitia per parochos anxia diligentia est inquirenda, non tantum pro iisdem poenitentiae sacramento expurgandi, christianisque monitis ac spiritualibus consolationibus iuvandis ac sublevandis, verum etiam ut Sanctissimo Christi Corpore reficiantur, atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque ubi alicui ex fidelibus mortis periculum instare perspiciant, praedictum Sacramentum Eucharistiae quamprimum ipsi ministrent, et, si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad infirmi domum deferre debent, cum extra summum necessitatis casum, apud infirmos, in Aedibus non sacris, missam celebrare non liceat.

Missa extra Ecclesias non celebretur, absque extrema necessitate.

Ritus deferendi sacram Eucharistiam.

§ 23. Dum autem sacerdos tantum sacramentum ad infirmos defert, decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus praecipitur, ut indutus superpelliceo, stolaque utrique humero circumsepta et, praecedente uno saltem lumine, Hymnos et Psalmos submissa voce recitans, in sacra Pixide vel in calice mundo, velamine cooperto, ambabus manibus illud ante pectus tenens, devote deferat. At ubi (sicut ibidem additur) Turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus, in sacculo seu bursa pixidem recondat, quamper funiculos collo appensam in sinu reponat, et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.

Superstitiosi ritus in sepeliendis cadaveribus devitentur.

§ 24. Denique circa sepelienda fidelium cadavera, omnes Turcarum superstitiones devitentur; a quibus profecto impuram originem trahunt superstitiosi quidam ritus, veluti lotiones, quae incenso, thure et certarum precum recitatione, quae a catholica improbantur Ecclesia, peraguntur. Itaque abstinentes, quantum poterunt, ab omni specie mala et infidelium imitatione, discant istarum regionum populi, nihil in huiusmodi ritibus contineri, quod necessarium sit ad defunctorum salutem, atque suffragium. Turcarum vero dicteria et cachinnos, inanesque schismaticorum sermones, pro nihilo habeant.

Relaxationes et dispensationes non temere, nec levi de causa adhibendae.

§ 25. In aestimandis autem periculis, quorum interventu in supra enuntiatis rerum generibus ecclesiasticae disciplinae rigorem relaxari posse declaravimus, universos istarum regionum fideles, praecipue vero animarum pastores, monemus, itidemque rogamus, ut abiectos animos christiana virtute erigentes, quid vere timendum sit, quid contemnendum, examinent; et non in angustia et metu terrenarum potestatum, sed in amplitudine caritatis et ardore dilectionis, quae foras mittit timorem, Dei et Ecclesiae praecepta observent et animarum curam administrent. Quod si solam Turcarum insultantium formidinem, aut levium incommodorum periculum, ad transgredienda christianae professionis instituta, vel ad negligendum animarum sibi creditarum regimen, iustam sibi causam esse iudicaverint, vere de ipsis dici poterit, quod ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Idcirco venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere ecclesias istas gravissimarum calamitatum cumulo vexatas, hortamur in Domino et obsecramus, ut inanes huiusmodi timores ex inferiorum ecclesiae ministrorum omniumque fidelium pectoribus excutiant, eosque erigant atque excitent; ut, calcatis aeque mundi blanditiis atque terroribus, per arduam angustamque se-

mitam Christum Ecclesiae caput, ad sanctificationis fastigium invitantem, constanter sequantur.

Beneficium conservatae religionis magni aestimandum.

§ 26. Agnoscant porro singularem in ipsos Dei nostri misericordiam, qui dum, terribili iudicio, in aliis regionibus infidelium dominationi subiectis christianam Religionem penitus conculcari et extingui permisit, in isto tamen Serviae regno veritatis suae lumen vigere voluit, quo respicientes homines in angustiis et tribulationibus constituti et consolationem acciperent in hac vita et ad meliorem ac beatiorem aliam assequendam perducerentur.

Et summa cura custodiendum.

§ 27. Itaque, venerabiles fratres, dilecti filii, cogitate etiam atque etiam et praecavete, ne per ingrati animi vitium divinae erga vos pietatis fluenta siccentur, et auferatur a vobis Regnum Dei, cuius legibus obtemperare et recte constitutos mores servare contempseritis.

Praeceptum et adhortatio pro praemissorum implemento.

§ 28. Quod si supra exposita decreta, quibus vestram agendi disciplinam ad sanctissimarum Ecclesiae legum puritatem cupimus revocare, quaeque vobis omnino exequenda per has literas nostras auctoritate apostolica denunciamus, gravia vobis videbuntur et importabilia, videte ne ad leve Christi onus ac suave ipsius legis iugum eam gravitatem et molestiam vestra opinione transferatis, et quae ex superaddita temporalium bonorum vel retinendorum solicitudine vel acquirendorum cupiditate proficiscitur. Haec si abieceritis et mundi servitutem cum ea, quam Christo professi estis, minime conciliandam esse duxeritis, et profecto levia vobis omnia et expedita in christianae legis observantia videbuntur. Fidelis est autem Deus, qui non patietur vos ab infidelibus vexari ac tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam ex tentatione proventum et momentanea tribulationum vestrarum aeterno gloriae cumulo abunde rependet. Quod ab ipso Patre misericordiarum et Deo totius consolationis vobis ex animo adprecantes, apostolicam benedictionem vobis omnibus amanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die II. februarii MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

XLIV.

Presbyteris Cong. Oratorii S. Philippi in insula de Zeila in Indiis Orientalibus facultatem concedit administrandi, iuxta modum, sacramentum Confirmationis (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Spiritus Sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendens illapsu plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmationis sacramento cum omni plenitudine sanctitatis et scientiae ac virtutis veniens in baptizatos illud eis praestat augumentum ad gratiam, quo roborati nedum fortiter contra invisibiles hostes et pericula mundi armantur, sed etiam audacter instruuntur ad pugnam: haec animo revolventes, ad dissitas terrarum orbis regiones mentis nostrae aciem convertimus diligenter inspecturi, an regeneratis ad vitam per suos Episcopos valerent Confirmationis administrari auxilia, ut porro sicubi non essent praefati Episcopi, vel illuc transmeare eis foret praeclusum, nos apostolicae potestatis partes interponeremus inferioribus ministris illic degentibus praefatum confirmationis sacramentum administrandi facultatem impertiendo, quae alias solius esset Episcopi.

Status religionis in insula de Zeila.

§ 1. Sane, sicut accepimus, in insula de Zeilam in Indiis Orientalibus, postquam eius Arces Maritimae de Lusitano Dominio in illud Hollandorum infeliciter devenerant, illico interdicto Europaeis illuc appulsu ita insurrexerunt ex iisdem Hollandis magistri mendaces, ut ad sectas suas perditionis in praefatam insulam introducendas haereticos errores undequaque diffunderent, apertisque gymnasiis perversam doctrinam publice assererent, et orthodoxos genitores ad mittendum natos ab ipsis nequiter instruendos inhumane compellerent: quo factum fuit, ut nullis ex tunc existentibus missionariis Evangelium praedicantibus et ea, quae sunt Iesu Christi, docentibus praefatae insulae habitatores, christifideles videlicet a catholica fide sensim aberrassent, gentiles vero a suis tenebris ad semitam lucis et veritatis amplius non es-

---

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

sent perducti. Huic malo dilecti filii presbyteri congregationis Oratorii S. Philippi Nerii nuncupati civitatis Goan. tempestive occurrere satagentes, inito consilio, quo id fieri posset, tandem sumptuum ratione et vitae periculo posthabitis clam illuc appellendi aditum a quinquaginta circiter annis favente Domino adinvenere ab Hollandis praefatis minime cogniti: hinc presbyteris praefatis haeresum huiusmodi acerrimis oppugnatoribus factis falsa dogmata, ut praefertur, diffusa iam radicitus exterminata, christianorum mores dudum depravati nunc ad pristinum candorem redacti, gentilium conversiones alias derelictae, modo iugiter habitae, haeretici denique ipsi tum verbo, tum scriptis etiam coram praefatae insulae rege confutati fuere, et catholica fides sarta tecta pureque fuit restituta. Solum consulendum superest, ne christifideles in praefata insula degentes sine confirmationis sacramento vitam misere ducant, cum ad ipsos pro tempore existentis Episcopi Caccinen. curae commissos, eique in spiritualibus subiectos idem Episcopus ob Portuum Maritimorum a praefatis Hollandis occupatorum impedimentum ab octoginta annis et ultra accedere non valuerit, minusque durante impedimento huiusmodi accedere valeat, ex quo fit, ut ipsi christifideles ministro priventur, qui eis confirmationis sacramentum huiusmodi conferat: demum prospiciendum, ut calices sacri cum suis patenis et altaria portatilia consecrata ac indumenta sacerdotalia benedicta hisque similia opportune illic habeantur, cum ea in praefatam insulam transportari nequeant, nihil etenim in eam invehitur, nisi prius in praefatorum haereticorum Hollandorum teloniis fuerit descriptum.

Facultas administrandi sacrament. confirmationis et benedicendi sacra utensilia.

§ 2. Nos igitur in praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, opportune providere volentes, motu proprio et ex certa scientia meraque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dummodo ea, quae ut accepimus vera sint, dilecto filio nunc et pro tempore existenti praefecto dumtaxat presbyterorum congregationis praefatae in dicta insula commoranti, ut ipse sacerdotalibus tantum vestimentis indutus et in reliquis iuxta ritum in Pontificali Romano descriptum omnibus et singulis utriusque sexus dictae insulae habitatoribus catholicis confirmationis sacramentum chrismate per Episcopum confecto, servataque eiusdem sacramenti forma et non alias, administrare, necnon calices et patenas altariaque portatilia Chrismate et Oleo Sancto cathecumenorum per Episcopum pariter confectis et respective adhibitis consecrare, paramenta quoque et alia utensilia ad missae sacrificium necessaria benedicere libere et licite possit et valeat; ad decennium proximum tantum incipiendum a die receptionis praesentium plenam, liberam et omnimodam facultatem earumdem tenore praesentium concedimus et impertimur.

Derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam in synodalibus, provincialibus universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus. Quibus omnibus et singulis, etiamsi alias pro earum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, earum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent; praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse harum serie motu, scientia et potestatis plenitudine similibus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Conditiones concessionis statuit.

§ 4. Volumus autem, ut facultatum huiusmodi concessio et impartitio ad decennium proximum tantum, ut praefertur, incipiendum valeat, si tamdiu causa impedimenti accessus praefati Episcopi Coccinen., vel alterius Episcopi, aut Vicarii apostolici Congregationis de Propaganda Fide ad dictam insulam duraverit, sin minus causa impedimenti huiumodi cessante praefatae facultates tum conferendi confirmationis sacramentum, tum etiam consecrandi calices et patenas, ac altaria portatilia in praefecto praedicto cessent eo ipso: praeterea etiam volumus, ut praesentium transumptis et exemplis etiam impressis manu notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, impartitionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit,

indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXLIV., quarto decimo kalendas martii, pontificatus nostri anno V.

XLV.

In Indiarum locis plenariam indulgentiam christifidelibus ultima missionum die concedit, et praedicatoribus apostolicam benedictionem super populum impertiri (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Reddituri de commisso nobis grege dominico in extremo iudicio rationem, summis, ut tenemur, affectibus singulos christifideles, quos hostis humani generis a iustitiae limitibus saepe divertit, nostro piissimo Redemptori ab omni labe mundatos restituere, eosque sibi acceptabiles et bonorum operum efficere cupimus sectatores, ut, pergrata et accepta Deo opera peragentes, illius, qui misericordiarum pater est, gratiam et misericordiam valeant facilius reperire, et nos in ipsa ratione reddenda divinae iustitiae possimus evadere ultionem. Cum sicut dilectus filius Augustinus Gioia, frater expresse professus ordinis Eremitarum Sancti Augustini, in sacra theologia magister, nec non assistens generalis Italiae, et illius visitator auctoritate apostolica deputatus, nobis nuper exponi fecit, quamplurimi dicti ordinis professores tempore quadragesimae et adventus, in nonnullis tam dicti quam aliorum ordinum ac secularibus ecclesiis verbum Dei praedicare, alii vero in peragendo sacras missiones tum in illis partibus ordini praefato praesertim Indiarum assignatis, tum in diversis mundi partibus, de Ordinariorum licentia, per aliquod temporis spatium magno cum animarum fructu exercere soleant; nos considerantes quod professores, alumnique dicti ordinis praemissa peragentes christifidelium mentes in his, quae ad fidem et sanctorum sacramentorum usum et frequentiam spectant, confirmare et consolidare curant, ut autem dicti professores libentius praemissa peragant et christifideles illis intersint, quo ex hoc dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refertos; de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus eiusdem Augustini assistentis generalis nobis humiliter porrectis inclinati, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, Ecclesiam, in qua dicti Ordinis professores vel Verbum Dei tempore quadragesimali praedicaverint vel sacras missiones peregerint, ultima die earumdem missionum vel praedicationis visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Ac insuper eisdem professoribus conciones vel missiones praefatas peragentibus, ut ipsi ultima die supradicta utriusque sexus christifideles ad easdem Ecclesias, in quibus ipsi praedicaverint, seu missiones peregerint, accedentes et interessentes, praesente etiam Episcopo seu alio in dignitate ecclesiastica constituto, de eius licentia benedicere, seu apostolicam benedictionem supra populum impertiri libere et licite possint, auctoritate apostolica tenore praesentium facultatem concedimus et tribuimus. Quibusvis in contrarium facientibus non obstantibus. Volumus autem quod praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu dilectorum etiam filiorum procuratoris generalis, seu assistentium generalium dicti ordinis pro tempore existentium subscriptis, et sigillo ordinis praefati munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCCXLIV., pontif. nostri anno IV.

XLVI.

Antiocheno Patriarchae Graecorum Melchitarum transmittit pallium, adiectis

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

mandatis et conditionibus opportunis (1).

Venerabili fratri, Cyrillo Catholico-Greco Melchitarum Antiocheno Patriarcha,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Patriarchae fides, religio et in S. Sedem observantia commendantur.

Dum nobiscum animo reputamus, illustrem Antiochenam Graecorum Ecclesiam, iamdiu a Romana Sede funesto schismate divulsam et a Patriarchis ea labe infectis gubernatam, nunc tandem fraternitati tuae commissam, in legitimi Pastoris tutela esse, omnibus quidem laetitiis incedimus, diuturni moeroris propemodum obliti, quo ex illa schismaticorum Antistitum irruptione conficiebamur; incredibili simul gaudio perfundimur, quod Catholici Graeci Antiocheni Patriarchae nomen, repetita longius antiquitatis memoria, Romanis Dypticis toto adscribi queat. Qua de re maximas habemus agimusque Deo gratias, eoque magis, quod nobis in suprema Ecclesiae cathedra, licet immerito, considentibus, id felicitatis evenerit; ac possimus, te praeside, minus timere de illius Gregis parte, quae ab insidiosis Pseudo-Episcopis circumsessa, defendae orthodoxae fidei periculo obiiciebatur; contra vero aliqua duci spe, fore ut reliqui in Christi ovile restituant. Magnum igitur tuum meritum est, in Orientalem

(1) Ad patriarchatum Antiochenum, qui a pluribus saeculis a Sanctae Sedis unione desciverat, electus iuxta Graecorum morem fuit sub anno millesimo septingentesimo vigesimo quarto R. P. Seraphinus Tanas, qui Cyrilli nomen assumpsit, pietate bonisque moribus ac scientiis imbutus apud Collegium Urbanum de Propaganda Fide, cui inter alumnos diu fuit adscriptus, Romano Pontifici B. Petri successori obedientiam praestiturus, prompte ablegavit ad san. mem. Benedictum XIII Ioannem Amenionem sacerdotem eiusdem ritus Graeco-Melchitarum, et alumnum antea eiusdem collegii, cum speciali mandato, ut suae confirmationem electionis a Sancta Sede et a Summo Pontifice, a quo omnis ecclesiastica potestas descendit, humiliter postularet, et pro concessione pallii suo nomine deprecaretur. Acta electionis talia comperta fuere, ut confirmatione digna visa fuerit electio. Sed ut certiora de perfecta unione et obedientia erga Sanctam Sedem a Cyrillo haberentur testimonia, non prius confirmationis actus probato religioso viro delegatus, publici iuris factus, est, quam idem Patriarcha fidei catholicae professionem iuxta praescriptam formam emitteret, ac mandatis Sanctae Sedis parere iureiurando adfirmaret. Aequo libentique animo omnia implevit Cyrillus. Earum tamen discussio assumi non potuit ob superventam Apostolicae Sedis vacationem. Reservatum sane erat huius operis complementum pontifici Ben. XIV., qui in consistorio secreto habito die III. februarii MDCCXLIV., concessit pallium, et sequentem allocutionem habuit:

VENERABILES FRATRES,

Magnus Pontifex Innocentius Primus, in epistola ad Alexandrum Antiochenum, numquam futurum affirmavit, ut Sedes Antiochena Romanae cederet, *nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum, et apud se consummatum gaudet.* Primis quidem temporibus eam Sedem occuparunt Episcopi sanctitate clarissimi, Evodius, Ignatius Martyr, Meletius et Flavianus. At vero saeculo quinto vergente, dilacerato per Nestorii et Eutychetis haereses Oriente, Antiochena Ecclesia turpiter deformata est: quippe quae divisa fuit inter eos, qui Concilii Chalcedonensis definitionibus sese opposuerunt, quique adhuc per hos dies Iacobitarum nomine subsistunt; et inter illos, qui e contrario Concilii dogmata ac decreta venerantes, Marciani Imperatoris edictis obsequentes fuerunt, atque hinc Melchitae, hoc est Regii, nuncupati sunt. Cum vero subinde Antiochenam Ecclesiam Patriarchae haeretica pravitate infecti invasissent, omnem lapidem Patriarchae Constantinopolitani moverunt, ut illam sibi subiicerent; maxime vero postquam Oecumenici titulum sibimet arrogarunt: neque id frustra. Nam occupata saeculo septimo Syria una cum proximis provinciis a Saracenis, et inde saeculo decimo ab Imperatore Nicephoro Phoca ex eorum manibus erepta, in graecorum imperatorum potestatem Antiochia devenit: proinde Antiocheni Patriarchae a Constantinopolitano selecti, ordinatique sunt; atque ita Melchitae Graecorum schismatici se se immiscentes, Melchitae Graeci mox appellati sunt.

Post haec, ineunte saeculo undecimo, Petrus III. Patriarcha Antiochenus, de more antecessorum suorum, S. Leone IX. Romano Pontifice se ad Patriarchatus dignitatem fuisse promotum significavit, in ea petens ab illo confirmari, sicuti revera confirmatus est, a schismate hac ratione secedens. Dorotheus I. cum Ecclesia Romana in Concilio Oecumenico Florentino sese coniunxit. Cum autem idem Patriarchatus rursus esset in schismatis tenebras delapsus, nulla resipiscentiae lux affulsit, nisi labente saeculo decimo septimo, ad quam iter primo stravit Euthymius Melchita, Tyri et Sidonis Archiepiscopus: deinde Athanasius Patriarcha, quique ei Primus successit Cyrillus, transmissa ad hanc Sanctam Sedem fidei professione: cui Sancta Sedes penitus non acquievit, proinde nec Pallii dignitatem illis concedere opportunum iudicavit.

Unus id temporis Patriarcha Cyrillus alter est, qui praesenti saeculo ad Patriarchatum evectus, electionis suae a Sancta Sede confirmationem obtinuit, cum suae erga hanc Sanctam Sedem obedientiae signa minime dubia dederit, fortissimumque se gesserit in ea asserenda adversus Sylvestrum schismaticum, qui Sedem Patriarchalem invasit; quamobrem in Monte Libano exulare cogitur. Praeest insuper Cyrillus noster genti, quae hodie catholicos ingenti numero complectitur, quaeque a decem Episcopis, qui ipsum tamquam legitimum Patriarcham venerantur et colunt, provide gubernatur. Atque in Melchitis hisce vere Orthodoxis venerabiles Antiochenae Ecclesiae reliquiae, iampridem consepultae, reviviscunt. Huic itaque venerando viro, huic praeclaro Orthodoxae fidei propugnatori nos in hoc ipso consistorio honorem pallii de corpore Beati Petri sumpti, in quo Pastoralis Officii plenitudo continetur, postquam Orthodoxae fidei professionem coram eo, cui id delegabimus, emiserit, libenter impertimur; ut factis comprobemus, id quod Leo IX. dixit Petro III. Antiochiae Patriarchae respondens: « *Maxima Mater, Romana scilicet ac prima Sedes, tam dilectae sibi filiae, immo consociae, nusquam et nunquam deerit.* »

graecum patriarchatum veluti postliminio rediisse catholici Antistitis decus. Ex eo autem aeque plurimum apud nos commendaris, quod ad rem tanti momenti obtinendam tibi aditum aperueris bene acta vita prius Romae in Collegio ad Propagandam Fidem instituto, deinde per tuam nationem christianis virtutibus palam asserta vera Dei Religione. Quamobrem a catholicis Orientalis dioecesis Episcopis in Antiochena sede locatus fuisti, in qua per tot annos, veluti bonus Christi miles, pugnasti adversus catholicae veritatis hostes, nullis fractus aerumnis, quibus adhuc oppugnaris. Fideli autem populo multum, ne erraret, providisti, consulta identidem Apostolica Sede, eiusque decretis ac mandatis morem sedulo gessisti, non sine ingenti tuarum ovium fructu et eximia obedientiae laude. Quin etiam, ut arctius visibili Pastorum Principi te adhaerescere gloriari posses, sacro ornari Pallio a Pontifice Maximo postulasti, ablegato idcirco Romam Dilecto filio Ioanne Aminione sacerdote, qui prudenti et grata agendi sedulitate utilem tibi navavit operam suam. Nihil denique praetermisisti, in quo tua pietas, sincera fides, insignis erga Romanam Sedem observantia non elucesceret.

Pallium ipsi transmittitur.

§ 1. His auctus meritis, omnia spondere tibi poteris de nostra benignitate; et si adhuc Pallii donum dilatum fuit, scito, id consulto evenisse, ut quo diuturnius optatum, eo iucundius acciperes. Nunc autem non amplius cunctandum rati, quin assiduis tuis precibus, nuper etiam in consistorio ab eodem ablegato tuo renovatis, annueremus, libentissime tibi transmittimus Pallium ipsum, desumptum e corpore Divi Petri, in quo plenitudo pontificalis officii continetur, quod tibi tradet nostro nomine ven. frater Episcopus Babylonis, aut alius ab ipso substitutus; dummodo prius coram eorum altero emiseris catholicae fidei professionem, iuxta formulam praescriptam a fel. rec. Urbano VIII. decessore nostro ac solemni iureiurando pollicitus fueris fidelitatem nobis et Apostolicae Sedi, adhibita verborum formula ablegato tuo consignata, quae cum his literis reddita tibi erit; simulque iuratus promiseris, te accuratissime et qua par est obedientia observaturum quicquid a nobis sancitum fuit in encyclica Epistola ad ven. fratres Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum et ad omnes huius ritus catholicos Episcopos huic Patriarchae subiectos, data XXIV. decemb. anni proxime elapsi MDCCXLIII., quae incipit: *Demandatum coelitus,* cuius exemplar cum nostris hisce litteris ad te perveniet.

F.dei professio iuramentum fidelitatis et de observandis recentibus mandatis apostolicis eidem praescribitur.

Pallii usus ad dignitatis decus, et religionis excitamentum.

§ 2. Utere deinde hoc venerabili dono, eoque in tuae gentis oculis posito, excita illius memoriam ad retinendam, aut amplectendam fidem, ab Apostolorum Principe aeque nobis ac sibi traditam: unde veluti quadam cognatione illecti, atque excitati, ad nos revertantur, aut nobiscum perseverent, quotquot in tuo patriarchatu sacro baptismate initiati sunt. In istiusmodi operam ut omnes intendas pastoralis vigilantiae curas, quod hactenus fecisti, pro paterna solicitudine te adhortamur; plurimam a nobis gratiam quotidie magis initurus, cuius pro pignore munusculum ad rerum sacrarum usum accipies, ablegato tuo consignatum, atque apostolicam benedictionem, quam fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. februarii MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

XLVII.

Confirmat et ampliat poenas Constitutionum Apostolicarum contra eos, qui ad presbyteratus ordinem non promoti, Missam celebrare et sacramentum poenitentiae ministrare praesumpserint (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a dignitate sacerdotii novae legis.

Sacerdos in aeternum Christus Dominus, dum ipsa nocte, in qua tradebatur, Apostolis a se ipso delectis consecrandi Corporis sui eiusdemque offerendi et ministrandi potestatem concessit, mox eisdem post resurrectionem suam, insufflato Spiritu Sancto, amplissimam peccata remittendi ac retinendi contulit facultatem; hoc simul exemplo praeceptoque suo constituit et sanxit, ut ea deinceps in universam Ecclesiam potestas atque facultas per legitimam tantummodo sacerdotum ordinatio-

(1) Ex Bull. Rom. huius Pont.

nem transfundi et propagari deberet; unde, evacuato veteri Levitarum ministerio et sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari et umbrae deserviebant coelestium, omnibus quidem adoptionis suae filiis ad novum sacerdotium secundum ordinem Melchisedech aditus pateret; sed non alii reipsa ad sublimem fungendum honorem assumerentur, quam qui a Deo vocati, atque ab Apostolis, seu ab eorum successoribus, rite instituti atque ordinati fuissent. Quod si, iuxta legem Moysi, accedentes ad sanctuarium illud manufactum, aut thuribulum aureum, ab hominibus effectum, manu arripientes, praeter eos, qui ex designata tribu et familia originem ducerent, sine ulla miseratione morti deputabantur: quanto magis putandum est deteriora supplicia mereri eos, qui, profani cum sint, adeo praestantiori novae legis ministerio se ingerere, atque oblationem et dispensationem Mysteriorum Dei sibi arrogare praesumpserint; quum praesertim ea nulliter et irrite celebrantes, puram ipsam panis et vini substantiam publicis adorationis actibus, atque receptis latriae protestationibus impie prosequantur et, quantum in ipsis est, in idem idololatriae crimen fideles populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui absque legitima auctoritate, in poenitentiae tribunalibus, tamquam iudices animarum, sedere audeant, eamque sibi falso asserere facultatem emendandi conscientias hominum ab operibus mortuis, quam aeterni foederis Sponsor Dei Filius nemini se, nisi per ecclesiasticam ordinationem, communicaturum promisit, severioribus profecto poenis plectendi sunt, cum sacramentum reconciliationis humanae conculcent et sanguinem testamenti, a quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, confitentibus vero fideliter peccata sua impiam in re gravissima fraudem faciant.

Quod per solam ordinationem confertur.

Paulus IV. et Sixtus V. omnes sacerdotalia munia sibi falso arrogantes a S. Inquisitione curiae saeculari tradi mandarunt.

§ 1. Et quidem gravissima huiusmodi scelera execrantes Romani Pontifices praedecessores nostri Paulus IV. et Sixtus V. decreverunt, ut qui ad presbyteratus ordinem non promoti, missarum celebrationem usurpare, et sacramentum poenitentiae ministrare praesumpserint, a iudicibus Sanctae Inquisitionis tradi deberent curiae saeculari, debita animadversione puniendi. Eorumque vestigiis per omnia inhaerens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam praedecessor noster, ne circa poenam huiusmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus superesset, in suis literis incipientibus: *Et si alias,* datis in forma Brevis apud S. Petrum sub die I. decembris anni MDCI., distinctius constituit, ut omnes et singuli, qui ad sacerdotium, ut supra, non promoti, reperti fuerint missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentale confessionem audisse, a praedictis iudicibus S. Inquisitionis vel locorum Ordinariis, tamquam Ecclesiae misericordia indigni, a foro ecclesiastico abiiciantur et ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerint, rite degradati, statim curiae saeculari tradantur, per iudices saeculares poenis plectendi.

Clemens VIII. idem statuit, etiam si reus in aliquo Ordine ecclesiastico constitutus esset, praevia degradatione.

Urbanus VIII. extendit praemissas constitutiones, ut defectus aetatis minime suffragaretur.

§ 2. Et successive rec. pariter mem. praedecessor noster Urbanus PP. VIII. per similes literas datas die XXIII. martii anno MDCXXVIII., quarum initium est; *Apostolatus Officium,* supradictas decessorum dispositiones ita confirmavit et ampliavit, ut quicumque se praefatis sceleribus obstrinxerint, mandaverit eos privilegio aetatis minoris annis vigintiquinque nullatenus excusari, dummodo vigesimum annum expleverint, quominus ad normam dictae Constitutionis Clementinae, statim curiae saeculari, condignis poenis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes et singulas Constitutiones atque ordinationes apostotica nostra auctoritate adprobamus et confirmamus et, quatenus opus sit, innovamus, atque in posterum ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari praecipimus, earum omnium tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro plene et sufficienter expressis habentes.

Pontifex confirmat praefatas constitutiones.

Enumerat exceptiones quandoque a reis opponi solitas.

§ 3. Quia vero propria nonnunquam experientia cognovimus, dum adhuc in minoribus existentes in Romana atque universali inquisitione consultoris munere fungebamur, ab huiusmodi criminum reis, seu ab eorum defensoribus, complures alias exceptiones proponi, quarum praetextu, poenarum ut supra iuste indictarum condonationem, aut saltem minorationem, obtinere contendunt; et signanter contra probationes a fisco adstructas opponi solere, quod aut testes cumulaverit in sua qualibet depositione singulares, dum, exempli gratia, unus ex ipsis reum viderit sacris se sacerdotalibus vestibus induentem, alter eumdem ad altare progredientem, alius vero unam, alius aliam missae partem recitantem audierit; aut etiam quod ab eodem fisco non satis exclusa fuerit promotio rei ad

Ordinem presbyteratus, iuxta praetensum onus, quod ipsi fisco incumbere contendunt. Ad alleviandam vero delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod reus integram missam non celebraverit, sed antequam illam expleret, ab altari discesserit; vel quod, si unam missam integre celebrasse convictus fuerit, id, iuxta assertum sensum praedictarum Constitutionum, nequaquam sufficiat ad incurrendas poenas in eisdem propositas; vel denique, etiamsi plures huiusmodi sacrilegas missas celebraverit, minime probari possit formam consecrationis ab eo prolatam fuisse.

Ad tollenda frivola effugia statuit.

§ 4. Idcirco nos, frivola huiusmodi reorum effugia de medio tollere volentes, re mature a nobis ipsis et accurate perpensa, atque etiam audito consilio ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum a Sancta Sede specialiter deputatorum, motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, statuimus primo et declaramus, quod licet delictum celebrationis missae non satis plene probatum dici possit, ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio saeculari, quando testes inducti in suis quisque depositionibus singulares dignoscuntur; nihilominus indicia per huiusmodi depositiones acquisita satis relevantia iudicari debeant, ut reus tormentis subiiciatur, ad eliciendam veritatem.

I. Quod depositiones testium singulares, si non ad poenam, sint sufficientes ad torturam.

§ 5. Ad dignoscendum autem, utrum reus in ordine presbyteratus revera constitutus fuerit, necne, laudabilem quidem commendamus praxim tribunalis Sac. Inquisitionis, qua consuevit in huiusmodi casibus exquirere per literas ab Episcopo illius loci, unde reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipse eumdem reum promoverit, sive ad alium Episcopum literas dimissoriales pro eiusdem ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex huiusmodi extraiudicialibus Episcoporum literis constet, minime reum fuisse promotum; id satis superque esse volumus, ut fisci intentio probata dicatur; declarantes, non aliter fisco incumbere onus probandi non promotionem rei ad ordinem presbyteratus, sed ad ipsum potius reum pertinere, quatenus contrarium praetendat, suam promotionem ad praedictum ordinem concludenter ostendere.

II. Fisci intentionem probari ex relatione Ordinarii,

Et onus probandi contrarium, reo incumbere.

§ 6. Sub dispositione vero praesentis nostrae, necnon praemissarum omnium constitutionum, comprehendi decernimus omnes et singulos, qui, absque sacerdotali gradu et ordine, non modo unam Missam celebrare ausi sint, sed etiam unius Missae partem celebrasse iudicialiter fateantur, seu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hostiae vel Calicis, seu utriusque, in Altari peregerint, quamvis de prolatione formae consecrationis non constet: cum ex huiusmodi verborum prolatione tremendi quidem sacrificii contemptus et delinquentis audacia et crimen augeatur; sed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriae, quod per actus adorationis a celebrante non promoto erga puram panis et vini substantiam exhibitos admittitur, et in quod populus etiam fidelis, materialiter saltem, inducitur. Quod si, non peracta elevatione, reum ab altari discessisse probetur, tunc solum concedimus ut contra ipsum ad mitiorem poenam deveniatur, arbitrio et prudentia iudicis ecclesiastici praefiniendam.

III. Ampliat poenas constitutionum apostolicarum contra celebrantes unius tantum missae partem,

Dummodo elevationem peregerint.

§ 7. Omnes denique exceptiones supra expressas, quae ab huiusmodi reis, eorumque defensoribus, in ipsorum excusationem praetendi solent, seu singulatim, seu coniunctim considerentur, nullatenus attendi, seu eisdem reis suffragari debere statuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio saeculari, vel, si de clericis in aliquo ecclesiastico ordine constitutis agatur, ad eorum degradationem et traditionem pariter brachio saeculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc ut condignis tantae impietatis poenis a iure, seu alias statutis et comminatis, cum effectu puniantur et afficiantur.

Praemissas exceptiones tam seorsim quam coniunctim sumptas non suffragari decernit.

§ 8. Easdem declarationes et ordinationes a nobis contra celebrantes non promotos hucusque statutas, ad eos etiam extendimus et pertinere decernimus, qui cum sacerdotes non sint, confessiones sacramentales audire et absolutionem poenitentibus impertiri praesumant; quos pariter eisdem poenis traditionis brachio saeculari, seu respective degradationis et traditionis pariter brachio saeculari, etiam pro prima vice, subiici debere praecipimus; non obstantibus praemissis exceptionibus, si quas ab huiusmodi reis ad proprium casum aptabiles, in sui defensionem seu excusationem adduci contingat. Sed unam dumtaxat exceptionem, ad effectum mitigandae poenae, attendi debere mandamus; ubi ni-

Quidquid contra non promotos celebrantes statutum init, contra non promotos confessiones audientes statuit.

Excipitur casus non prolatae absolutionis formae.

mirum concludenter probetur, absolutionem a reo minime prolatam fuisse: tunc enim concedimus, ut iudex ecclesiasticus mitiorem poenam, pro suo arbitrio et prudentia, delinquenti valeat irrogare.

Clausulae praeservativae.

§ 9. Decernentes praesentes nostras literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, in controversiam vocari, ad aut terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Aliter iudicari prohibetur.

§ 10. Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac contra haereticam pravitatem generales inquisitores et alios eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ ac potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissime derogatur.

§ 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac, in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis etiam in corpore iuris clausis, aut litteris apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, societatibus, institutis, etiam Societatis Iesu et S. Ioannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus in genere vel in specie, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum plenissime et amplissime motu pari derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi constitutionis in urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factae.

§ 12. Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiae S. Ioannis in Laterano et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariae Apostolicae curiaeque generalis Innocentianae in Monte Citatorio et in Acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi: sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Transumptis fidem praestari sancitur.

§ 13. Utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, ma-

nu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, et extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIV., duodecimo Kalen. maii, pontificatus nostri anno IV.

XLVIII.

Confirmat unionem omnium monasteriorum Ordinis S. Basilii Ruthenorum, tam Lituaniae quam Russiae seu Poloniae, in unicam Congregationem duabus provinciis compositam, et ad ipsius Ordinis regimen plura edit decreta (1).

Venerabili fratri, Athanasio Szeptychi Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, necnon dilectis filiis, Proto-Archimandritae, Archimandritis, Abbatibus et Monachis Ordinis Sancti Basilii Magni Ruthenorum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, et dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis cura examinandis Prop. Fidei negotiis.

Inter plures iucunditatis fructus a nobis abunde perceptos, dum illustrium aliquot praedecessorum nostrorum morem resumpsimus, qui Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum coram se ipsis identidem convocare consueverunt, non mediocre profecto gaudium animo coepimus, dum negotia nationis Ruthenae, atque Ordinis Monachorum S. Basilii eiusdem nationis, una cum ven. fratribus nostris praedictam Congregationem constituentibus, tractavimus, atque discussimus.

Nationis Ruthenae laudes a temporibus Clementis VIII. in unione catholica perseverantis.

§ 1. Et quidem praeclara nationis Ruthenae merita nobis comperta sunt ex sacris historiis, in quibus relatum invenimus, usque de anno MCXLVI. praelatos Ruthenos concilium nationale Kioviae habuisse, quo se opponerent schismati per Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum excitato; deinde aliquos eiusdem nationis Metropolitas Apostolicae Sedi obedientiam praestitisse; quam pariter universa gens per suos legatos Innocentio PP. IV. in Concilio generali Lugdunensi primo professa fuit; illustrem porro Isidorum S. R. E. Cardinalem Ruthenum in Concilio Florentino plurimum adlaborasse pro sancta unione inter Occidentalem et Orientalem Ecclesiam stabilienda: denique Michaelem III. Kioviensem Metropolitanam, consentientibus reliquis Episcopis Ruthenis, in civitate Braestiae Concilium coegisse, in quo publica iterum Nationis Ruthenae cum Sede Apostolica unio decreta fuit, ad eamque perficiendam duo Episcopi missi fuerunt ad fel. rec. Clementem Papam VIII. praedecessorem nostrum, cui datum fuit praedictam nationem ad Ecclesiae Romanae communionem recipere, eiusque unionem per literas apostolicas confirmare.

Elogium Ordinis Monachorum S. Basilii Magni Ruthen.

§ 2. Eximiis hisce totius nationis promeritis iungenda sunt ea, quae peculiaria sunt Ordinis Monachorum S. Basilii, quorum spectabilis coetus est apud ipsam Ruthenorum nationem, quemque potissimum concernunt ea, quae in Congregationibus coram nobis habitis agitata et constituta fuerunt. Hypatius nimirum Metropolita, unus ex legatis ad Clementem Papam VIII. missis, cum intelligeret, nullum aptius fore medium ad sanctam unionem fovendam et propagandam, quam si monachos Basilianos, quorum unicus apud Ruthenos est monasticus ordo, sibi coniungeret; insigne ipsorum monasterium acquisivit sub invocatione sanctissimae Trinitatis Vilnae constitutum, atque in eo collectos iuvenes monachos erudiri curavit. Huius vero successor Ioseph Velaminus, pluribus eiusdem ordinis monasteriis, quae antea segregata degebant, ad unionem redactis, unam ex eis monachorum congregationem, efformavit quam de nomine supradicti monasterii *congregationem Sanctissimae Trinitatis unitorum* nuncupavit: cumque bene nosset huiusmodi unionem, seu congregationem, minime canonicam esse, aut haberi

Quorum congregat. SS. Trinitatis extat a temporibus Urbani VIII.

---

(1) Ex App. Bull. Pont. de Prop. Fide vol. II., pag. 1.

posse, absque auctoritate et beneplacito Sedis Apostolicae, ad hanc ipsam debitum habuit recursum, atque opportunam ab ea obtinuit approbationem de anno MDCXXIV. sub pontificatu fel. rec. Urbani Papae VIII., cum praecedenti anno MDCXXIII. magnus ille Archiepiscopus Polocen. Iosaphat monachus Sancti Basilii, quem idem Urbanus anno MDCXLVI. Beatorum numero adscripsit, gloriosum pertulisset martyrium, sibi a schismaticis in odium catholicae fidei et unitatis illatum.

Reliqua monasteria in congregationem unienda decernitur in Concilio Zamosciae.

§ 3. Monasteriorum unione, ut praefertur, in unicam congregationem sic constituta et cohaerenter ad obtentam apostolicam confirmationem, praedicta omnia monasteria sub unius Proto-Archimandritae directione et regimine unita fuerunt. Sed quamvis ad eam congregationem firmius stabiliendam et ampliandam, opportuna deinceps concessa quoque fuerit facultas uniendi ipsi alia monasteria, quae se ad eamdem adiungere optassent, nonnulla tamen eiusdem ordinis monasteria in dioecesibus Uladimiriensi, Luceoriensi, Chelinensi, Leopoliensi et Premisliensi adhuc reliqua erant, quae et omnino separata ab ea congregatione et singula seorsim sine ulla unione vivebant. Quamobrem, anno MDCCXX. de mandato recol. memor. Clementis Papae XI. coacta in civitate Zamosciae synodo nationali ruthena, praesidente in ea bo. mem. Hieronymo Archiepiscopo Edessae, tunc in regno Poloniae Sedis Apostolicae Nuntio, deinde S. R. E. Cardinali, Grimaldo nuncupato, in eadem decretum fuit, praedicta quoque monasteria in unam congregationem uniri debere; eaque de re habendum esse post certum tempus capitulum generale sub praesidentia Metropolitani et cum assistentia Proto-Archimandritae congregationis sanctissimae Trinitatis, in quo omnia ordinarentur et constituerentur, quae ad deliberatam unionem pertinerent, cum satis compertum haberetur, ecclesiasticae disciplinae summopere profuturum, si omnia monasteria, quae superioribus generalibus non subsunt, neque visitatores ordinarios habent, in unum corpus, seu in unam congregationem, redigerentur.

Id quod peractum fuit in capitulo gener. habito Leopoli an. MDCCXXXIX.

§ 4. Ad normam huius conciliaris resolutionis, quam ab Innocentio PP. XIII. confirmatam fuisse dici potest, dum is, praevio consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cui nos tunc a secretis operam dabamus, tum alterius, Propagandae Fidei negotii praepositae, Synodum Zamoscianam approbavit, id quod deinde Benedictus Papa XIII. per suas literas speciales in forma Brevis pariter fecit; coactum fuit anno MDCCXXXIX. in civitate Leopolis capitulum generale, praesidente Archiepiscopo Metropolitano et adstante praedicto congregationis sanctissimae Trinitatis Proto-Archimandrita; ac monasteriorum unio peracta fuit; et totus ordo S. Basilii Ruthenorum distinctus remansit in binas congregationes; cum praeter veterem congregationem provinciae Lithuanae, sanctissimae Trinitatis nuncupatam, nova haec efformata fuerit provinciae Russiae, seu Poloniae, sub invocatione Patrocinii Beatissimae Virginis.

Ex duabus congregationibus unicam conflari statuitur, sub opportunis legibus.

§ 5. Delata ad nos rerum gestarum serie, atque habita coram nobis congregatione ven. fratrum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum sub die I. maii anni MDCCXLII., facile coniecimus, non levis momenti dissensiones inter veterem et novam congregationem oriri posse, nisi opportunis remediis eisdem occurreretur; cum ea iam quaestio excitata esset, utrum scilicet nova congregatio Polonica proprio et distincto Proto-Archimandritae subesse deberet, an vero alteri congregationi Lithuanicae unienda et illi Proto-Archimandritae, tamquam superiori generali totius ordinis Basiliani, subiicienda esset. Proindeque, ad tollendam omnem controversiam, resolutum fuit, quod ex omnibus utriusque provinciae monasteriis unica efformaretur congregatio, et cogeretur capitulum generale pro electione novi totius ordinis Proto-Archimandritae. Huic vero capitulo praesideret Metropolitanus Russiae, eidemque interesset Nuntius apostolicus, vel per se, vel, si ipse non posset, per alium ab ipso substituendum; aliaque plura constituta fuerunt, quae legi possunt in decretis sub praedicta die emanatis. Atque inter caetera, supradicto Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio commendatum fuit, ut inter duas praefatas provincias alternativam pro electione Proto-Archimandritae constitui curaret, cuius alternativae initium a provincia Lithuanica desumeretur.

Quod etiam perficitur in capitulo generali habito, anno MDCCXLIII.

§ 6. Cumque praedictus Nuntius convocationem capituli generalis indixerit in civitate Dubnensi, de mense maio anno MDCCXLIII., Metropolitano Russiae in eo praesidente, atque interveniente Episcopo Zenopolitano ab ipso Nuntio subdelegato,

in eodem capitulo, favente Deo, constabilita fuit unica congregatio, ex duabus praefatis provinciis composita, sub regimine unius Proto-Archimandritae; supradicta etiam alternativa proposita et stabilita fuit, et secundum eam electus fuit Proto-Archimandrita, atque is et Lithuaniae provincia; electi pariter fuerunt officiales inferiores, consultores nimirum et secretarii, aequali numero tam ex una, quam ex alia provincia; aliaeque plures constitutiones et resolutiones emanarunt pro felici regimine huius novae congregationis ex duabus provinciis compositae.

Confirmatio apostolica huiusmodi unionis et electionis Proto-Archimandritae aliorumque ibidem statutorum.

§ 7. Cum autem, pro supradictorum omnium firmitate, nostrum, ut par erat, apostolicum beneplacitum reservatum fuerit; nos vero cum consilio ven. fratrum nostrorum negotiis Propagandae Fidei praepositorum nobis procedendum esse censuerimus; convocatis eisdem coram nobis die trigesimo mensis martii currentis anni MDCCXLIV., omnibusque in eadem congregatione perpensis, quae ad praedictum capitulum generale Dubni habitum, ad unionem duarum congregationum, ad constitutam inter eas alternativam, atque electionem Proto-Archimandritae totius ordinis ibi peractam pertinerent, libenti prorsus animo adducti sumus, ut approbaremus, quemadmodum per praesentes nostras apostolicas literas approbamus et confirmamus, tam capitulum generale, quam unionem, alternativam, atque electionem Proto-Archimandritae, aliorumque officialium, in eodem capitulo decretas et respective peractas; quae omnia ad utilitatem ipsius ordinis S. Basilii, quem paternae charitatis affectu prosequimur, salubriter expedire iudicavimus, atque adeo iudicamus.

Nonnullae quaestiones iudicio Sanctae Sedis reservatae.

§ 8. Ab approbatione capituli generalis, necnon unionis, electionis, alternativae, aliorumque praemissorum, gradum facimus ad nonnullas resolutiones, quas in praedicto capitulo propositas utraque provincia unanimiter iudicio nostro remisit.

De titulo congregationis et duarum provinciarum, Lithuaniae et Poloniae.

§ 9. Prima occurrit ea, quae pertinet ad titulum congregationis ex duabus provinciis compositae, cum provincia Lithuaniae pro conservatione tituli *SS. Trinitatis unitorum,* provincia vero Poloniae pro nova denominatione *Divinae Providentiae,* suum respective desiderium significaverint. Nos vero considerantes, provinciam Lithuaniae suum iampridem obtinere titulum *Sanctissimae Trinitatis,* sicuti Poloniae provincia alium habet *Protectionis Beatissimae Virginis;* duplicis autem generis actus ab eisdem provinciis exerceri posse, alios nimirum universo ordini communes, alios vero proprios singularum provinciarum; opportune decernendum iudicamus, quod actus communes expediantur sub titulo *Ordinis Sancti Basilii Magni Ruthenorum:* in actibus vero peculiaribus provinciae Lithuaniae addatur titulus *Sanctissimae Trinitatis unitorum;* atque in iis, qui proprii sint provinciae Poloniae, adiungatur alius *Protectionis Beatissimae Virginis Mariae;* et ita utrique provinciae suus praecedens titulus conservetur.

Monasterium Lublinense provinciae Polonicae addicitur.

§ 10. Altera ex eo ortum habet, quod provincia Lithuaniae monasterium Lublinense cessit provinciae Poloniae cum aliquibus conditionibus, et signanter cum ea, quod huiusmodi cessio, seu dimissio, eatenus valere debeat, quousque a Sancta Sede decidatur, utrum alia duodecim manasteria, quae intra fines provinciae Poloniae constituta esse dicuntur, et quorum possessio est apud provinciam Lithuaniae, praedictae provinciae Poloniae debeant assignari. Verum in praesenti rerum statu nos nihil aliud respondere possumus, praeterquam supradictam cessionem monasterii Lublinensis a nobis approbari. Circa reliqua vero, ulteriores opportunae facti informationes a vobis exhibendae erunt, ut supra aliorum duodecim monasteriorum pertinentia iudicium nostrum efformare possimus. Equidem in cumulo scripturarum, quae nobis communicatae fuerunt, de eorum possessione apud provinciam Lithuaniae minime dubitatur. Illud quoque asseritur, nonnulla ex iis fundata fuisse pro Lithuanis. Haec nimirum facta dilucidanda sunt, recognoscendae fundationes, explicandae causae, propter quas provincia Poloniae eorum cessionem nunc sibi deberi contendit; quae omnia, si libet, intra breve tempus et absque magna impensa perfici possunt; concordando scilicet factum coram nostro Nuntio apud Poloniae regnum residente, vel coram illius auditore, seu alio ministro ab eodem deputando, ad hoc ut deinde ad nos remittatur veridica relatio tum facti, tum etiam rationum omnium, quae coram ipso utrinque deducentur; quibus peractis, minime cunctabimur opportunam resolutionem proferre.

De pertinentia aliorum XII. monasteriorum resolutio differtur.

Hospitium in Urbe ad universum Ordinem pertinere decer-

§ 11. Tertia concernit hospitium procuratoris generalis ipsius ordinis, qui in hac Urbe residere debet, necnon alumnatus,

nitur, pro habitatione procur. generalis.

quibus ipsi Rutheni in pluribus collegiis fruuntur. Illud porro constat, Urbanum Papam VIII. de anno MDCXLI., instante ipsa Congregatione de Propaganda Fide, concessisse monachis Ruthenis ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi; necnon Antonium Cardinalem Barberinum S. Honuphrii nuncupatum, ipsius Urbani fratrem, aream contiguam pro hospitio fundando comparasse, ibique aedes extruxisse pro procuratore generali, cuius etiam substentationi annuum legatum a se relictum attribuit. Neque dubium est, quin primaeva supradictae ecclesiae concessio, sicut etiam hospitium, atque legatum, ad solos spectaverint monachos Basilianos Ruthenos, qui de eo tempore in congregationem Sanctissimae Trinitatis unitorum coaluerant. Cum vero nuper etiam monasteria Poloniae in unum corpus unita fuerint, deinde que ex toto Ordine S. Basilii Ruthenorum unica congregatio fuerit efformata, quae ex duabus provinciis, Lithuana et Polona componitur; cumque, iuxta leges alternativae inter ipsas constitutae, procurator generalis modo ex provincia Lithuana, modo vero ex provincia Polona eligi debeat; aequitatis ratio postulat, ut in praedicto hospitio resideat procurator generalis etiam tunc, cum ex provincia Polona assumetur; quandoquidem procurator generalis, sive ex Lithuana, sive ex Polona provincia electus sit, semper est procurator generalis totius ordinis et congregationis ex utrisque provinciis compositae.

De sumptibus in aedes hospitii erogatis.

§ 12. Quia vero pro eisdem aedificiis in eum statum, in quo nunc sunt, redigendis, tum plures sumptus erogati fuerunt, tum etiam multum aeris alieni contractum, quod adhuc exsolvendum remanet; nos id, quod expensum fuit, ab eo, quod in posterum solvendum erit, omnino distinguimus; et nullam quidem expensi rationem habendam esse iudicamus, vel quia id ex priorum largitionibus collectum extitit, vel quia domicilium illud partim inhabitatum, partim etiam locatum fuit a procuratore ibi commorante, qui semper hucusque fuit ex provincia Lithuana; quod autem reliquum est aeris alieni, postquam exacte liquidatum fuerit, id pro medietate ab una ex dictis provinciis, pro alia vero medietate ab altera solvendum esse decernimus.

Alumnatus in collegiis pontificiis ad utramque provinciam spectare.

§ 13. Quo vero ad alumnatus, cum duo ex ipsis constituti sint in Collegio Urbano de Propaganda Fide, duo autem in Collegio Graeco de Urbe ab Urbano Papa VIII. concessi, alii vero in aliis collegiis extra Urbem assignati reperiantur, statuimus, quod huiusmodi alumnatus ad utramque provinciam spectare deinceps censeantur, atque inter earumdem alumnos aequaliter dividantur.

De iure passivo abbatum ad munus Proto-Archimandr. resolutio differtur.

§ 14. Quarta ex eo originem duxit, quod abbates utriusque provinciae renunciarunt proprio iuri passivo, quod habebant in electione Proto-Archimandritae; id quod locum dedit huiusmodi resolutioni, quod nimirum in Proto-Archimandritam eligi deberet simplex monachus professus, nullo canonico defectu notatus; et viam aperuit remittendi arbitrio nostro, atque huius Apostolicae Sedis iudicio, utrum id, quod in praesenti actum fuit, semper deinceps servari debeat, (quod idem est ac exquirere, an semper in posterum simplex monachus eligendus sit in Proto-Archimandritam), vel potius aliquis etiam ex abbatibus ad eamdem dignitatem eligi possit. Nos autem plurimum commendamus religiosam animorum moderationem, cuius illustre specimen abbates hac occasione praebuerunt. Opportunum quoque censemus pro ipsius ordinis utilitate, non alium eiusdem regimini praesidere, quam qui veram ipsius observantiam professus sit; cum sciamus, ab eo potissimum recte imperari, qui bene obedire didicerit. Verum, cum non adhuc satis liqueat id, de quo inferius verba faciemus, an scilicet abbates a iurisdictione Proto-Archimandritae exempti esse et Metropolitano immediate subesse debeant, nondum pariter super hac quaestione sententiam proferri posse iudicamus. Siquidem ex unius articuli decisione alterius praeiudicium exoritur. Ubi enim abbates immediatae Metropolitani iurisdictioni subiiciantur, aequum est, ut excludantur a dignitate Proto-Archimandritae: ubi vero iidem iurisdictioni Proto-Archimandritae subesse iubeantur, nimis profecto durum videretur, eosdem in perpetuum ab omni iure passivo, quod ad eam dignitatem habere possent, excludere; cum praesertim in praecedentibus decretis reperiamus exclusos fuisse ab huiusmodi munere, non quidem abbates, sed Episcopos, et Metropolitanum.

Exclusis interim monachis non professis.

Capituli gener. decreta circa subiectionem abbatum eidem Proto-Archim., vel potius Metropolitano.

§ 15. Hic igitur occasio se offert disserendi de eo, quod paulo ante innuimus; an scilicet abbates Metropolitano, vel potius Proto-Archimandritae immediate subiecti esse debeant. In vestris porro Congressibus invenimus propositum et statu-

tum fuisse, quod Proto-Archimandrita omnia monasteria vel per se, vel per alium visitare debeat: sed ubi monasteria abbatialia sint, iurisdictionem non exerceat, nisi in personas monachorum, nunquam vero in ipsos Abbates, qui subiecti esse debent Metropolitano; ita ut, si aliquis Abbas in sui monasterii regimine gravamen aliquod vel monasterio, vel monachis intulisse reperiatur, onus sit Proto-Archimandritae omnia referre ad Metropolitanum. An vero praecedentia abbatibus competat supra ipsum Proto-Archimandritam, vel contra, in iudicio Apostolicae Sedis specialiter a vobis reservatum fuisse conspicimus.

§ 16. Duplex itaque, ut videtis, decidenda proponitur quaestio; altera scilicet circa immediatam Abbatum subiectionem, vel Proto-Archimandritae vel Metropolitano; altera circa eorumdem Abbatum praecedentiam supra Proto-Archimandritam. Ducto igitur initio ab ea, quae minorem difficultatem involvit, decernimus, quod in omnibus actibus monasticis Proto-Archimandrita praecedat Abbates; cum minime ferendum sit, in huiusmodi actibus monasticis, religiosum ipsi religionis suae capiti anteire; extra vero actus monasticos, solitum servari praecipimus; itaut, si extra praedictos actus, usus invaluit, quod Abbas praecedat Proto-Archimandritam, in posterum etiam ad Abbatem praecedentia pertineat; si vero de praeterito obtinuit, quod Proto-Archimandrita Abbatem praecedat, idipsum deinceps servetur. Nec enim absonum vobis videri debet, quod unus alterum praecedat in aliquibus circumstantiis, in aliis vero idem alteri praecedentiam concedat. Id enim ante oculos nostros passim factitari conspicimus. Siquidem inter canonicos Basilicarum Urbis, quum aliqui sint episcopali et archiepiscopali dignitate insigniti, hi quidem reliquos omnes canonicos praecedunt; Vicarius autem repraesentans personam Cardinalis Archipresbyteri, qui Basilicae caput est, quamvis idem simplex praelatus sit absque ordine episcopali, tamen in choro, et in omnibus actibus capitularibus, praedictos canonicos Episcopos praecedit; extra chorum vero et extra actus capitulares, infra eosdem incedit et sedet. In collegio pariter advocatorum consistorialium aliquis nonnunquam reperitur episcopali gradu praefulgens: sedet hic in actibus collegialibus supra reliquos omnes advocatos: non vero supra decanum, quamvis hic plerumque clericus existat: quia nimirum id est totius collegii caput; qui tamen extra collegium et extra actus collegiales, Episcopo, consistorialis aulae advocato, in omnibus decedit.

Proto-Arch. praecedat abbates in actibus monasticis.

In reliquis servetur solitum.

Exempla promiscuae praecedentiae.

§ 17. Ad aliam propositam quaestionem nunc redeuntes, quae circa immediatam in Abbates iurisdictionem, vel Proto-Archimandritae, vel Metropolitano adiudicandam versatur; memores vos esse putamus, in congregatione apud nos habita die I. maii anni MDCCXLII. iurisdictionem Metropolitani supra monachos admissam fuisse; verumtamen restrictam ad terminos constitutionum apostolicarum et sacri Concilii Tridentini, ubi iura Metropolitani in monachos exemptos praefiniuntur; ex quo procul dubio consequitur, Abbates, non quidem Metropolitano, sed Proto-Archimandritae immediato subesse debere. Visum est, rectum gubernandae religionis ordinem minime subsistere posse, ubi Abbates a Metropolitano, non autem a Proto-Archimandrita immediate penderent; quum nec imaginaria, nec admodum rara existimari debeat occasio, qua Abbas in sui monasterii regimine, alicui vel pluribus monachis gravamen intulisse dicatur, vel etiam reipsa intulerit. Quod quidem gravamen facile et celeriter emendari poterit, si illius cognitio ad Proto-Archimandritam deferatur; non ita vero, ubi controversiae in monasteriis exortae Metropolitani iudicio et sententiae reserventur.

Iurisdictio Proto-Arch. in abbates utilior recto regimini Ordinis.

§ 18. Inspectis praeterea ecclesiae occidentalis canonibus, eisdem minime consentaneum cognovimus exercitium iurisdictionis metropoliticae in ea monachorum monasteria, quae in dioecesibus Episcoporum suffraganeorum sita reperiuntur; quandoquidem monasteria, quae non habent privilegium exemptionis et immediatae subiectionis Sedi Apostolicae, non quidem Metropolitani, sed Episcoporum localium iurisdictioni subesse iubentur. Sacrum vero Tridentinum Concilium adeo solicitum fuit, ne Metropolitani iurisdictionem exercerent in suffraganeorum dioecesibus, ut, praeter peculiaris ipsorum dioecesis visitationem, non aliter Episcoporum comprovincialium ecclesias cathedrales àtque dioeceses ab ipsis visitari permiserit, quam ubi id a concilio provinciali eisdem mandatum fuerit.

Ex consentaneis disciplinae ecclesiae occid. et Concil. Trid. decretis.

§ 19. Neque omissa fuit accurata in orientalis ecclesiae leges disquisitio; et quamvis iuxta earumdem praescriptum agnoverimus, monasteria et monachos Episcopo

Canones ecclesiae orientalis Metropolitano non suffragantur.

subesse debere, Patriarchae autem competere ius stauropegii, nimirum figendae Crucis in monasteriorum fundatione, ex quo sequebatur, ut monasterium, licet extra ipsorum peculiarem dioecesim, in alicuius Episcopi suffraganei finibus situm esset, ipsi tamen Patriarchae immediate subiectum, atque ab Episcoporum localium iurisdictione omnino exemptum remaneret; attamen huiusmodi stauropegii ius, quod Patriarchis, ut supra, concessum fuit, nunquam ad Metropolitanos extensum fuisse cognovimus; quinimo sicubi tale quidpiam ab his attentatum fuit, id veluti alieni iuris usurpationem habitum fuisse conspeximus. Illud vero potissimum nos movit, quod animadvertimus, supradictam Synodum Zamosciae habitam studiose quidem curasse, ut monasteria ordinis S. Basilii provinciae Poloniae in unam congregationem convenirent; de Proto-Archimandrita autem decrevisse, ut illi subesset, cui eumdem subiici debere Apostolica Sedes iudicasset. Atque eadem, ubi de visitatione monasteriorum, deque pluribus aliis ad disciplinam pertinentibus decreta edidit, omnia reduxit ad sacri Concilii Tridentini praescriptum.

Neque Synodi Zamoscien. decreta.

§ 20. Haec nimirum in causa fuerunt, cur alias a nobis ius metropoliticum redactum fuerit ad terminos apostolicarum constitutionum ecclesiae occidentalis et sacri Tridentini Concilii. Verum cum deinde oblata nobis inspexerimus decreta quaedam Congregationis de Propaganda Fide et quasdam literas Urbani Papae VIII. praedecessoris nostri, in quibus Metropolitani iura tam in monachos, quam in Abbates intacta reservantur; cumque plura nobis allegata fuerint acta, tum synodorum, tum capitulorum, in quibus praedicta iura Metropolitani admittuntur; resolutionem quoque Congregationis Concilii legerimus in causa *Kioven. iuris visitandi* proposita die XXII. augusti et resoluta die XII. septembris anni MDCCXXXIX., necnon documenta in eadem causa exhibita, secundum quae comprobatum et admissum fuit ius Metropolitani Russiae, qui per suos delegatos visitari iusserat, quae etiam condemnaverat Abbatem cuiusdam monasterii extra propriam dioecesim constituti, utpote quod vel in dioecesi Luceorin., vel in Vladimiriensi situm erat: idcirco nos in re tam gravis momenti, quaeque ad Metropolitanum attinet non minus dignitate, quam virtutibus insignem, caute et ad rectissimam iustitiae normam procedere volentes, non adhuc proinde huiusmodi quaestionem, utrum scilicet Abbates debeant vel Metropolitano vel Proto-Archimandritae immediate subesse, per definitivam resolutionem decidere posse censemus; quod tamen a nobis, nulla interiecta mora, praestabitur statim ac vel ipsi invenerimus vel nobis aliunde firmiora in utramvis partem decidendi fundamenta suppeditata fuerint.

Fundamenta iuris a Metropolitano praetensi; ob quae resolutio differtur.

§ 21. Interim vero decernimus, ut in monasteriis abbatialibus Proto-Archimandrita omne ius habeat in bona monasterii, atque in personas monachorum; Metropolitanus autem interiori monasteriorum regimini nullatenus se ingerat; quoniam advertimus, Metropolitanum ipsum usque de anno MDCLXXXVI. interius omne religionis gubernium eidem religioni et Proto-Archimandritae reliquisse, reservatis sibi aliis rebus, quas propriae ordinariae iurisdictioni competere asseruit. Inter haec autem, dum Metropolitanus rationum momenta, quae ab ipso sunt, atque Abbates similiter ea, quae ipsorum intentioni favere possunt, maiori, qua poterunt, celeritate nobis indicare curabunt, statuimus, ut Metropolitanus in illius iuris, quod in Abbatum personas obtinet, possessione perseveret.

Firma interim manente iurisdictione Proto-Arch. in monachos et bona monasterior;

Metropolitani vero in personas abbatum.

§ 22. Ad reliqua nunc percurrenda, quae a vobis in congressibus vestris disposita, nobisque exhibita fuerunt, animum nostrum intendimus. Et quidem cum a vobis statutum fuerit, ut Proto-Archimandrita, post electionem suam, iuramentum obedientiae praestare debeat in manibus Metropolitani, tum suo tum totius religionis, tamque erga Sanctam Sedem quam erga ipsum Metropolitanum, ***secundum omnia iura, constitutiones et decreta a Sancta Sede Apostolica lata;*** post huiusmodi verba, etiam haec alia per vos addenda esse praecipimus, nempe: ***Et iuxta praescripta in literis Sanctissimi Domini Nostri etc.,*** quibus idem Proto-Archimandrita et religio manifeste obligetur ad observantiam et executionem eorum omnium, quae in hisce nostris literis continentur.

Iuramentum Proto-Archimandritae præsentem dispositionem complectatur.

§ 23. Vita functo Proto-Archimandrita, decrevistis, quod primus consultor generalis, ex ea provincia eligendus, ex qua erat defunctus Proto-Archimandrita, ***reget cum scitu Metropolitani religionem;*** deindeque ea subiungitis, quae intimationem futuri capituli generalis pro successoris electione concernunt. Loco itaque praemissarum vocum « ***reget cum scitu Metropoli-***

De regimine Ordinis, defuncto Proto-Arch.

tani religionem » alias hasce substituetis: *reget religionem, certiorato prius de obitu Proto-Archimandrita Metropolitano, eique servato debito honore et reverentia.*

Disciplina ecclesiae orientalis a monachis inconcusse servanda, sub poenis etc.

§ 24. Illud vero pro recta monasteriorum utriusque provinciae Lithuanicae et Polonicae disciplina sapienter constituistis, ut orientalis ecclesiae usus, consuetudines, exercitia, ieiunia, ritus et ceremoniae in eisdem observentur. Quod quidem statutum summopere commendamus; perpendentes, quod olim, quum ad Kioviensem Metropolim evectus fuisset de an. MDCXIII. supracitatus Ioseph Velaminus nobilis Lithuanus, in hoc collegio Graeco de Urbe educatus, institit coram fel. record. Paulo Papa V. praedecessore nostro, atque obtinuit declarari per apostolicas literas in forma Brevis datas die X. aprilis MDCXV., nullatenus Ruthenis ad communionem Sanctae Sedis nuper adiunctis impositam esse legem, ut, abdicatis propriis ritibus, Ecclesiae Latinae ritus amplecterentur. Cum autem nos elapso proxime anno MDCCXLIII. sub die XXIV. decembris, epistolam encyclicam dederimus ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum, caeterosque Episcopos catholicos illius ritus eidem Patriarchae subiectos, in qua plura disponuntur circa abstinentias et ieiunia, aliasque consuetudines orientalis ecclesiae; volumus, ut istius quoque mentionem faciatis et praedicto decreto huiusmodi verba addatis: *iuxta epistolam decretalem SS. Domini Nostri etc.,* quae fuit a nobis, ut supra, conscripta; adiecta poena privationis vocis activae et passivae, ipso facto incurrenda, non solum ab iis, qui ecclesiae orientalis usus, consuetudines, ieiunia, ritus et ceremonias transgrediantur, sed etiam ab ipsorum superioribus, qui dispensationem ab eorum observantia, etiam in casibus particularibus, absque iusta et urgente causa concedere audeant.

Iuranda quoque observantia decretalis SS. D. N., superius positae n. 86.

Alternativa in electione procuratoris generalis distinctius praescribitur.

§ 25. Inter officiales religionis, quod ad procuratorem generalem attinet, optime in vestris constitutionibus decrevistis, ut alternis vicibus ex Lithuanica et Polonica provincia eligi deberet. Sed ut ea dispositio magis perspicua reddatur et nullam in executione difficultatem involvat, in eam, quae sequitur formam, redigenda erit: *Procurator generalis in posterum eligatur in capitulo generali, et in eius electione servetur alternativa; itaut, quoties Proto-Archimandrita est ex provincia Lithuaniae, procurator generalis sit monachus professus provinciae Poloniae, et e contra.* Cum autem in vestro capitulo generali, in quo Proto-Archimandritam elegistis ex provincia Lithuanica, minime electum fuisse viderimus procuratorem generalem, nos porro addimus, quod, pro currenti quadriennio, Proto-Archimandrita cum consultoribus generalibus eligat in procuratorem generalem monachum professum provinciae Poloniae.

Proto-Arch. etiam per se ipsum monasteria visitare possit.

§ 26. Visitationem monasteriorum utriusque provinciae minime a vobis neglectam fuisse cognoscimus, quum eadem respectivis ipsarum provincialibus demandata fuerit. Quo vero ad Proto-Archimandritam, statuistis, ut is visitare nequeat, nisi ubi aliquod monasterium per visitationem a provinciali peractam gravamen aliquod pertulisse dicatur; quo casu etiam decrevistis, ut idem Proto-Archimandrita per ipsum nequeat visitare, sed per aliquem consultorem, aut secretarium suum, sive per alium visitatorem a se delegandum. Quae quidem lex Proto-Archimandritae dicta, ut nunquam per se ipsum monasteria visitare valeat, sed etiam in praedictis casibus per alium visitare teneatur, nimium profecto videtur illius dignitati praeiudicium inferre. Proindeque supradictam resolutionem ita corrigetis: *ut, ubi in casibus supra expressis visitationi Proto-Archimandritae locus sit, possit idem sive per se, sive per alium, visitare.*

Votantium numerus pro capit. gen. praefinitur.

§ 27. In eisdem demum constitutionibus capitulariter a vobis sancitis, de iis etiam, ut par erat, decernere non omisistis, quorum suffragiis tum Proto-Archimandrita, tum etiam provinciales, consultores et secretarii eligi debeant. Verum nisi in huiusmodi electionibus numerus eorum, qui suffragium ferre debent, statuatur, ut totidem sint ex provincia Lithuanica, quot erunt ex alia provincia Polonica; sive, uno verbo, nisi inter utriusque provinciae vocales aequalitas constituatur, nunquam recte subsistere poterit alternativa in electione Proto-Archimandritae, aliorumque inferiorum officialium a vobis instituta. Quapropter super huiusmodi votantium numero ita decernimus: Ut in capitulis generalibus, quando agitur de electione Proto-Archimandritae, suffragium ferre debeant, praeter Metropolitanum capitulo praesidentem, consultores, secretarii generales, provinciales, atque alii quadraginta monachi ex una, totidemque ex alia provincia designati et electi; iidemque omnes vocem activam

habeant, ubi agitur de officialium inferiorum electione, addito eisdem Proto-Archimandritae, qui iam electus fuerit, suffragio.

Eorum delectus rationem statuere, committitur Episcopo Zenopolitano.

§ 28. Quia vero delectus eorum, quos ex utraque provincia assumi conveniat, in tanta rerum et locorum distantia, nequaquam recte haberi seu definiri posse videtur; idcirco mandamus ven. fratri Episcopo Zenopolitano, de cuius zelo et prudentia plurimum in Domino confidimus, ut una cum Proto-Archimandrita, provincialibus et consultoribus tam generalibus, quam provincialibus, agat atque expendat, qua potissimum via ad huiusmodi vocalium electionem procedi possit; designatamque quantocius agendi rationem ad Congregationem de Propaganda Fide examinandam, atque approbandam remittat.

Matropolitani Russiae laudes.

§ 29. Huic autem epistolae nostrae finem imponere nullo modo possumus, quin debitis laudibus prosequamur ven. fratrem Athanasium hodiernum Russiae Metropolitanum, cuius eximia virtus, atque ardens religionis catholicae studium, sinceraque devotio erga Apostolicam Sedem et saepe alias et in harum quoque rerum tractatione luculenter emicuerunt. Hinc est, ut nulli melius, quam ipsi, demandari posse iudicemus gravioris momenti negotium, quod hic subiungimus. Plura nempe monasteria in provincia Poloniae esse novimus ad eam paupertatem redacta, ut vix duos aut tres monachos alere possunt: in huiusmodi rerum statu, canonicae leges praecipiunt, plurium monasteriorum unionem faciendam esse, donec in singulis monasteriis decem vel saltem octo monachi commode congregari valeant. Ad multa igitur laudabiliter hucusque peracta hoc etiam addat Metropolitanus (cui nos idipsum demandamus, omnesque facultates ad hoc necessarias et opportunas impertimur), ut simul cum Proto-Archimandrita et consultoribus generalibus, necnon provinciali Poloniae, eiusdemque provinciae consultorio, ad huiusmodi tenuiorum monasteriorum unionem peragendam incumbat. Quod sane proficuum opus ipsius cura, ut confidimus, recte perficiendum, ubi ad Apostolicam Sedem ipsius relatio deferetur, auctoritate nostra comprobare et confirmare non dubitabimus.

Eidem committitur unio monasteriorum ad paupertatem redactor., cum consilio etc.

Provincia Poloniae obedientiam praestitit Proto-Archim. sub conditione.

§ 30. Electionem quidem Proto-Archimandritae in supramemorato capitulo iam sequutam, ab utraque provincia acceptam fuisse non sine voluptate cognovimus. Verumtamen aliam fuisse vidimus formam, qua monachi provinciae Lithuaniae ipsam acceptarunt, ab ea, qua usi sunt monachi provinciae Poloniae. Siquidem illi absolutam obedientiam et subiectionem Proto-Archimandritae iurarunt; hi vero huiusmodi conditionem apposuerunt: *Si dictus electus cum expositis ad approbandum Sanctae Sedi Apostolicae constitutionibus approbabitur, neque munus suum exerceat in provincia Polona, non promulgata a Sancta Sede Apostolica approbatione.*

Pontifex id improbat, et absolutam obedientiam impetrat, comminatis canonicis poenis etc.

§ 31. Et sane Apostolicae Sedis dignitati convenientius, fortasse a nobis rescribi potuisset, suspendendo approbationem capituli, et promptam ante omnia exigendo provinciae Poloniae obedientiam, eique omnino similem, quam provincia Lithuaniae electo Proto-Archimandritae praestiterat. Verum quum illud nobis minime suadere possimus, cunctationem huiusmodi originem ducere ex defectu debitae observantiae erga Sanctam hanc Sedem, in qua colenda et observanda insignes semper se praebuerunt Polonae nationis alumni; libenti animo adducti sumus, ut intentionem saltem eorum, qui ita se gesserant, excusatione dignam nobiscum reputaremus: omnique morositate seposita, totius rei disquisitionem aggressi sumus; congregationes convocavimus, easdemque coram nobis haberi volumus; minimeque obstantibus reliquis negotiis et perturbationibus, quibus plus aequo undique obruimur, animum ad scribendum appulimus, omnesque vobis in hac epistola resolutiones exposuimus, quas, cum praedictae Congregationis consilio, maxime opportunas et necessarias esse iudicavimus. Ex quarum resolutionum tenore quum omnes tergiversandi causae sublatae sint, minime dubitamus, quin provincia Poloniae id ipsum sequatur, quod iam Lithuana provincia peregit. Quod si eadem in suscepta obediendi repugnantia perseveraret, non sine magno profecto animi nostri dolore ad ea nobis deveniendum esset acriora iuris remedia, quae ab ecclesiasticis quidem legibus contra inobedientes districte constituta sunt, sed quae nunquam a nobis adhibenda esse speramus contra religiosos viros adeo conspicui ordinis sectatores, aut contra nationem, quam tanto pietatis studio diligimus, ob praeclara ipsius erga Apostolicam Sedem promerita, quorum, ut recentiora omittamus exempla, iam usque a temporibus praedecessorum

nostrorum Clementis III., Innocentii IV. et Gregorii XI. eximia et nunquam interitura monumenta extiterunt.

Cardinales congreg. praefectum, et causae relatorem, commendat.

§ 32. Congregationis de Propaganda Fide praefectus est ven. frater noster Vincentius S. R. E. Cardinalis Petra Episcopus Praenestinus, cuius adeo illustre nomen ubique est, ob multa et proficua opera ab ipso conscripta et publicis typis vulgata. Horum vero negotiorum relator apud ipsam Congregationem est venerabilis itidem frater noster Petrus Aloysius S. R. E. Cardinalis Carafa Episcopus Albanensis, qui summa diligentia, ac sedulo studio atque labore, eorum seriem tam scripto quam voce digessit atque explanavit. Haec vobis comperta esse voluimus, ut intelligeretis, quam bene rebus vestris consultum sit, per huiusmodi laudabilium fratrum nostrorum industriam atque peritiam; quorum profecto operam in iis, quae agenda remanent, neque defecturam, neque cessaturam esse, vobis asserere non dubitamus; ut quum pro reliquis pendentium adhuc rerum definitionibus opportuna a vobis documenta pro animi nostri instructione transmissa fuerint, iidem statim nobiscum agere praetermissuri non sint, ut tanti ponderis operi suprema demum manus imponatur. Nos interim vobis, quos paternae dilectionis affectu complectimur, apostolicam benedictionem impertimur.

Ac ulteriores providentias promittit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. maii MDCCXLIV. pontificatus nostri anno IV.

XLIX.

Schismate extincto in electione Patriarchae Maronitarum exorto, pallium ipsi tradit (1).

Allocutio SSmi. Domini Nostri BENEDICTI PP. XIV. habita in concistorio semipublico die 13 Iulii 1744.

Venerabiles Fratres,

Antequam vos certiores faciamus de iis quae contigerunt in electione venerabilis fratris Simonis Petri Patriarchae antiocheni, nonnulla vobis in antecessum referre necesse est.

Maronitae Syri ad antiochenum patriarchatum pertinent.

Non dubitamus eruditioni vestrae compertum esse, Maronitas Christianos Syros ad patriarchatum antiochenum pertinere: quippe qui Syriam et Phoeniciam maritimam ac mediterraneam, tum etiam Palaestinam, Cyprum, Aegyptum aliasque Orientis partes incolunt; quorum tamen maxima pars in monte Libano commoratur.

Grassante haeresi Monothelitarum, et invasa Antiochia a Saracenis, exortus Patriarchatus Maronitarum et Antiochenus nuncupatus.

Eruditioni pariter vestrae notum esse censemus, quod saeculi septimi prope finem, cum haeresis Monothelitarum in patriarchatum antiochenum grassaretur, maronitae, quo se ab ea contagione integros servarent, statuerunt sibi Patriarcham eligere, qui a Romano Pontifice confirmaretur, ab eoque pallii dignitatem acciperet. Cum autem, pluribus deinde saeculis elapsis, Saraceni Antiochiam, depulsis inde Latinis, occupassent; cumque Latini ipsi catholici in Montem Libanum, ubi a Patriarcha Maronitarum perbenigne recepti sunt, secessissent; Alexander IV. Romanus Pontifex Patriarcham ipsum Maronitarum Antiocheni Patriarchae titulo decoravit: quem quidem titulum ad hanc usque diem Patriarchae Maronitae retinent, etiamsi in Monte Libano sedem perpetuam habuerint.

---

(1) Ex Arch. Concistor. et ex collect. Card. Valent. *sub tit.* Bened. XIV. Const. et Brev. tom. I. — in Arch. Domus Professae Soc. Iesu, Romae.

Postquam R. P. D. Simon Petrus Evodius Patriarcha Antiochenus, et Archiepiscopi atque Episcopi nationis Maronitarum omnia quaecumque ipsis Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Papa XIV. per suas Apostolicas literas in forma brevis die I. septembris MDCCXLI., XIV. februarii MDCCXLII., XIII. et XVI. martii MDCCXLIII. iniunxerat et praeceperat, exacte accurateque in conventu Harissae in Monte Libano mense octobri anni MDCCXLIII. exequuti sunt; synodicas literas rerum gestarum seriem complectentes ad Sanctitatem Suam et ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide scripserunt, quas Romam anno MDCCXLIV. die XXXI. maii P. Desiderius de domo Basciana, P. Iacobi Lucensis Ablegati Apostolici Secretarius, pertulit. His in literis significant, teterrimum schisma, quod ex duplici in Patriarcham Maronitarum electione conflatum fuerat, utroque electo mandatis Pontificiis obtemperante, penitus evanuisse; ac Simonem Evodium auctoritate Apostolica electum Patriarcham, ab universis Maronitis exceptum fuisse: Synodi praeterea Montis Libani a Sanctitate Sua probatae ac confirmatae statuta legesque sese adamussim servaturos, Patriarcham ipsum, Archiepiscopos et Episcopos coram antedicto Ablegato Apostolico spopondisse.

Tam laeto accepto nuncio, Sanctissimus Dominus Noster statuit in proximo consistorio facti tam memorabilis seriem fratribus suis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus palam facere; eaque insuper peragere, quae electus Simon Petrus Patriarcha et Praesules Maronitae postulabant. Indictum itaque fuit de more secretum Consistorium die XIII. iulii MDCCXLIV. in quo istam allocutionem habuit:

Maronitarum laudes.

Profecto Maronitae fuerunt semper, quales et hodie sunt, integre catholici, cum hac Sancta Sede coniuncti et erga suum Patriarcham, tum etiam erga Romanum Pontificem, obsequii ac reverentiae pleni. Cum autem homines sint, mirandum non est, aliquando humani quicquam inter eos accidisse, et accidere, in eo praesertim, quod eorum Patriarcham spectat.

Eorum obedientia sub Clemente PP. XI. in causa depositionis Patriarchae Iacobi.

Recordari potest unusquisque vestrum, quid acciderit in pontificatu felicis recordationis Clementis XI., qui, Patriarcha Iacobo deposito, cum iniuriam praeclaro illi Praesuli, tum etiam Apostolicae Sedis iuribus, quae electionem eius confirmaverat, illatam nosset, P. Laurentium a Sancto Laurentio ex Minoribus Observantiae, tum Sancti Sepulchri custodem, deinde S. R. E. Cardinalem, eo misit, ut, auditis iis quae Patriarchae opponebantur, ad hanc Sanctam Sedem illa referret. Quo facto, cum in Congregatione de Propaganda Fide fuisset res mature discussa, Congregatio ipsa, optimi Praesulis innocentia cognita, in patriarchalem sedem, unde fuerat iniuste deiectus, eum esse restituendum censuit. Cumque sententiam hanc Summus Pontifex ratam habuisset, ad optatum finem deducta res fuit. Quocirca Maronitae hoc novum suae erga Romanam Sedem obedientiae dederunt argumentum.

Mortuo Patriarcha Iosepho Petro Gazeno, schisma exortum pro electione successoris.

Pontificatus quidem nostri tempore nullus fuit, Deo favente, apud eos Patriarcha depositus. Sed aliud contigit, quod molestia non exigua animum nostrum affecit. Decessit anno MDCCXLII. Iosephus Petrus Gazenus Patriarcha: et cum Archiepiscopi et Episcopi maronitae ad successorem eligendum de more convenissent, in factiones duas divisi sunt; quarum altera elegit, seu postulavit, Patriacham Eliam Archiepiscopum Arciensem, altera Tobiam Archiepiscopum Cypri. Facile erit unicuique vestrum animo concipere, qualis esset maronitarum catholicorum Montis Libani ex duplici illa electione conflictus animorum ac perturbatio. Alii quidem uni, alii alteri electo adhaerebant: et ecce dissensio et schisma eo magis periculosum, quo magis regio illa ab Apostolica Sede remota est, et in medio principum infidelium, immo, dici potest, in manibus Turcarum posita. Quare nos ex his omnibus summam catholicae religionis perniciem in ea regione metuebamus, in qua perpetuo, peculiari Dei gratia, incorrupta viguit.

Uterque electus iura pro confirmatione apostolica.

Uterque electus, seu postulatus, Romanae Sedis auctoritatem imploravit: uterque nuntium ad nos ablegavit, precibusque institit, ut, competitoris electione, seu postulatione, reiecta penitus ac deleta, electionem seu postulationem sui firmam ratamque haberemus, cum utraque pars opportuna ad id documenta et bene longas facti et iuris scripturas a patronis et advocatis utriusque partis Romae compositas nobis exhibuisset.

Ex Congregationis consilio declaratum, nullam utramque electionem fuisse, neutramque esse sanandam, et relictum prudentiae Pontificis consilium capiendum.

Cum igitur de electione aut postulatione in Oriente facta res ageretur, visum fuit nobis expedire, ut Cardinales aliquot ex Congregatione generali de Propaganda Fide seligerentur, qui coram nobis congregati, utriusque competitoris iura rationesque accurate perpenderent. Examinatis itaque, quanta potuit diligentia, pro utraque parte iuribus et rationibus, una eademque fuit Cardinalium sententia, neutram electionem, seu postulationem, posse a nobis ex praescripto sacrorum canonum admitti seu confirmari. Ex quo autem neutra subsisteret, propositum fuit, an et quaenam ex illis a nobis sanari, seu apostolica auctoritate roborari deberet. Sed communi pariter consensu decretum est, nullam esse sanandam. Consultum fuit denique, quid consilii in eiusmodi rerum statu capere expediret. Summa fuit, illud arbitrio et prudentiae nostrae relinqui.

Graves difficultates in consilio capiendo.

Obversabantur animo nostro variae et graves cogitationes propter eiusmodi rei difficultates, quae passim occurrebant. Communicata itaque re cum venerabili fratre nostro Vincentio Cardinali Petra Episcopo praenestino et Congregationis de Propaganda Fide praefecto, cuius doctrinae et spectatae in rebus canonicis intelligentiae atque usus, praeter tot praeclara opera edita, nos certe testes sumus, cum saepe, dum in minoribus essemus, frequenti cum eo congressu convenerimus; statuimus aliquorum pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis insistere: qui, licet sedulo caverent, ne ius alienum laederetur, neque electionum canonicarum iure privarentur ii, qui illud obtinebant, cum nihilominus animadverterent, electum, nulla licet sui culpa, Ecclesiae tamen bono minime profuturum, aut pluribus electis, si alter alteri praeferretur, turbas nequaquam sedari, sed magis augeri, neque inde pacem populorum regimini adeo necessariam sperari ullo modo posse, alium quidem extra electos, seu postulatos, assumpserunt, sive assumptum probaverunt.

Euzoio et Meletio simul electis ad patriarchatum, Paulinus fuit ab Apostolica Sede statutus.

Quocirca illustre satis exemplum nobis in annalium ecclesiasticorum monumentis occurrit. Defuncto Sancto Eustathio Patriarcha Antiocheno, cum Ariani quemdam ex suis Euzoium nomine, catholici vero Meletium Patriarcham elegissent, Lucifer calaritanus et Eusebius vercellensis Episcopus, qui id temporis in Oriente Sedis Apostolicae Legatione fungebantur, electionem utriusque nullam irritamque declararunt et Patriarcham statuerunt Paulinum: id quod a summis Pontificibus Liberio et Damaso confirmatum fuit, tum etiam Sancto Athanasio cum Ecclesia Alexandrina et divo Hieronymo, qui ab eodem Paulino ordinatus fuerat presbyter, maxime probatum.

Hoc exemplum secutus Pontifex Petrum Evodium, bonis requisitis pollentem, in Patriarcham deputat.

Hoc praeclarum exemplum et nos secuti, ad elidenda discordiarum semina, pacemque inter Maronitas conciliandam, Simonem Petrum Evodium Damasci Archiepiscopum in patriarcham Antiochenum Maronitarum elegimus et constituimus. Fuit Evodius Romae a puero in collegio Maronitarum educatus, ibique liberalibus disciplinis institutus clarum de se nomen reliquit. Est ille inter Episcopos maronitas decanus: aberat longe a turbarum praesentium tumultu, quibus se minime miscuerat; seseque ab omni ambitu alienum ostenderat, cum omnem operam posuisset, ne Patriarcha eligeretur. Hunc itaque patriarchatu prae ceteris dignum censuimus, atque illi Patriarchae dignitatem contulimus, spe freti, hac ratione nos ecclesiae illius bono maxime profuturos, et schisma omne penitus extinctum iri.

Plures expeditae literae apostolicae, in quibus praeservatum Maronitarum ius in futuris electionibus.

Complures igitur apostolicas literas expediri mandavimus, easque fratri Aloysio e Casali Maiori ex Ordine Minorum de Observantia, in collegio Sancti Bartholomaei ad insulam linguae arabicae lectori traditas, per ipsum deferri curavimus ad P. Iacobum Lucensem eiusdem Ordinis in Terra Sancta visitatorem et vicarium apostolicum, quem quidem nos ad Maronitas Apostolicae Sedis ablegatum constituimus. In iis autem literis illud expresse declaravimus, hanc Patriarchae electionem non a nobis esse factam ad ius tollendum Episcopis maronitis in futuris successive electionibus suorum Patriarcharum, sed ad dissensiones amputandas, eorumque ecclesiae pacem ac tranquillitatem restituendam.

Ecce quod vobis exponendum erat, antequam Patriarchae electi tum Episcoporum et Archiepiscoporum maronitarum literae tum etiam documenta perlegerentur, ex quibus quidquid in eiusmodi re factum sit, facile intelligetis (1).

Documenta in concistorio recitata de felici exitu.

ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM MARONITARUM DOCUMENTUM.

« In nomine Domini Amen. — Die septima mensis octobris, anno MDCCXLIII., hora quarta post meridiem, convenerunt illustrissimi ac reverendissimi domini Archiepiscopi et Episcopi nationis Maronitarum in ecclesia Sanctae Mariae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli fratrum Minorum in Arissa, iussu reverendissimi Patris Iacobi de Luca ablegati apostolici. Postquam autem idem ablegatus antedictos antistites adhortatus fuisset, eorumque animum ad hòc praeparasset, ut debitam decretis Sanctae Sedis obedientiam submissionemque exhiberent, invocato Sancto Spiritu, iussit primum quidem recitari atque promulgari ablegationis suae breve pontificium; deinde alterum breve, quo illustrissimorum ac reverendissimorum Episcoporum Eliae et Tobiae ad antiochenum nationis Maronitarum patriarchatum electiones irritae ac nullae declarabantur; tertium denique breve, quo Simon Archiepiscopus Damasci a Summo Pontifice feliciter regnante ad eumdem patriarchatum evehebatur. Cumque haec brevia omnes auditione accepissent, ut propensiori quodam studio se obedientes ac morigeros mandatis Pontificis ostenderent, illico ad aram maximam, cuius in medio illustrissimus ac reverendissimus electus ac declaratus Patriarcha sedebat, sese contulere, eique tamquam suo Patriarchae se subditos subiectosque professi sunt. — His quiete tranquilleque gestis, agitari coeptum est de modo ac tempore peragendae publicae ecclesiasticae caeremoniae, quae ab ipsis in Patriacharum

(1) Expleta Sanctissimi allocutione, R. P. Assemanus Procurator, et P. Desiderius literas Patriarchae et Praesulum Maronitarum in theca auro ornata repositas prae manibus gestans, comitante ceremoniarum magistro, ad deosculandum Sanctitatis Suae pedes, consuetis emissis genuflexionibus, accessere. Et Assemanus quidem eductas e theca literas, ori prius in obsequii signum admotas, Sanctissimo Domino Nostro humillime obtulit: Sanctissimus autem illas R. P. Vincentio Lucchesinio brevium apostolicorum ad principes Secretario tradidit, ut prius arabice a D. Andrea Scander, linguae arabicae in Urbis Archigymnasio et in Collegio Urbano de Propaganda Fide professore atque interprete, recitarentur, deinde latine ab eodem R. P. Lucchesinio.

inauguratione servari consuevit. Ea vero ad undecimum eiusdem mensis diem, divino favente Numine, indicta fuit. Sacram autem illam functionem, qua maiori optandum esset pace ac tranquillitate, circa horam diei septimam, in eadem ecclesia inchoavit, perfecitque illustrissimus ac reverendissimus dominus Elias, una cum reliquis illustrissimis ac reverendissimis Archiepiscopis et Episcopis, qui ut horum omnium indubium darent testimonium, praesentibus literis scripto chirographum propriumque sigillum apposuere. — Datum in Arissa die XII. octobris, anno MDCCXLIII. — Archiepiscopi et Episcopi — Elias Arcae — Philippus Lystrae — Stephanus Botri — Gabriel Ptolemaidis — Ignatius Tyri — Ioannes Beryti — Michael Paneadis — Tobias Neapolis.

EPISTOLA ELECTI PATRIARCHAE AD SMUM.

« Sanctissimo ac Beatissimo Patri ac Domino nostro Benedicto XIV. Pont. Maximo, Christi Domini Vicario, et Petri Apostoli successori — Sanctissime Pater — Ego Simon Petrus Evodius, olim Damasci Archiepiscopus, nunc vero miseratione Dei et Sanctitatis tuae beneficio Patriarcha Antiochenus, flexis genibus ad purissimos tuos pedes, submisse ac reverenter provolutus, Beatitudini tuae expono, apostolicas me literas accepisse, quibus mihi demandasti, ut patriarchalem nationis Maronitarum dignitatem susciperem. Tua igitur ipsius gratia et in obsequium apostolici mandati tui, id munus suscepi, tametsi nihil esse in me cognoscerem, quare hoc mihi beneficium conferatur, aut quo pacto humeris meis onus istud portare queam. Venerabiles autem fratres mei Archiepiscopi et Episcopi non modo non sunt mihi reluctati, sed summa potius cum reverentia et obsequio subiectionem et obedientiam eorum reverendissimo Patri Iacobo de Luca Sanctitatis tuae ablegato exhibuere. Oro itaque, quaesoque, pro tua illa tibi insita erga omnes benignitate singulari, ut coeleste mihi auxilium precibus tuis a Deo implores, cuius in terris vices geris: sum etenim undequaque calamitatibus ac molestiis circumseptus. — Porro nostrarum apud Sanctam Apostolicam Romanam Sedem causarum procuratorem deputavi, ac praefeci R. P. D. Iosephum Assemanum, virum in Ecclesia Dei celebritate nominis clarum, qui Pallium confirmationis a Sanctitate tua supplex nomine meo petat, impetret, atque recipiat. Quam mihi gratiam in apostolicis literis pro Tua te humanitate non denegaturum significasti. Eidem vero procuratori ante omnia mandavi, ut debitam Sanctitati tuae et Apostolicae Sedi, quae orthodoxae fidei petra est et fundamentum, sine quo salus aeterna obtineri nequit, obedientiam omnino praestet; et quoniam mihi procul agenti, quantum vellem et optarem fas non est, ipse coram maximas Beatitudini Tuae gratias verbis accuratissimis agat, de collato mihi patriarchalis dignitatis beneficio, deque acceptis muneribus omnibus, quae ad bonae memoriae praedecessorem meum a te transmissa fuerant, quaeque per ablegatum tuum sunt mihi tradita. His sane donis incredidilem Tuum erga me amorem, ac singularem humanitatem, ut libenter agnosco, ita studio colam sempiterno. — Idem ablegatus tuus recitavit mihi et venerabilibus fratribus meis Archiepiscopis et Episcopis alias apostolicas literas, quibus nostram synodum in Monte Libano nuper celebratam Sanctitas tua confirmare dignata est. Reliqua praetereà decreta ad eam rem spectantia, quae post confirmatam synodum edita fuere. Haec porro omnia, qua decet animi submissione, et excepimus et probavimus, nosque eadem ad exitum perducturos spopondimus: quod apostolicis tuis Deo acceptis gratisque precibus freti speramur. — Antequam autem patriarchalem dignitatem inirem, orthodoxae fidei professionem ac iuramentum fidelitatis de more praescriptum emisi coram venerabili fratre meo Elia Masebi Archiepiscopo Arcensi et coram apostolico ablegato tuo, quem commissi sibi muneris partes omnes prudenter, diligenter, accurateque implevisse testamur. — Obsecro itaque, ut me in tuorum servorum numerum amodo adscribas: sunt enim et alia quaedam negotia, quae ad me et ad nostram antiochenam sedem pertinent, quaeque laudatus noster procurator Sanctitati tuae est expositurus. Id quaeso gratiae mihi novellae plantae tuae concede, ut quas ille nomine meo porriget, ne patiaris, pro tua eximia ac universum terrarum orbem complectente benignitate, irritas esse et inanes preces. — Ipsius vero procuratoris mei rationem habere velis. Sunt enim magna illius in Apostolicam Sedem merita, nec minora erga Antiochenam Ecclesiam nostram beneficia. Nos autem non fugit, extitisse

quosdam, qui apud Sanctitatem tuam ipsi labem infamiae aspergere sunt conati. Te igitur etiam atque etiam rogo, ut pro tua, quae in universo Mundo celebratur, clementia, illius rationem habeas, neve fidem tribuas eorum dictis, qui eidem adversantur. Praeclara etenim quae gessit opera, animique ipsius candor, ac fervens Religionis studium, eumdem declarant contra ius et aequum ab adversariis insimulatum fuisse. — Haec omnia, Sanctissime Pater, precibus a te quam possumus studiosissime contendo, tuisque iterum sanctis pedibus demississima oscula defigens, Deum oro et obtestor, ut ad multos te annos sanum et incolumem servet. — Datum in Conventu Arissae in Chesroano die XII. octobris, anno MDCCXLIII. — Sanctitatis tuae humillimus et obsequentissimus servus et creatura — Simon Petrus Evodius Patriarcha Antiochenus.

EPISTOLA ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM AD SANCTISSIMUM.

« Sanctissimo ac Beatissimo Patri, ac Domino nostro, Benedicto XIV. Pont. Max., Christi Domini Vicario et Petri Apostoli successori. — Sanctissime Pater — Nos Archiepiscopi et Episcopi Antiochenae sedis, Sanctitatis vestrae servi, ad puros vestros pedes submisse ac reverenter provoluti significamus, reverendissimum Patrem Iacobum de Luca ablegatum vestrum, statim atque huc pervenit, apostolicas ad nos literas vestras pertulisse, quibus lectis et auditis, reverendissimo domino Simoni Patriarchae a Sanctitate vestra constituto obedientiam exhibuimus, tanta cum animorum consensione, ut nemo nostrum contra vel hiscere, vel unum verbum proferre ausus sit. Idque in obsequium Sanctitatis vestrae et Sedis Apostolicae: est enim nobis exploratum et compertum Apostolicam Sedem esse petram orthodoxae fidei, quam a maioribus nostris accepimus: nosque universi parati sumus sanguinem nostrum in illius gratiam profundere. Gratias igitur Sanctitati vestrae agimus quam possumus maximas de apostolica quam nostri gessistis cura, in hoc praesertim calamitoso rerum statu, in quo eramus constituti. — Idem reverendissimus ablegatus vester, qui munere suo apud nos prudenter, sapienter ac studiosissime defunctus est, alias nobis tradidit apostolicas literas vestras, quibus synodum nostram libaniticam confirmatis: quas quidem literas, qua filios obsequentissimos decet reverentia, suscepimus: obsecrantes Deum Optimum Maximum, ut quae in ea synodo sunt constituta, opere impleamus: quod sanctis precibus vestris, et apostolica benedictione freti, nos facturos speramus. — Quod reliquum est, vos etiam atque etiam, Beatissime Pater, rogamus, ut antedicto Patriarchae nostro una cum reliquis consuetis spiritualibus muneribus pallium confirmationis mittatis; atque iterum prono corpore ad terram procumbentes, sanctos pedes vestros reverenter deosculamur, Deumque rogamus ut Sanctitatem vestram diu servet incolumem. Amen. — Datum in Conventu Arissae in Chesroano, die undecima octobris, anno Christi MDCCXLIII. — Sanctitatis vestrae humillimi et obsequentissimi servi Archiepiscopi et Episcopi — Elias Arcae — Philippus Lystrae — Stephanus Botri — Gabriel Ptolemaidis — Ignatius Tyri — Ioannes Beryti — Michael Paneadis — Tobias Neapolis. (1)

Reassumptio allocutionis.

Intellexistis iam, venerabiles fratres, omnipotentis Dei ope, Antiocheni Patriarchae electioni finem summa cum pace impositum, et ea ratione, quam nos, Deo ipso, ut putamus, inspirante, proposuimus. Simon Petrus Evodius Damasci Archiepiscopus ad patriarchatum evectus est. Apostolica nostra Brevia singulari veneratione recepta sunt, et executioni mandata. Pater Iacobus Lucensis ablegatus apostolicus multa cum laude se gessit. Duo illi praesules Elias et Tobias, qui, ut paullo ante audistis, in Patriarcham electi fuerant, vix audita Patriarchae electione a nobis facta, statim acquieverunt, et ipsimet Patriarchae sese subiicientes, palam profecto fecerunt, quanta sit eorum erga hanc Sanctam Sedem obedientia. Commendatione pariter summa digni sunt Archiepiscopi et praesules maronitae, tum etiam tota Maronitarum gens. Proinde nos amplissima illa elogia, quibus Romani Pontifices praedecessores nostri eam cohonestarunt, libenter subscribimus: cum Pius IV. in quibusdam suis apostolicis literis affirmaverit, tot millia hominum, quibus componitur, nunquam adorasse Baal; qui, tametsi haereticis et schismaticis circumsessi, semper ta-

Utriusque electi submissio. (margin note beside "Duo illi praesules")

Elogia Maronitis a praedecessoribus pontificibus data. (margin note beside "Proinde nos amplissima")

(1) Lectis literis Patriarchae et Praesulum Maronitarum, ita Pontifex rursus locutus est:

men in christiana fide et catholica religione constantes persliterunt: cum Clemens VIII. hoc ipsum confirmaverit, addendo, Maronitas Romanae Ecclesiae, parenti omnium fidelium et magistrae, semper obedientiam praestitisse: cum Paulus V. in suis literis Maronitas rosarum similes esse dixerit, quod singulari Dei gratia inter spinas infidelitatis in Oriente florerent: cum Urbanus VIII. in suis pariter apostolicis literis asseruerit, non concidisse Carmeli decus, neque estinctam esse Libani gloriam; quandoquidem patriarcha, praesules et sacerdotes maronitae in Apostolica Sede ac Romano Pontifice Divi Petri auctoritatem venerantur: cum denique Clemens XI. in suis apostolicis brevibus in lucem editis similia et alia plurima in Maronitarum commendationem congesserit.

Maronitarum ritus latino propius.

Utuntur Maronitae ritu huic Sanctae Sedi probato, quique ad ritum romanum quamproxime accedit, cum et ipsi in azymo, non in fermentato, conficiant; sacras vestes ad Ecclesiae Romanae formam adhibeant; Missas privatas pluresque in diem super eodem altari celebrent, neque in Missa aquam calidam, ut Graeci, apponant; cum denique soli Episcopi Confirmationis sacramentum conferant, et novum calendarium iuxta correctionem gregorianam apud eos in usu sit. Quare nonnulla legentes ipsorum monumenta ad nos hac occasione transmissa, mirati sumus, quod quae circa novum suum Patriarcham, licet antea ordinatum Episcopum, praestant, ea consecrationis nomine vocarent. At vero si conferantur quae ipsi faciunt cum Patriarcha, qui Episcopus non sit, cum iis quae facere solent cum Patriarcha ad Episcopatum iam promoto, facile erit intelligere, hanc quidem non esse ordinationem, neque veram consecrationem, sed sollemnem potius benedictionem, ac publicae obedientiae protestationem, aut etiam divini super ipsum Patriarcham eiusque regnum auxilii implorationem. Et sane apud nostrates quoque auctores, immo in quibusdam pontificum romanorum literis, ordinatio et consecratio pro benedictione, electione, ac sollemni auguratione usurpantur. Neque vero apud illos id novum ac recens inventum; sed ritus et caeremonia ex vetusto rituali syriaco deprompta: quemadmodum Petrus Maronitarum Patriarcha ad Leonem X. retulit, et in ultima libanensi synodo ab hac Sancta Sede confirmata, tantoque, ut audistis, plausu recepta explicatur.

Peculiaria de Patriarchae ordinatione apud Maronitas.

Gestorum confirmatio.

Ut vero eo revertamur, unde discessimus, primum Deo immortali, bonorum omnium datori, gratias, quantum possumus, ex corde agimus. Deinde, quaecumque gesta sunt in executionem brevium nostrorum ab Episcopis et Archiepiscopis maronitis pro Simone Evodio Damasci Archiepiscopo, et a nobis Patriarcha Antiocheno per literas apostolicas constituto, approbamus, et, quatenus opus sit, auctoritate apostolica confirmamus.

(Omittitur consueta petitio Pallii)

Admittitur petitio Pallii.

Non semel hac nostra aetate Archiepiscopi et Patriarchae orientales honore Pallii donati sunt. Consimili celebritate Pallium a Clemente XI. pro Patriarcha alexandrino nos postulavimus et obtinuimus, cum inter advocatos consistoriales ageremus. Nos item manibus nostris eodem ornavimus Petrum Abrahamum armenorum catholicorum patriarcham. Nos ipsi hoc anno ad Cyrillum patriarcham antiochenum graecorum Melchitarum electum illud sollemni ritu misimus. Itaque libenter admittimus petitionem pallii nobis factam pro Simone Petro Patriarcha Maronitarum electo, statim ac ipse fidei professionem rursus emiserit, erga hanc Sanctam Sedem iuramento fidei de more praestito.

Alios favores concedit.

Quin etiam uberiora tam erga ipsum Patriarcham electum, quam erga clerum universum et populum Maronitarum, benevolentiae nostrae argumenta exhibere cupientes, Pauli V. praedecessoris nostri exemplo, qui peculiari sua constitutione ad Petrum Patriarcham Maronitarum apostolicam benedictionem misit, cum facultate clero et populo Maronitarum benedicendi et indulgentias elargiendi, nos quoque praedicto Simoni Patriarchae apostolicam nostram benedictionem amantissime impartimur, eique facultatem tribuimus, ut sive per se, sive per alium episcopali dignitate fulgentem, dilecto clero ac populo Maronitarum, eorumque domibus, agris, praediis et bonis quibuscumque sollemni ritu semel benedicere, iis vero utriusque sexus, qui per Poenitentiae sacramentum a peccatis expiati et sanctissima Eucharistia refecti benedictioni huiusmodi praesentes interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, eadem auctoritate nostra apostolica largiri possit ac valeat.

L.

Patriarchae Antiocheno a Summo Pontifice electo, et a dissidentibus eiusdem nationis Antistitibus agnito, transmittit Pallium, aliaque mandata et facultates committit (1).

Venerabili fratri Evodio Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex collaudat Patriarchae religionem et obedientiam.

Literas fraternitatis tuae libenter accepimus, iucundissimaeque nobis acciderunt: habent enim luculentam significationem religionis, obedientiae, obstrictique Apostolicae Sedi obsequentissimi animi tui. Confirmarunt proinde conceptam spem, cum in ista Patriarchali Cathedra te collocavimus, fore ut restitutam providentia nostra tranquillitatem ecclesiae vestrae ipse foveas, et numquam domesticis discordiis perturbari permittas.

Gaudet de extinctione Schismatis, et praestito mandatis apostolicis obsequio.

§ 1. Cum iisdem literis reddita nobis fuerunt authentica monumenta rerum istic gestarum pro huiusmodi conficiendo negotio, unde novimus gratum fuisse vestrae omnium ordinum nationi, te a nobis patriarchali ministerio donatum, quod verecunde susceperis et sedulo obiturum spondes. Comperimus simul, quidquid nostris ad vos literis in forma Brevis continebatur, sancte accurateque vos servaturos, non sine obstricti devinctique nobis animi significatione, quod vere paterna solicitudine schismatis periculum istinc amovere studuimus. Quamobrem adiudicavimus duplicem non legitime factam Patriarchae electionem, novamque auctoritate nostra canonice substituimus. Qua quidem in re agnovimus multaque laude prosequuti sumus utriusque perperam ad eam primariam dignitatem electi docilitatem, qui ea se statim abdicarunt, ne, cunctando, minus ipsorum obedientia splendesceret. Egimus itaque aeterno Ecclesiae pastori immortales gratias, quod, vestrae gentis misertus, nostra voce imperavit ventis et mari, et facta fuerit tranquillitas magna, ubi inhorrescere coeperant ingentes fluctus.

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad principes et alios. — Ex eodem Reg. transcribimus lit. ap. quibus Archiepiscopo Arcae committit debitâ formâ Pallium tradere Patriarchae Maronitarum, et laudat Proceres de iis quae contulerunt pro instauranda concordia, eosque excitat ut decretum servetur, adiudicans Archiepiscopo Tyri dioecesim angeltonensem.

Venerabili fratri Eliae Archiepiscopo Arcae,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacro ecclesiastico Pallio decorare statuimus more maiorum venerab. fratrem Simonem Evodium, Maronitarum Patriarcham vestrum antiochenum; ac fraternitatem tuam selegimus ad ipsum nostro nomine usitatis caeremoniis ei tradendum. Prius tamen coram te edere catholicae fidei professionem debet iuxta formulam praescriptam a fel. rec. Urbano VIII. decessore nostro, et iureiurando apud te pariter profiteri se perpetuo servaturum supremae Romanae Sedi obedientiam ac fidelitatem. Tuum sit imposito isto ministerio rite diligenterque perfungi, reique gestae authenticum monumentum ad nos transmittere. Interim apostolicam benedictionem, ven. frater, tibi peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. augusti MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

Dilectis filiis Proceribus Maronitis,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Diu nos solicitos habuit vestrorum Episcoporum dissidium in eligendo Patriarchâ suo. Verebamur enim ne in damnum sincerae religionis abiret. Quamobrem ad illud comprimendum illico accurrimus, datoque vestrae genti legitimo Patriarchâ, curavimus extra discrimen ponere Ecclesiae vestrae tranquillitatem. Qua quidem in re multum vos quoque profuisse comperimus. Nam et vester in omnium oculis patens funestae dissensionis moeror, et apud eosdem Antistites consilii auctoritas plurimum potuerunt ad eorum ita molliendos animos, ut non modo prompte, ut par erat, sed libenter acquieverint, ac secum ipsi gratulati fuerint, remedium nos attulisse invalescenti schismati. Quandoquidem igitur adhibitum a vobis eximium studium pacandae dissensionis testimonio nobis fuit insitae animis vestris catholicae religionis, paterni amoris nostri esse duximus vos commonere, id nobis vehementer placuisse, eiusque memores fore, ubi aliquid pontificiae benignitatis derivari in vos queat. Superest modo ut ad omne penitus amoliendum turbarum discrimen detis operam, ne ven. fratri Ignatio Archiepiscopo Tyri ulla fiat mora ullumque obiiciatur impedimentum, quominus pacate moderandam suscipiat dioecesim Ageltonensem cum omni suâ ditione sibi ab episcopali vestro conventu legitime assignatam. Quod eiusdem conventus decretum prorsus a nobis probatum fuit ac summopere commendatum. Erit id nobis gratissimum, damusque pignus apostolicam benedictionem, quam vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. augusti MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

Confirmat Ecclesiae Ageltonensis provisionem.

§ 2. Quam quidem tranquillitatem, te praeside, quotidie magis invalituram pro certo reputamus. Ne vero ulla se offerat perturbandae occasio, pontificia quoque auctoritate ratum habemus et confirmamus decretum vestri Antistitum conventus, quo provide assignata est venerabili fratri Ignatio, Archiepiscopo Tyri, dioecesis Ageltonensis cum omni sua ditione, cui episcopali iure moderetur.

Pallium Patriarchae transmittit.

§ 3. Ecclesiasticum pallium e corpore Divi Petri desumptum tibi demisse petenti libenter indulsimus, illudque, praemissis iureiurando caeterisque ceremoniis, accipies a venerabili fratre Archiepiscopo Arcae; retinebis autem veluti pignus amoris erga te nostri, tuaeque erga nos Romanamque Sedem fidelitatis.

Eidem concedit, ut benedictionem et indulgent. plen. populo semel elargiatur.

§ 4. Praeterea facultatem tibi impertimur, ut per te, aut per alium episcopali dignitate fulgentem, dilecto clero, ac populo Maronitarum, eorumque domibus, agris, praediis et bonis quibuscumque, solemni ritu semel benedicere: iis vero utriusque sexus, qui, per Poenitentiae Sacramentum a peccatis expiati et sanctissima Eucharistia refecti, benedictioni huiusmodi praesentes interfuerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, apostolica auctoritate nostra, largiri possis et valeas.

Reliquas dissensiones oblivioni tradi cupit.

§ 5. Qui abs te constitutus est rerum tuarum curator dilectus filius Iosephus Simonus Assemanus praelatus noster domesticus, faciles ut habeat ad nos aditus, imperabimus, quaeque ad res vestras sacras salutaria proponet, benevole impetraturum ne dubites. Reliquum est, ut ad ea, quae de turbato dudum istic rerum ecclesiasticarum statu, ac de immodesta quandoque inter dissidentes altercatione commemoras, pauca respondeamus. Nos utique moleste tulimus quicquid acerbitatis in huiusmodi negotio patratum fuit, et non parum contulit ad irritandos animos exagitandamque vestram Gentem. Ad rem autem componendam pro nostra paterna solicitudine praesto fuimus, ignemque restinximus duabus editis literis in forma Brevis, quibus utriusque partis decus in tuto fuit.

Alia munera largitur.

§ 6. Habes undique nostrae erga fidissimos Romanae Sedi Maronitas benevolentiae documentum. Te vero nobis dilectum esse inde quoque comperies, quod ecclesiastico quopiam munere nunc etiam cum sacro Pallio donaris, quamvis non ita pridem ea voluimus ad te deferri, quae decessori tuo destinata fuerant. His omnibus addimus apostolicam benedictionem, quam tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XI. augusti MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

LI.

Antistites ob duplicem Patriarchae electionem antea dissidentes, quod, praestita mandatis apostolicis obedientia, ad unitatem redierint, collaudat, etc.

Venerabilibus fratribus, Archiepiscopis et Episcopis Maronitis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benediotionem.

Vetus inter S. Sedem. et Maron. nationem concordia commemoratur.

Eximii erga Apostolicam Sedem obsequii exhibitaeque obedientiae plura semper documenta dederunt Maronitarum antistites vestrique omnium ordinum cives verae tenaces religionis. Quamobrem Pontifici Maximo praecipuo in amore fuistis et non unum retulistis ab hac sanctissima Divi Petri Cathedra beneficentiae, studii, amoris argumentum. Huiusmodi vestigiis nos quoque instetisse, non sane vobis incompertum fuit in commota istic dudum duplicis patriarchalis electionis procella, qua ecclesia vestra, funestis hisce discordiis non antea exagitata, praeceps itura videbatur. Suprema siquidem nostra auctoritate illam dissipavimus, cognitaque causa, quam ex ecclesiasticis legibus ad nos detuleratis, legitimum vobis patriarcham constituimus venerabilem fratrem Simonem Evodium: confirmavimus quoque recentem Libaniticam Synodum, pluraque sacrae disciplinae ecclesiisque vestris salutaria decrevimus, quae nostris literis in forma Brevis expressa, ad vos attulit dilectus filius Iacobus a Luca Franciscanae Observantium familiae alumnus.

Item providentia cont. ad tollendum schisma recens conflatum.

Antistitum aliorumque obedientia commendatur.

§ 1. Id omnes gratum debitaque obedientia acceptum vos habuisse et accuratissime observaturos, a vestris literis atque ex authenticis actis ad nos transmissis libenter cognovimus, laetamurque, hac obsequentissima omnium vestrum voluntate, vos maiorum exemplum sequutos, vicem

nobis reddidisse benevolentiae, solicitudinis, benignitatis, qua utique gentem vestram complectimur.

Patriarchae conceditur Pallium, aliaeque gratiae et facultates.

§ 2. Sacro praetere Pallio donavimus ipsum Patriarcham vestrum Simonem Evodium, annuentes vestris precibus, quas et ille per procuratorem suum dilectum filium Iosephum Simonium Assemanum praelatum nostrum domesticum nobis exhibuit. Fahultatem simul ei contulimus impertiendi per se, aut per alium episcopali dignitate fulgentem, dilecto clero et populo Maronitarum, eorumque domibus, agris, praediis et bonis quibuscumque solemni ritu semel benedictionem; iis vero utriusque sexus, qui, per Poenitentiae Sacramentum a peccatis expiati et sanctissima Eucharistia refecti, benedictioni huiusmodi praesentes interfuerint, ut plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam eadem apostolica auctoritate nostra largiri possit ac valeat. Caeteras praeterea indulgentias iampridem nationi vestrae legitima auctoritate concessas nominatim confirmavimus.

Acta omnia in consistorio expleta.

§ 3. Habetis igitur paternae caritatis nostrae perpetuum monumentum; cui decus ac celebritatem addit, quod haec omnia in consistorio palam peregimus, plura ibi de vestra in Apostolicam Sedem observantia honorifice loquuti. Vestrum modo sit, beneficium nostrum tueri, positis animorum discordiis, catholicaque religione, quod hactenus accurate fecistis, integerrime custodita. Quod ut alacrius peragatis, apostolicam benedictionem vobis, venerabiles fratres, vestrisque gregibus peramanter impertimur.

Adhortatio ad pacis et religionis studium.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. augusti MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

LII.

Indulgentiae plenariae concessio perpetua in omnibus ecclesiis nationis Maronitarum, in festo S. Maronis abbatis die IX. *februarii* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Laudes Maronitarum.

Inclyta Maronitarum de orthodoxa fide et obedientia Apostolicae huic Sanctae Sedi debita semper tantopere merita natio, etsi praeclara omni tempore suae erga eamdem Apostolicam Sedem reverentiae exempla praestitit, unde maiorem sibi a romanis pontificibus praedecessoribus nostris gratiarum copiam comparavit; adeo tamen insigne est fidelis constantisque obedientiae suae argumentum, quod nuper supremis nostris mandatis obtemperando exhibuit, ut luculentiores apostolicae auctoritatis benignitatisque nostrae favores iure ac merito promereri videatur.

Tenor supplicationis, qua petitur extensio plenariae indulgentiae iam concessae visitantibus ecclesias regulares Ordinis S. Antonii Abbatis.

§ 1. Cum itaque ven. frater Simon eiusdem nationis Patriarcha antiochenus nobis humiliter supplicare fecerit, ut plenarias Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quas per binas alias apostolicas in simili forma Brevis literas tum die XV. mensis aprilis anno MDCCXXXIV., tum die vigesima prima mensis ianuarii anno MDCCXL. datas, fel. record. Clemens Papa XII. praedecessor noster omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Comunione refectis, qui singulis annis, die IX. mensis februarii, in qua die apud Maronitas festum Sancti Maronis praecipui patroni eiusdem nationis celebratur, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi, ecclesias monachorum et monialium Ordinis Sancti Antonii abbatis Congregationum tum Montis Libani, tum S. Isaiae dictarum, devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, perpetuis futuris temporibus valituras concesserat, et quas nos quoque pro patriarchali ecclesia concessimus et ampliavimus, ad omnes et singulos utriusque cleri saecularis et regularis nationis Maronitarum erectas et erigendas ecclesias ampliare de benignitate apostolica dignaremur:

Concessio.

§ 2. Nos igitur piis eiusdem Simonis patriarchae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc

---

(1) Ex App. ad Bull. Pont. Sac. Congr. de Prop. Fide. Tom. II., pag. 106.

humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas plenarias indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes huiusmodi a Clemente praedecessore praefato concessis, pari modo et sub iisdem tenore et forma, ad omnes et singulas utriusque cleri saecularis et regularis nationis Maronitarum erectas et erigendas ecclesias, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in perpetuum misericorditer in Domino concedimus et ampliamus; quas quidem omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes animabus christifidelium, quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino pariter concedimus et indulgemus. Non obstantibus nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae derogatoriae.

Transumptorum fides.

§ 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. augusti MDCCXLIV., pontificatus nostri anno IV.

LIII.

Decreta Concilii Tridentini et Sedis Apostolicae de Missae parochialis pro populo et conventualis pro Ecclesiae benefactoribus applicatione confirmat; de divinae psalmodiae cantu disponit (1).

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex pastorales sollicitudines cum Episcopis libenter communicat.

Cum semper oblatas nobis occasiones apostolica scripta dirigendi ad fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sincerae nostrae erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero maiori animi alacritate idipsum praestamus, quum ad excitandum fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in clero regimini vestro commisso, praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati nostrae omnium ecclesiarum solicitudinis onus aliter sustinere nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis dioecesibus custodiam, religiosae vigilantium pastorum curae, identidem inculcando, commendemus.

De applicatione miss. paroch. et conv. etc. plura decreta edita a congreg. Conc.

§ 1. Huius porro Epistolae ad vos scribendae occasionem nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes. Cuius quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in huius almae Urbis nostrae Congregationibus et potissimum in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, cuius secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earumdem congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam pontificiam praedecessorum nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse.

Quibus inhaerendo, praesentes literae publicantur.

Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans huius Apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat; et fraternitatibus vestris quaedam veluti norma ac regula suppetat, iuxta quam synodales, aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum

---

(1) Ex Bull. Ben. XIV. ed. Rom.

publicationem vobis iniungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exequutionem, dum, iuxta ea, quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, solicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad huius nostrae Curiae tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino reiiciendos esse praecipimus, ac iubemus. Quamobrem has ipsas literas nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum, tam ipsorum tribunalium resolutiones, quam de vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, iudicia exigi et conferri mandamus.

Appellatione remota, exequendae.

Applicatio Missae parochi pro populo, Concilii Trid. et Sedis Ap. decretis sancita.

§ 2. Et quidem quod nuper enunciavimus, Sacrosanctum Missae Sacrificium a Pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id veluti ex divino praecepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *sess. 23. cap. 1. de Reformat.* per haec notabilia verba: ***Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his sacrificium offerre.*** Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes huiusmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare, contenderit; quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, quumque praedicta Congregatio eiusdem Concilii interpretationi privative praeposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo Sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum haec intelligentia a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata; nihil iam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.

Sed variis effugiis declinari solita.

§ 3. Neque nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus secretarii praedictae Congregationis Concilii Tridentini interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanae Cathedralis, partim in Metropolitanae Bononiensis, patriae nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a nobis est occurrendum.

Etiam Vicarii amovibiles et temporarii, ac regulares ad id tenentur.

§ 4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est *in sess. 6. c. 2. sess. 7. c. 5. et 7. sess. 21. c. 6. sess. 25. c. 16.;* non raro autem eveniat, ut, aliqua Ecclesia parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda huiusmodi Ecclesiae onera, usque ad novi rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id iubente *sess. 24. cap. 18. de Reform.;* nonnulli ex huiusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles; vel ad breve tempus huiusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de parochis regularibus, qui a praedicta applicatione missae pro populo nonnumquam alienos se ostendunt. Itaque mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii seculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno de verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.

Non obstante defectu congruae, aut quacumquecontraria consuetudine.

§ 5. Nonnulli vero ad evitandum huiusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi parochiae suae redditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et confirmationem extendimus; et, quatenus opus sit, auctoritate apostolica, iterum tenore praesentium

decernimus et declaramus, quod licet parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerit, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

Diebus tamen festis de praecepto dumtaxat.

§ 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, missae sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 23. cap. 14.* praecipit Episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent;* in pluribus autem Synodalibus Episcoporum Constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum Pastores missas celebrare debeant. At vero nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere; eum vero qui uberioribus huiusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae (nimirum ad quam summam pertingere debeant Ecclesiae Parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt redditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa), tum etiam multorum querelae adversus huiusmodi decretum tamquam plus aequo rigidum, excitatae, nobis innotescant; idcirco opportunum censemus fraternitatibus vestris declarare, nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto; quum praedicti dominici aliique festi dies ii sint, in quibus, iuxta praeceptum Concilii Tridentini *sess. 5. cap. 2. et sess. 24. cap. 4,* quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, *ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei;* et quibus parochi subditos suos in Doctrina Christiana erudire debent, iuxta id quod a praedicto Concilio in cit. *Cap. 4.* Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri* curent.

Comprehensis illis, quibus tenetur populus missam audire.

§ 7. Et quia in nonnullis dioecesibus numerum dierum festorum de praecepto, de apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis christifideles et missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae Sacrificium; nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis missae parochialis in huiusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes missam pro populo celebrare et applicare teneantur.

Facultas conceditur dispensandi parochos pauperes ab applicatione pro populo diebus festis.

§ 8. Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus, aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub-vicarii seu oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia, aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus Ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione missae recipere; idcirco nos tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum nobis integrum est, consulere volentes; quamvis, ut supra dictum est, omnes

et singuli praedicti teneantur diebus festis missam pro populo celebrare et applicare; attamen, quod pertinet ad praedictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi, ad hoc ut, etiam diebus festis huiusmodi, eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem, in ipsa ecclesia parochiali missam celebrent; ea tamen adiecta conditione, ut tot missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

Modo in eccles. parochi celebrent, et totidem missas pro populo applicent.

Vicarii temporanei congruis reditibus ad hunc effectum providendi.

§ 9. Quod autem spectat ad vicarios sive oeconomos ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *cit. sess. 24. cap. 18.* cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi, *cum congrua, eius arbitrio, fructuum portioni assignatione;* vestrum erit, ven. fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione, paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur, pro onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructum ad commodum Camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, opportuna thesaurario nostro generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus; cum quibus Episcopi ecclesiasticae nostrae ditionis, caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

Eaque de re cum collectoribus Can. Ap. agendum.

De Vicariis perpetuis, vel etiam amovib. servanda constitutio S. Pii V.

§ 10. Ac demum, quoad illos, qui tanquam vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicuius ecclesiae parochialis, ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitae; quamvis a recol. mem. praedecessore nostro S. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum huiusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quae incipit: *Ad exequendum,* data kalendis novembris anni MDLXVII. distincte statuitur; nihilominus ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi missam pro populo diebus festis de praecepto; utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 7.,* dum illorum arbitrio permisit, iuxta temporum atque iniunctorum onerum rationem, congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam nos etiam fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

Missa conventualis in eccl. colleg. cathedr. etc. quotidie celebranda et pro benefact. in genere applicanda.

§ 11. Haec igitur circa missam parochialem statuenda, et fraternitatibus vestris iudicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quae pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum Canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis, tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur; quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congregatione vener. fratrum nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes apostolica auctoritate nostra confirmamus et approbamus, earum executionem vobis enixe inculcantes: ut scilicet missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo missam parochialem ab iis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto, applicari debere superius declaravimus.

Nec suffragatur applicatio pro certo benefactore.

§ 12. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis eiusmodi, sive dolo malo, sive per errorem, invectam esse novimus: quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo Ecclesiae benefactore vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi, ce-

lebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missae conventualis. Etenim huiusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet Ecclesiae, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

Nec pariter alterius generis preces vel stata anniversaria sacrificia.

§ 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a Lege Ecclesiastica multoties praescripta fuit; nimirum missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebranda, eamdemque pro illis in genere applicando.

Ratio et origo huiusmodi obligationis.

§ 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remotis (quod vos ex historia Ecclesiae didicisse non dubitamus), servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptycis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione iacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi missam conventualem pro benfactoribus in genere originem atque rationem desumit.

Cuius declinandae plures causae frustra afferuntur.

§ 15. Quemadmodum vero, loquendo de missa parochiali, superius dictum est varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto; ita pariter usuvenit, quoad applicationem quotidianam missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores, provide e medio sublatae fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus et confirmamus.

Statuitur contrariam consuetudinem, etiam immemor. non suffragari.

§ 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Ecclesia vigentis, se ab huiusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum iam pluries responsum fuit, huiusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

Peculiarem celebrantis obligationem per alium implendam.

§ 17. Alii a misssa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali, seu collegiata, quum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, iubendo singulis praedictis, ut missam conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco missam huiusmodi celebret applicetque.

Eleemosynam, quatenus opus, desumendam ex massa distributionem.

§ 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis; quos minus aequum videtur pro missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

His deficientibus, opportuna pauperibus dispensatio concedatur.

§ 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihilum fere redac-

tae, vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus *sess. 24. cap. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cuius erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a praedecessoribus nostris eidem impartita, et a nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

De secunda et tertia missa conventuali.

§ 20. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam fraternitatibus vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae, atque etiam aliquando tres missae conventuales uno die celebrentur. Itaque, quum nuper a nobis dictum fuerit, primam missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse; nunc expendendum superest, an earumdem ecclesiarum capitula iurisdictioni vestrae respective subiecta adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

Congregat. Concil. responsa.

§ 21. Huiusmodi quaestio aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi venerabilium fratrum nostrorum Concilii Tridentini interpretum proposita est. Iamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiusmodi applicationis debitum manere, ubi de Ecclesiis pauperibus non ageretur.

Pontifex absolvit ab applicat. secundae et tertiae missae, nisi aliud usu receptum.

§ 22. Verum, quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque huiusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper iudicio nostro remittendam esse censuerit; nos ita iudicamus, idque vobis tenendum indicimus: laudandos, nempe, et confirmandos esse, quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo, in commemoratione pro Defunctis, Ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.

Commendat exactam in choro psallendi rationem.

§ 23. Huic demum epistolae nostrae finem imponentes, fraternitates vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris, praeter devotam celebrationem, debitamque applicationem missae conventualis; horae canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur.

Declarat, etiam canonicos ubique teneri ad psallendum.

§ 24. Equidem scimus, in aliquibus Metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adiungant. In huiusce vero opinionis confirmationem, adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa ecclesiarum suarum privilegia. At, quum Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12.*, loquens de dignitatibus et canonicis qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, ***in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, districte, devoteque laudare;*** quumque pauca omnino sint capitula, in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congregatione, Concilii Tridentini interpretationi praeposita, examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata; quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam Ecclesiarum Patriarchalium huius nostrae Urbis super hoc instantibus; quum denique idem iudicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis et

confirmatis; nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiae canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam, absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit apostolicum non praesumptum, vel abrogatum, sed legitimum, ac vigens privilegium sive Indultum; iure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, venerabiles fratres, haec omnia illis aperire, ut neque nobis, neque vobis apud divinum iudicem fraudi sit, si in huiusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Nec suffragari præsumpta privilegia, aut consuetudines.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. augusit MDCCXLIV., pontificatus nostri anno V.

LIV.

Confirmat praedecessorum decreta de ritibus, caeremoniis, usibus et consuetudinibus in regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi, et ad nova postulata declarationes et responsiones tradit (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Pontificis studium pro tuenda fidei et disciplinae puritate, et Ecclesiae concordia.

Omnium solicitudinum, quae demandatum nobis, divino prorsus consilio, nulloque merito nostro, supremi universalisque Pastoris munus gravissimum praeter modum, formidandumque constituunt, potissima sane, quaeque magis animum nostrum exstimulant, nosque perpetuo trepidantes et anxios habet, ea est, ut concreditum nobis fidei depositum integrum illibatumque servemus; ideoque omne studium nostrum operamque in id conferamus, ut, late diffluentes super faciem terrae coelestis doctrinae latices, nullo aut corruptelae luto aut erroris inficiantur veneno, dumque evangelica lux undequaque diffunditur, nulla forte gentilitatis superstitione obumbretur; atque ut ii, quos e potestate tenebrarum erutos, confractis ferreis infidelitatis vectibus, in admirabile lumen suum vocavit misericors Deus, in spemque evexit aeternae salutis et haereditatis, corde credentes ad iustitiam, operibusque quod credunt comprobantes, et mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, digna se membra exhibentes, id ipsum dicant, ut Apostolus exoptabat ardenter, et sint perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Hinc cum primum Altissimo placuit humilitatem nostram ad summi Apostolatus apicem evehere, nulli umquam labori parcere decrevimus, quem non solum ad propagandam in omnem terram fidei et salutis scientiam, sed etiam ad unitatem spiritus et doctrinae inter fideles ubique fovendam et confirmandam, vel, sicubi opus esset, reconciliandam et stabiliendam, opitulante Deo, proficuum et necessarium fore deprehenderemus.

Refert dissensiones super observantia variorum rituum in missionibus Indiarum obortas.

§ 1. Verum, quum eam ob causam ad extremas usque Orbis terrae plagas mentis nostrae obtutus dirigeremus, eosque peculiariter figeremus in novella illa germina christianitatis, quae, divina irrorante gratia, in novis ecclesiis Regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis dudum pullularunt, non parvam nobis inde laborem atque curarum materiem allatum iri verebamur, dum animo recenseremus quantum et quamdiu apostolica praedecessorum nostrorum desudasset industria, ut, ex recens coalescentibus praedictorum Regnorum Ecclesiis, vanarum observationum rituumque a Christiana Religione adhorrentium zizania radicitus evellerent, atque importunas controversias inter sacros ipsos regionum illarum operarios in re tam gravi exortas, et, quod magis dolendum erat, inimici hominis operâ nostris adhuc temporibus perstantes, componerent atque eliminarent. Attamen fiduciam nostram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter suaviterque inflectit; potissimum vero quum delatis ad nos argumentis filialis obedientiae, qua plerique

Quas per praesentium publicationem extinguendas esse, non sine causa confidit.

---

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide collat. etc.

illarum partium missionarii suprema huius Apostolicae Sedis decreta se excipere professi sunt, nobis expositum fuit, ad omnes demum iis de rebus controversias sedandas, ac praedictarum ecclesiarum statum componendum atque firmandum, nil aliud iam reliquum esse, quam ut ad nonnulla postulata, quae ex parte aliquorum operariorum huiusmodi nobis proponebantur, congruae resolutiones et responsiones apostolica auctoritate prodirent; magnam in spem erecti sumus, fore, ut, sublatis per opportuna rescripta propositis dubitationibus, ac finitivis demum nostris et huius Apostolicae Sedis mandatis atque praeceptis editis ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis molestisque dissensionibus, quae praedicationis evangelicae in praedictis Regnis olim disseminatae fructum late inficientes, ipsasque novarum ecclesiarum soboles vehementi discordiarum turbine agitantes, eo rem adduxerant, ut tot Verbi Dei praecones eximii sine causa adhuc laborasse, largosque sudores et sanguinem ipsum, frustra effudisse viderentur.

Appulsus bon. mem. Card. de Tournon Commiss. Apostol. ad Indias Orientales.

§ 2. Ut enim multa praetereamus, quae retroactis temporibus hac in re acciderunt; grandiores, quas innuimus, controversiae hoc ipso ineunte saeculo eruperunt, seu potius renovatae fuerunt, quum a fel. rec. praedecessore nostro Clemente Papa XI. missus, ad oram Coromandeli appulit bon. mem. Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus, cum potestate Legati a Latere in Indiis Orientalibus Commissarius et Visitator Apostolicus, deinde huius S. R. E. Cardinalis Tournonius nuncupatus. Is enim, eo cum appulisset, ad trutinam vocatis nonnullis ceremoniis, quae ab aliquibus missionariis observabantur vel permittebantur, ab aliis vero tamquam christianae pietatis spiritui minime conformes reiiciebantur, unde discordiarum et funestissimarum disputationum semina, exploratis ea, qua par erat, diligentia, factis et circumstantiis, e re Christiana esse suique officii partes exigere iudicavit, plures huiusmodi ceremonias gravi interdicto proscribere atque damnare; latoque edicto seu decreto, certam missionariis normam praescribere, quam in excolendo Dominico illo Agro cuncti servarent, ut Divini Verbi semen, praecisis lolio et vepribus, altas agere radices et felicissime posset propagari. Quod quidem a se editum decretum a missionum illarum provincialibus et superioribus sub poena excommunicationis latae sententiae, a caeteris vero subditis missionariis sub poena suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae, inviolabiliter observari et executioni mandari praecepit, donec aliter Apostolica Sedes provideret. Exemplum autem decreti eiusmodi est, videlicet:

Eiusdem iudicium, et decretum super ritibus malabaricis.

Decretum ab eo editum Pudicherii die xxiv. Iunii MDCCIV.

« Carolus Thomas Maillard de Tournon, Dei et Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Antiochenus, Sanctissimi Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papae XI. praelatus domesticus, eiusque pontificio solio assistens, necnon Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem consultor, ac in Indiis Orientalibus et Sinarum Imperio finitimisque Insulis Commissarius et Visitator Apostolicus cum facultate Legati de latere etc. (1).

Prooemium.

« Inter graviores, quibus premimur, curas pro Apostolici Visitatoris munere nobis, licet tanto oneri imparibus, iniuncto, ea sane est praecipua, cum nos huc missos esse consideramus ad expurgandum dominicum agrum a zizaniis novella Christi germina suffocantibus, et de alienis peccatis rationem esse reddituros, qui aeternam Dei ultionem pro nostris numquam satis expiandis iure formidamus: quamobrem, statim atque ad has Indiarum oras appulimus, mentis nostrae oculos per vastissimas illas Orientales Regiones circumferentes, dum corpus pertinaci morbo iaceret detentum, missionum necessitates undique inquirere curavimus, ut iisdem pro viribus de opportuno remedio prospiceremus. Et quidem merito inter primas nostrae solicitudini occurrerunt novae Domini vineae in Regnis Madurensi et Maissur., recentiusque Carnatensi, iisdem fere legibus, parique labore, ab evangelicis Societatis Iesu operariis Lusitanis et Gallis plantatae, ubi inter Ethnicorum atque gentilium persecutiones, ac inter tot vitae asperitates, virentes germinant Evangelii palmites, assiduis missionariorum sudoribus irrigati. Illuc sane fuissemus, non minus laboris quam gaudii in Christo Iesu participes esse vehementer cupientes nisi hoc nobis diuturna infirmitas prohibuisset. Quod autem per nos ipsos immediate obtinere non licuit, exhibitum erga nos et Sanctam Sedem Apostolicam obsequium a Patribus Venantio Bouchet Carna-

(1) Aliud decretum vide in const. *Cum sicut* Clem. XI. supra vol. II., p, 283.

tensis missionis superiore, et Carolo Michaele Bartoldo Madurense missionario, viris doctrina et Propagandae Fidei zelo praestantibus, opportune suppeditavit.

Referuntur causae edendi decretum huiusmodi, in quo statuit ut infra.

Enim vero cum ab illis, in moribus, lingua et Religione istarum regionum ex longa in his vitae consuetudine apprime versatis, plura certius cognoverimus, quae eosdem palmites enerves reddant et fructu vacuos, utpote qui gentilium vanitatibus magis inhaereant, quam viti, quae est Christus; in multo experimento tribulationis abundantia gaudii nostri fuit. Rebus itaque maturo examini suppositis, dictisque patribus oretenus ac in scriptis fuse auditis, atque Dei ope publicis precibus implorata, ut Fidei puritati spiritualique Christianorum proventui salubriter in Domino consulamus, utque fiat oblatio Gentilium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto, ad praesens decretum auctoritate apostolica, etiam cum facultate Legati de Latere, devenimus.

I. De Baptismo: quod in eo administrando non omittantur Sacramentalia.

« Et a Sacramentorum administratione exordium sumentes, districte prohibemus, ne, in baptizandis tam pueris quam adultis cuiuscumque sexus et conditionis, omittantur Sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, et signanter saliva, sal et insufflatio, quae ex apostolica traditione Catholica Ecclesia recepit, ac, ob recondita in his sacris ceremoniis divinae erga nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodivit; decreto Sanctae Universalis Romanae Inquisitionis de anno MDCLVI. pro Sinis facto, ob diversas rationes et circumstantias, minime obstante.

Quod baptizando imponatur nomen alicuius sancti.

« Item praecipimus, ut iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus Idolorum vel falsae Religionis Poenitentium, quibus gentiles utuntur et Neophyti hactenus appellari consueverant, antequam essent per baptismum divinae gratiae renati.

Et generaliter nomina rerum sacrarum non depraventur.

Nec parochis, seu missionariis, sub quovis praetextu liceat, Crucis, Sanctorum et rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea ullo idiomate explicare, nisi latino vel saltem Indico, quatenus voces indicae regionis latinae significationi liquido et adamussim respondeant.

Quod collatio baptismi infantibus non protrahatur.

« Et quia audivimus, baptismum infantium ex christianis parentibus ortorum, eorumdem incuria saepe saepius diu protrahi, non sine maximo dictorum infantium salutis discrimine, monemus evangelicos operarios, ut sacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, genitoribus praefigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum tempus ad Ecclesiam deferant sacro fonte abluendos.

II. Matrimonia non contrahantur ante pubertatem.

« Praeterea cum moris huius regionis sit, ut infantes sex vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex genitorum consensu matrimonium indissolubile de praesenti contrahant per impositionem Tally, seu aureae tesserae nuptialis, uxoris collo pensilis; missionariis mandamus, ne huiusmodi irrita matrimonia inter christianos fieri permittant, nec sponsos sic coniunctos cohabitare sinant, donec, completa legitima aetate et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae, iuxta formam a Sacro Conc. Trid. praescriptam, verum et canonicum matrimonium contraxerint.

Prohibetur mulieribus usus Tally ad instar gentilium.

Et quoniam apud peritiores impiae illius Religionis Sectatores Tally praesefert imaginem, licet informem, *Pulleyaris*, sive *Pullajaris* Idoli, nuptialibus ceremoniis praepositi, cumque dedeceat christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii; districte prohibemus ne in posterum audeant Tally cum hac effigie collo appendere; et ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio Tally Sanctissimae Crucis, vel Domini Nostri Iesu Christi, vel Beatissimae Virginis, vel alia quavis religiosa imagine ornato. Et cum superstitione non careat funiculus centum et octo filis compositus et croceo succo delinitus, quo plerique dictum Tally appendunt, prohibemus etiam dictorum filorum numerum et unctionem.

Nuptiarum ritus ab omni superstitione expurgentur.

« Ceremoniae etiam nuptiales iuxta harum regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatae, ut tutius remedium aptari non posset, quam eas omnino interdicendo, cum undique noxia Gentilitatis labe scateant: et difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero, ut faciliori conversionum viae et Neophytorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, missionariis et praecipue missionum superioribus iniungimus, ut, novis adhibitis diligentiis severiorique calculo, superstitiosa omnia a dictis ceremoniis expungant, itaut nihil inultum relinquatur, quod christianam pietatem offendat et Gentilium superstitionem redoleat; et signanter, praeter eas quas audivimus iam statutas in hac materia ab iisdem missionariis reformationes, ramus arboris *Aresciomara* omnino

auferatur, ferculorum numerus, non minus ac cibi praescripta qualitas, varietur; circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia, omittantur; et, quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum et prohibitum intelligatur; fructus etiam, vulgo dictus *Cocco*, ex cuius fractione prosperitatis vel infortunii auspicia gentiles temere ducunt, vel omnino a christianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non publice, sed secreto et extra solemnitatem, aperiatur ab iis, qui evangelica luce edocti, ab huiusmodi auspiciorum deliramento sunt alieni.

Fructus vulgo *Cocco*. non frangatur ad capienda auspicia

III. Mulieres non arceantur a Sacramentis ex causa menstruae purgationis

« Nullus rite et sufficienter dispositus arceatur a Sacramento poenitentiae, ad peccatorum remissionem, tamquam instrumento divinae misericordiae, a Christo Domino instituto; et signanter mulieres menstruali morbo laborantes; non attentis diebus purificationis iuxta morem gentilium, cum haec sacramentalis vera animae purificatio, et non alia, sit attendenda a christifidelibus, eorumque pastoribus; quibus praeterea non liceat nec per se ipsos, nec per catechistas, nec per alios quoscumque, dictis mulieribus prohibere accessum ad ecclesiam vel ad confessarium, durante dicta infirmitate et dicto purificationis tempore.

Damnatur festiva gratulatio super prima purgatione puellis contingente

Dedecet etiam christianae virginis honestatem prima vice dicto morbo laborantis, illum cognatis, vicinis et amicis notum facere, ac inverecunde publicare, iisque, ethnicorum more et ritu, in eius domum collectis, super re tam sordida festum instituere: quocirca huiusmodi celebritates et ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus et abolemus; missionariisque iniungimus, ut non solum eas, verum etiam genitores moneant, quam dissona sit virginei pudoris legibus huiusmodi obscaena consuetudo, quae a gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, labefactata puellarum verecundia, eas effrenate ad libidinem provocare valeant.

IV. Quod *Pareis* omne praestetur spirituale subsidium etiam in ipsorum domibus.

« Ferre pariter non possumus, quod a medicis spiritualibus pro animarum salute ea charitatis officia denegentur, quae medici gentiles, nobilis etiam generis, seu castae, pro corporis salute praestare non dedignantur infirmis etiam abiectae et infimae conditionis, vulgo dictis *Pareas*. Quapropter districte mandamus missionariis, ut, quantum in ipsis erit, nemini e christianis aegrotis, quantumvis *Pareas*, et vilioris, si adessent, generis hominibus, desideranda relinquatur in infirmitate copia confessarii; et ne, ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitae temporalis periculo, aeternae consulere cogantur, iisdem missionariis praecipimus, ne infirmos huiusmodi conditionis ad Ecclesiam deferendos expectent, sed consultius domos, ubi aegrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus et precibus sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitae discrimine constitutos Sancto Infirmorum Oleo deliniant, absque personarum aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcumque praxim huic christianae pietatis officio contrariam.

V. Christiani tibicines, aliique artis musicae professores operam non praestent in idolorum pagodis, et festivitatibus.

« Non sine maximo animi nostri moerore accepimus etiam, christianos tympanorum pulsatores, tibicines, aut alterius cuiuscumque musici instrumenti sonatores ad idolorum festivitates et sacrificia accersiri ad ludendum, et interdum etiam cogi ob quamdam servitutis speciem erga publicum ab ipsis contractae per huiusmodi artis exercitium, nec facile esse missionariis eos ab hoc detestabili abusus avertere: quocirca considerantes, quam gravem rationem essemus Deo reddituri, si huiusmodi christifideles a daemoniorum honore et cultu pro viribus non revocaremus, illis prohibemus, ne imposterum audeant, nec in Pagodis, nec extra, tum occasione sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare aut canere, sub poena excommunicationis latae sententiae, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire: ideoque missionarii non solum eos monere tenebuntur de praefata prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare et contrafacientes ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant et publicis poenitentiae signis patratum scandalum emendaverint.

VI. Quod constitutio Gregorii XV. circa lavacra, et ablutiones comprehendat etiam missionarios.

« Declaramus praeterea Pontificiam Constitutionem Gregorii Papae XV. incipientem: *Romanae Sedis Antistes:* ad petitionem patrum Societatis Iesu editam, qua indigenis christifidelibus lavacra, non alia occasione et fine, quam corporis reficiendi et a naturalibus sordibus mundandi, ab Apostolica Sede permittuntur, interdictis tempore et modo, quibus a gentilibus adhiberi solent, aeque afficere evangelicos operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia causa et fine, etiam ad effectum, ut existimentur, Sanias seu Brachmanes, prae caeteris dediti huiusmodi ablutionibus, illis uti, praesertim statutis eo-

rum horis et ante vel immediate post quamcumque sacram functionem.

VII. Prohibetur usus cinerum, praeter modum et tempus ab Ecclesia receptum, et omnia signa superstitiosa damnantur.

« Cineres itidem ex vaccae stercore confectos et impiam Gentilium poenitentiam a Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti sacro Chrismate delinitae impingere, sive alia quaecumque signa albi vel rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi in fronte vel in pectore, aut in alia quavis corporis parte, utuntur, deferre prohibemus; mandantes, ut Sanctae Ecclesiae consuetudo, piique ritus Cineres benedicendi, illisque christianorum caput Cruce signandi, ad humanae infirmitatis memoriam recolendam, religiose serventur, tempore ac modo ab Ecclesia praescripto, scilicet feria quarta Cinerum et non alias.

VIII. Quid servandum sit circa librorum gentilium usum.

« Et demum, quia ex librorum de falsa religione et de rebus obscaenis superstitiosisque tractantium lectura, venenum ut plurimum serpere solet ad cor fidelium, quo non minus fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum ac studium missionariorum, qui libros sacram Ecclesiae catholicae doctrinam rerumque sacrarum monumenta continentes, pro Indorum christifidelium eruditione, in linguam Malabaricam seu Tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo et institutione composuerunt; iisdem christifidelibus expresse interdicimus fabulosos Gentilium libros, eosque legere et retinere prohibemus, sub poena excommunicationis latae sententiae, nisi prius habita licentia parochi seu missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiae committimus facultatem super hoc dispensandi, et libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, et nihil contra bonos mores tractantes, pro christanorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

Mandat hoc decretum publicari et observari, donec aliud fuerit a S. Sede provisum, sub poenis etc.

« Ea igitur universa et singula auctoritate apostolica et tenore praedictis damnamus, ac districtiori, quo possumus, modo prohibemus; mandantes patri provinciali Provinciae Malabaricae, caeterisque superioribus Societatis Iesu in Indiis Orientalibus, ut hoc nostrum Decretum notificent singulis missionariis, sive aliis quibuscumque curam animarum exercentibus sibi subiectis, illudque perpetuo et inviolabiliter exequi faciant, sub poena excommunicationis latae sententiae quoad provinciales et superiores, et suspensionis a divinis ipso facto incurrendae quoad subditos contrafacientes, seu aliter permittentes. Atque ita decernimus et mandamus in omnibus, donec aliud fuerit ab Apostolica Sede vel a nobis eiusdem auctoritate provisum, inviolabiliter servari, non obstantibus quibuscumque.

Declarat, quod per decretum huiusmodi non intendit approbare alia, si quae sint, reformatione digna.

« Et ne ex his, quae expresse praecepta vel prohibita a nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in reliquis practicari solitis in istis missionibus, nostrum assensum, seu approbationem (cum plura forsan reformatione digna nostram cognitionem effugerint, et alia maturius examen postulantia indecisa remanserint), hanc interpretationem omnino reiicimus et menti nostrae esse contrariam declaramus. Volumus autem iustis de causis, ut hoc nostrum decretum afficiat et pro publicato habeatur post illius traditionem a nostro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-provinciali Patrum Gallorum Societatis Iesu in Indiis; cui propterea in virtute sanctae obedientiae onus iniungimus, quatuor similia exemplaria transmittendi ad Patrem Provincialem provinciae Malabaricae, ac ad Patres Superiores missionum Madurensis et Maissur et Carnatensis, quibus post bimestre et reliquis missionariis post trimestre a die consignationis faciendae dicto Patri Tachard, idem Decretum pro publicato et notificato pariter habeatur.

Praescribit publicationis formam, eiusdemque servatae effectum.

« Datum Pudicherii in Sancta Visitatione Apostolica hac die XXIII. iunii MDCCIV. et publicatum die VIII. iulii eiusdem anni MDCCIV. per traditionem factam coram Illustrissimo et Reverendissimo Domino per me Cancellarium infrascriptum rev. Patri Guidoni Tachard Patrum Gallorum Societatis Iesu in Indiis Orientalibus Superiori, praesentibus RR. Patribus Francisco Laines, Superiore missionis Madurensis, ac Venantio Bouchet Superiore missionis Carnatensis.

CAROLUS THOMAS Patriarcha Antiochenus Visitator Apostolicus.

ANDREAS CANDELA Sacrae Visitationis Apostolicae Cancellarius. »

§ 3. Quoniam autem de re maxima eaque gravissima agebatur, idem Antiochenus Patriarcha literis suis totam rei gestae seriem Apostolicae Sedi exactissime renunciavit, latumque ab se decretum supremo illius iudicio subiecit. Quibus ad Urbem allatis literis, idem praedecessor noster Clemens Papa XI. supradictum Vicarii Apostolici Decretum rite perpensum, atque etiam in Congregatione Sancti Officii diligenti examini subiectum, in omnibus ser-

Relatum decretum confirmatur a Clem. XI Pont Max. cum clausula *Donec* etc.

vandum et exequendum esse statuit, ea tamen addita clausula: ***Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi Decreto afferendum habuerint.*** Ea pontificis in Congregatione Sancti Officii resolutio sequentis est tenoris, videlicet:

Tenor resolutioni in congreg. S. Officii die VII. ianuarii MDCCVI.

« Feria V. die VII. ianuarii MDCCVI. In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Vaticano, coram Sanctissimo Domino Nostro Domino Clemente divina Providantia Papa XI., ac Eminentissimis et Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Commendat zelum, et prudentiam Cardinalis de Tournon pro decreto edito, quod ab omnibus observari debeat, donec aliter etc.

« Idem Sanctissimus Dominus Noster, relato tenore decreti editi Pudicherii die XXIII. iunii MDCCIV. a D. Carolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiocheno Commissario et Visitatore Apostolico in Imperio Sinarum et aliis Indiarum Orientalium Regnis, necnon literarum inde scriptarum ab eodem D. Patriarcha, nempe die IX. iulii dicti anni MDCCIV. ad praefatos Eminentissimos et Reverendissimos Dominos Cardinales, ac die X. eiusdem mensis ad R. P. D. Assessorem, diserte super iisdem de more loquutus fuit. Auditis deinde votis praefatorum Dominorum Cardinalium, dixit, rescribendum esse Domino Patriarchae, commendando illius prudentiam ac zelum, et quod exacte observari debeant ea omnia, quae in decreto supradicto fuerunt ab ipso praescripta, donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi decreto afferendum habuerint.

Mandat reassumi omnia circa ritus Malabaricos, etiam nondum expresse damnatos, ad Apostolicam Sedem delata.

« Iussit quoque Sanctitas Sua, quod per Patrem Consultorem Ioannem Damascenum Ordinis fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium reassumantur ea omnia, quae circa nonnullos ritus, ut asseritur, superstitiosos christianis Malabaris in Indiis Orientalibus a quibusdam missionariis, ut praetenditur, permissos, iampridem ad eamdem Apostolicam Sedem delata fuerunt a fratre Francisco Maria Turonensi Ordinis Minorum eiusdem Sancti Francisci Cappuccinorum missionario illarum partium, ad hoc, ut idem Pater Consultor de iis, quae sive a san. mem. Gregorio XV. in suis literis die XXXI. iannuarii MDCXXIII. in forma Brevis desuper expeditis, sive ab eodem Domino Patriarcha in suo decreto praedicto expresse damnata vel prohibita non fuerint, conficiat summarium, super quo discuti ac decerni valeat, quid sit agendum.

Quaestionem de *Pareis* separatim examinari iubet.

« Quo vero ad quaestionem de quibusdam ignobilibus ac infimae sortis hominibus, qui in eisdem regionibus vocantur *Pareas* et a nobilibus tamquam infames et damnati vitantur, Sanctitas Sua dixit, quod separatim examinari debeat. »

Falsus rumor per Indias spargitur de revocatione decreti Card. Tournon.

§ 4. Verum hanc providentiam, uberesque, quos inde spes erat proventuros, fructus frustratus est falsus rumor, qui paucos post annos per Indias increbuit, ipsum nempe Clementem XI. praedecessorem et relatum Patriarchae decretum revocavisse et nonnullas ex iis caeremoniis adprobasse, quas ille tamquam superstitiosas, minimeque ferendas proscripserat. Cui falso rumori cursum intercepturus laudatus Pontifex Clemens XI., utque omnibus manifesta redderet animi sui sensa, atque impugnatoribus decretorum a Patriarcha praedicto editorum omne penitus effugium adimeret, quo a praestanda eisdem decretis debita obedientia se subtrahere quoquo modo possent, die prima septembris anni MDCCXII. extrahi ex tabulariis mandavit authenticum exemplum decreti, quod praedicta die VII. ianuarii anni MDCCVI. emanaverat, et superius transcriptum est, illudque Episcopo Meliapurensi transmitti iussit, ut ex eo et is probe nosceret et aliis etiam Episcopis et missionariis earum Regionum palam faceret, quid eo usque de Patriarchae Antiocheni decreto Apostolica Sedes iudicasset. Ac ne ullo modo Pontificiae mentis oraculum in dubium posset revocari, decreti exemplo iungendas alligandasque voluit literas apostolicas in forma Brevis, ut sequitur:

Cui se opponit Clemens XI., et praemissae resolutionis exemplum in Indias mittit.

Epistola in forma brevis ab eo scripta Episcopo Meliapuren. die XVII. septem. MDCCXII.

« *Venerabilis frater* etc. Non sine gravi animi nostri molestia istis in partibus evulgatum fuisse audivimus, quod praescripta in quodam decreto die XXIII. iunii MDCCIV., Pudicherii edito a bon. memor. Cardinali de Tournon, cum illuc ad Sinensis Imperii oras transmigraturus accessit, a nobis rescissa et abrogata, ac simul ceremoniae et Ritus, qui eodem decreto superstitionis labe infecti declarantur, vel omni vel aliqua ex parte approbati ac permissi fuerint. Cum autem maxime cupiamus, ut in re tanti momenti non modo fraternitati tuae, verum etiam, te curante,

caeteris istarum partium Antistitibus, ac missionariis aperte veritas innotescat; tibi coniuncta folia a notario Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis subscripta, ac eiusdem Inquisitionis signo roborata, mittenda duximus, ex quibus abunde ac luculenter intelliges, quaenam eiusmodi in rebus hactenus fuerit et adhuc sit nostra mens, donec a nobis et Apostolica Sede aliter decernatur. Quod superest, Pastorum Principem enixe rogamus, ut in arduis pastoralis officii curis coelesti ope sua tibi iugiter adesse velit. Et fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Cum qua eidem transmittit exempla authentica confirmationis decreti Cardinalis praedicti.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septemb. MDCCXXII., pontificatus nostri anno XII. »

Congregatio de Propaganda Fide ad Episc. Claudiop. similiter scribit pro relati decreti publicatione.

§ 5. Quoniam autem unus et alter annus elapsus iam erat, necdum constiterat, Sancti Officii decretum, pontificiasque literas Meliapurensi Episcopo redditas fuisse, idcirco Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum novum decreti literarumque exemplum Episcopo Claudiopolitano in Cucichensi Provincia Apostolico Vicario die XXIV. iulii anni MDCCXIV. transmitti curavit, ipsique pontificio nomine mandavit, ut, si forte priores literae deperiissent aliave de causa decreti promulgatio secuta non esset, caveret ipse diligenter, ut posteriores hae saltem Meliapurensi Episcopo iuridice redderentur, eoque debitam pontificiis mandatis obedientiam praestare, aut reluctante, aut differente, idem ipse Claudiopolitanus Episcopus Apostolicae Sedis iudicium, nulla interposita mora, executioni mandaret.

§ 6. Cum tamen Patriarchae Antiocheni Visitatoris et Commissarii Decretum confirmatum quidem fuisset, sed ea addita reservatione: *Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi decreto afferendum habuerit;* haud difficilem se praebuit Clemens XI. audiendis missionariis, qui post decreti confirmationem, aliisque temporibus, Romam venerant, eorumque preces benigne excepit, quibus enixe petebant, ut censurarum, quae in eo decreto continebantur, suspensionem, unaque simul moderationem aut ipsiusmet decreti interpretationem concederet: utque res maturius expediretur, auditis iam non semel missionariis praedictis, nobis in minoribus agentibus, Sanctaeque Universalis Inquisitionis Consultoris munus obeuntibus mandavit, ut ab initio rem totam penitus cognosceremus, atque collectis, quae ex utraque parte afferebantur, rationum momentis, de illa ad Sancti Officii Congregationem plenissime referremus. Hinc productis ex una parte, a decreti impugnatoribus, facti iurisque non exiguae molis voluminibus, proditisque antiquis et recentibus documentis, quibus vetitas decreto observantias superstitione vacare omnique labe carere conabantur ostendere; exhibitisque ex alia, quae decreto favebant, rationibus multiplicibus; plenam inde hausimus causae totius cognitionem, eoque res, quod ad nos attinebat, adducta erat, ut possemus iam de ea exacte referre.

Clemens XI. ad instantiam missionariorum totam rituum causam reassumit,

Eiusque summam et relationem conficí mandat a P. P. D. de Lambertinis nunc Summo Pontifice felic. regnante.

§ 7. Verum Clemente XI. vita functo, eius successor fel. pariter record. Innocentius Papa XIII. huic causae cognoscendae peculiarem cogregationem ex lectissimis conflatam viris non minus integritate quam prudentia doctrinaque praestantibus (quos inter nos etiam, etsi praedictis qualitatibus minime praediti, adscripti fuimus) deputavit. Qui selecti viri saepius, per duos et amplius annos, inter se convenientes, communicatis consiliis, longa rerum indagine et exquisita adhibita diligentia, articulatim rem totam discusserunt, partibus tam voce quam scripto iterum et saepius auditis. Cum autem eo res pervenisset, Innocentio XIII. e vivis sublato, ad Petri Cathedram evectus est san. mem. Benedictus Papa XIII., qui eorum omnium, quae in hac causa gesta fuerant, certior apprime factus, nec minori flagrans desiderio eam ad optatum finem perducendi, supradictam congregationem pro eiusdem causae recto expeditoque cursu ab Innocentio decessore institutam confirmavit, atque incoeptum examen prosequi iussit; eaque multo post examini finem imposuit.

Innoc. XIII. deputat congregat. particularem.

Cuius deputatio a Benedicto XIII. confirmatur.

Eaque examini finem imponit.

§ 8. His ita peractis, idem praelaudatus Pontifex Benedictus XIII., causa ad se avocata, apostolicas literas in forma Brevis, anno MDCCXXVII. exeunte, ad universos Episcopos et missionarios Regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis dedit, quibus praedicti Caroli Thomae Cardinalis Turnoni decretum confirmavit, observandumque praecepit. Literae sunt huiusmodi, videlicet:

Resolutio capta a Ben XIII.

Venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis, Episcopis et apostolicis missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

Eius epist. in forma brevis ad Ep. et Mission. dict. regnorum data die XII. dec. MDCCXXVII.

Benedictus Papa XIII.

Venerabiles fratres, ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« Ad aures nostras pervenit, vocationem gentium ecclesiaeque incrementa, propter subortas inter operarios evangelicae messis controversias, magnis isthic difficultatibus laborare. Quae quidem eo graviorem nobis dolorem attulerunt, quo remedia salubriter alias adhibita diutius a nonnullis repudiari intelleximus. Iam enim per bon. mem. Carolum Thomam Patriarcham tunc Antiochenum, cum potestate Legati de latere Apostolicum Visitatorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem, pleraque ad gliscentes lites componendas explicandasque difficultates sapienter praescripta fuerant, decreto condito Pudicherii in sacra Visitatione Apostolica die XXIII. mensis iunii anni MDCCIV. die vero octava iulii eiusdem anni promulgato. Partibus autem nondum acquiescentibus, de mente fel. record. Clementis XI. praedecessoris nostri diversa opinantibus et evulgantibus, idem praedecessor noster datis ad venerabilem fratrem Episcopum Meliapurensem literis die XVII. mensis septembris anni MDCCXII. suam de servandis decretis mentem opportune declaravit. Ut igitur nostrae quoque solicitudinis partes ad controversias avertendas, et salutem gentium concordibus studiis facilius a vobis procurandam adhibeamus; praesertim ne quis ex silentio nostro detractum aliquid esse suspicetur mandatis, et declarationibus antedictis; laudati antecessoris nostri vestigii inhaerentes, decreta eiusdem Patriarchae Antiocheni nostra etiam auctoritate confirmamus, eorumque obedientiam et observantiam similiter mandamus et requirimus. Decretum quoque de sacramentis administrandis moribundis hominibus infimae conditionis, quos *Pareas* appellant, ulteriori dilationi remota, pariter servari et impleri praecipimus. Vestrum autem erit, ut mandata per antecessorem nostrum et per nos ipsos apostolica auctoritate, tenore praesentium, in omnibus confirmata, impigre et obsequenter facientes, opus Dei, quod tanta cum animi alacritate suscepistis, rite, unanimiter, studioseque perficiatis. Ac vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Refert decretum Cardinalis de Tournon, et confirmationem Clementis Papae XI.

Eaque de novo confirmat.

Decretum quoque circa *Pareas* confirmat, et observari iubet.

« Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XII. decemb. MDCCXXVII. pontificatus nostri anno IV. »

§ 9. Tantum vero abfuit, ut qui pro ritibus eo decreto damnatis pugnabant, huic novae eiusdem decreti confirmationi acquiescerent, quin potius anno MDCCXXXII. praedecessori nostro Clementi Papae XII. in Benedicti locum subrogato declaraverint, se nihil de nova confirmatione audivisse, neque aliquid, quod ad eam spectaret, Episcopis et missionariis Indiarum fuisse legitime denuntiatum, ideoque enixis precibus ab eo postulaverint, ut, non obstante Benedicti XIII. dispositione, dignaretur hanc eamdem causam denuo sancti Officii Congregationis examini et cognitioni subiicere; et quamquam, aliis earum partium missionariis causam finitam esse et in rem iudicatam abiisse reputantibus, seu excipientibus, non deessent, qui postulatis haud annuendum esse crederent, iisque adversarentur, attamen idem Pontifex Clemens XII., supremum tandem acerrimis perniciosisque dissidiis finem fieri peroptans, supradictorum preces admittendas existimavit, declaravitque in causa posse procedi. Quare totius materiae instaurata disceptatione, per duos fere annos continuata, documentis certis et necessariis ex utraque parte productis, factaque praesertim decreti impugnatoribus amplissima facultate afferendi quidquid in controversum quemque articulum deducendum allegandumque e re sua iudicarent; post plures congregationes habitas in conventu Sanctae Mariae supra Minervam a S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis, ii tandem, quid ipsorum iudicio in controversis articulis aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum esset, aperuerunt; eorumque resolutiones probavit, confirmavitque praelaudatus Clemens Papa XII., illasque inferendas decrevit apostolicis literis in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus et Carnatensibus Episcopis, ac missionariis, apostolica auctoritate mandavit, iniunxitque, ut lata abs se decreta tum religiose ipsi observarent, tum ab aliis omnibus summa fide ac diligentia observari curarent. Literae in forma Brevis sunt sequentis tenoris:

Supplicatur Clem. XII. pro revisione causae in congregat. S. Officii.

Eaque conceditur, et a praedicta congreg. partibus auditis, perficitur.

Clemens XII. confirmat resolutiones a congregat. captas.

Venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis, Episcopis et apostolicis missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

Tenor litterarum pro huiusmodi confirmatione editarum die XXIV. augusti MDCCXXXIV.

Clemens Papa XII.

Venerabiles fratres, ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« Compertum, exploratumque vobis esse non ambigimus, etc. (1).

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. augusti MDCCXXXIV., pontif. nostri anno V. »

Partes acquiescunt. Relatum breve publicatur, et a missionariis subscribitur.

§ 10. Post diutinam accuratamque factorum atque rationum in utramque partem disceptationem, post tam solemne denique causae iudicium, in magnam spem venerat Apostolica Sedes, non secus ac Romae litigiis finis erat impositus, ita et in Indiis tandem aliquando a discordiis abusibusque cessatum iri; cum praesertim ii, qui decretum impugnaverant, sive illius aequitate cognita, seu moderationibus, declarationibus et relaxationibus iam impetratis satis sibi factum existimantes, non solum aequo animo illud recepissent, sed fidem quoque suam obligassent, se omnino operam daturos, ut quaecumque in literis apostolicis essent praescripta, integre executioni mandarentur. Huc accedebat, quod Apostolicae Sedi non fama solum, sed certis gravissimisque testimoniis allatum erat, publicatas iam fuisse pontificias literas et subscriptas ab omnibus missionariis, et mutuum inter partes perfectae communionis atque concordiae vinculum redintegratum, quod multis annis, non sine ingenti missionum damno, inter illas fuerat interruptum.

Sed non ab omnibus observantur.

§ 11. At tam felicibus initiis conceptum gaudium statim evanuit; tristissimus siquidem nuntius quam citissime Sedi Apostolicae allatus est, missionarios scilicet, qui Cardinalis Turnonii decretum impugnaverant, non obstantibus Clementis XII. literis apostolicis solemni formula ab iis acceptatis publicatisque, damnatos tamen ritus ac ceremonias iuxta earumdem literarum praescriptum minime aboleri posse causantes, tantum sibi licentiae sumere, ut eos easque adhuc usu permittere et retinere non dubitarent. Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fama increbesceret, praefatus Clemens Papa XII., ut debitum pontificiis mandatis obsequium et observantiam vindicaret, certamque redderet in posterum eorum, quae in praedictis pontificiis literis mandabantur, executionem, alteris in simili forma Brevis datis die XIII. maii anni MDCCXXXIX. apostolicis literis, earum regionum Episcopis et missionariis praeceptum iteravit, gravioribus etiam poenis impositis, ut nedum exactissime servarent, quae in suis praemissis literis mandabantur, sublata cuilibet secus interpretandi facultate, verum ad id illico se adstringerent solemni iureiurando interposito, iuxta formulas respective eisdem praescriptas. Literae in forma Brevis sunt sequentis tenoris:

Dispositio Clement. XII.

Altera eiusdem epistola in forma brevis ad Episcopos et Mission. data die XIII. maii MDCCXXXIX.

Venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis, Episcopis et apostolicis missionariis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

Clemens Papa XII.

Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

« Concredita nobis dominici Gregis cura continuo nos urget, etc. (2).

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX. »

Idem Clemens XII. ad Episcopos peculiariter scribit sub eadem data.

§ 12. Hasce Clementis XII. literas aliae subsecutae sunt praenominatis earum Regionum Episcopis peculiariter inscriptae, quibus idem Pontifex et conceptum animo intimum dolorem ob nondum sibi delatam certam exoptatamque notitiam de praestita apostolicis mandatis debita observantia, gravibus verbis patefecit, et eorumdem Episcoporum zelum ac religionem excitare curavit, ut ipsi exemplo ac diligentia sua praeeuntes, caeterorum obedientiam solicite promoverent. Harum literarum huiusmodi exemplum est:

Tenor epistolae in simili forma brevis.

Venerabilibus fratribus, Episcopis in Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi,

Clemens PP. XII.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

« Continere labia nostra non possumus, quin vos, etc. (3).

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. maii MDCCXXXIX., pontificatus nostri anno IX. »

(1) Reliqua vide vol. II., pag. 448.
(2) Reliqua vide vol. II., pag. 501.
(3) Reliqua vide vol. II., pag. 503.

Superiores generales missionariorum onerat de praemissarum literarum transmissione, publicatione et implemento.

§ 13. Neque vero his, quamvis adeo enucleate praescriptis, plane contentus idem Clemens Papa XI., superiores quoque generales missionariorum in Orientalibus Indiis degentium (eorum praesertim, qui, ut Apostolicae Sedi relatum erat, detrectabant adhuc obsequentis animi erga eiusdem Sedis mandata) certa argumenta exhibere, adstrinxit, eosque sub poenis suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passivae, aliisque gravioribus arbitrio suo reservatis, Apostolicae etiam Sedis indignationis, formali praecepto, eoque iuridice indicto, adegit ad transmittenda suis respective religiosis exempla apostolicarum literarum a se tunc editarum, atque ad earum publicationem, et exactam, integram, inviolabilemque observantiam pro viribus praecipiendam; ea lege addita, ut, si aliquis esset e missionariis, qui mandatis reluctaretur aut contra facere auderet, solemni statim praecepto per superiorem generalem cogeretur, relictis missionibus, e provincia decedere, atque in Europam reverti. Et ne in re adeo gravi intentatum aliquod remedium relinqueretur, terminum annorum trium constituit, intra quem superiores generales praedicti tenerentur certis authenticisque documentis Sedis Apostolicae plenam atque integram decretorum literarumque observantiam indubitate probare, atque praesertim exempla iurisiurandi, ut praefertur, praestandi, propria uniuscuiusque missionarii manu, cuiuscumque fuerit instituti, subscripta exhibere.

Ac de iuramenti praestiti exemplis infra triennium Sanctae Sedi repraesentandis.

Episcopi et Missionarii obtemperant, et iuramenta subscripta exhibentur SS. Domino Nostro.

§ 14. His ita constitutis, atque mandatis obtemperantes omnes episcopi et missionarii apostolici Regnorum Madurensis, Maysurensis et Carnatensis, nominatimque, qui pridem contra Cardinalis Tournonii decretum steterant, fide data, sacramentoque interposito, exactam, integram, absolutam, inviolabilem observantiam literarum, quarum superius exemplum insertum est, quodque incipit, *Compertum exploratumque,* promiserunt, secundum formulas aliis in literis pontificiis expressas, quae pariter enunciatae iam sunt, quaeque incipiunt, *Concredita nobis Dominici Gregis.* Utque suum nobis ad pontificatus apicem evectis, Sanctaeque Sedi fidele obsequium et submissionem certo probarent argumento, ad manus nostras exempla reddi curarunt solemnis iurisiurandi, quod singuli praestiterunt.

Qui reliqua adhuc dubia cum consilio congregat. S. Officii, definire statuit.

§ 15. Hunc igitur fructum ex prudenti constantique, quam hactenus recensuimus, praedecessorum nostrorum agendi ratione nobis colligere datum est; neque iam temere videmur hanc animo spem concepisse, ut quaecumque dubia super executione eorum, quae ab iisdem praedecessoribus praescripta memoravimus, adhuc reliqua sunt, resolutis, ut infra, propositis quaestionibus, penitus submoveantur; omnesque demum inter sacros istarum regionum operarios dissensiones et controversiae compositae conticescant; atque apostolica mandata et decreta, quae, gravi praemissa ponderatione, ac de consilio venerabilium fratrum nostrorum in tota Republica Christiana in negotiis Fidei Generalium Inquisitorum specialiter deputatorum, aliorumque virorum pietate ac doctrina praestantium, harum serie edituri sumus, pari obedientiae alacritate ab omnibus istarum partium missionariis excipiantur, ac debitae executioni demandentur.

Missionariorum postulata.

§ 16. Nonnulli siquidem, postquam literis professi sunt servatas ab se fuisse apostolicas literas *compertum exploratumque,* seque accusatos idcirco perperam fuisse tamquam refractarios; affirmantes nihilominus, in maximas atque extremas animi angustias se esse coniectos, ob iurisiurandi religionem, ob excommunicationis periculum, aliasque gravissimas poenas, quibus inobedientes legive repugnantes inevitabili nexu obligati sunt atque obnoxii; communi illorum omnium nomine, qui in pari muneris et periculi societate versantur, ad sublevandas suas, ut aiunt, oneratas trepidantesque conscientias, atque ad plurimorum christianorum salutem, qui recenter conversi persecutionum procellis assidue conflictantur, in tuto collocandam, tria a nobis flagitarunt.

I. Super tollendis censuris et iuramento.

§ 17. Primum illud est, ut onere sublevéntur (quod quidem onus gravissimum, intolerandumque appellant) tot iuramentorum, censurarumque, quibus inextricabilibus veluti laqueis eorum conscientiae vinciuntur, quibusque fit, ut propriae admittendae salutis periculo expositi, de aliena procuranda cogitationem prope omnem deponere cogantur.

II. Ut prorogetur dispensatio super omissione Sacramentalium in baptismo conferendo.

§ 18. Alterum, ut dispensatio alias concessa super insufflationum atque salivae ritu, in Sacramento Baptismatis ministrando, prorogetur, eo vel maxime, quod non tali lege sit huiusmodi ritus inductus, in quo dispensatio locum habere non possit; imo, ut ea concedatur necessarium esse aiunt, ad conservandam propagandamque

disseminatam iam ac diffusam fidem in vastissimis illis regionibus, quarum Incolae ingenito veluti horrore, seu potius inveterato et communi praeiudicio, ita salivam aversantur, ut de eo evellendo prope iam sit ab eis desperatum.

III. Ut detur explicatio articuli de assistentia *Pareis* praebenda.

§ 19. Tertium, ut aperta, atque plana tradatur interpretatio praecepti a Cardinali Tournonio missionariis gravissime iniuncti, atque ab Apostolica Sede confirmati, eisque inculcati, ut abiectissimum hominum genus, vulgo *Pareas,* minime deserant, sed cum domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos invisant, eisque, cum opus fuerit, sacramenta ministrent, omnibusque erga eos charitatis atque pietatis officiis defungantur. Nam, sine aliqua praefati decreti declaratione, perniciem eis, qui Christianae Religioni nomen dederunt, imminere prorsus arbitrantur, gentiliumque ad fidem conversionem impossibilem penitus evasuram. Itaque eorumdem *parearum* saluti providendum esse censentur, non adigendo sacros operarios ad ingrediendum eorum domos, quod certe, ut asserunt, exitio missionibus foret, sed alia ratione; atque ea potissimum, quam ipsi primo induxerunt, quaque usi sunt post apostolicas etiam literas promulgatas, quarum initium *Compertum exploratumque,* obtentu verbalis cuiusdam declarationis, quam ipsis suus missionum procurator significaverat.

Iuxta praetensum vivae vocis oraculum Clementis XII.

Quod tamen oraculum nunquam emanatum declaratur.

§ 20. Rumore itaque ad nos allato de huiusmodi vocali declaratione, quae Clementi Papae XII. praedecessori nostro tribuebatur et cuius etiam exemplum monumentumque in actis et tabulario sanctae Inquisitionis relatum fuisse atque reconditum ferebatur, exemplum monumentumve huiusmodi diligentissime exquiri mandavimus. Cumque illud nusquam inventum sit, longa licet atque exactissima indagine investigatum; cum etiam administri, quorum custodiae mandandum fuerat, ea de re per Nosmetipsos interrogati, nihil huiusmodi a se visum, nihil auditum fuisse, et numquam ad se pervenisse praedictam declarationem, proptereaque et in actis et in archivo desiderari, constanter et indubitate affirmaverint; cum denique ipsius nostri praedecessoris ea de re mentem atque sententiam, in apostolicis eius literis supra relatis luce ipsa clarius expressam exploratamque haberemus; totum hoc gravissimum et inveteratum negotium, cum approbatione et consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, ut supra, deputatorum, tandem diiudicare ac definire deliberavimus. Auditisque propterea tum eorumdem venerabilium fratrum nostrorum, tum etiam consultorum sententiis, ac rursus ad trutinam revocatis et coram nobis multum diuque perpensis atque discussis moderationibus illis, quas postularunt a nobis illi, qui duram atque difficilem decretorum toties enunciatorum integram absolutamque observantiam existimarunt, in hunc, qui sequitur, modum, statuimus atque decrevimus.

Et Pontifex, eo non attento, circa relatas.

I. Iuramentum praestari et servari iubet, et censuras confirmat.

§ 21. Ac primo quidem, animadvertentes impositam iurisiurandi legem esse veluti saluberrimum antidotum extinguendo gliscentium litium discordiarumque veneno, aptissimumque ad cohibendam licentiam libertatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi et periculosa, fraenum existere; censuras quoque a praedicto Clemente XII. praedecessore nostro in enunciatis literis, incipientibus *Concredita nobis* constitutas, ad solos dumtaxat pertinere apostolicae legis praeceptorumque violatores, easdemque in huiusmodi tantum refractarios, quorum animos neque ecclesiasticae mansuetudinis officio, neque paternae admonitionis caritas vincere, aut inflectere ullo modo possent, iustissimam poenam esse et fore reputantes; non solum inopportunum censuimus, iusiurandum aliqua in parte remittere, aut moderari censuras, quod primo fuit ab illis propositum; verum etiam, de praedicto consilio et assensu, ac de plenitudine potestatis a Deo nobis concreditae, illud illasque probamus, confirmamus et innovamus, illudque et illas omne robur et firmamentum, omnemque vim et efficaciam in posterum semper habere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari decernimus et iubemus.

II. Quaeritur dictum non esse de observantia decreti Clementis XII. circa sacramentalia in baptismo adhibenda.

§ 22. Quod autem attinet ad secundam postulationem, de proroganda supradicta dispensatione, quam praedecessor noster in decennium concessit, ut scilicet per id temporis in Sacramento Baptismatis conferendo, salivae usu abstinere et sacras insufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indistincte, sed ubi gravis aliqua et certa necessitas postularet, ut luculentius in eiusdem literis apostolicis, quarum initium *Compertum, ex-*

ploratumque expressum est; nos declarare satis non possumus, quam aegre feramus, quod nullis adhuc certis indiciis aut argumentis cognoscere potuerimus, utrum missionarii per id decennii tempus, quod iam elapsum esse dignoscitur ad apostolicarum literarum praescriptum, in eo pro viribus elaboraverint, atque ea, qua par erat, fide ac diligentia, omne suum studium operamque adhibuerint, ut vanus ille horror et parum aequa aversatio praedictorum sacramentalium, quae gentium illarum animis insidere fertur, sensim emendata, demum ab iisdem penitus deponeretur. Nemo quippe ignorat, sacrametalium, de quibus agitur, usum, sive institutionis antiquitas, ex qua ritus illi in ecclesiam derivati sunt, sive multiplex mysteriorum significatio, quae in illis continetur, sive demum Romanae Ecclesiae omnium magistrae spectetur auctoritas, quae eosdem in suis ritualibus receptos inviolabiliter observari praecepit, iure ac merito venerandum esse, praecipuoque semper in honore habendum, et consequenter incapacem prorsus recipiendae baptismatis gratiae eum esse, qui falso sibi persuaserit, insufflationes atque salivam aptam haud esse materiam sacramentalium caeremoniarum, gravissimique piaculi expertem non futurum, qui sic opinanti conferre illud auderet.

Horum dignitatem et virtutem commendat

Super quibus ... est cathe... erra...

§ 23. Et quamquam exploratum esset, gentes illas hoc pravo errore minime detineri, sed ob id tantum a praedictorum sacramentalium usu abhorrere, quod ingenita quadam, ut ferunt, aversione salivam anhelitumque abominentur, non minori tamen industria sacris ministris adnitendum est, ut ex eorum animis perperam conceptum horrorem ineptamque aversionem eliminent atque ablegent: aliter timendum merito esset, ne illarum regionum neophiti, confirmata in ipsorum mentibus huiusmodi abominatione, eo usque desipiant, ut eamdem etiam transferant ad miracula, quae per salivam Christus Redemptor noster edidit; ipsumque propterea miraculorum et salutis nostrae auctorem, quo nihil profecto magis impium excogitari potest, aversentur. Utque alia praetereamus, illud tandem non diutius est differendum, ut, in Regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi, Baptismi Sacramentum rite sancteque ministretur, iisdem adhibitis sacramentalibus et caeremoniis, quibus Romana utitur Ecclesia, ex qua ad gentes illas fidei lux propagata est; discantque tandem novelli regionum illarum fideles id horrere, quod Deus dignatus est facere.

Concedit prorogationem dispensationis ad aliud decennium a die datae praesentium.

§ 24. Verumtamen, ut memorata sacramentalium praedictorum abominatio suaviter leviterque ex eorum animis divelli possit, neve huiusmodi lex, quae sacramentalium usum praescribit, ad nimiam in specie severitatem exacta, eas adducere calamitates videatur, quae ex illa, tamquam e fonte, in Ecclesias atque missiones dimanaturae denunciantur; nos enarratis de causis dispensationem, quam praedecessor noster in literis iam relatis concessit, iterum concedendam prorogandamque decrevimus in aliud decennium, quod a die datae praesentis nostrae Apostolicae Constitutionis est inchoandum.

Praescribit Episcopis et missionariis quomodo ea uti debeant,

§ 25. Ex quo fas est intelligere, non eam esse aut fuisse nostram et Apostolicae Sedis sententiam, quod scilicet nullus dispensationi locus esse possit in huiusmodi sacrorum rituum et sacramentalium materia, nec ulla dispensandi necessitas aut sufficiens causa unquam valeat allegari. Verum, quum, ex rationibus superius allatis, nullo pacto permitti valeat, venerabiles adeo ritus ac traditum a patribus sancteque ab Ecclesia servatum huiusmodi sacramentalium usum penitus aboleri; vel eorum contemptui, aut erroribus circa eadem inducendis vel iam conceptis amplius confirmandis, occasionem praeberi: idcirco omnibus dictorum regnorum missionariis districte praecipimus, ut hac dispensatione benigne a nobis indulta, nonnisi certis in casibus, et cum gravis id necessitas postulabit, de quo eorum conscientiam oneramus, utantur, nec nisi in praedictis casibus salivae usum in administratione baptismatis possint omittere et occultas adhibere insufflationes; modo ii, qui se baptizandos offerunt, in ea non sint opinione, ut credant salivam atque insufflationes huiusmodi ineptam esse atque indecentem sacramentalis ritus materiam; qui enim adeo falsa atque distorta persuasione imbuti essent, tamquam indigni et incapaces Sacramenti Baptismatis licite suscipiendi, ab eo repellendi essent. Volumus autem, atque omnibus et singulis praedictorum regnorum Episcopis et missionariis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et expresse iubemus, ut et communibus studiis atque consiliis, et singuli pro virili parte, intra praefinitum decennii tempus, omnibus viribus nervisque contendant et, quemadmodum

Et ut Malabares in hac materia perperam opinantes ad baptismum non admittant,

Atque interim eos instruere curent.

fuerat eisdem a sanctae memoriae praedecessore nostro imperatum, non intermissis laboribus assidue curent, ut ex illarum gentium animis errorum tenebrae, malesanaeque opiniones, quibus obcaecantur et miserrime detinentur, penitus discussae ac radicitus evulsae, eliminentur. Ut vero indultum prorogatumque a nobis tempus, sanctissimis Romanae Ecclesiae caeremoniis praedictis, quae tamdiu a Sede Apostolica commendatae atque inculcatae fuerunt, facilius apud nationes illas insinuandis, vere conducat, utque ulterior huiusmodi rituum praetermissio (quam tamen extra verae necessitatis casus, ut supra, nullatenus concessam aut licitam esse, iterum declaramus) alendis populorum erroribus, atque difficultatibus augendis confirmandisque ansam non praebeat; universis gentium illarum Episcopis et missionariis praedictis notum esse volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, aut rationibus, quae porrigi proferrique unquam possent, aliam denuo prorogationem concessum iri.

III. Decretum Card. Tournonii circa *Pareas* iustum et necessarium declarat.

§ 26. Ad tertium denique quod pertinet postulatum, ut nempe apertius atque distinctius declaretur decreti articulus, quo laudatus bonae memoriae Thomas Cardinalis Tournonius sancivit, ut missionarii ad Pareas aegrotantes accedant, ut sacramenta desiderantibus etiam domi administrent, ut denique illis omnia praestent spiritualia subsidia, quae caritas, religio et officii ratio evangelicis operariis, nullo discrimine nulloque respectu, fidelibus universis, adversa praesertim valetudine conflictatis, administranda praescribunt: nemo profecto non videt, quantumvis maximae proponantur difficultates, in quas incurrere missionarii se posse dicunt, si huic praecepto tam iusto, tam sancto parere velint; ferendum tamen nullo modo esse, quod casas humiliorum huiusmodi hominum ex morbo decumbentium subire recusent, atque illos in summo etiam vitae discrimine aut sacramentis omnino carere sinant, aut saltem eorumdem percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem. Nulla etenim apud Deum est personarum acceptio; nec ullum despicere fas est eorum, quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem sibi coniunctos, non confunditur fratres vocare; quin immo *elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, et haeredes regni, quod repromisit diligentibus se.* Quae qui contemnunt, exhonorantes pauperem et fratrem humilem confundentes in humilitate sua, hi porro longe nimis discedunt a doctrina et exemplo Christi Domini Salvatoris nostri, qui nos, non divina tantum voce, sed magnis etiam atque illustribus factis edocuit, quanti apud nos esse debeant, qui pauperes atque abiecti per Mundi insaniam vocantur: *ecce enim,* aiebat S. Gregorius Pontifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad filium Reguli, et tamen venire paratus est ad salutem servi. Certe, si nos cuiuspiam servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet, dicens: Non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit — Ecce de coelo venit, qui servo in terram occurrere non despicit.*

Idque confirmat ex Sacris Scripturis, et Patribus.

Praedecessorum super eo praecepta renovat, et nondum impleta dolet

§ 27. Quare ut gravissimo huic malo remedium afferrent praedecessores nostri Romani Pontifices Gregorius XV., Alexander VII. et Clemens IX. in suis apostolicis literis die XXXI. ianuarii anni MDCXXIII., die XVIII. ianuarii anni MDCLVIII., et die XIII. septembris anni MDCLXIX. respective datis, omni animorum contentione atque zelo obtinere curarunt (quod et nos eorum vestigiis inhaerentes summopere optamus, et, quantum in Domino possumus, districte praecipimus et mandamus), ut nobiles cum plebeis in unam eamdemque ecclesiam convenientes, una simul divini verbi pabulo reficerentur et Ecclesiae sacramenta reciperent, utque missionarii Regnorum provinciarumque Orientalium Indiarum, sui officii memores, ita animo essent comparati atque dispositi, ut, non secus ac nobilibus, abiectis quoque et infimae sortis hominibus, in iis, quae ad spiritualem eorum profectum pertinent, praesto essent, illisque in propriis etiam domibus, etsi humillimis ac sordidis, sacrum Viaticum ministrare minime recusarent. At, quod maxime nos angit, sive ob immodicum illum honorem, quo claro genere nati infimae plebis homines, ut fertur, ita aversantur, ut vel illorum contactu se commaculari, nobilitateque et gradu cadere sibi persuadeant (qui tamen horror cum sit Christi lege damnatus, e Christianorum animis omnino est eliminandus), sive ob patrias leges imperiaque regum idololatrarum, quibus Christiani in iis regionibus subiecti sunt, aliave tandem de causa id evenerit; frustra certe fuerunt praedecessorum nostrorum consilia, paternae exhortationes, praecepta demum, queis usi sunt, ut infimi huius generis hominum conversioni

ac saluti procurandae, quantum optaverant, plene consulerent, atque providerent.

Missionarii Soc. Iesu proponunt Pontifici se aliquos deputaturos ad praecipuam *Parearum* curam.

§ 28. Cum vero et nos, Christi Domini documentis praedecessorumque nostrorum exemplo excitati, anxie cogitaremus, qua ratione illud tandem reipsa consequi possemus, quod eisdem praedecessoribus nostris tantopere cordi fuit: opportune accidit, ut Societatis Iesu missionarii, quorum villicationi regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis missiones potissimum concreditae sunt, postquam declarari a nobis articulum de Pareis postularunt, paratos se nobis obtulerint, pollicitique sint (modo id nos ipsi probaremus) certos aliquos delegare missionarios, qui Pareis convertendis dirigendisque praecipue dant operam. Quod quidem eorum consilium, quo Parearum conversioni et saluti satis bene consultum fore confidimus, paterno gaudio suscipientes, pro temporum circumstantiis probandum commendandumque esse duximus, oblationisque nobis factae, ac religiosi promissi exemplum ab eorum Praeposito Generali subscriptum, in huius Romanae atque universalis Inquisitionis Tabularium referri perpetuoque asservari mandavimus.

Pontifex id probat

Et charitatem erga omnes inculcat ex doctrina Apostoli et ipsius Christi.

§ 29. Praemonemus itaque in primis partium illarum missionarios universos, ut quae apostolici eorum ministerii erga fideles omnes ex divina institutione potissimae partes sunt, minime obliviscantur; ac, serio perpendentes, quod inter eos, qui filii Dei sunt, per fidem quae est in Christo Iesu iuxta doctrinam Apostoli, iam non est servus neque liber, non est masculus neque foemina, sed omnes unum sunt in Christo Iesu (quod ipse quoque Salvator noster a Deo Patre suo postulaverat pro omnibus, qui credituri erant per verbum discipulorum in ipsum, rogans nimirum, ***ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat Mundus, quia tu me misisti***), novos credentes instruant, oportere illos eo mutuae caritatis vinculo inter sese colligari, ex qua veluti tessera et Divini Filii ab aeterno Patre missionem, et Christianae Religionis veritatem facile gentiles agnoscant.

Iubet deputari sufficientem numerum missionariorum, qui *Pareis* assistant

§ 30. Denique vero tot statim pro Pareis missionarios deputari volumus et praecipimus, quot necessarii et re ipsa sufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura singulis in locis exercenda; qui peculiari studio eorumdem domos, ubi aegrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus, ac precibus, sacramentorumque pabulo recreandos, eosque demum in extremo vitae discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniendos, absque personarum aut sexus exceptione. Ubi vero contigerit praefatos missionarios ad Parearum curam praecipue deputatos, aut eorum aliquem e vivis excedere, vel alio abire; alterum, alterius loco, continuo subrogari mandamus; et intra spatium quinquennii a die datae praesentium, certissima atque authentica documenta de mandatorum nostrorum executione Apostolicae Sedi reddi debere praecipimus; quod si intra quinquennii spatium huiusmodi documenta reddita minime fuerint, vel, iis redditis, minime constiterit alios missionarios ad praecipuam illam Parearum curam exercendam subrogatos fuisse in eorum locum, quos vel obiisse, vel alia de causa officio deesse contigerit; tum etiam, si, intra spatium annorum decem, omnes non fuissent adhibitae diligentiae, quae tam a praedecessoribus nostris, quam a nobis ipsis superius praescriptae sunt, ad evincendum expellendumque horrorem, quo gentes earum regionum insufflationes atque salivam in Sacramenti Baptismatis administratione et susceptione aversari dicuntur: de quo tamen minime dubitare nos sinit filialis obedientia, quam ii prae caeteris missionarii in Apostolicam Sedem se profiteri gloriantur; aut denique, si omnes adhibitae diligentiae frustra cessissent (quod secus fore confidimus, dum mentis nostrae oculos ad misericordiarum patrem, totiusque consolationis Deum, cuius agitur causa, convertimus); in quemcumque eventum, ne missiones illas tot virorum laboribus ac sanguine fundatas deseramus, a quo sane longissime absumus, decernimus et mandamus, ut alii missionarii sive saeculares, sive regulares ex alio coetu, vel instituto, in ea regna mittantur; ut experiamur, num Deus, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, in aliorum operariorum villicationem divitias misericordiae suae effundere decreverit, eorumque labore atque industria illos fructus in praefatis regionibus et gentibus producere, quos missionariorum nunc ibi laborantium sudoribus, nulla licet ipsorum culpa vel omissione, consequi non potuerimus.

Et alios aliorum loco subrogari.

Et de huius decreti implemento doceri, intra quinquennium, et de superiori intra decennium.

Alias novos missionarios in ea regna mittendos statuit.

§ 31. Et quamquam confidimus missionarios nunc et pro tempore ibi existentes, pro suo erga Apostolicam Sedem obsequio,

Et supradictos in Europam reverti iubet, sublata eisdem

facultate exercendi missiones.

ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum iussionibus nostris obstaculum aut impedimentum allaturos, si, dum ipsi in iis regionibus commorantur, eo novi missionarii accederent, ibique servarentur; tamen, quoniam apostolici muneris id a nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quae christianae caritati offendiculo esse possent; hinc est, quod Societatis Iesu missionariis, qui in Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi regnis tunc erunt, virtute sanctae obedientiae iubemus atque praecipimus, ut quicumque casus ex supradictis evenerint, quo vel omnia vel aliqua ex his, quae per praesentes literas nostras circa praemissa decrevimus et observari mandavimus, intra praefinitum respective tempus, integre exacteque, ut par est, impleta non fuerint, sive id ex eorum facto, sive ex omissione, sive ex prava et contra literalem earumdem praesentium sensum distorta mentis et voluntatis nostrae interpretatione, sive demum ex qualibet alia causa, etiam de necessitate exprimenda, id contigerit; statim, relictis praedictarum Regionum missionibus, quarum in iis regnis exercendarum, et quocumque titulo, etiam deputatorum ab Episcopis, seu Ordinariis locorum, aut simplicium suae religionis Presbyterorum, seu quolibet alio colore prosequendarum, iure omni, officio, et facultate ex eo tempore in posterum iam nunc eos a nobis privatos et imminutos declaramus, atque ex nunc, prout ex tunc, et e contra, auctoritate apostolica et earumdem praesentium tenore privamus et imminuimus, illico, non expectata alia nostra et Sedis Apostolicae declaratione, iussione, aut sententia, in Europam revertantur, uberiores, ut speramus, in hisce partibus fructus relaturi.

Recensentur alii abusus in iis missionibus, ut fertur, perseverantes.

§ 32. Demum, etsi ii missionarii, qui moderandas censuras, dispensandum super insufflationum et salivae ritu in Sacramento Baptismatis administrando, atque articulum de Pareis declarandum postulaverunt, nil difficultatis praesetulerint circa alia capita decreti praedicti Caroli Thomae Cardinalis Tournonii et apostolicarum literarum Clementis Papae XII., quarum initium *Compertum exploratumque;* ex aliorum nihilominus literis ingenti nostro dolore accepimus, ex Missionariis alios esse, qui, nulla habita interdicti a praefato Cardinali Tournonio lati amplissimeque a praedecessore nostro confirmati ratione, eo usque progrediuntur, ut christianis mulieribus gestare permittant monile collo sus-

Gestatio *Taly*.

pensum, contracti tesseram matrimonii, quod regionis illius lingua *Taly* denominatum, effigiem quamdam habens informem idoli, quod profanis earum Gentium nuptiis praesidere fertur; ipsisque pariter Fidelibus, quo tempore ab illis nuptiae celebrantur, permittant fructum, vulgo *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde auspicia vel fausta vel infausta desumant: mulieribus demum, cum mensibus detinentur, templi accessu et salutari Poenitentiae Sacramento interdicant. Quamobrem nos animo reputantes, quam sit execrandum, mulieres illas, quae sub Crucis vexillo militant, ornatas incedere huiusmodi insignibus, quae aut idololatriam importent, aut de gentilitatis superstitione suspecta sint, prout dubio procul est memoratum *Taly*, necessario proinde damnatum; quamque christifideles dedecet, ritus caeremoniasque sequi, vel imitari, ethnicam superstitionem redolentes, qua certe non vacat illa nuptiarum tempore in praedictis regionibus usitata praefati *Cocco* diffractio, quae idcirco iure et merito pariter reprobata dignoscitur; quam denique iustum sit, mensium tempore minime arcere templis et salutari Poenitentiae Sacramento fideles mulieres, quas laudabili praxi admittit Ecclesia, Redemptoris vestigiis insistens, qui sanguinis fluxu laborantem non abiecit: ***Si enim,*** ut olim scripsit laudatus S. Gregorius Magnus, ***in sanguinis fluxu posita laudabiliter potuit Domini vestimenta tangere, cur quae menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini Ecclesiam intrare?***

Fractio *Cocco*.

Denegatio ingressus Ecclesiae mulieribus menstruatis.

Iique damnantur.

Et iniungitur observantia et executio decretorum S. Sedis, quae in omnibus confirmantur.

§ 33. Haec inquam reputantes, ac relatis et minime ferendis abusibus pro apostolici muneris ratione remedium adhibere quam maxime cupientes, mandamus, et virtute sanctae obedientiae, tenore praesentis nostrae Constitutionis perpetuae legis vim habiturae, iubemus atque districte praecipimus universis Episcopis, atque omnibus et singulis tam saecularibus, quam regularibus ex quocumque sint Ordine, Congregatione, Instituto, nominatimque ex Societate etiam Iesu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi existentibus apostolicis missionariis, ut omnia et singula, quae in supra insertis Clementis Papae XII. literis, quarum initium *Compertum exploratumque,* quas etiam auctoritate nostra, quatenus opus sit, in omnibus et per omnia approbamus, confirmamus et innovamus, con-

tenta sunt, tam quae supradicta capita respiciunt, quam alia quaecumque per easdem literas praescripta et definita, ad eorum normam, quae idem praedecessor noster alteris pariter superius insertis apostolicis literis, incipientibus *Concredita nobis*, constituit et sanxit, non solum ipsi pro virili parte integre, exacte, absolute, inviolabiliter, perpetuoque observent atque adimpleant, verum etiam, quantum in ipsis est, ut ab universis fidelibus, qui eorum curae sunt concrediti, exacte serventur et impleantur, omni studio ac viribus curent atque contendant.

Adhortatio Pontificis ad Episcopos et missionarios.

§ 34. Denique eosdem Episcopos et missionarios omnes rogamus et obsecramus per Dominum Iesum Christum et per caritatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud sapientes, praeter id, quod a nobis et a praedecessoribus nostris constitutum fuit, salutare Dei, quod per eorum ministerium regionum istarum gentibus missum est, pari zelo ac puritate propagare non intermittant; omnique studio dent operam, ut nedum in novellis christifidelibus veteris hominis vestigia penitus expungantur, deleanturque, verum etiam quaecumque vel symbola, vel imagines, aut figurae, atque omnis demum species mala, ipsaque veluti umbra et odor ethnicae superstitionis ab ipsis eliminentur, illud cogitantes, eiusmodi caeremoniis vanisque observationibus, quae Idololatriae reliquiae sunt, earum gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetustos ali confirmarique errores, quibus misere detinebantur. Quod si aliquos regionum illarum fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, paganorum contemptus, contumelias, aut persecutiones, propter Ecclesiae praeceptorum et rituum observantiam, formidare conspexerint; illud ipsis illustre monitum, quod Sanctus Augustinus Ecclesiae Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non desistant: *Si quaeritis, unde vincantur pagani, unde illuminentur;* quodque ad ipsos Evangelii praecones praecipue dictum esse dignoscitur: *Si quaeritis unde ad vitam vocentur; deserite solemnitates eorum, deserite nugas ipsorum.*

Clausulae effectus pro omnimoda praesentium executione.

§ 35. Volumus autem, atque decernimus, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod praedicti missionarii, eorumque procuratores et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, seu alias specifica mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac inexcogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, quibuscumque iuris seu facti defectibus, qui adversus illas, etiam quorumvis a Sede praefata concessorum privilegiorum praetextu, ad effectum impediendi seu retardandi earum executionem, quovis modo seu quavis ex causa opponi seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, easque propterea, omnibus et singulis quomodolibet allatis seu afferendis impedimentis penitus et omnino reiectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse servari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et praefatae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Aliter iudicari et intepretari prohibetur, cum decreto irritante.

Contrariis quibuscumque derogatur.

§ 36. Non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus con-

stitutionibus et ordinationibus; necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, Institutorum et Societatum, etiam Iesu, et quarumvis ecclesiarum, et aliis quibuslibet, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, ac praescriptionibus quarumcumque longissimis, et immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, Ordinibus, Congregationibus, Institutis et Societatibus, etiam Iesu, ac ecclesiis, aliisque quibuslibet personis, etiam quantumvis sublimibus et specialissima mentione dignis, a Sede praedicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam imperiali, regali, aliave qualibet mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentium instantiam, aut earum contemplatione, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, quantiscumque vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis.

§ 37. Quia vero difficile foret, literas huiusmodi originales ubique ostendi et publicari, volumus pariter et decernimus, illarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quae habetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Tenor praesentium intimetur superioribus missionariorum, qui earum executionem promittant et a subditis exigant.

§ 38. Insuper volumus et expresse mandamus; ut eaedem praesentes literae, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur et intimentur omnibus et singulis memoratorum missionariorum, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti et Societatis, etiam Iesu, superioribus generalibus et procuratoribus generalibus, ad hoc ut, tam suo, quam praedictorum eis respective subditorum seu inferiorum nomine, ipsas literas fideliter exequi et observare spondeant, actumque sponsionis huiusmodi in scriptis reddant; earum vero exempla praedicta, praeter ea quae a Congregatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ad Episcopos praedictorum regnorum, legitime publicanda, de mandato pariter nostro, transmittentur, iidem superiores aut procuratores generales pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos subditos, seu inferiores, in regnis supradictis degentes, cum arctissimis praeceptis, easdem literas, et in eis contenta quaecumque plenarie et integre, ac vere, realiter et cum effectu in omnibus et per omnia similiter exequendi et observandi.

Earumque exempla ad illos transmittant cum opportunis praeceptis.

Ipsaeque praesentes semel publicatae omnes afficiant.

§ 39. Et nihilominus, quocumque modo earumdem praesentium exempla in praedictis regnis legitime publicata fuerint et promulgata, volumus, ut, statim post huiusmodi publicationem, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Sanctio poenalis.

§ 40. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, praeceptorum, mandati, statuti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIV., pridie idus septembris, pontificatus nostri anno V.

LV.

Constitutionem Gregorii XV Inscrutabili *de exemptorum privilegiis circa animarum curam confirmat; statuit quae*

sint ea in quibus parochi regulares subiiciantur iurisdictioni et visitationi Episcopi dioecesani, etc. (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Pontificum mos inhaerendi praedecessorum constitutionibus et Congregat. decretis.

Firmandis atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti praedecessores nostri Romani Pontifices consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adiicere, easque Apostolicas Constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt, vel antiqua patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium Romanae Curiae Tribunalium sive congregationum iudicata et responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videtur. Utque antiquiora omit-

(1) Ex Tabul. C. de P. F. Constitutioni Ben. XIV. adhaerens S. Congr. de P. F. etiam in locis missionum subiectionem parochorum regularium Episcopis aliisve Ordinariis decrevit, etsi non semper illos horum examini subiecerit, praesertim si ab eâdem S. Cong. approbati fuissent.

Referimus constitut. Greg. XV. et declarationes S. Cong. Concilii ab ipso Gregorio et Urbano VIII. adprobatas, circa dubia exorta super Gregorii constitutione, de quibus Ben. XIV. loquitur.

Constitut. Gregorii XV. de exemptorum privilegiis circa animarum curam, et sacramentorum administrationem, sanctimonialium monasteria et praedicationem verbi Dei.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Causa huius constitutionis.

Inscrutabili Dei providentiâ universalis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidentes, pastoralis nostrae sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam praecipue incumbere, ut a dignis et probatis tantum sacerdotibus sancte administrentur ecclesiastica sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum monasteria diligentissime custodiantur, et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum.

Concilii Trident. sess. XXIII., cap. XV. circa confessorum idoneitatem et approbationem disponit.

§ 1. Sane Tridentinae Synodi decretis provide cautum est, nullum presbyterum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat.

Et sess. XXV., cap. XI. et V. circa sanctimoniales statuit.

§ 2. Necnon, ut in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familiâ, personae, tam regulares quam saeculares, eiusmodi curam exercentes, subsint immediate, in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi sunt sita. Itemque, ut Episcopi universi, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, in omnibus monasteriis sibi subiectis, ordinariâ, in aliis vero, Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et, ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postpositâ, compescentes.

Et sess. XXIV., cap. IV. circa praedicatores verbi Dei.

§ 3. Atque, ut regulares in ecclesiis suorum Ordinum praedicare volentes, se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur; in ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine Episcopi licentiâ; contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum Ordinum ecclesiis, praedicare praesumant.

Hic autem Pontifex super huiusmodi decretis nonnulla adiunxit quo ad exemptum privilegium circa animarum curam et sacramentorum administrationem.

§ 4. Verum, quia experientiâ compertum est ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis eiusmodi aliquid adiungatur, maturâ deliberatione nostrâ, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valiturâ constitutione decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti (sive animarum curam personarum saecularium monasteriis seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis, sive regularibus sive saecularibus, incumbentem exerceant; sive aliàs ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praeviâ Episcopi licentiâ et approbatione; sive quoquomodo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem sacramentorum vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ullâ auctoritate, se ingerant), in his quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur. Ad haec tam regulares quam saeculares huiusmodi nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium, etiam regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter, tamquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant.

Et quoad confessores.

§ 5. Confessores vero, sive regulares sive saeculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad eadem (*) monasteria sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subiectarum, pertinentia, sive regulares extiterint sive seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant. Liceatque Episcopo ex rationabili causâ superiores regulares admonere, ut eiusmodi confessores atque administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem praedictos con-

(*) *Edit. Main. legit* eiusdem.

tamus exempla, non alia sane ratione fel. rec. praedecessor noster Clemens Papa X. per suam Constitutionem, quae incipit *Superna*, datam XI. kalendis iunii anno MDCLXX., inhaerendo pluribus resolutionibus Congregationum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus erga Episcopos locorum ordinarios observantiam et subiectionem; tam in petenda eorum licentia et benedictione pro Verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective ordinum habenda, quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus poenitentiae sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae praedecessor noster Innocentius PP. XII. quum,

Clementis X. exemplum.

Item Innocentii XII.

---

fessores et administratores amovendi quoties et quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unâ cum superioribus regularibus, quarumcumque abbatissarum, priorissarum, praefectarum vel praepositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus, per se vel per alium, interesse ac praesidere, absque ullâ tamen ipsorum monasteriorum impensâ.

Et etiam quoad praedicatores.

§ 6. Ac demum habeat Episcopus, tamquam dictae Sedis delegatus, auctoritatem coërcendi ac puniendi quoscumque exemptos, tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentiâ, et in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas, in praemissis omnibus et singulis aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, uti eiusdem Sedis delegati, procedere, omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant.

Et ita nec aliter iudicari posse decernit.

§ 7. Decernentes, sic per quoscumque iudices, quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii auditores, nec non sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales (sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate) iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariis omnibus plene derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cuiusvis alterius instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi, monasteriorum, conventuum, capitulorum, ecclesiarum et aliorum quorumcumque, tam saecularium quam regularium, locorum, nec non illorum (etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis) statutis vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ et titulo oneroso vel in limite fundationis concessis, etiam mari magno seu bulla aureâ, aut aliâs nuncupatis; conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur; et quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliâs quomodolibet, etiam per viam communicationis seu extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis; etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea quae eisdem praesentibus adversantur, illis aliâs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem Romae factam omnes ligare statuit.

§ 9. Ceterum, quia difficile foret, praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, ut eae tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, atque cancellariae apostolicae, et in acie campi Florae publicari et inibi affigi, et per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui.

Transumptis credi iubet.

§ 10. Ac volumus, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctionem poenalem subiicit.

§ 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII., nonis februarii, pontificatus nostri anno II.

Subsequuntur hîc aliquot dubia super istâ Constitutione exorta; quorum resolutiones mox subiicientur.

Positâ Constitutione Gregorii Papae XV. de exemptorum privilegiis etc., dubitatur:

I. An liceat Episcopis visitare altaria regularium ecclesiarum, quibus curam animarum personarum saecularium non incumbit, aut loca ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi audiuntur confessiones personarum saecularium?

II. An Episcopi possint regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliâs illorum privilegia restringere ac moderari in sacramentis administrandis?

III. An facultas Episcopis per constitutionem attributa in exemptos, tam saeculares quam regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius dioecesis?

IV. An eadem facultas competat inferioribus praelatis proprium territorium ac iurisdictionem quasi episcopale habentibus?

V. An per eamdem Constitutionem in illis verbis, *possit Episcopus unâ cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum* etc., *electionibus, per se vel per alium, interesse ac praesidere,* ius abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeatur?

VI. An confessores monialium, ante editam con-

ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae, certas sacrarum ordinationum regulas et singulorum Episcoporum iura in proprios subditos praefinivit, lata Const., quae incipit: *Speculatores,* sub datum pridie nonas novembris anni MDCXCIV.

Idipsum Pontifex a se pluries servatum memorat.

§ 1. Hanc ipsam rationem nos ipsi secuti sumus in apostolicis nostris literis, quarum initium est: *Sacramentum Poenitentiae,* anno MDCCXLI. kalendis Iunii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia solicitantes, iuxta declarationes in causis huius generis, diversis temporibus et casibus prolatas a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum. Idipsum nuperri-

stitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari et approbari?

VII. An superiores regulares, similiter ante ipsius constitutionis publicationem electi seu deputati, aliâ indigeant Episcopi approbatione pro confessionibus sanctimonialium sibi subiectarum audiendis?

VIII. An confessiones, quas audiunt superiores regulares electi seu deputati vel confirmati post publicationem et scientiam tenoris dictae bullae, non obtentâ Episcopi approbatione, sint nullae atque irritae, necne?

IX. An regulares, generaliter ab Episcopo approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum?

X. An regularis ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab Episcopo approbatus, confessiones monialium álterius monasterii audire possit?

XI. An confessores regulares extraordinarii semel ab Episcopo deputati et approbati ad audiendas monialium confessiones pro unâ vice infra annum ad praescriptum sacri Concilii Tridentini, possint. virtute dictae approbationis, pluries, tamquam confessores extraordinarii, earumdem confessiones audire, absque novâ Episcopi licentiâ?

XII. Cum in eâdem constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causâ superiores regulares admonere, ut amoveant confessores monialium, atque administratores bonorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi, quoties et quando opus esse iudicaverit; an eiusmodi causam Episcopus superioribus regularibus significare teneatur?

XIII. An eadem constitutio, qua parte supponit Episcopi iurisdictioni regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorumdem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an vero solum in notoriis et cum scandalo populi?

Subsequuntur declarationes ad supradicta dubia a congregatione Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum datae, et a Gregorio XV. ac postmodum ab Urbano VIII. respective approbatae.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, constitutionem sanctae memoriae Gregorii XV. de exemptorum privilegiis nequaquam subiicere regulares exemptos, quibus cura animarum personarum saecularium non incumbit, Episcoporum iurisdictioni in his quae sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis saecularibus administrandis iidem regulares delinquunt, ac propterea:

Ad I. dubium respondit: Episcopis non licere in vim eiusdem constitutionis visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum saecularium, nec loca ubi in iisdem ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, vel ubi confessiones personarum saecularium audiuntur.

Ad II. Hac in parte constitutionem nihil novi iuris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in regulares attribuisse: ideoque in vim ipsius constitutionis non posse Episcopos regularibus praescribere, ut certis tantum in locis ac temporibus aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere aut moderari. Quod si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eâdem constitutione sublatam.

Ad III. Censuit eiusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius dioecesis.

Ad IV. Non competere.

Ad V. Ius confirmandi abbatissas minime fuisse Episcopis per constitutionem attributum.

Ad VI. Confessores quidem extraordinarios monialium nullatenus posse post constitutionem illarum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur et approbentur. Ordinarios vero confessores, ante constitutionis publicationem deputatos, posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in confessionibus sanctimonialium audiendis absque alio examine et approbatione Episcopi. Quod si contingat, ut illorum facultas a Sede Apostolicâ ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari et approbari.

Ad VII. Superiores regulares electos seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subiectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine aliâ Episcopi approbatione in confessionibus audiendis illarum tantum quae sponte ac proprio motu id ab eis petierint. At vero eos, qui post constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis seu dignitatibus, expleto iam tempore a constitutionibus cuiusque Ordinis vel aliàs legitime praefinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse sanctimonialium confessiones audire, nisi prius a dioecesano Episcopo idonei iudicati atque approbati fuerint.

Ad VIII. Confessiones huiusmodi nullas atque irritas esse.

Ad IX. Regulares, generaliter ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum saecularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

Ad X. Regularem, ad audiendas confessiones monialium unius monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.

Ad XI. Confessores extraordinarios, semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro unâ vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis eiusmodi illarum confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Ad XII. Non teneri eiusmodi causam significare

me egimus, dum venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis encyclicas literas dedimus sub die XIX. augusti huiusce anni MDCCXLIV., quarum initium est: *Cum semper oblatas*, quibus, a praedictae Congregationis Concil. Tridentini Interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam regentes, missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto; tum etiam ecclesiarum cathedralium et collegiatarum canonici, aliique de earum gremio, missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum iura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad regularium monasteria pertinentium, hac nostra perpetuo valitura Constitutione asserere, atque, ut infra, definire et constituere in animum induximus.

Et in praesenti potissimum observari declarat.

Refert Tridentini decretum circa iurisdictionem Episcopi in ecclesias parochiales ad Regulares spectantes.

§ 2. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi regulares sint, sive saeculares, Sacri Tridentini Concilii praescripto, *sess. 25. cap. 11. de Regularibus*, subesse debent *immediate in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius Dioecesi* praedicta monasteria *sunt sita*, exceptis dumtaxat iis monasteriis seu locis, *in quibus Abbates generales, aut capita Ordinum, Sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis seu domibus, in quibus abbates, aut alii regularium superiores, iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca, vel personas, iurisdictionem exercent.*

Gregorius XV. firmat eandem iurisdictionem in omnes animarum curam exercentes et Sacramenta quomodocumque administrantes.

§ 3. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali iurisdictione exempti, quos neque parochos, neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus christifidelium matrimoniis interesse, sine praevia Episcopi aut parochi licentia; quaesitum fuit, utrum huiusmodi sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad Episcopum, an vero ad eorum superiores, privative spectaret; cumque ii privativum eiusmodi ius ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus *loco cit.* dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum iurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel Parochi sunt vel animarum curam exercent, cuiusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. rec. praedecessor noster Gregorius Papa XV., ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quae incipit *Inscrutabili*, data nobis februarii anno Incarnationis dominicae MDCXXII., decrevit ac declaravit, *ut deinceps tam regulares, quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasterii, seu*

---

superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiae Episcoporum, quorum conscientiam sacra congregatio serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributâ quoquo modo abutantur, eius rei in districto Dei iudicio rationem reddituri.

Ad XIII. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum et cum populi scandalo.

Quae sacrae congregationis responsa ad se relata felicis recordationis Gregorius XV. et SS. D. N. Urbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Cardinalis CAETANUS.

PROSPER FAGNANUS, S. Cong. Secr.

Subsequuntur alia duo dubia ab eâdem Congregatione declarata, et a SS. D. N. approbata.

Dub. I. I. An regularis absque legitimâ licentiâ accedens ad monasterium monialium regularibus subiectarum ubique, in loco colloquiis destinato cum moniali colloquens, a dioecesano Episcopo, tamquam Sedis Apostolicae delegato, coërceri et puniri possit?

Resolutio. Sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit, posse. Quam congregationis sententiam SS. D. N. Urbanus VIII. ad se relatam approbavit.

Dub. II. II. An liceat Episcopo, in vim constitutionis sanctae memoriae Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, punire regulares, qui ad abbatissae electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus praenunciatâ?

Declaratio dict. dub. Sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit, regulares ex eâdem constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis abbatissae, eumque usque ad praefinitum tempus expectare, si antea ipse expresse declaravit, se uti velle facultate sibi hac in parte attributâ, abbatissarumque electionibus, per se vel per alium, interesse ac praesidere. Post eam vero declarationem licere Episcopo animadvertere in regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non praenunciatâ, ad abbatissae electionem procedunt.

Cos. Card. DE TORRES.

PROSPER FAGNANUS, S. Cong. Secr.

domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis, sive regularibus, sive saecularibus incumbentem exerceant, sive aliis ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia et approbatione; sive quoquo modo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem sacramentorum vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate, se ingerant; in his, quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimode iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur.

Pontifex alias quaestiones circa similia, cum consilio etc. definire intendit

§ 4. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit; pluraque dubia tam in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, quam in Auditorio Rotae, frequenter agitata et resoluta fuerunt, circa peculiarum quorumdam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad sacramentorum administrationem, pertinere; et consequenter, an Episcopus in visitandis Regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset, nec ne, suam circa huiusmodi actus iurisdictionem exercere; tum etiam, an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis Sedes Abbatis Generalis, seu Capitis Ordinis, ideoque ecclesia huiusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, Episcopo in visitatione subiecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis Curiae nostrae Tribunalibus circa huius generis quaestiones identidem captas, earumque rationes et fundamenta, diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque virorum in iuris canonici scientia praestantium; nonnulla super his de apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus; ac praesenti nostra Constitutione inviolabilem quamdam normam praefinire, qua posita, omnes de caetero lites et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam Decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire aut retardare hactenus consueverunt.

Approbat resolutionem Congreg. Episcop. et Regul. quod missionarii pastorali visitationi praemissi etiam a parochis regul. excipi debeant.

§ 5. Optimo sane consilio ab Episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singulae dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum, praedicationibus verbi Dei et administratione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, spiritualem populorum profectum et animarum salutem, qui potissimus est Pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis Regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent, an huiusmodi missionarios, sive saeculares sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita examinatum fuisset sub die XXXI. augusti anni MDCLXVIII., affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus iuvari, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus et auctoritate apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse, prudenti Episcopi arbitrio iudicatum fuerit) ab omnibus huiusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

Et decisionem Cong. Concilii, quod possit Episcopus Sacramentum confirmationis in ecclesiis Regularium administrare.

§ 6. Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui Regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio soliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liçeret, in ipsorum regularium ecclesiis, sive parochialibus sive non parochialibus, sacramentum confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et nos generaliter et sine exceptione eamdem definimus.

Declarat quae visitare possit Episcopus in ecclesiis parochialibus Regularium.

§ 7. In exequenda vero Pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter Sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii, si adsit; item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere

solet; pulpitum ecclesiae, e quo parochus ius habet verbi Dei, iuxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex, pro Sacramentis tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, caemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel Particulae consecratae servantur, vel sacra Olea sive in Baptismo sive in extrema Unctione adhibenda, vel aqua baptisterii vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

Quod circa parochi vitam et mores cognoscere valeat.

§ 8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cuius quidem, si regularis sit, agendi rationem, in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu curati, etiam regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla plurimum conferre ad populi aedificationem vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, et nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus et statuimus.

Et circa alia ad eiusdem officium spectantia.

§ 9. Ad personalem quoque parochi visitationem, proindeque ad Episcopi ius et officium, pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad Synodum vocatus, iverit; an congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum Verbi Dei praedicatione et pueros in fidei rudimentis Christianaeque Doctrinae praeceptis instruendo; an, statis diebus, excipendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet et Sacramenta Ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem sacramenti confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem, opportunis instructionibus erudierit; an, priusquam Fideles ad matrimonia in faciem Ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in Doctrina Christiana, maxime vero in praecipuis religionis nostrae mysteriis, illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius Ecclesia, tum sacro chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum et status animarum.

Statuit parochi correctionem ad Episcopum cumulative cum superiore regulari spectare.

§ 10. Uno verbo, quidquid Episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest; atque, ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare, ac meritas in eundem poenas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed praesul regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a superiore regulari et aliter ab Episcopo decerni contingat, huius, non vero illius, decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit, nosque auctoritate apostolica probamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen Episcopi ius est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim superioribus regularibus in huiusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit iurisdictio.

Parochianorum autem ad Episcopum privative.

Remotionem vero parochi, utrique licere, sine alterius consensu.

§ 11. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus vel superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint; quoniam huiusmodi parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere, sine

superioris regularis consensu, et an remotionis causa eidem adducere easque verificare deberet; tum etiam an regularis superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit, huiusmodi parochos tam ab Episcopo, quam a superiore regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

Firmat exemptionem parochialium, in quibus superiores regulares iurisdictionem episcopalem et temporalem obtinent.

§ 12. Postquam vero Tridentina Synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares, quam regulares, animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus huiusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate, in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi (quod quidem, iuxta magis receptam tribunalium huius nostrae curiae sententiam, intelligitur de iurisdictione Episcopi ordinaria, non vero de delegata); illa tamen monasteria seu loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus abbates, aut alii, regularem superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo nihilominus eorum Episcoporum iure, qui alia quapiam ex causa seu titulo maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent. Quare nonnullis Episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tamquam delegatis a Sede Apostolica, in parochos praedictos, sive in parochianos, aliquem iurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod ubi abbas aut superior regularis suam probat iurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii decretis consonum, nos etiam apostolica confirmatione roboramus.

Declarat exemptionem parochialium monasteriorum, in quibus resident superiores generales, non extendi ad residentias aliorum superiorum non generalium.

§ 13. Similiter ab Episcopi iurisdictione, visitatione et correctione, etiam in his, quae ad animarum curam et sacramentorum administrationem spectant, praedicta sancta Synodus excipit tam saeculares, quam regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus abbates generales aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent: quae exceptio, sive limitatio, pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an, ad inducendam huiusmodi exemptionem ab episcopali visitatione, satis sit, quod in aliquo monasterio resideat abbas regularis, licet is ordinis sui generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere abbatis cuiuslibet residentiam, nisi sit abbas totius ordinis sui generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices abbates aut Regularium superiores nominat, quum ab Episcopi iurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus abbates aut alii regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua iurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices abbates aut superiores regulares gaudere, quamvis non sint ordinum generales. De abbatibus autem generalibus, seu ordinum capitibus, tunc loquitur eadem Sancta Synodus, quum a iurisdictione et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus abbates generales praedicti, aut capita ordinum, sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum iudicari et censeri debere statuimus, minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbates* aliudque *Generales*, utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius Concilii, quod in archivo Sedis Apostolicae in Arce Sancti Angeli asservatur, quodque, ut genuinam huius loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus, proindeque a praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

Indicat mendum in plerisque editionibus Concilii Tridentini.

Decernit, non requiri pro exemptione, quod monasterium sit caput ordinis.

§ 14. Altera quaestio est, an ad obtinendam exemptionem ab episcopali iurisdictione et visitatione, sufficiat, quod aliquod monasterium superioris generalis sedes ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint,

decernimus sufficere, quod monasterium seu domus sit ordinaria et principalis sedes superioris generalis; prout a Congregatione Concilii constanter iudicatum fuit; quum verba Tridentini, de Capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas praesulum regularium in locis residentium referantur.

Parochiales eccles. unitas monasteriis residentialibus superiorum generalium non gaudere exemptione.

§ 15. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi visitatione, quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident abbates generales aut capita ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt et ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta, neque porro eadem ratio honoris cuiusdam et reverentiae habendae erga superiores ordinum generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes, locum habeat in aliis parochialibus, eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, huiusmodi scilicet ecclesias unitas minime exemptas esse a iurisdictione et visitatione Episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur, id ipsum nos, praedictae congregationis resolutionibus inhaerentes, decernimus et constituimus.

Asserit privativam iurisdictionem Episcopi in parochianos etiam huiusmodi parochialium exemptarum.

§ 16. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a iurisdictione Episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium superiorum generalium et, propter eorumdem rectorum omnimodam subiectionem, iurisdictioni et correctioni praedictorum generalium regularium, ius aliquod et iurisdictio attributa sit iisdem superioribus generalibus in saeculares subditos huiusmodi ecclesiarum sive parochianos; an vero dicendum sit ius istud ad Episcopum privative pertinere. Super quo decernimus, Episcopo plenam et privativam iurisdictionem competere in parochianos, ad eumdemque Episcopum pertinere non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum vel per Vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque superior huiusmodi generalis aliquem sive saecularem sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si Episcopus huiusce parochiae regimen a supradictis parochis exemptis, sive saecularibus sive regularibus, non recte administrari cognoverit; posse ipsum et aliquando etiam debere pro sui officii munere, apud superiorem generalem instare, ut parochum seu curatum huiusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicae Sedis auctoritate; si nempe generalem praedictum, aut reluctanctem, aut parocho plus aequo faventem, invenerit.

Item ius examinandi et approbandi parochum.

Et instandi, quatenus opus sit, pro illius remotione.

Statuit, residentiam superioris generalis ad effectum exemptionis non vagam et arbitrariam, sed illam dumtaxat intelligi, quae a constitutionibus vel a consuetudine Ordinis praefinitur.

§ 17. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit, quaenam essent monasteria, in quibus Abbates generales, seu capita ordinum, sedem ordinariam principalem habent; contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium, aut locum quemlibet, in quo abbas generalis sive caput ordinis manet, inibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut eiusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali iurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitraria huiusmodi Sedes, quae a sola superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter quum nobis compertum sit, in aliquibus ordinum regularium Constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia superioris generalis, eiusque curiae; in aliis vero ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuant, eamdem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam; quoties de ordinum huiusmodi superioribus generalibus agatur; eorum sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse et censeri decernimus, quae ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria generalis sede haberi praecipimus, licet ipse generalis ibi actu non resideat.

Aut quam superior generalis semel initio elegerit.

§ 18. Quod si aliqui sint religiosi ordines seu Congregationes, quorum Constitutionibus vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis seu caput ordinis residere debeat, nullum monasterium pro eiusdem generalis sede ordinaria principali, ad effectum eximendi parochum ab Episcopi iurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monaste-

rium pro sede generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse superior generalis, seu caput ordinis, initio generalatus, elegerit pro sua stabili residentia et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si, facta semel huiusmodi electione, eamdem postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae Sedis habiturum.

Sublata facultate variandi.

Et salvo maiori iure Episcoporum, si qui maioris iurisdictionis quasi possessionem habeant.

§ 19. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus, salvum semper atque illaesum esse volumus eorum Episcoporum ius, si qui sunt, qui supradictas parochiales ecclesias earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus generales ordinum superiores sedem ordinariam principalem vel a suorum ordinum constitutionibus vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent; quam eas, quae ab ipsis superioribus generalibus aliàs pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, huiusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, iurisdictioni et correctioni subiectae fuerint.

Clausulae praeservativae.

§ 20. Decernentes praesentes nostras literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu aliorum aliquo, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, seu alias specifica et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex aliâ qualibet, etiam quantumvis iuridicâ et privilegiatâ, causâ, colore, praetextu et capite etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari et de apostolicae potestatis plenitudine simili concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Aliter iudicari prohibetur.

§ 21. Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Apostolicae Sedis praedictae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ ac potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissime derogatur.

§ 22. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis etiam in corpore iuris clausis, aut litteris apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militaribus, congregationibus, societatibus et institutis, etiam Societatis Iesu et S. Ioannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, suorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum plenissime et amplissime motu pari derogamus et de-

rogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi praesentis constitutionis in urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factae.

§ 23. Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiae S. Ioannis in Laterano et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariae Apostolicae curiaeque generalis Innocentianae in Monte Citatorio et in Acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent;

Transumptis fidem praestari sancitur.

§ 24. Utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 25. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, et declarationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLIV., octavo idus novembris, pontificatus nostri anno V.

LVI.

Vicarium apostolicum in Regno Cocinchinae cum facultatibus opportunis mittit, ut controversias missionum dirimat earumque limites constituat (1).

Venerabili fratri Hilario Costa Episcopo Corycensi, et Apostolico Vicario Regni Tunchini Orientalis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicae Sedis cura pro statu omnium ecclesiarum.

Quantopere caritas Christi et solicitudo omnium Ecclesiarum urgere pergat Apostolicam hanc Sanctam Sedem, cuius pastorum princeps Iesus Christus per abundantiam divinae bonitatis nobis quamvis immerentibus vicariam auctoritatis suae in suprema catholicae Ecclesiae administratione tribuit potestatem, adeo certum est, ut luculentissima apostolicae caritatis et solicitudinis huiusmodi argumenta ubique ter-

---

(1) Ex Bull. huius pont. Romae ed. a. MDCCXLVI. Seq. lit. ap. S. P. Vicario Cocinchinae legationem Ep. Corycensis nunciat.

Venerabili fratri Armando Francisco le Febre Episcopo Noelensi Vicario Apostolico Cocinchinae,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae inter ipsos sacrarum missionum operarios unius aut alterius Ordinis, congregationis et instituti, istic intercesserint dissidia, etiam post decreta a venerabili fratre Elzeario Francisco des Achards de la Beaume Episcopo Halicarnassensi edita, fraternitati tuae prae caeteris manifestiora sunt. Quae vero dissidiis huiusmodi componendis sedandisque hic acta sint, omnia accipies a venerabili fratre Hilario Costa Episcopo Corycensi, et Apostolico Vicario regni Tunchini Orientalis. Hunc enim, ut omnem plus uni quam alteri partium hac in re contendentium favendi suspicionem ab integerrima probataque fraternitatis tuae virtute amoveremus, nostrum Apostolicum Vicarium, facultatibus necessariis et opportunis ad conficiendum negotium huiusmodi instructum, per alias nostras in simili forma brevis desuper expeditas literas, quarum tenorem hic pro expresso et inserto haberi volumus, de particularis Congregationis nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, constituimus et deputavimus. De huiusmodi autem deputatione fraternitatem tuam certiorem facientes, te rogamus et in Domino hortamur, ac tibi mandamus, ut illum isthuc advenientem, non solum iis, quae venerabiles fratres Episcopi atque huius Sanctae Sedis administri in remotissimis praesertim regionibus commorantes invicem sibi praestare debent, humanitatis, studii et fraternae caritatis et concordiae significationibus tum privatis tum publicis excipias; verum etiam, ubicumque opus fuerit et res postulaverit, omnia eidem nota facere, atque opem, praesidium, auxiliumque tuum commodare satagas et adnitaris. Quas sane debitae tuae erga nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantiae obedientiaeque partes maiori, quam nos augurari possimus, alacritate ac voluntate a fraternitate tua re ipsa explendas, dum nobis certo pollicemur, pastorum principem Iesum Christum, cuius vices immerentes gerimus, supplices poscimus, ut quam certe mandatis nostris obtemperando a nobis atque hac Sancta Sede gratiam inibis, uberrima coelestium charismatum copia cumulet. Interim apostolicam benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. novembris MDCCXLIV., pontificatus nostri anno V.

rarum luce clarius conspiciantur. Romani sane Pontifices praedecessores nostri, nosque ipsi, a remotissimis Orbis terrarum regionibus etsi corpore absentes, spiritu tamen praesentes, numquam destitimus, quin per sacros operarios ad evangelicam Christi vineam excolendam omni tempore missos uberrimus christianae pietatis et aeternae salutis fructus colligeretur.

Missiones Cocinchinae variis agitatae dissidiis

§ 1. Inter caeteras vero apostolicas in Asia institutas missiones, nobilior et fructuosior olim commendabatur illa Cocinchinae; sed ad statum tam perniciosum deplorabilemque iamdudum redacta est atque in tanta perturbatione modo versatur, ut de illa non sine obortis lacrymis ingentique animi nostri moerore cogitare possimus. Quae autem status perturbationisque huiusmodi causa fuerit atque in praesentia sit, manifestius fraternitati tuae, quippe quae prope oculis spectat, quam nobis tam longe existentibus, nota est; quamplurimae scilicet gravissimaeque controversiae et concertationes, non minus inter missionarios diversorum ordinum, congregationum et institutorum ibi adlaborantes, quam inter nonnullos ipsorum et apostolicos pro tempore Vicarios, eorumque coadiutores exortae, quae, magno animorum ardore fotae, in dies increscunt. Tota vero harum controversiarum concertationumque summa in finibus terminisque Ecclesiarum, earumque inibi erectarum constitutis residentiis, necnon in regimine et directione illorum christifidelium, ab unoquoque ex iisdem ordinibus, congregationibus et institutis seorsim ac privative praetensa, consistit: quemadmodum etiam quoad varias doctrinas ac ritus, seu consuetudines, per eas regiones iam disseminatas vel subinductas, ab integerrima Catholicae Ecclesiae doctrina disciplinaque discrepantes, aut minime consentaneas, vertitur.

Quae nunquam penitus extingui potuerunt per decreta Congreg. de Propag. Fide.

Etsi autem apostolica haec Sancta Sedes, prout rerum ac temporum rationem exposcere visum fuit, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, per varias ordinationes praescriptasque rationes, et salutare et opportunum tum auferendis componendisque exortis iam dissidiis perturbationibusque, tum avertendis impediendisque ulterioribus malis, remedium adhibere non omisit; ipsa tamen locorum distantia in causa fuit, quod apostolicae providentiae huiusmodi nedum optatus excitatis ardentibusque discordiarum incendiis penitus extinguendis successus minime responderit; quin imo, propter immaturum apostolicorum vicariorum eorumque coadiutorum obitum, necessariamque novorum utriusque successorum deputationem, magis magisque dissidiorum concertationumque fervor exarserit.

Huius consilio, Clem. XII. eo ablegat Ep. Halicarnassensem Visit. Apostol.

§ 2. Quoniam autem ex relatis propositisque partium studiis, rationibus et documentis, invicem ut plurimum pugnantibus, rectum, aequum, certumque rerum tam longe dissitarum iudicium haud facere, ac pronuntiare potuerat ipsa Congregatio Cardinalium Propagandae Fidei; in eam sententiam, ne missiones huiusmodi penitus interirent, venit anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto, ut apostolicus visitator facultatibus necessariis et opportunis instructus per fel. recor. Clem. PP. XII. praedecessorem nostrum illuc ablegaretur (1); qui omnibus inibi perspectis ac mature expensis, prae oculis Deum habens et ad promovendum sacrosanctae Catholicae Religionis incrementum dumtaxat intentus, exortas inter missionarios aliosque controversias et dissidia componeret atque sedaret, inordinationes emendaret, salutaris providentiae ordinem pro recto illorum christifidelium regimine induceret, ac denique per opportuna decreta (super quibus tamen semper intelligeretur reservata eiusdem Congregationis Cardinalium auctoritas et dictae Apostolicae Sedis suprema confirmatio) pristina tranquillitas, concordia, ac praesidium missionibus illis fere languentibus restitueretur, firmareturque. Huiusmodi consilio adhaerens idem Clemens praedecessor, vener. fratrem Elzearium Franciscum des Achards de la Beaume, Episcopum Halicarnassensem et pontificio solio assistentem, in civitate nostra Avenionensi natum et Metropolitanae Ecclesiae Avenionensis praepositum, in apostolicum Cocinchinae visitatorem delegit et ablegavit.

Qui Ecclesias illas visitat.

§ 3. Anno itaque MDCCXXXIX. illuc appulsus, ut iniuncti muneris partes expleret, vigore facultatum sibi tributarum, post coeptam absolutamque visitationem ecclesiarum uniuscuiusque instituti, nempe dilectorum filiorum Presbyterorum saecularium seminarii missionum ad exteros civitatis Parisiensis, clericorum regularium

(1) Const. *Compertum exploratumque, Concredita nobis, Continere labia,* vol. II.

Societatis Iesu, fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum provinciae Sancti Gregorii Insularum Philippinarum et Missionariorum ipsius Congregationis Propagandae Fidei, de rebus omnibus, quantum cum Domino potuit, edoctus, edidit decreta tenoris qui sequitur, videlicet:

Et decreta hic inserta promulgat.

Elzearius Franciscus Des Achards De la Beaume, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Halicarnasseus, Sanctissimi Domini Nostri D. Papae praelatus domesticus, solii pontificii assistens, Ecclesiae Metropolitanae Avenionensis praepositus, et missionum Cocinchinae, Cambodiae et Ciampae visitator apostolicus specialiter delegatus. Omnibus venerabilibus missionariis in hac vinea laborantibus, salutem.

Exordium.

Ea fuit mens Summi Pontificis et Sacrae Congregationis de Propaganda Fide in decernenda visitatione apostolica, ut eradicatis zizaniis, quae in his partibus semen patrisfamilias suffocabant, granum praedicationis Evangelicae altas et liberas radices ageret, uberesque fructus, qui huiusce Ecclesiae horreum implerent, deinde produceret. Cum igitur tantum onus humeris nostris, licet imparibus, impositum fuerit; ex quoad has oras appulimus, nullam non adhibuimus diligentiam, ut ab iis finibus exulem tranquillitatem reduceremus, Deoque, qui caritas est, preces et supplicationes offerre non cessavimus, ut, plebis suae miseratus, iis, quibus dederat fidem, largiretur et pacem. Iam votis nostris benignus annuit Deus, et cum summa animi nostri voluptate infelices hos Neophytos, quos diabolus aut ignorantia deceperat, rediisse ad cor et praestare omnimodam Ecclesiae et Pastoribus obedientiam videmus, iam sacra frequentantur, ac de sua nunc salute soliciti, qui a pluribus annis peccata non deponebant, ad tribunalia advolant et alia Ecclesiae sacramenta petunt ac recipiunt. Sed ad illud gaudium, quo ex toto et tam subitis mutationibus repleti sumus, aliud multo maius accessit, vestrae scilicet, venerabiles fratres, nos adiuvandi voluntatis affectio, vestrumque exequendi nostra decreta propositum; sic enim Dei opus consummabitur, et pia Sacrae Congregationis desideria complebuntur. Ut itaque ad optatum finem perveniamus, paxque ista, quae de caelo descendit, firma et stabilis perseveret, christianique in plures factiones imposterum non scindantur, suosque legitimos cognoscant Pastores et ut decet revereantur, sequentia decreta edenda existimavimus, quae sub poena disobedientiae et alia maiori arbitrio Sacrae Congregationis et nostro imponenda, inviolabiliter ab omnibus vobis servari mandamus, usque dum de iis certior facta eadem Sacra Congr. aliter statuendum senserit.

Iubet singulorum districtuum fines custodiri.

Primo quidem, cum experientia compertum sit, iurgiorum et dissensionum non pauca praebere semina, quando diversae christianitates a suis legitimis non reguntur Pastoribus, mandamus, ne imposterum aliquis missionarius cuiuslibet instituti aut ordinis, saecularis, aut regularis, etiam e Societate Iesu, audeat mittere falcem in messem alienam, sed contentus unusquisque portionis vineae, quae illi contigit, illam accurate excolat.

Servari Ordinem praescriptum a Cong Prop. Fidei.

II. Et quoniam pro bono et incremento harum missionum Sacra Congregatio, usque de anno MDCLVIII., Vicarios Apostolicos duxerit deputandos, qui istarum vinearum culturae invigilarent et, cum sociis e Seminario Parisiensi illis adiunctis, in illis laborarent et clerum indigenum formarent, volumus, ut Ordo antiquus ab iisdem Vicariis Apost. institutus omnino observetur.

Missionum limites distinguit.

III. Adhaerentes Sacrae Congregationis decretis, quibus prohibitum est, ne diversi instituti missionarii in eodem districtu se collocent, ut praecipue videre est in Decreto XXVI. iulii MDCCVII. dato, ac ne Ordo Ecclesiasticus confundatur, unicuique Gregi iuxta praescriptum Sacri Concilii Tridentini, proprios Pastores, qui suarum quisque ovium curam habeant, attribuendos, ut infra, duximus. Discussis igitur sedulo omnium iuribus, quae variis in congressibus coram nobis habitis tam verbo quam scripto nobis ab unoquoque et ab omnibus partibus exposita sunt, decernimus:

Primo, ut Provincia *Huè*, seu *Aulae*, remaneat communis, uti hactenus fuit, inter inclytum Parisiense seminarium et venerabilem Iesu Societatem, ita ut RR. DD. Galli suas residentias, quas possidebant et adhuc habent in Toparchiis *Phu-cam* et *Thoduc*, pacifice conservabunt, unde christianitatibus seu populationibus illis annexis inservient. Similiter RR. PP. Societatis absque ulla contradictione remanebunt in possessione residentiarum, quas habent in *Kebat;* unde quoque christianitatibus ab ipsis dependentibus occurrent. Sed cum RR. PP. Franciscani, contra tenorem decretorum superius allegatorum, a septem

Franciscanis aliquas adimit Ecclesias et infra n. 2. et 4.

circiter annis unam aperuerint Ecclesiam in Toparchia *Tho-duc* in districtu et prope Ecclesiam DD. Gallorum, mandamus, ut spatio octo dierum, post promulgationem nostrorum Decretorum, R. P. *Hieronymus a Sanctissima Trinitate*, qui memoratam Ecclesiam aperuit in *Thc-duc*, se recipiat in Ecclesiam *Soingua* sitam ad Littus Insulae *Regis*, et quae pertinere dicitur ad Religionem Seraphicam: at vero cum haec Ecclesia *Soingua* reperiatur in Districtu *Kebat* RR. PP. Iesuitarum, dictus *P. Hieronymus* ibi remanere poterit quoad vixerit, sed, illo discedente vel decedente, nullus alius ex familia S. Francisci illi sufficiatur.

II. Decernimus pariter ut provincia *Cham* communis administretur, sicut hactenus consuetum est, a RR. DD. missionariis Gallis et RR. PP. Iesuitis, et quilibet respective in suis districtibus curam habeat christianitatum ab ipsis dependentium; quae quidem christianitates RR. DD. Gallorum incipiunt a *Con-ve* et *Ketà* inclusive, usque ad *Suum* ex parte boreali; Christianitates autem RR. PP. Societatis incipiunt a *Taifò* et *Trachien* usque ad *Caytlam* ex parte australi. Verum cum RR. PP. Franciscani a paucis annis in medio dictarum christianitatum se collocaverint, cum magno praeiudicio praecipue RR. PP. Iesuitarum semper reclamantium, mandamus ut dictae christianitati tam RR. PP. Societatis, quam RR. PP. Gallis restituantur; et R. P. *Philippus a Conceptione*, qui in Portu *Taifò* unam aperuit Ecclesiam, quae solum aliquot minutis distat a residentia RR. PP. Societatis, dictus R. P. *Philippus* se recipiat in Ecclesiam Superiorem *Chindoa*, quae etiam pertinere dicitur ad Religionem Seraphicam, ubi, quoad vixerit, si voluerit, remanebit, ita ut, illo discedente vel decedente, nullus alius Franciscanus ipsi substituatur, sed tota haec christianitas vel aliae ad proprios redeant Pastores.

III. Examinata, summa cum attentione ac diligentia, contentione, quae orta est inter RR. DD. Missionarios Gallos et RR. PP. Iesuitas circa provincias Boreales *Dinhcat, Quamgbinh* et *Dingòè*, praetendente utraque parte illarum provinciarum administrationem ad se pertinere, affirmantibus RR. PP. Iesuitis se eas aperuisse et aliquot millia Gentilium Sacro Lavacro in iis abluisse; asserentibus e contra RR. DD. Gallis sibi ab ipso ingressu DD. Vicariorum Apostolicorum illas provincias boreales *Dinhcat, Quamgbinh* et *Dingoè* assignatas fuisse ut illas excolerent, ut de facto eas soli ab illo tempore semper excoluere, aut per se aut per sacerdotes *Anamitas* suos alumnos usque ad annum MDCCXIX. quo R. P. *Morera* Iesuita se in eas Provincias intromisit, fabricando Ecclesiam prope alteram RR. DD. Gallorum; nos, considerantes utramque partem aequalibus inniti rationibus, et insuper consulentes aequitati, quae videretur exigere ut dictae provinciae boreales inter ven. Iesu Societatem et inclytum Parisiense Seminarium communes remaneret, quandoquidem tam RR. PP. Iesuitae, quam RR. DD. Missionarii Galli in dictis Provinciis Christianitates aperuerint; attamen, cum RR. DD. Missionarii Galli omnia iura sua nobis commiserint et RR. PP. Societatis sint in actuali possessione dictarum provinciarum *Dinhcat Quamgbinh* et *Dingoè*, decernimus pro bono pacis, ut res remaneant in eodem statu, in quo sunt, scilicet a RR. PP. Iesuitis memoratarum Provinciarum Borealium *Dinhcat, Quamgbinth* et *Dingoè* christianitates administrentur.

IV. Circa provincias *Quinghà* et *Quining*, cum probatum fuerit, eas, ante RR. PP. Franciscanorum usurpationem, communiter administratas fuisse a RR. DD. Missionariis Gallis et a RR. PP. Iesuitis, qui adhuc in dictis provinciis suas habent ecclesias, decernimus, ut caritas inter haec duo corpora magis ac magis firmetur, ut provinciae *Quinghà* curam habeant privative RR. PP. Iesuitae, et RR. DD. Missionarii Galli etiam privative provinciae *Quining* inservient. Quoad vero RR. PP. Franciscanos, qui ultimi dictas provincias intrarunt, stationesque praedictorum RR. DD. Gallorum et RR. PP. Iesuitarum invaserunt, mandamus, ut quamprimum dicti RR. PP. Franciscani se recipiant in *Raygon*, quae est pars provinciae *Dounay*, ubi messis multa est, undeque facile in vastissimum totius Regni *Cambodiae* campum poterunt se extendere, cum ibi supersit unicus missionarius Franciscanus ex Propaganda Fide.

V. Provinciis *Phu-yen, Nhraù* et *Nhatlang* praeficimus privative RR. DD. Missionarios Gallos, utpote ab ipsis solis semper sine contradictione administratis.

VI. Cum nullus missionariorum adhuc voluerit suscipere curam provinciarum *Phanry* et *Phanrang* in Regno *Ciam-*

piae, mandamus ut RR. DD. Missionarii Galli suo zelo illud pondus ad maiorem Dei gloriam sustinere continuent.

VII. Quantum ad Provinciam *Dounay* omnium maiorem, subiacebit omnino caritati RR. PP. Societatis; reservata tamen RR. DD. Missionariis Gallis ecclesia *Bingo,* quae ad illos pertinet.

Aliquot ecclesiarum pertinentiam remittit iudicio Sacrae Congregationis.

VIII. Et ultimo. De Ecclesiis Sac. Congregationis, quae omnes in districtibus RR. DD. missionariorum Gallorum reperiuntur, scilicet in *Phucàm* provincia *Aulae,* altera in *Phuyen,* tertia in *Nhraù,* et quarta in *Nhantlang* etc., nihil audemus statuere: cum enim dictae ecclesiae absque consensu et sine licentia eiusdem Sac. Congregationis structae fuerint, nullasque habeant christianitates sibi adnexas, illas supremae dispositioni dictae Sacrae Congregationis relinquimus.

Prohibet missionariis exercitium suarum facultatem extra proprium districtum.

Porro ad evitanda scandala, quae ex multitudine operariorum diversi instituti aut ordinis nascuntur, praecipimus ut nullus missionarius sive saecularis sive regularis, etiam e Societate Iesu, extra christianitates sibi assignatas ullum iurisdictionis actum exercere audeat, aut ullis facultatibus sibi concessis uti possit; secus tamen, si a Gentilibus vel alia rationabili de causa extra suos limites exire cogatur, tunc de licentia Vicarii Apostolici et de consensu missionarii huius districtus exercere functiones solitas poterit. Et quia in hac prohibitione non intendimus comprehendere casus urgentes, in quibus missionarii vocantur ad infirmos, sine mora illis debent succurrere; quin imo hortamur omnes nostros ven. fratres missionarios, ut sese mutua caritate adiuvare satagant. Datum *Huè* in Civitate *Aulae* die II. iulii MDCCXL.

El. F. Episcopus Halicarn.
Visitator Apostolicus.

Franciscani appellant ad S. Sedem.

§ 4. Praeinserta vero decreta statim atque idem Elzearius Franciscus Episcopus, Apostolicus Visitator, proposuit ac publica fecit, antedicti fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Excalceatorum ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem appellarunt; unde ad laudatam Congregationem Propagandae Fidei, ac potissimum ad particularem Congregationem nonnullorum Cardinalium super missionibus Indiarum Orientalium specialiter deputatorum, remisimus praeinserta decreta, ut mature examinarentur. Praefatae autem particularis Congregationis Cardinalium, qui die XIX. mensis septembris an. MDCCXLI. decreta huiusmodi ad trutinam, iuxta nuntios, acceptasque tunc primas rerum omnium notiones, expenderant, consilio, non solum saepedicta decreta die XX. immediate sequenti eiusdem mensis et omni pontificio vocis nostrae oraculo approbata et confirmata, verum etiam, quoad tertium et quartum decreta, ampliata fuerunt, prout sequitur: *Iniungendum Patribus Franciscanis etiam in virtute et sub formali praecepto S. Obedientiae, ut a toto Regno Cocinchinae omnino recedant, seque in proximum Cambodiae Regnum recipiant, ubi messis quidem multa est, operarii autem vel pauci vel nulli sunt; ibique missionariorum munus et zeli sui partes expleant, sub auctoritate et protectione Sacrae Congregationis et sub regimine et directione Vicarii, seu Pro-Vicarii, Apostolici pro tempore a S. Sede constituti et respective constituendi in Regnis Cocinchinae, Ciampae et Cambodiae, a quo facultates necessarias et opportunas ad Missiones exequendas accipere debeant. Ecclesiae vero, quas ad haec usque tempora in memorato Cocinchinae Regno praedicti Patres Ordinis Sancti Francisci vel aperuerunt vel administrarunt, remaneant sub libera dispositione Vicarii Apostolici, exceptis tamen iis, quae per recensita decreta Visitationis Apostolicae, vel Patribus Societatis Iesu vel sacerdotibus Seminarii Parisiensis adiudicatae sunt, firmis remanentibus tum in ea parte, tum in reliquis, iisdem decretis.*

Sed decreta confirmantur et ampliantur.

Iterum recurrunt ad Sanctissimum, qui suspendit decretorum executionem.

§ 5. A quibus sane decretis ita, ut praemittitur, approbatis, confirmatis et ampliatis, habito ad nos recursu, dilectus filius vices Procuratoris Generalis gerens in hac Romana Curia residens, eorumdem fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum nomine nobis humiliter exponi fecit praeiudicium ac damnum, quod ex tertio et quarto decretis, tum iuxta formam et tenorem ab ipso Apostolico Visitatore conceptis, tum iuxta ampliationem eorumdem a laudata Congregatione particulari Cardinalium factam iisdem fratribus inferebatur. Hinc enim emanabat quaedam veluti eorumdem expulsio ab omnibus missionibus Cocinchinae et ab ecclesiis residentiisque, quas ipsi fratres, prout asserebatur, iusto legitimoque titulo, et auctoritate Vicariorum Apostolicorum, non odioso invasorum occupatorumque nomine, veluti quodammodo notabantur, obtentas

semper possederant et reipsa possidebant; ac propterea nobis etiam supplicari fecit, ut, non obstante antedicta approbatione, confirmatione, ac praesertim tertii et quarti decretorum praeinserta ampliatione, de novo in praedicta Congregatione Cardinalium super iisdem tertio et quarto decretis rationum momenta discuterentur. Nos itaque ad dilectum filium nostrum Vincentium S. R. E. praedictae Cardinalem Petra nuncupatum dictae Congregationis Propagandae Fidei praefectum rescripsimus die XXIII. mensis novembris eiusdem anni: *Eosdem Patres Franciscanos audiri, et interim supersederi in executione memoratorum decretorum in ea parte dumtaxat, quae ipsos respicit, non retardata executione quoad reliqua.*

Causa proponitur coram SS. utraque parte informante.

§ 6. Interim, animadvertentes negotium huiusmodi non levis esse ponderis, praescripsimus, ut tam fratres Ordinis Minorum S. Francisci, quam Presbyteri Seminarii Parisiensis praedicti (inter utrosque namque praecipua dissensionum causa agitabatur) argumenta documentave pro utrorumque causa facientia ad praedictam particularem congregationem coram nobis habendam afferrent producerentque. Quod cum ab utriusque partis patronis tum voce tum scripto praestitum fuisset, tandem die prima mensis septembris currentis anni post exactam controversiae discussionem, in unanimem eorumdem Cardinalium sententiam nos quoque euntes, decrevimus recedendum esse a decisis, necnon decreta tum tertium tum quartum ab Apostolico Visitatore edita, a particulari Congregatione Cardinalium ampliata et a nobis, ut praemittitur, approbata et confirmata, esse revocanda; ac propterea eosdem fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Excalceatorum in omnium ecclesiarum ac residentiarum, quibus, ante quam memorata decreta edita fuissent, gavisi ac potiti fuerant et gaudebant ac potiebantur possessione, manutenendos et confirmandos esse.

Decreta revocantur, et ecclesias Franciscanis reddi decernitur.

Episcopus Co...ensis delegatur pro executione.

§ 7. Quoniam autem in accurato harum rerum examine, ut praemittitur, habito, certus verusque numerus ecclesiarum residentiarumque, ut asserebatur, ante ab ipsis fratribus Ordinis S. Francisci possessarum, aliarumque rerum ad easdem Cocinchinae Missiones spectantium notitia haberi non potuit. Hinc est, quod nos quamcumque super iisdem ecclesiis ac residentiis designandis imposterum altercandi occasionem praeripere ac penitus auferre cupientes, necnon de fraternitatis tuae fide, prudentia, doctrina, vigilantia, integritate et pastorali animarum salute ac zelo plenam in Domino fiduciam habentes, te nostrum atque huius Apostolicae Sedis delegatum ad praemissa, aliaque, ut infra, negotia in Cocinchinae Regnis peragenda cum facultatibus infra dicendis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus, ac tibi committimus et mandamus, ut, redditis tibi hisce nostris in forma Brevis literis, ac Pro-Vicario, ad omnia et singula muneris fraternitati tuae demandati (exceptis tamen iis, quae ordinem episcopalem requirunt) officia, toto absentiae tuae tempore, in Regno *Tunchini Orientalis* supplenda ac praestanda, apto et idoneo, cum facultatibus necessariis et opportunis, ad tui arbitrium constituto et deputato, te statim ad Cocinchinae regna conferas. Volumus autem, ut, ante quam pergas, venerabilem fratrem Armandum Franciscum *le Febre* Episcopum Noelen. modernum Vicarium Apostolicum Cocinchinae, de Apostolica Visitatione huiusmodi, deque tuo accessu, quemadmodum nos etiam per alias nostras in simili forma Brevis literas eumdem admonemus, certiorem facias, ut nulla propterea intercedat animorum quoad iurisdictionem discordia, sed glutino caritatis Iesu Christo coniuncti, aeternae animarum christifidelium saluti opportune consulatis.

Ut Franciscanos in pristinum restituat.

§ 8. Postquam igitur illuc perveneris, primum omnium Apostolico Vicario praedicto in virtute S. Obedientiae nostro nomine et auctoritate tua iniunges, ut omnia et singula praeinserta decreta debitae executioni demandari curet et faciat, iisdem prorsus modo et forma, quibus proposita et publici iuris facta fuere; exceptis tamen tertio et quarto decretis, quorum executionem iuxta nostram emendationem reformationemque tibi dumtaxat demandamus. Porro, ut imposito fraternitati tuae hac super re gravissimo muneri secundum vota nostra satisfacere valeas, oportet, ut partes invicem contendentes aliosque neutri partium adhaerentes, sed probatae fidei et integritatis viros extraiudicialiter sine strepitu et forma iudicii audias, quo ad veram omnium et singularum rerum ad effectum huiusmodi necessariorum notitiam, pro tua dumtaxat intelligentia, ductu ac regimine, devenire valeas. Statim vero atque certum ecclesiarum residentiarum-

que ab iisdem fratribus Minorum S. Francisci ante praedictam visitationem iusto legitimoque titulo possessarum numerum habueris, ipsis fratribus easdem ecclesias residentiasque restituas et restitui facias, atque in antiquam earumdem possessionem immittas et confirmes. Praeterea unicuique tam ex dictis ecclesiis residentiisque, quam ex aliis Societatis Iesu et Seminarii Parisiensis in illis provinciis, praefecturis et civitatibus, quae promiscue per eosdem Societatis Iesu et Seminarii Parisiensis alumnos reguntur et administrantur, habita semper ratione congruentis commodaeque distantiae unius ab altera ecclesiae, ac insimul numeri multitudinisque christifidelium ibi commorantium, fines ac terminos, sive districtum, assignes, atque ipsos etiam uniuscuiusque districtus fines terminosque statuas et constituas; cum inhibitione, etiam cum poenarum censurarumque, prout fraternitati tuae visum fuerit et quatenus opus sit, ad tuum arbitrium imponendarum atque ipso facto incurrendarum denuntiatione, ne quilibet Missionarius unius Ordinis, Congregationis et Instituti audeat irrumpere et sese immittere in districtum aliis missionariis cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti assignatum et praescriptum, nisi in casibus purae putaeque necessitatis, iuxta normam in decretis praeinsertis, praesertim in paragrapho *Porro,* traditam.

Omnibusque praefiniat districtuum limites.

§ 9. Insuper cum laudata Congregatio particularis die XIX. mensis septembris anno MDCCXLI., ut praemittitur, habita, octavum ex praeinsertis decretis declarans, praescripserit, ut *ecclesiae ad Sacram Congregationem* (nempe Propagandae Fidei) *spectantes, videlicet ea quae aperitur in provincia et civitate* Aulae *et in qua residere consueverat bo. mem. Episcopus Nabucensis Vicarius Apostolicus, alia quae sita est in Portu* Tayfô, *necnon illae quae sunt in* Phuyen, *in* Nhau *et in* Nhantlang, *serventur pro missionariis eiusdem Sacrae Congregationis; et Vicarius Apostolicus unicuique ex praedictis ecclesiis districtum congruum, et christianitatem assignet a missionario in ea constituendo regendam. Interim vero et donec missionarii ab eadem Sac. Congregatione mittendi ad Regnum Cocinchinae pervenerint, idem Vicarius Apostolicus praedictas ecclesias et respective christianitates earum cuilibet, sicut praefertur, adnexas vel assignatas, administrari curet per sacerdotes Seminarii Parisiensis, nomine tamen praefatae Sacrae Congregationis, et non aliter, nec alio modo, et usque ad novam ipsius Sacrae Congregationis dispositionem. Quod quidem per eundem Vicarium Apostolicum praestandum erit semper et quandocumque futuris temporibus aliquis missionarius dictae Sacrae Congregationis decesserit vel discesserit. De reliquis autem ecclesiis ad eamdem Sacram Congregationem pertinentibus, idem Vicarius Apostolicus disponat sicut ipse in Domino magis opportunum arbitrabitur:* Nos praeinsertam octavi decreti declarationem auctoritate et tenore paribus confirmantes, tibi pariter committimus et mandamus, ut, si per Vicarium Apostolicum Cocinchinae declaratio et praescriptio huiusmodi debitae vel in totum vel in partem, quoad descriptas quinque ecclesias ad dictam Congregationem Propagandae Fidei spectantes, executioni minime demandata sit, eamdem declarationem praescriptionemque omnimodae executioni, cum ipsius Apostolici Vicarii scientia, demandari faciat et curet fraternitas tua. In uno aut altero huiusce negotii casibus, a praedictis Seminarii Parisiensis missionariis, qui antedictas ecclesias earumque districtus pro tempore regunt et administrant, per authentica documenta ab iis, quos in unaquaque earumdem ecclesiarum, earumque districtibus, residere et addictos esse repereris, propria manu subscripta et interposito etiam iureiurando confirmata et publica facta, exigas apertam sinceramque declarationem, qua se nimirum ecclesias et districtus huiusmodi precario tantum nomine regere et administrare, neque per illud temporarium sive eventuale regimen et administrationem, unquam, aut ullo prorsus modo, sibi quemcumque titulum aut ius dominii, manutentionis, possessionisque venire, quaeri, deberi et indicari posse, contestentur.

Declaratio super reservatis iudicio S. Congregationis.

Eisdem iura expresse praeservanda.

§ 10. Pari itidem modo authentica eiusmodi documenta exigas a fratribus Ordinis Minorum S. Francisci saepedictis: qui non solum declarent, sed iuridice ac legitime etiam spondeant, obligentur et obstringantur, se ecclesias ac residentias in Cocinchina ipsis per nos, prout praemittitur, adiudicatas, et propriis sumptibus eorum provinciae Insularum Philippinarum conservaturos et numquam deserturos et eum semper retenturos congruentem numerum

Franciscani Ecclesias sibi adiudicatas ne deserant etc.

missionariorum, quibus fraternitas tua unamquamque ecclesiam, habita rerum, personarum locorumque ratione, indigere noverit atque existimaverit statuere ac praescribere; quemadmodum, ut statuas et praescribas, tibi pariter iniungimus et mandamus.

Iidem in regna Ciampae, et Cambodiae se extendere valeant, sed aliis non exclusis.

§ 11. Declarationem denique, authenticis etiam, ut praemittitur, documentis instructam exiges ab iisdem fratribus Ordinis Minorum S. Francisci, qui nomine antedictae provinciae Insularum Philippinarum nobis ultro obtulerunt, nimirum sese subituros totum onus, propriis suis omnino sumptibus semper substinendum, missionum Regni *Ciampae* (in ea tamen eiusdem regni parte, in qua nullus alterius Ordinis, Congregationis et Instituti operarius existat) et in Regno *Cambodiae,* quae Regna per Apostolicam hanc S. Sedem apostolici *Cocinchinae* pro tempore existentis Vicarii iurisdictioni addicta reperiuntur. Hoc certe quemadmodum nobis pergratum accidit, ita omnem altercandi deinceps aditum obstruere cupientes, volumus et mandamus ut, accedente finium seu discrictuum assignatione a praedicto Vicario facienda et ab eisdem omnino, uti supra, servanda, fratres antedicti ad Regna *Ciampae* et *Cambodiae* missionum huiusmodi causa accedentes, nullum penitus, propter haec christianae caritatis sponte suscepta et omnino imposterum praestanda officia, sibi unquam asserere, vindicare et contendere valeant ius privativum, sive directe sive indirecte, quoad alios operarios, quos ad eadem Regna per Apostolicum Cocinchinae pro tempore existentem Vicarium ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem habentem, cum opportunis legitimisque facultatibus et licentiis, quocumque tempore mitti contigerit.

Praemissorum omnium authentica monumenta ad S. Sedem transmittuntur.

§ 12. Caeterum authentica documenta antedictarum declarationum tam missionariorum Ordinis Sancti Francisci quam Seminarii Parisiensis, aliorumque, si qui fuerint, tibi exhibenda et a te sub poenis et censuris, quatenus opus sit, exigenda, postquam acceperis, manu tua singula subscribes, signoque tuo munies, atque ita subscripta et munita, cum claro distinctoque omnium ecclesiarum, residentiarum et districtuum, eorumque finium et terminorum catalogo, sive indice, vulgo *Nota,* necnon dilucida amplaque non solum rerum omnium ad conficiendum huiusmodi negotium per te gestarum, sed etiam rerum omnium ibi gerendarum, ad commissionem mandatumque nostrum et facultates tuas pertinentium, seu, propter inordinationes etiam confusionesque, atque alia huiusmodi, necessario apostolicae nostrae providentiae supremaeque auctoritatis remedio indigentium, relatione et narratione, insimul coniuncta, quam tutissime et quantocius curabis perferenda ad ipsam Congregationem Propagandae Fidei.

Facultates opportunae conceduntur cum clausulis etc.

§ 13. Praeclaram vero, quam de apostolicis fraternitatis tuae virtutibus et laboribus conceptam habemus, opinionem, ut magis magisque nobis probes atque confirmes, oblata occasio et demandata a nobis commissio tibi esse debent acriori incitamento. Nos enim ad praemissa omnia opportune, salubriter, canonice, ac legitime peragenda et praestanda, facultates omnes necessarias et opportunas tibi tribuimus et impertimur; necnon auctoritate et tenore paribus derogamus iis omnibus et singulis, quae fortasse obstare possent; nostrae nempe et Cancellariae Apostolicae regulae, quatenus opus sit, *de iure quaesito non tollendo,* et aliis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, ordinationibus, necnon supradictorum Ordinum, Societatis et Instituti, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. novembris MDCCXLIV., pontific. nostri anno V.

LVII.

Ad Archiepiscopum S. Dominici in insula Hispaniola scribit, uti doctor privatus, de quaestione an filii ex adulterio procreati per subsequens matrimonium legitimentur (1).

---

(1) Etsi ad hanc prim. iuris partem non pertineat epistola haec, cum non ex auctoritate Sedis Apostolicae loquatur Pontifex, sed meram sustinens personam privati doctoris; tamen, cum tanti doctoris contineat responsum, optimum nobis visum est heic illam inserere.

Venerabili fratri Archiepiscopo S. Dominici In Insula Hispaniola,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Redditae nobis altero ab hinc mense fuerunt literae tuae XXVII. maii proxime elapsi ad nos scriptae, ac typis impressae, quibus occurrentem istic cuiusdam facti speciem enarras et nostram super eo sententiam requiris. Non te latere arbitramur, nullum nos diem vacuum habere, quum gravissimis assidue curis, atque negotiis non tam occupemur, quam pene iam obruamur; in hisce praesertim asperitatibus rerum, quibus undique conflictamur et quarum famam ad vestras quoque oras pervasisse non dubitamus. Sed tamen, ut compertum sit omnibus, quanti te facimus, venerabilis frater, et quanto dignitatem episcopalis characteris, quo praefulges, in honore habemus, aliqua temporis spatia reperire et colligere studuimus, eaque in evolvendis privatae bibliothecae nostrae libris insumpsimus, quo possemus propositae abs te quaestioni respondere. Quod quidem praesentibus nostris literis facimus, non tamen ex auctoritate Apostolicae Sedis, quam, meritis licet imparibus, obtinemus, sed meram sustinentes personam doctoris privati, cuius vitae aetas fere omnis in Sacrorum Canonum studiis, quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa nobis est ea quaestio pontificiae decisionis oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis fraternitas tua probe poterit intelligere.

Facti species et dubium.

§ 1. Itaque casus est. Vir nobilis uxoratus rem habuit, stante matrimonio, cum libera muliere, pari cum ipso natalium nobilitate, duosque filios ex ea procreavit. Defuncta vero uxore, matrimonium contraxit cum praedicta muliere, quae duos, ut praefertur, filios ei pepererat. Horum alter iam mortem obierat; atque ille procul dubio natus erat priore uxore in vivis agente. Alter superstes est, sed nondum satis exploratum, an eadem prima uxore vivente conceptus, aut natus fuerit. Dubitatur de utroque, an legitimi sive spurii sint habendi; seu potius, an per subsequens matrimonium cum ipsorum matre contractum, ambo censendi sint legitimati.

Regula iuris quoad legitimationem prolis ante matrimonium procreatae.

§ 2. Porro, admissa canonici iuris regula, quam nos verissimam iudicamus, quamque, ut paulo infra patebit, a nemine in dubium revocari posse arbitramur, quod nempe, licet proles ante matrimonium nata legitima fiat per subsequens matrimonium inter parentes rite contractum, attamen id dumtaxat locum habeat, quum copula intercesserit inter liberum et liberam, non autem ubi alter ex parentibus matrimonio ligatus foret; tunc enim proles ante secundas nuptias nata nequaquam fit legitima, quamvis adulter, post mortem prioris uxoris, verum et legitimum cum eius matre contrahat matrimonium: hac inquam regula semel admissa, evidens est, filium illum praemortuum, qui natus est prima uxore superstite, legitimum non evasisse per matrimonium cum ipsius matre contractum, postquam prima uxor e vivis excesserat.

Filius ex adulterio generatus. et natus constante matrimonio, non legitimatur per subsequens matrimonium.

§ 3. Quod vero ad alterum filium adhuc viventem attinet; si constaret saltem hunc natum esse post mortem primae uxoris, quam illius pater habuerat, quamvis ea superstite conceptus fuisset, in arduam illam controversiam deduceremur, quae inter doctores, ut nosti, agitatur, an scilicet, pro statuenda prolis legitimatione, eiusdem nativitatis tempus attendi debeat, an praeterea habenda sit ratio temporis eiusdem conceptus; in qua controversia, satis, ut praediximus, ardua, quum inveniantur textus textibus contrarii, cumque doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adversentur, si a nobis iudicium nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a nobis fieret, quam secundum sententiam in tribunalibus et Curia illius regionis receptam, in qua esset pronunciandum.

Dubitari posset, ubi natus esset uxore defuncta.

§ 4. Cum vero hactenus, ut scribis, incertum sit, quo tempore filius ille vivens conceptus, quoque in lucem editus fuerit, solumque constet de morte prioris uxoris et de secundo cum altera muliere matrimonio; supervacaneum extraneumque remanet examen praefatae controversiae, an, ad effectum legitimationis prolis, tempus nativitatis dumtaxat, an etiam tempus conceptus, attendi debeat. Sed in his facti circumstantiis, quum certum sit matrimonium inter illius parentes rite contractum, incertum vero tempus, quo filius idem conceptus et in lucem editus fuit; si nostrum de eo iudicium exquireretur, filium hunc legitimum censeremus, quum iudex in dubio debeat in bonum et commoda prolis propensus esse.

In dubio, favendum proli.

§ 5. Equidem intelligimus, hanc nostram responsionem neque desiderio tuo, neque praeconceptae opinioni satisfacturam. Non desiderio, inquam; propterea quod utrosque praefatos filios, per subsequutum inter parentes matrimonium, legitimatos fuisse declarari velles: neque porro opinioni, quam foves; eo quod existimes filios etiam ex adulterio procreatos legitimari, superveniente matrimonio inter adulteram et patrem, coniuge iam defuncta.

Textus, quibus innititur regula.

Verum aequo animo feras volumus, nos ad haec asseverando reponere, quod filii ante matrimonium nati legitimantur utique per subsequens matrimonium, si tamen ex soluto et soluta fuerint procreati, ut, inhaerendo canonicis sanctionibus, definitum fuit a praedecessore nostro Alexandro Papa III. in *cap. Conquestus, Qui filii sint legitimi;* secus autem, si iidem filii orti sint ex patre, qui de eo tempore cum alia muliere matrimonio coniunctus erat; licet, ea postea e vivis sublata, aliam illam duxerit, ex qua prolem susceperat; ut idem Alexander III. respondit in *cap. Tanta, Qui filii sint legitimi;* cuius verba sunt, quae sequuntur. ***Tanta est vis matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius et ab haereditate repellendus; praesertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.***

§ 6. Neque vero postremis hisce verbis commoveri debes, ac si ex illis colligi posset, minime ab Alexandro definitum fuisse, quod proles ex adulterio suscepta, per subsequens matrimonium legitimari nequeat; sed illud dumtaxat, quod nempe proles legitima non fiat, si contra vitam prioris uxoris alteruter ex parentibus adulteris machinatus fuerit. Etenim animadvertere te oportet verbum illud a Pontifiee usurpatum, ***praesertim;*** quod idem sonat, ac ***multo magis;*** itaut vera decretalis illius sententia sit, quod, quum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda et ab haereditate repellenda, etiamsi legitimum postea ineatur inter parentes matrimonium, multo magis id procedat, ubi alteruter in prioris uxoris mortem fuerit machinatus. Ex quo minime sequitur, quod proles ex adulterio nata, si machinatio absit, legitimetur per subsequens matrimonium; sed palam fit, eiusmodi prolem ex adulterio susceptam, ideoque per subsequens matrimonium neutiquam legitimandam, multo maiori ratione legitimam numquam fieri, si alter ex parentibus adulteris contra vitam prioris uxoris sit machinatus. Qua de re optime opportuneque disserit ***Gonzales in cap. 6. num. 6. Qui filii sint legitimi,*** per haec verba: ***Arguit Alexander III. de minori ad maius: nam, si filii spurii non legitimantur per subsequens parentum matrimonium, multo minus per matrimonium nullum, quale est, quod contrahitur, quum alter ex coniugibus in necem coniugis machinatus est.***

Dictio praesertim non est limitativa.

Rationes Archiepisc. contra sententiis.

§ 7. Sane a te dissimulata non fuit dispositio relatae decretalis Alexandri III. in *citat. cap. Tanta. Qui filii sint legitimi;* quin immo ultro fateris, communem doctorum opinionem eam esse, quae nuper a nobis exposita fuit; nimirum prolem ex adulterio progenitam, per subsequens matrimonium nequaquam legitimari. Verumtamen aperte declaras, nullam sententiam, quantumvis communi canonistarum calculo comprobatam, apud te valere, nisi eadem in textu canonico fundata sit, illique innitatur; hanc autem sententiam, de qua agitur, minime dici posse canonico textui innixam esse; quoniam, inspecta praecitata decretali Alexandri III., non quidem mutila atque contracta, prout iacet in nostra decretalium collectione a Gregorio Papa IX. confecta, sed in sua integritate, manifeste, ut putas, agnoscitur, ideo Pontificem illegitimam declarasse prolem illam ex adulterio procreatam, quamvis eius pater, defuncta priore uxore, adulteram sibi matrimonio iunxisset; quia nimirum Alexandri aetate vigebat adhuc ea disciplina, qua interdictum erat adulterae, etiam post mortem prioris uxoris, matrimonium cum adultera valide contrahere; et quia, tota decretali perlecta, perspicuum est, in eo casu, praeter adulterium, adfuisse etiam machinationem adulterae contra vitam prioris uxoris. Quibus positis, deinde concludis, quod quum, iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam, adulterium praecedens non habeatur pro impedimento dirimente matrimonium inter maechum et maecham, nisi coniunctum sit vel cum machinatione vel cum fide data futuri matrimonii; cumque in proposita facti specie nullum indicium adsit machinationis in prioris uxoris necem intentatae; nullum propterea adduci valeat obstaculum adver-

sus prolis legitimationem, sequuto iam inter ipsius parentes legitimo matrimonio; atque adeo tuum illud systema firmiter, ut putas, stabilitur; nimirum, subsequente matrimonio, legitimari prolem etiam ex adulterio susceptam, quoties adulterio non accedat aut machinatio adversus prioris coniugis vitam, aut promissio matrimonii post prioris coniugis mortem inter adulteros contrahendi.

Opiniones communes non spernendae.

§ 8. Profecto, ut ingenue loquamur, venerabilis frater, displicet nobis tua haec ingeniosa ratiocinatio, in qua nescio quid arrogantius et audacius, quam par est, introspicere videmur. Nobis etenim persuasum manet, opiniones doctorum communes non ita facile parvipendendas esse; idque didicimus ex celeberrimo vestrate Melchiore Cano, qui in suo tractatu de locis theologicis, lib. VIII., cap. 7. ita de communibus canonistarum sententiis, in his, quae pertinent ad doctrinam canonum, loquitur: *In huiusmodi canonum interpetratione Ecclesiae iudices et administri concordem omnium iurisconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu et non communi iurisperitorum omnium doceretur, sine dubio, suo illum iudicio Ecclesia coerceret.*

De auctoritate textus decretalium.

§ 9. Praeterea minus recte nobis videris de compilatione decretalium Gregorii IX. iudicare. Non hic agitur de Gratiani decreto, quod, utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam textus in eodem adducti ex se ipsi habere noscuntur. Non agitur de aliqua ex aliis quinque decretalium compilationibus, quae Gregorii IX. opus praecesserant et quarum nonnullae a privatis auctoribus concinnatae fuerunt. Res est de sexta illa compilatione, quam Gregorius Pontifex a sancto Raymundo de Pennafort adornari iussit, quamque approbatione pontificia munivit, mandans, ut ea sola deinceps in tribunalibus et scholis deberet usurpari. En illius verba in praefatione decretalium: *Volentes igitur, ut hac tantum Compilatione universi utantur in iudiciis et in scholis, districtius prohibemus, ut quis praesumat aliam facere, absque auctoritate Sedis Apostolicae.*

In decretalibus, in sexto, in Clement. multa resecata sunt auctorit. Pontificum.

§ 10. Non latuit Gregorium, multa in decretalibus resecata fuisse ab earum compilatore, quum idem Pontifex in dicta praefatione hoc ipsum innuat, iis verbis: *Resecatis superfluis.* Voluit tamen singulis Constitutionibus praefixum manere nomen earum auctoris. Idem quoque deinceps praestitit Bonifacius VIII. in sua compilatione libri VI. similium decretalium a Romanis Pontificibus conditarum, quibus, licet multimode, ubi opus fuit, a se immutatis atque truncatis, nihilominus praefixum reliquit auctorum nomen; siquidem ipse Bonifacius sic loquitur in prooemio: *Pluribus plane resecatis, reliquis quibusdam ex eis abbreviatis, aliquibus in toto vel in parte mutatis, multisque correctionibus detractionibus et additionibus, prout expedire vidimus, factis in ipsis.* Constat etiam Clementem PP. V. pari modo se gessisse, dum suo Clementinarum libro inseruit Concilii Viennensis Constitutiones, tamquam a se ipso factas in eodem Concilio, quamvis, Synodo peracta, eas resecasset, atque mutasset, uti testatur Ioannes Andreas in Glossa ad praefationem earumdem Clementinarum: *Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas et paucas in totum reservaverunt; aliquas mutaverunt quoad verba, mente servata; in aliquibus menti et verbis detraxerunt et addiderunt; et has, licet non sub his verbis in Concilio publicatae fuissent, voluit sub nomine Concili reservari.* Quod pariter testatur Bernardus Guidonus, auctor illius aetatis, in suo codice manuscripto, qui in bibliotheca nostra Vaticana asservatur; idemque legitur in duabus historiis de vita eiusdem pontificis a Balutio publicatis.

Sicut etiam in textibus digestorum et codicis.

§ 11. Qua in re praedicti Pontifices, Gregorius, Bonifacius et Clemens, exemplum sequuti sunt Triboniani, aliorumque doctissimorum iurisconsultorum, qui veteres leges, responsa prudentum et praecedentium imperatorum codices in corpus iuris nostri civilis redigentes, non dubitarunt, quaecumque opus erant, emendare, corrigere et immutare; et nihilominus auctorum nomina singulis responsis et legibus praefixa reliquerunt; accedente nimirum expressa Iustiniani imperatoris approbatione; cuius haec verba sunt, in promulgatione Pandectarum et Codicis, senatui populoque Constantinopolitano perscripta: *Tanta autem a nobis antiquitati habita est reverentia, ut nomina prudentum taciturnitati tradere nullo modo patiamur; sed unusquisque eorum, qui auctor legis fuit, nostris digestis inscriptus est, ut, si quid legibus eorum supervacuum vel imperfectum aut minus idoneum visum esset, vel adiectionem vel diminutionem*

necessariam accipiat. Et infra: *Nam nomina quidem veteribus servavimus, legum autem veritatem nostram facimus.* Et alibi: *Nominibus etiam veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum et necessarium fuit, hoc nostris emendationibus servavimus.*

§ 12. Sic igitur praedecessor noster Gregorius IX. suam confici iussit decretalium compilationem, qua hodie in scholis et in foro utimur, eamque, abrogatis aliis prioribus, publica auctoritate et pontificia confirmatione munivit. Huic collectioni insertam voluit decretalem Alexandri III., demptis ex ea verbis illis, quibus, ut contendis, indicabatur, matrimonium, de quo ibi agebatur, duplici ex capite irritum et nullum fuisse, nimirum et quia cum adultera contractum fuerat et quia machinatio in necem prioris uxoris praecesserat. Retulit vero alia verba, ex quibus, ut iacent, consideratis, eruitur sententia superius a nobis exposita, quod nempe proles ex adulterio procreata neutiquam legitimatur per subsequens matrimonium, post mortem prioris uxoris, cum adultera contractum. Non tamen ex ea decretali nomen Alexandri III. delevit. Omnia haec pro concessis interim habeto. Verum his positis, quidnam inde pro sententia tua erui posse putas? Potuit Gregorius ita se gerere, immo non aliter debuit facere, quam fecit. In animo illi erat locum dare in nova compilatione decretali Innocentii III., quae incipit *Significasti,* quaeque legitur sub titulo *De eo qui duxit in matrimonium etc.* In hac decretali Innoc. III., quae posterior est alia ab Alex. III. condita, manifeste definitur (quod et ipse agnoscis), matrimonium inter adulterum et adulteram consistere posse, nisi machinatio saepedicta, aut promissio futuri matrimonii praecesserit: *Discretioni vestrae,* Innocentius ait, *per apostolica scripta mandamus, quatenus, nisi alter eorum in mortem defunctae uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederint de matrimonio contrahendo, matrimonium illud legitimum iudices.* Quum autem Gregorius collocare vellet in sua collectione tum decretalem hanc Innocentii III., tum alteram Alexandri III., plane vides, necesse illi fuisse abiicere ab hac alexandrina decretali verba illa, quae, tuo iudicio, nullitatem matrimonii inter adulterum et adulteram statuebant.

Cap. *Tanta,* concordat cum Cap *Significasti*

Quaestio decisa est, hoc iure, quo vivimus.

§ 13. Nunc igitur, bona fide disserendo, iterum quaerimus: quid tandem illud est, quod contendis? Filios ne illos, de quibus agitur, legitimos esse, propterea quod, iuxta decretalem integram Alexandri III. pro legitimis habendi essent? At nihilominus illegitimi sunt, quia tales ab Innocentio III. et Gregorio IX. declarantur, et quia, malo ipsorum fato, nonnullis iam saeculis post horum pontificum mortem in lucem sunt editi. An manifestum fieri cupis, te scientiam sacrorum canonum funditus callere, neque contentum esse his, quae in Gregoriana compilatione leguntur, sed altius ab ipsis fontibus doctrinam tuam repetere? Nihil tibi controversiae nobiscum de hoc erit, venerabilis frater. Diligentiam potius tuam commendamus, studium laudamus: nemo tibi succensere poterit, quod integram decretalem inspicere velis, ubi in aliquam incurreris, quae in Gregoriana compilatione deprehenditur decurtata. Verumtamen memineris, laudandam quidem illius diligentiam esse, qui decretalem integram consulit, ut eam, quae integra non est, perfectius intelligat; quemadmodum optime advertit clarissimus Antonius Augustinus in sua praefatione, Gregorio XIII. Pontifici Maximo, inscripta, quam praemisit volumini quatuor priorum compilationum literarum decretalium, quas ipse edidit; quibusque deinceps quintam adiecit Innocentius Cironius: sed neque probandum scito, neque ferendum, quod quis ad integram decretalem confugiat, ubi perspicua et dilucida est illa, quae aliquo modo mutilata fuit; et, si quid huic deesse dignoscitur, id eo iubente ac volente detractum fuit, qui suprema ad hunc effectum pollebat auctoritate; eaque de causa detractum, ut disciplina, quam ipse legislator servari voluit, in tuto poneretur; neve turbari illam et nutare contingeret, si tota decretalis novae compilationi inserta fuisset.

Standum textui decretalium prout iacent in Corpore Iuris.

§ 14. Hucusque disseruimus, tuum tibi permittentes assertum, quo pro certo ponis, aliquod interesse discrimen inter decretalem integram Alexandri III., aliamque contractam; et quidem in integra decretali nullum declarari matrimonium ibi relatum, ex duplici capite; tum scilicet, quia inter adulteros, defuncta uxore legitima, contractum fuerat; tum quia machinatio accesserat in vitam prioris uxoris; et ex utroque praefato capite simul considerato, prolem illegitimam censeri. Mutilam vero decretalem validum admittere matrimonium cum adultera contractum post

Decretalis integra concordat in substantialibus cum minus integra.

mortem prioris uxoris, et tunc solum huiusmodi matrimonium nullum in ea statui, quando machinatio intervenerit; sed prolem nihilominus illegitimam declarari tam in uno, quam in altero casu, etiam seorsim sumptis; tam scilicet ex causa simplicis adulterii, ex quo eadem proles progenita fuerit, quam ex causa praecedentis parentum machinationis in necem legitimae uxoris. Haec, inquam, tibi hactenus concessa voluimus. Nunc vero tandem aggredimur demonstrare, decretalem tam integram, quam minus integram, sibimetipsi perfecte constare, eamdemque prorsus esse utriusque sententiam.

I. In eo, quod filii ex sol. et sol. legitimantur per subsequens matrimonium.

§ 15. Integra decretalis, quae refertur *Tom. VI. pag. 2. conciliorum* collectionis Harduini *pag.* 1819. ita se habet: ***Meminimus nos fraternitati tuae, super causa, quae inter P. et R. de quadam haereditate vertitur, quod idem P. nomine Sybillae uxoris suae petebat, tali modo scripsisse; ut si constaret, prout literae tuae continebant, inter R. patrem et matrem, post eius nativitatem, matrimonium fuisse contractum, eum, omni adpellatione remota, legitimum esse denunties, et ab haereditate paterna propter causam praedictam nullatenus debere repelli. Tanta est enim vis matrimonii, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi.***

Hic statuit integra decretalis, quod filii nati extra matrimonium, ex soluto et soluta, accedente postea matrimonio inter ipsorum parentes, legitimi fiant. Nec aliud porro statuitur in decretali minus integra, quae sic incipit: ***Tanta est vis matrimonii, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur.***

II. In eo, quod ex adulterio suscepti, non legitimantur, accedente matrimonio.

§ 16. Progreditur integra decretalis, et casum ponit, quo aliquis uxoratus adulterium admittit et filium ex eo habet, adultera vero machinatur in vitam legitimae coniugis; et, hac demum defuncta, matrimonium inter adulteros contrahitur: ***Verum quoniam P., ultra quam in literis tuis continetur, nobis significavit, quod pater suus, vivente uxore, matrem R. tenebat, et eum in adulterio procreasset, et quod in mortem ipsius uxoris mater fuerit machinata.*** Hic vero pontifex declarat, quod in huiusmodi facti circumstantiis, dummodo probationes legitime suppetant, filius censendus erit spurius, praesertim si machinatio matris in vitam prioris uxoris praecesserit: ***Fraternitati tuae etc. quatenus rei veritatem inquiras, et, si tibi constiterit, quod, vivente uxore, pater praedicti R. matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium et ab haereditate repellendum, praesertim si mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas, quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt.***

Hunc ipsum casum expendit decretalis minus integra et eamdem omnino definitionem pronunciat; spuriam scilicet esse prolem ex adulterio progenitam, quamvis matrimonium, uxore defuncta, inter adulterum et adulteram contrahatur, praesertim si aut haec aut ille machinatus fuerit adversus vitam prioris uxoris: ***Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius et ab haereditate repellendus; praesertim si in mortem prioris uxoris alteruter eorum aliquid fuerit machinatus.***

Nec alia intercedit differentia, quae ad rem pertineat.

§ 17. Integra decretalis, dum de adulterio loquitur, nihil aliud addit, quam vocem ***publice,*** quae ad criminis probationem refertur, nec ullatenus sensum immutat circa id, de quo nunc inquiritur. Quod ad machinationem attinet, integra decretalis hanc ponit ab adultera fuisse intentatam; at minus integra eamdem machinationem considerat, sive ab adultera, sive ab adultero processerit. Sed neque istud ad praesentem quaestionem facit. At vero tam integra quam minus integra decretalis in eo conveniunt, quod utraque declarat prolem ex adulterio procreatam, spuriam esse, nec legitimari, quamvis accedente matrimonio inter adulteros, post mortem legitimae uxoris. In utraque autem, quum de machinatione agitur, verbum illud adest, ***praesertim,*** de quo supra dicebamus. Dumque in his adamussim inter se conveniunt, frustra exaggeratur praetensa inter integram et minus integram decretalem discordia.

Obiicitur quod in decretali integra adulterium supponitur esse impedimentum dirimens.

§ 18. Verum iam fraternitati tuae in mentem venisse suspicamur, inconsulto a nobis silentio praeterita fuisse verba illa, quae ad eam, quam agitamus, controversiam plus habent ponderis; et quae in integra decretali sunt, sed in altera minus integra desiderantur. Sic enim concluditur integra decretalis (quemadmodum superius fideliter exposuimus): ***Quoniam inter se***

legitimum matrimonium contrahere non potuerunt: quae quidem verba in Gregoriana compilatione non sunt relata. Haec autem pro argumento tibi facile erunt, ut asseras, Alexandrum III. declarasse, matrimonium inter adulterum et adulteram suapte natura nullum et irritum esse, ob idque illegitimam esse prolem ex adulterio susceptam. Atque in hoc manifestissima, te iudice, est discrepantia inter decretalem integram et mutilatam; dum haec validum admittit matrimonium inter adulteros contractum, at nihilominus eorum prolem spuriam declarat, neque per subsequens matrimonium ullo modo legitimandam.

Relata verba intelligenda sunt de machinatione.

§ 19. Plane si ita tecum reputares, ven. frater, non aequum de nobis iudicium ferres. Nos enim praemissa decretalis verba exacte referre, eaque iusta lance pensare nequaquam omisimus. Verum id, quod ex iisdem inferendum esse autumas, nos inde colligi posse non arbitramur.

Etenim verba illa: ***Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt,*** connexa immediate sunt cum aliis: ***praesertim si mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata.*** Ac proinde (ex regula iurisperitorum, iuxta quam ***relatio fit ad proxima***) declaratio nullitatis matrimonii non quidem in praecedenti adulterio fundatur, sed in machinatione adversus vitam legitimae uxoris, circa quam nulla inter nos, neque etiam inter alios, est controversia.

Quae in casu cum adulterio iuncta erat.

§ 20. Praeterea concedatur etiam, verba illa, ***Quoniam inter se legitimum matrimonium contrahere non potuerunt,*** non tantum ad machinationem paulo ante enunciatam referri, sed ad totum id, quod in integra decretali expositum fuit. Porro in integro decretalis contextu agitur de matrimonio post prioris uxoris mortem, non solum inter adulteros, sed etiam praevia machinatione in prioris uxoris mortem, contracto: ***Nobis significavit, quod pater suus, vivente uxore, matrem R. tenebat, et eum in adulterio procreasset, et quod in mortem ipsius uxoris mater fuerit machinata.*** En duas relati matrimonii circumstantias simul unitas; ex quo sequitur, quod quamvis ea verba: ***Quoniam inter se matrimonium contrahere non potuerunt,*** referri debeant ad totam facti speciem cum suis circumstantiis in decretali expressis; numquam inde inferre poteris, quod integra decretalis pro nullo habeat quodlibet matrimonium inter moechos contractum post obitum legitimae uxoris; sed illud dumtaxat, quod ibi expenditur, nullum iudicatum fuisse, quia ei praecesserat machinatio in prioris coniugis necem. Nobis autem integrum erit asserere, quod, licet validum ineatur matrimonium inter adulteros, deficiente machinatione, aliisque circumstantiis de iure canonico illud irritantibus, attamen proles tempore adulterii habita, illegitima semper erit, ad normam etiam decretalis non mutilatae, quae ita statuit: ***Et si tibi constiterit, quod, vivente uxore, Pater praedicti R. Matre ipsius publice abusus fuisset, eum spurium et ab haereditate repellendum, praesertim si mater ipsius in mortem prioris uxoris fuerit machinata, decernas.***

Urgetur obiectio tamquam innixa veteri Ecclesiae disciplinae.

§ 21. Sed quamquam destitutum te videas validissimo praesidio, quod, ad sententiam tuam sustinendam, in integra Alexandrina decretali constitueras; attamen, pro ea, qua polles, eruditionis ecclesiasticae copia, in aliud te recipies propugnaculum, asseverans, matrimonium inter adulterum et adulteram, post mortem prioris uxoris, contractum, iuxta veterem disciplinam, pro nullo habitum esse; tum adhuc aetate Alexandri III. huiusmodi disciplinam viguisse; ac demum immutatam esse temporibus Innocentii III., cuius decreto, ad irritandum matrimonium inter adulteros, praeter adulterii crimen, requiri coepit aut machinatio in mortem legitimi coniugis, aut promissio nuptiarum, post prioris matrimonii solutionem, inter adulteros contrahendarum.

Auctoritas S. Augustini pro validitate matrimonii post adulterium.

§ 22. Non adeo tempore abundamus et otio, ut canonicam dissertationem super hac quaestione contexere valeamus. Nihilominus pauca quaedam observare studebimus, quibus satis superque tua refellatur assertio. Sane ei obstat S. Augustini testimonium, relatum ***canone Denique 31. quaest. 1.,*** in quo sic legitur: ***Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri potest coniugium, cum quo praecessit adulterium.*** Profecto non ignoramus, Iacobum Cuiacium asserere ***in cap. 1. de eo qui duxit in matrimonium etc.*** quod ibi legendum sit: ***Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit.*** Sed exploratum quoque habemus, in pluribus Vaticanis Codicibus particulam illam ***non*** in Augustino deesse, sicuti deest in praedicto Canone ***Denique;*** quod etiam ii animad-

Asseritur lectio relatae auctoritatis, contra Cuiacium.

vertunt, qui Gratiani opus, iussu Gregorii Papae XIII., recensuerunt et emendarunt, ut videre est in Gratiani Decreto ipsorum opera edito. Genuinam huiusce loci controversi lectionem procul dubio fraternitas tua, pro sua eruditione, petendam existimabat ex editione operum Sancti Augustini, quae, studio Monachorum S. Mauri, in Gallia prodiit. Sancti Doctoris locus in canone relatus, habetur *Lib. 1. de Nuptiis et Concupiscentia c. 10.*, isque in editione Maurina legitur *tom. 10. pag. 286.* hisce verbis: *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit.* Ab hac igitur accurata editione abest particula *non;* quae quidem in nulla alia appareret, si seriem contextus editores prae oculis habuissent. Augustinus enim, mox ante verba, de quibus disputatur, probandum sibi proposuerat (uti revera probat) non solvi matrimonium, quod indissolubile est inter viventes, si uxor maritum deserat et ad alterius contubernium migret: idque confirmando, subdit, quod contubernium illud pro adulterio haberi non posset, si primum legitimum matrimonium dissolutum fuisset: *Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permaneremt.* Hoc posito, quisnam bona fide legendum putabit: *fieri verum connubium non potest?* ubi orationis scopus is esse conspicitur, ut, demonstrato fine durationis matrimonii, *Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit,* finis etiam adulterii et initium novi legitimi matrimonii statuatur: *fieri verum connubium potest, cum quo prius adulterium fuit.*

Consentit disciplina saeculi XII.

§ 23. Ne vero a nobis expectes plenam hoc loco proferri historiam disciplinae, quae super hac re sequentibus saeculis in Ecclesia obtinuit. Huiusmodi inquisitio nimis profecto excederet epistolae modum. Verum, quia tibi persuasum esse videmus, quod ipsa aetate Alexandri III. nulla censerentur matrimonia, quae inter adulteros quomodocumque fierent, satis erit intra illius aetatis terminos inquisitionem hanc nostram coarctare.

Testimonium Gratiani.

§ 24. Non longe quidem ab Alexandri III. aetate, ut optime nosti, distat Gratianus Decreti compilator, qui ante Alex. pontificatum paucis omnino annis suum illud opus vulgavit. Is hanc eamdem controversiam tractat *in causa 31. quaest. 1.* et pro utraque sententia, ut solet, textus discordantes adducit. Cum vero canonem attulisset cuiusdam conc., quo statuitur, ne quis, moriente marito mulieris, quam adulterio polluit, cum ea matrimonio coniungatur; hunc textum cum aliis ibi relatis, atque contrarium statuentibus, ita conciliat: *Hic subaudiendum est, nisi prius peracta poenitentia, et, si nihil in mortem viri machinatus fuerit; vel si, vivente viro, fidem adulterae non dedit, se sumpturum èam sibi in coniugem, si viro eius superviveret.* Verum Gratianus, inquiens, non habet auctoritatem, qualem textus canonici habere noscuntur. Neque id negamus. At gravis est auctor et canonum valde peritus; neque ipse ea scripsisset, quae modo retulimus, si aetate illa (quam diximus in tempora Alexandri fere incidisse) locum obtinuisset disciplina seu lex, vigore cuius, ob solum praecedens adulterium, irritum haberetur matrimonium, post mortem legitimi coniugis, inter adulteros contractum.

Item Innocentii III. in Cap. *Significastis.*

§ 25. Similiter inter Alexandrum III., et Innocentium III. Pontifices, vix quadraginta annorum spatium intercedit; quum Alexander ad pontificatum evectus sit anno Domini MCLIX.; Innocentius vero anno MCXCVIII. Hic autem, ut supra innuimus, in citat. Cap. *Significastis, De eo qui duxit in matrimonium etc.* pronunciat, validum et legitimum existere matrimonium inter adulterum et adulteram, post prioris uxoris mortem: *Nisi alter eorum in mortem defunctae uxoris fuerit machinatus, vel, ea vivente, sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo;* quod etiam ipse concedis, dum affirmas Innocentium III. novam hanc disciplinam in Ecclesiam invexisse. Sed cum Innocentius nequaquam dicat, se novam per hoc disciplinam inducere; quin immo, ad quaestionem sibi propositam ab Episcopo sive a Capitulo Spoletano, profiteatur se responsurum iuxta canonum praescripta: *Nos igitur inquisitioni vestrae secundum formam canonicam respondentes, etc.;* evidens est, iam pridem et ante tempora etiam Alexandri III. validum habitum fuisse matrimonium, quod inter moechum et moecham, legitimis nuptiis solutis et praedictis irritantibus circumstantiis non concurrentibus, contrahebatur. Equidem in compilatione decretalium Gregorii IX. minime reperies relata verba: *Nos igitur inquisitioni vestrae secundum formam canonicam respondentes;* sed earum loco, haec

Qui profitetur se formam canonicam sequi.

alia leges: *Nos igitur inquisitioni vestrae taliter respondentes etc.* Verum, quoniam res nobis erat cum eo canonum doctore, qui vulgata decretalium compilatione neutiquam contentus, integram decretalem consulere mavult; eadem ratione nobis agendum esse iudicavimus. Itaque, etsi praedicta verba: *secundum formam Canonicam*, in decretali minus integra desiderentur, leguntur tamen in integra decretali; qua nos quidem minime abutimur, dum ea ad decretalis minus integrae sensum non corrumpendum, sed illustrandum, advocamus.

Alia obiectio ex Cap. *Cum haberet.*

§ 26. Esto, inquies, quod ad Innocentium III. attinet. Sed nonne immediatus istius praedecessor Coelestinus III., *in cap. Cum haberet, De eo qui duxit etc.* nulla declaravit matrimonia inter adulteros, post prioris coniugis mortem contracta, etiam non interveniente machinatione aut sponsione futuri matrimonii?

Exponitur huius decretalis casus.

§ 27. At vide ne sorte, in hac decretali pro te alleganda, hallucineris. Quidam Ioannes uxorem legitimam habebat, Allitiam nomine, ipsique simul adulterii consuetudo cum famula intercedebat. Quum vero semel superioris Ecclesiastici praecepto adactus adulteram dimisisset, postea tamen in idem relabens scelus, ausus est, vivente adhuc prima uxore, reverti ad famulae contubernium, in eoque *quasi matrimonialiter* per decennium perseverare, unde et decem filios ex ea procreavit. Defuncta demum uxore, quum consuleretur Pontifex (quem aliqui non Coelestinum, sed Clementem III. huius decessorem fuisse autumant) quidnam statuendum esset de huiusmodi adulteris, qui in eadem prava consuetudine adhuc perseverabant; tale dedit responsum: *Ut separentur omnino, et eis, competenti poenitentia iniuncta, perpetua continentia indicatur;* habita potissimum ratione ipsorum pervicaciae, gravisque scandali, quo Ecclesiam perturbaverant.

Unde patet verus decisionis sensus.

§ 28. Ex ipsa simplici hac rei narratione facile agnosces, non ibi quaestionem fuisse de validitate aut nullitate matrimonii, post mortem prioris uxoris, inter adulteros contrahendi; sed de poenitentia canonica adversus gravissimum crimen irroganda: quae quidem huiusmodi fuit, ut non modo ipsis adulteris prohibitum fuerit matrimonio invicem copulari; sed etiam cum alia qualibet persona matrimonium contrahere: *praesertim cum in dies suos ambo processerint, et iamdiu publice in adulterio et periurio, ex certa scientia perdurantes, Ecclesiam in gravi scandalo perturbaverint*, ut eadem decretalis prosequitur.

Alex. III. mens ex alia decretali eruitur.

§ 29. De validitate quidem matrimonii inter adulterum et adulteram, ex instituto agit Alexander III. in epistola sua decretali, quae tamen nostris compilationibus inserta non est, sed reperitur in actis conciliorum collectionis Harduini praefatae, *Tom. VI. part. 2. pag. 1838.*, ea vero sic habet: *Ex praesentium latoris confessione percepimus, quod cum ipse quamdam alterius uxorem in adulterio polluisset, poenitentiam inde suscepit. Sed postea in eumdem incidit, diabolo instigante, reatum; ac eamdem mulierem, viro defuncto, sibi in matrimonium copulavit, eamque asserit in praesenti pro coniuge retinere.*

In qua vim dirimendi machinationi tantum tribuit.

§ 30. Super his autem quum Alexandri iudicium requireretur, respondit, non (quod tu quidem velles) matrimonium, ratione adulterii, invalidum fuisse; sed nullitati obnoxium fore, si machinatio, aut promissio nuptiarum intervenisset. *Verum, quoniam nos de salute animarum ipsoruu solicite compellimur in Domino cogitare, fraternitati tuae etc. quatenus rem ipsam diligenter inquiras, et, si tibi constiterit, quod ille, vel illa, in mortem prioris viri fuerit machinatus, vel si, eo vivente, fidem ipsi mulieri dederit, se eam in coniugem recepturum; eos non differas penitus separari.*

Hac semota, iubet procedi de more.

§ 31. Neque hic sistit Alexander, quin etiam dicere non omittit, quid iuris esset, si solum adulterium praecessisset; tunc enim nequaquam matrimonium irritum fore declarat (quod utique non taceret, si huiusmodi disciplina eo tempore viguisset; quemadmodum supra de eo matrimonio pronunciaverat, in quo ad crimen adulterii accessisset machinatio, aut promissio futuri coniugii); sed iubet procedi in causa secundum canonicas regulas: *Quod si neutrum istorum constiterit, in causa ipsa iuxta ecclesiasticam consuetudinem et canonica statuta procedas.* Si autem quaesieris quidnam hac de re consuetudo ecclesiastica et canonica statuta decernerent, respondemus, satis probabile videri, respexisse Alexandrum ad Concilii Toletani VI., anno sexcentesimo trigesimo octavo celebrati, constitutum, quod extat *can. De his 33. quaest. 2.*, et in quo praescribitur methodus cum iis servanda, qui, post poenitentiam publicam peractam, in idem

reciderent crimen, pro quo subiecti fuerant poenitentiae. Canonem hunc, quum tibi vacaverit, legere poteris, atque perpendere; sed frustra in illo quaeras nullitatem matrimonii inter adulteros ipso iure statutam, deficientibus aliis irritantibus circumstantiis, a nobis pluries memoratis.

Obiicitur alter textus Alexandri in Cap. *Propositum*.

§ 32. Attamen, quod ibi statutum non reperitur, alibi te sine ullo labore invenisse affirmabis, in nostra nempe collectione Gregoriana sub titulo superius allato, *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium, cap. Propositum,* quod est ipsius Alexandri III. ubi sic legitur: *Licet autem in canonibus habeatur, ut nullus copulet in matrimonio, quam prius polluerat adulterio, et illam maxime, cui fidem dederat, uxore sua vivente, vel quae machinata est in mortem uxoris*, et quidem validum tibi argumentum dices suppetere in ea voce *maxime,* qua indicari videtur nullitas matrimonii inter adulterum et adulteram (de quo Pontifex in superioribus locutus erat), etiam non concurrente machinatione, nec data fide futuri matrimonii.

Responsiones ab aliquibus datae reiiciuntur.

§ 33. Forte putabis, nos, adversus haec responsionem nostram comparantes, grammaticalem controversiam tecum agitare velle de significatione illius verbi *maxime;* eaque de re a nobis consultum iri libros veterum canonistarum, praesertim abbatis, qui in citat. *Cap. Propositum* audacter sustinet vocem illam *maxime,* in relato textu, aequipollere adverbio *solum.* Verum, si ita de nobis opinatus fueris, haud aegre feras nos tibi respondere, non satis tibi notum esse morem animumque nostrum; nos enim in veritatis inquisitione, nequaquam huiusmodi nugis levibusque fundamentis innitimur, et quaestiones inutiles prorsus aversamur.

Alexander aliam ibi quaestionem tractavit.

§ 34. Itaque respondemus, veram Alexandri Pontificis mentem, circa ea, de quibus nunc agimus, minime eruendam esse ex aliquibus verbis, quae ipsi excidere potuerunt, dum aliam omnino quaestionem definiret. Sed videndum esse potissimum, quid ipse scripserit, quum data opera eam pertractaret quaestionem, quam prae manibus habemus. Porro Alexander in citat. *Cap. Propositum* respondet abbati Sancti

Controversia tunc ab eodem decisa.

Albani, qui ab ipso quaesierat, quidnam statuendum esset de quodam homine, qui, vivente uxore sua, alteram sibi matrimonio copulaverat, insciam coniugii quo is adstrictus erat et filios ex altera illa procreaverat; uxore vero defuncta, renuebat cum praedicta muliere permanere, sub obtentu, quod invalidum cum ipsa matrimonium contraxerat, legitima uxore adhuc superstite. Pontifex ergo quum eam circumstantiam magni aestimaret, quod scilicet *praefata mulier erat inscia, quod ille aliam uxorem haberet viventem,* nec aequum conseret, praedictum virum, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportare: statuit, ut, si quidem ipsa mulier id postularet, divortium inter eos fieret; non vero, si, volente muliere in huiusmodi connubio perseverare, vir peteret ab ea separari.

Regula pro interpretanda legislatoris sententia.

§ 35. Quaestionem hanc definiendam sumpsit Alexander in citat. *Cap. Propositum;* atque ita definivit, ut praecipuam aequitatis, prudentiaeque rationem ab illo habitam esse dignoscatur; eaque definitio unice est attendenda. Si autem, dum legislator de principali argumento verba facit, quidpiam ab ipso extraneum minus recte dictum esse comperiatur, minime debet enunciatio haud satis accurata aut legislatori vitio verti, aut in veritatis praeiudicium trahi; neque potest pro regula iuris id accipi, quod sic ab eodem legislatore, veluti praetereundo, dictum fuisse apparet; praesertim quum ipse, opportuniore occasione oblata, iudicium suum super eadem re aperte declaraverit.

Alexandri mens aliunde tuto eruitur.

§ 36. Nos autem in hoc praecise casu versamur. Idem nimirum Alexander, cui in citat. *Cap. Propositum,* ea verba exciderunt, quibus, ut tibi visum est, negavit, validum matrimonium esse posse inter adulteros, defuncto legitimo coniuge, etiam absque aliis irritantibus circumstatiis; idem, inquam, in alia sua decretali, quam ex collectione conciliorum Harduini supra retulimus, quum directe ab eo quaereretur, an nullum censendum foret huiusmodi matrimonium, nullum illud esse respondit, si machinatio aut nuptiarum promissio intervenerint. Isque Pontifex hoc ipsum firmat in *Cap. Super eo, De eo qui duxit in matrimonium etc.* ubi sic habet: *Super eo vero, quod de latore praesentium tuis literis quaesivisti; an liceat cum ea sibi matrimonium contrahere, quam, alia sua uxore vivente, sibi de facto matrimonio copulavit; tuae solicitudini duximus respondendum, quod si adultera est in mortem alterius aliquid machinata, sive iste fidem dederit, quod, eadem defuncta, hanc esset ducturus, secundum canones ab eius

consortio perpetuo prohibetur; et haec prohibitio perpetuo est observanda. Quibus verbis *perpetuo prohibetur,* et *prohibitio perpetuo est observanda,* pro ea, qua polles, canonum scientia, plane intelligis, impedimentum designari, quod a doctoribus dirimens appellatur, illudque, per huius decretalis contextum, ad casum praecedentis machinationis, aut pacti connubii, coarctari.

De aliis argumentis ab Episcopo allatis.

§ 37. Superest nunc, ut, licet prolixior iam haec epistola evaserit, quam nobis initio propositum fuerat, aliqua tamen addamus, quae adhuc legere non graveris, quemadmodum praemissis hucusque animum patienter adhibuisti. Nec enim, levioribus praetermissis, quidquam a nobis praeteriri decet ex his, quae in literis fraternitatis tuae gravioris sunt ponderis et momenti.

I. A virtute Sacramenti.

§ 38. Legitimationem prolis ex soluto et soluta procreatae, quae fit per subsequens matrimonium, ex sacramenti virtute derivandam esse putas, eodem Alexandro III. auctore, qui ait: *Tanta est enim vis Sacramenti, ut, qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium habeantur legitimi.* Unde arguis, quod, si isti ex vi sacramenti legitimantur, nihil obstat, quominus filii pariter ex adulterio suscepti, tanti sacramenti virtute, legitimi evadant.

Emendetur lectio textus adducti.

§ 39. Verum ubi a te legitur: *Tanta est vis sacramenti,* nos legimus: *Tanta est vis matrimonii,* quemadmodum scriptum est in decretali Alexandri III. *Cap. Tanta, Qui filii sint legitimi.* Quod si ad integram decretalem, quae apud Harduinum est, de more provoces, rogamus, ne te pigeat in marginem quoque oculos coniicere; ibi enim, loco verbi *sacramenti,* adnotatum reperies aliud *matrimonii.* Nec aliter profecto res se habere poterat. Vis enim ac dignitas matrimonii, qua sacramentum est, in eo est posita, quod gratiam sanctificantem confert, quod unionem hypostaticam Verbi Divini cum humana natura repraesentat, itidemque illam, qua Christus cum Ecclesia per gratiam coniungitur; non autem in eo sita est, quod spuriam prolem legitimam efficiat. Neque enim hanc efficaciam Iesus Christus tribuit matrimonio, quum illud ad dignitatem sacramenti novae legis evexit; sed id ab Ecclesia institutum est, cui placuit, pro auctoritate sibi concessa, statuere, ut proles extra matrimonium, non tamen ex adulterio, procreata, per subsequens matrimonium legitima fieret.

Legitimandi vis non a Sacramento, sed a lege ecclesiastica provenit.

II. Ab exemplo legitimationis prolis incestuosae.

§ 40. Denique addis, magis abominatam canonicis legibus esse prolem incestuosam, quam sit proles adulterina: ideoque, quum illa interdum legitima fiat, hanc etiam pari aut maiori ratione legitimari posse. Porro legitimatur proles incestuosa, ope dispensationis, quae dicitur *in radice matrimonii.* Ut autem obtineatur huiusmodi dispensatio, quae non sine urgentissima causa concedi consuevit, requiritur quod proles nata sit ex copula non manifeste fornicaria, sed putative matrimoniali, quodque impedimentum, quo matrimonii nullitas inducta est, non a iure divino aut naturali, sed a iure dumtaxat ecclesiastico proveniat. Sicque, et non aliter, legitimatur proles incestuosa, vigore dispensationis, quae dicitur *in radice matrimonii.* Tuum modo est huiusmodi circumstantias aptare ad legimationem prolis ex adulterio genitae; quod sane opus ingenii nostri tenuitatem excedere fatemur.

Ostenditur non aptari ad legitimationem prolis adulterinae per subsequens matrim.

Admonitio Pontificis.

§ 41. Hactenus fraternitati tuae satisfacere studuimus, quoad nobis licuit per angustias temporis, ut plurimum somno detracti, moram gerentes in hac epistola, ut initio dicebamus, privati doctoris personam. Nunc demum epistolae nostrae finem facientes, Supremi Pastoris partes resumimus, ut apostolicam tibi benedictionem impertiamur; utque praeterea te admoneamus, quod, quum ea, quae ad nos scripsisti, a Iusto Henningio Boehemero (quantumvis nullam de eo mentionem feceris) sis mutuatus, eaque descripseris ex eius opere de Iure Ecclesiastico Protestantium *Tom 1. pag. 287. et sequentibus,* iuxta tertiam editionem anno MDCCXXX. typis impressam. Sicuti laudabilis foret industria tua, si eo auctore usus esses ad venerabiles Ecclesiae Catholicae doctrinas illustrandas, aut si ipsum in iis, in quibus nobis adversatur, confutare aggressus esses; ita reprehensioni te obnoxium fecisti, dum illius opus perlegere, atque etiam tacitus transcribere, ausus es, ut ad impugnandas canonicae iurisprudentiae sententias inter orthodoxos communiter receptas, instructior accederes. At ne forte paterni huius moniti libertatem in malam partem accipias, tibi persuasum volumus, non minus sincero caritatis affectu nos te complecti, ac fraternitati tuae fausta omnia ex animo adprecari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v. decembris MDCCXLIV., pontificatus nostri anno v.

LVIII.

Episcopo Pekinensi scribit de constitutionibus apostolicis Ex illa die *circa ritus sinenses omnino observandis* (1).

Ven. fratri Polycarpo Episcopo Pekinensi in Sinis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Vererabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Declarationes et iuramenta ab Episc. Pekin. ad S. Sedem transmissa.

§ 1. Redditae nobis fuerunt eodem tempore duae fraternitatis tuae epistolae, prima quidem die decimâ mensis ianuarii elapsi anni MDCCXLIII., qua gratiarum actionem nobis, quod tibi episcopatum Pekinensem in Sinis contulerimus, referre studes; altera vero die quintâ mensis itidem ianuarii currentis anni MDCCXLIV. data, qua dolens quereris, te apud nos tanquam debitae apostolicis constitutionibus ac decretis obedientiae reum fuisse peractum. Una insimul cum hisce epistolis tuis accepimus pariter solemnem iurisiurandi a te, in episcopali tuâ inauguratione delati iuxta formam ac tenorem tibi praescriptum in ipsis nostris tuae ad episcopatum promotionis literis in simili formâ brevis expeditis, actum; necnon duo alia a te seorsim praescripta testimonia, alterum quidem de iureiurando super apostolicae constitutionis quae incipit *Ex illa die,* alterum vero de iureiurando etiam super alterius apostolicae constitutionis quae incipit *Ex quo,* observantiâ, praestitis. Hisce omnibus coniuncta erant nonnulla etiam praescripta missionariorum testimonia, qui te studiosum zelantemque super observantiâ memoratae apostolicae constitutionis *Ex illa die* esse testabantur, quemadmodum tu ipse sacramento contestaris.

Adhortatio ad exactam constitutionum observantiam.

§ 2. Sed fraternitati tuae primum omnium persuasum esse cupimus, nos non levibus sed gravibus rationum momentis, quae te et apostolicarum constitutionum transgressorem, et indulgentiis permissionibusque bo. me. Caroli Ambrosii Mezzabarba, dum viveret, Patriarchae Alexandrini Apostolici in Sinis Legati nimium abutentem notabant, adductos ad te ita, ut fraternitati tuae notum est, scripsisse. Quod ad postremum quidem iusiurandum attinet, a te conceptum est in haec verba: *Iuro etiam, me nunquam constitutionem* Ex illa die *verbo, scripto, aut doctrinâ offendisse, imo pro eiusdem observantiâ, quantum infausta tot sanctae legis prohibitionibus tempora sinebant, non parum semper laborasse, ut quamplurimis argumentis possem comprobare.* Ex quibus sane verbis nolumus nos, sed quispiam, quemadmodum nonnulli reipsa suspicati sunt, posset colligere et arguere, veram esse accusationem in te de habitâ iam tuâ agendi ratione conflatam. Verum, hisce praetermissis, id tibi unum quoad hanc partem in animo semper fixum permaneat, tam apud nos ipsos, quam apud venn. fratres nostros S. R. E. Cardinales negotiis et consultationibus quarumcumque congregationum apostolicae huius S. Sedis praepositos, plurimum valere hoc unicum et maximum ad accusationum veritatem falsitatemve diiudicandam comprobandamque argumentum, novam scilicet post criminum delationes initam agendi rationem. Quamobrem adesto animis et enitere ut, quemadmodum tu spopondisti et nos de fraternitate tuâ nobis pollicemur, ita deinceps te in omnibus rebus geras, ut tuam erga apostolicas constitutiones, atque eas praesertim, de quibus agitur, obedientiam, reverentiam zelumque, non solum nobis, sed universis etiam, probare et reipsa commonstrare ex animo satagas. Hinc enim fore confidimus, ut falsitatis redarguantur accusationes de gestarum rerum ratione a te hactenus habitâ instructae.

Episc. sensus circa Sinensis Ecclesiae statum.

§ 3. Porro, ut ceteris in tuis literis a te propositis satisfaciamus, asseris quidem, quod cum per quatuordecim annos operam laboresque tuos in sacris missionibus antea peragendis impenderis, atque adeo optime noveris istarum partium ac populorum ingenia ac mores et rerum vices, contestari prae ceteris possis, praesentia certe tempora exposcere, non angustiari vasa carnis, sed dilatari spatia caritatis; ac propterea melius fuisse consultum, res omnes in eodem, quo reperiebantur, statu relinquere, cum in praesentia omnis spes de exigendâ a christifidelibus istarum partium debitâ apostolicis constitutionibus obedientiâ penitus praecisa videatur. Apostolica namque sacrosanctum Iesu Christi Evangelium praedicandi libertas, non tam

(1) Ex Reg. Vat. epist. etc. ex quo supplemus iis quae desunt in Bull. P. de P. F. pag. 185 et in ipsa citata edit. Romana § 11.

impedita quam certe sublata est, quippe quod christifideles per vim metumque ad idolorum templa trahuntur; unde timendum est, ne proximum immineat sacris missionibus excidium: nec fraternitati tuae nec aliis in vineâ Dei adlaborantibus insunt vires, quibus per vim etiam christifideles, ut vestris mandatis eâ, qua par est, reverentiâ obediant, cogi possint. Tartari pariter, et ipsi fideles, tam intra Pekini moenia, quam in suburbiis, sub gravi durae servitutis iugo degentes, omni procul dubio antiquis indulgentiis permissionibusque per abusum inhaerentes, ne a dominis ad imperatorem deferantur, apostolicarum constitutionum observantiam periculis ac tormentis posthabebunt; quamvis fraternitas tua aliique missionarii per pastorales exhortationes monere obtestarique minime omittant.

Pontifex ostendit necessariam fuisse constitutionum editionem.

§ 4. At liceat ut fraternitati tuae replicemus, post susceptum consilium onusque per tot annos retinendi servarique faciendi patrios Sinarum ritus priscasque caeremonias, propositis tot tantisque in varias partes trahentibus dubiis et disputationibus, post diuturnam accuratissimamque, adhibitis diligentiis requisitisque debitis notitiis, eorumque rituum et caeremoniarum discussionem, fieri ne poterat, ut sine gravissimo conscientiae angore consilia tantâ providentiâ capta et constitutiones tantâ sapientiâ propositae amplius differrentur? Certe, si obfirmatis patronorum proscriptorum rituum caeremoniarumque huiusmodi sensibus votisque assensum satisfactumque fuisset, nunquam profecto advenisset tempus (verba tua usurpamus) angustiandi vasa carnis? Nos quidem non latet, vobis deesse cogendi compellendique vires; sed scimus et certi sumus, eamdem inesse vobis virtutem, quam habebant SSmi Iesu Christi Apostoli (si tamen apostolico spiritu ducti ad Evangelium praedicandum ad remotissimos populos accessistis) qui, reponentes omnem fiduciam in eo, qui eos confortabat, Deo, et ferventis caritatis zelo et verbi divini ministerio non solum gentes ad credendum perducebant, sed credentes etiam, nova fidei germina collectumque Iesu Christi gregem providentissime regebant, et suaviter fortiterque incendebant et excitabant ad illud iucundissimum spectaculum a Minucio Felice descriptum, praesertim ubi ob oculos ponit laetitiam christifidelium, qui, intentatas minas obiectaque tormenta despicientes, libertatem suam adversus reges et principes erigebant, soli Deo cedebant.

Nec pro obtinenda earum observantia vim coactivam missionariis opus esse.

Persecutionem adversus fideles in Sinis, ob Sedis Apostolicae decreta augeri non potuisse.

§ 5. Ingenti cum animi nostri dolore et graviori, quam explicari possit, moerore tuum excepimus sane nuntium de persecutionibus istic adversus sacrosanctam Iesu Christi religionem saevientibus: verum quod huiusmodi persecutiones, si minime fuissent proscripti ritus caeremoniaeque Sinenses, si minime sublatae fuissent indulgentiae permissionesque laudati Caroli Ambrosii Patriarchae, vel desinerent vel mitiores fierent, sive praedicandi Evangelium libertas magis coalesceret, nec christifideles ad idolorum templa raperentur: haec ne ii quidem sibi, qui res iuxta humanae prudentiae regulas diiudicant, unquam persuadebunt; quanto magis eadem in animum numquam inducent suum ii, quibus pro comperto exploratoque est, quod christiana Religio inter persecutiones semper increverit adoleveritque. Omnibus iam notum est, in rebus ad orthodoxam Religionem spectantibus patientiam sive tolerantiam, ubi de superstitione vel idololatriâ agitur, nullo pacto haberi posse: tunc enim, iuxta Tertullianum: *Omnis patientia huiusmodi idololatria.* Ceterum, unicum ac singulare solatium, quo nos dolentes moerentesque consolamur, inde affertur, quod ex tuis literis perspicimus, te pro debitâ apostolicis constitutionibus et decretis observantiâ probe studiosum planeque accensum esse. Quamobrem fore, in Patre misericordiarum et Deo totius consolationis confidimus, ut christifideles proposito fraternitatis tuae exemplo, zelo, operâ, consiliis et monitis excitati, orthodoxam fidem integram reliquiarumque gentilitatis omnino puram putamque, ad principis etiam tenebrarum contemptum despicatumque, constanti pectore profiteri, et coram hominibus Iesum Christum confiteri non erubescant. Nam *utile est et salutare,* ut S. Cyprianus Episcopus et Martyr verbo et opere docuit, *cum se Episcopus per firmamentum fidei fratribus praebet imitandum.* Interea a bonorum omnium largitore Deo uberrimam caelestium charismatum copiam fraternitati tuae apprecantes, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, etiam peramanter impertimur.

Nullam conniventiam in causa fidei adhiberi posse demonstrat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. decembris MDCCXLIV., pontificatus nostri anno V.

LIX.

Dispensat super interpellatione prioris coniugis in infidelitate relicti, cum neophytis in Pio Loco cathecumenorum Venetiis, ad effectum contrahendi matrimonium cum fideli (1).

Venerabili fratri Martino Innico Archiepiscopo Calcedonien., moderno, necnon pro tempore existenti Nostro et Sedis Apostolicae in dominio Venetorum Nuntio,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

In suprema catholicae Ecclesiae administratione imbecillitati nostrae a Pastorum principe Iesu Christo imposita, inter caeteras gravissimas pastoralis officii nostri sollicitudines ac curas, eam praecipuam esse magis magisque in dies experimur, qua et creditarum nobis ovium regimini prospicere, et animarum saluti tenemur consulere.

Loci Pii institutum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Priores et Gubernatores Loci Pii cathecumenorum civitatis Venetiarum, quod Locus Pius huiusmodi ab usque anno MDLVII. fundatus a tribus virorum dissimilis conditionis, nempe regularium, nobilium et civium, ordinibus, quibus pro tempore existens venerabilis frater Patriarcha Venetiarum semper praeesse debet, iamdudum administrare, regi, et gubernari pergit. In hoc autem infideles, Iudaei et Turcae utriusque sexus, in distinctis cubiculis, ab eorum respective Priore et Priorissa, tamquam in vera et reali clausura conviventes, catholicae fidei rudimenta et dogmata edocentur, ac postmodum, praemissis longis diligentibusque examinibus, in propria dicti Loci Pii ecclesia sacris lustralibus aquis abluuntur: illam subinde Priores et Gubernatores praedicti sibi curam assumunt; ut neophyti quidem huiusmodi in iis sese, pro suo quisque captu et ingenio, exerceant artibus, ut vitam inde honeste ducant; neophytae vero iis eleemosynarum subsidiis coadiuvantur, ut vel in Domino, vel in saeculo, nubere possint.

Difficultas impediens matrimonia Neoph.

Quoniam autem saepe contigit, utriusque sexus infideles, Iudaeos et Turchas huiusmodi, post contracta gentili ritu matrimonia, vel maritum uxorem, vel uxorem virum seu maritum, ut catholicam religionem amplecti possint, deserere, aliosque captivos factos, a propriis finibus et propriis coniugibus in alias regiones transferri; atque adeo dictis utriusque sexus infidelibus, Iudaeis et Turcis, ad fidem catholicam conversis deesse modum et opportunitatem, vel quia interdum in hostilibus et barbaris provinciis, ad quas ne nuntiis quidem patet accessus, commorantur, vel quia ignorant prorsus in quibus regionibus sint, vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem, ad monendos interpellandosque utriusque sexus coniuges, *an cohabitare velint sine contumelia Creatoris;* atque hinc fieri, ut non minima novis hisce matrimoniis obiiciatur difficultas, qua obstante, saepissima et gravissima damna consecuta sunt. Eapropter exponentes praefati, ut hisce incommodis remedium afferre possint, per nos opportune provideri, et, ut infra, indulgeri summopere desiderant.

Tribuitur Nuntio facultas dispensandi super interpellatione coniugum in infidelitate relict.

§ 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, et quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica deputatorum consilio, fraternitati tuae, et pro tempore existenti Nuntio Venetiarum, ut cum quibuscumque utriusque sexus neophytis, vel infidelibus, vel Iudaeis, vel Turcis, aliisque personis cuiuscumque sectae huiusmodi in dicto Loco Pio pro tempore existentibus, seu in illum prius receptis et admissis, ac postmodum inde egressis, vere ad fidem conversis, qui ante baptismum matrimonia, ut praefertur, contraxerint, ut eorum quilibet, etiam superstite coniuge infideli, Iudaeo et Turca, etiam eius consensu vel requisito et non expectato, vel minime requisito; dummodo etiam tibi constet summarie et extraiudicialiter, coniugem absentem moneri legi-

(1) Ex Bull. Ben. XIV. Romae ed.

time non posse, aut monitum, intra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem significare neglexisse; matrimonium cum quovis fideli et catholico, praemissis prius proclamationibus seu denuntiationibus a Concilio Tridentino praescriptis, in faciem Ecclesiae rite contrahere, ac carnali copula consummare, et in matrimonio sic contracto, quoad vixerint, remanere libere et licite possint, auctoritate nostra apostolica dispenses et indulgeas; praeterea matrimonia inter neophytos huiusmodi, et alios fideles et catholicos alias rite contracta, etiamsi postmodum innotuerit priores coniuges infideles, vel Turcas, aut Iudaeos, nonnullis legitimis impedimentis detentos, suam voluntatem significare minime potuisse, vel ad fidem etiam tempore secundi matrimonii conversos fuisse, ullo umquam tempore rescindi minime debere, sed illa semper firma, valida et inviolabilia existere et fore, dicta auctoritate decernas et declares, plenam et amplam facultatem et potestatem, eadem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Et permittendi celebrationem matrimonii per adventum prioris coniugis non rescindendi.

Cum derogationibus opportunis.

Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et sinodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. Ian. MDCCXLV., pontificatus nostri anno V.

LX.

***Esum carnium permittit, iuxta modum, diebus sabbati per annum in Indiarum regionibus et alibi* (1).**

Venerabili fratri Henrico Archiepiscopo Nazianzeno, apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem catholicum nostro et Apostolicae Sedis Nuntio,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Summarium precum et rationum.

Iampridem a dilecto filio nostro Troiano S. R. E. Cardinali Aquaviva nuncupato, pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici, supplicatum nobis fuit, ut regnis Castellae, Legionis, atque Indiarum, in quibus veteri consuetudine licet edere partes extremas animalium, pedes nempe, alas, colla atque intestina die Sabbathi per totius anni spatium, non tamen diebus Sabbathi per quadragesimam occurrentibus, aut cum ieiunium praecipitur, apostolica auctoritate licentiam et facultatem impertiremur reliquas etiam partes ipsorum animalium Sabbatho edendi, uti caeteris hebdomadae diebus fieri consuevit: ea vero causa potissimum in medium ferebatur, arduum prorsus ac difficile esse vetitas animalium partes satis accurate ac diligenter secernere a reliquis partibus, quae in cibum permittuntur, idque molestos scrupulos ac dubietates in animis fidelium excitare.

Consilium b. m. Card. Belluga.

§ 1. Quapropter opinionem b. m. Ludovici, dum viveret, S. R. E. Cardinalis Bellugae nuncupati, exquisivimus, qui sententiam suam scripto exaratam nobis declaravit, nempe in regnis Castellae, Legionis et Indiarum, veterem morem obtinuisse, ut Sabbathis simplicibus, idest quibus nullum ieiunii aut quadragesimae praeceptum indicitur, edere liceret pedes, alas et colla animalium; eadem tamen facultate carere regna Aragoniae, Valentiae, Maioricae, Minoricae et Principatum Cathalauniae, quibus in locis temperantia a carnibus eodem pacto per Sabbathum, quo per dies veneris observatur. Tandem idem Cardinalis affirmavit eo rem devenisse, adeoque solicitos et anxios esse populos omnes, qui versantur in illis locis, ubi partibus extremis animalium vesci solummodo, reliquis autem abstinere debent, ut necessarium duxerit elargiri licentiam et facultatem, quae a memorato Cardinali Aquaviva, uti dictum est, petebatur.

Pontifex aliorum sententias exquirit ex Hispania, et in urbe.

§ 2. Consilio tanti Cardinalis, quem nos semper maximi fecimus ob singularem pietatem, doctrinam et rerum Hispanarum cognitionem, acquiescere tutissime poteramus; sed, cum nulla diligentia supervacanea iudicari deberet in hoc gravissimo negotio, in quo disciplina nimis relaxari et pravae consuetudini nova superaddi videbatur ab institutis Ecclesiae prorsus aliena, aliorum pariter in hac re sententias requisivimus. Itaque, postquam certi facti sumus,

---

(1) De ieiunii disciplina vide literas apost. *Non ambigimus*, MDCCXLI. *In suprema*, MDCCXLI. *Libentissime quidem*, MDXLV.

Episcopos et viros ecclesiasticos Hispanos, sapientiae ac pietatis laude insignes, qui in Hispania degunt, in hanc opinionem convenire omnes, non modo utile sed necessarium esse, populis, quos antea nominavimus, elargiri licentiam et facultatem, ut non solum quibusdam partibus animalium, sed omnibus libere ad mensam utantur per Sabbatha simplicia; et si nequaquam id liceat, illud necessario consequi, ut illi, qui Deum timent, in maximas angustias ac dubietates adducantur, caeteri vero, qui parum de Ecclesiae disciplina solliciti sunt, ipsam apertissime atque iniuriose contemnant; rem etiam universam praeclaris theologis doctisque viris hic Romae examinandam proposuimus; nosque ipsi accurato studio perpendimus.

Rationes et exempla colligit pro concessione indulti.

§ 3. Ac primum in mentem venit integram abstinentiam a carnibus indicere per dies Sabbathi, quemadmodum tot aliae nationes et plura quoque Hispaniarum loca facere magna religione consueverunt. At nos (omittimus hic recensere, qualiscumque sit, illorum opinionem, qui hanc consuetudinem edendi postremas animalium partes tum caepisse arbitrantur, cum fel. rec. Adrianus I. Egilam Toleti Archiepiscopum vehementer obiurgavit, eo quod in Hispania carnes apponerentur die Sabbathi, sicuti in Graecia fieri solebat). Nos, inquam, permoti exemplo Sancti Greg. VII. praedecessoris itidem nostri, qui potius admonens, quam praecipiens, hortatus est christianos, ut Sabbathi diebus a carnibus abstinerent, nisi forte solemne aliquod festum iisdem diebus celebraretur; adducti pariter exemplo Innoc. III. praedecessoris similiter nostri, qui huiusce consuetudinis plurimam rationem habuit; insuper expendentes doctrinam Sancti Antonini, aliorumque praestantium theologorum, illos nempe lethali culpae obnoxios esse, qui die Sabbathi absque legitima causa vescantur carnibus, *in iis locis, ubi consuetudo contraria fuerit;* postremo illud animo cogitantes, non solum in Hispania, sed etiam in quibusdam Galliae dioecesibus, veteri instituto, carnis esum permitti in Sabbathis, quae inter diem natalem Domini, ac festum Purificationis interiiciuntur; his, inquam, causis perducti, primum consilium, quod in mentem venerat, deposuimus, facili coniectura perspicientes maximam difficultatem, quae futura erat, si consuetudinem diuturnitate temporis confirmatam abrogaremus iis populis, quibus edere postremas animalium partes permittitur.

Difficultas servandi fines limitatae licentiae.

§ 4. Post hoc consilium, aliud nobis occurrit, nempe veterem consuetudinem ab ea, quae recentior est, secernere, sive, quod idem prorsus est, solum indulgere ut intestina et partes extremae animalium in mensam afferantur, uti consuetudo iamdudum tenuit, at simul auctoritate nostra praescribere, ne reliquae partes animalium in cibum sumantur; sed huic sententiae magnopere adversantur ea, quae superius commemoravimus, nempe dubietates molestique scrupuli fidelium ex una parte, et ex altera contemptus abstinentiae, quam facile negligerent illi, qui divino timore parum ducuntur: quae cum ita se habeant, solum supererat facultatem largiri, ut diebus simplicis Sabbathi, non vero quadragesimae, carnes absque ullo discrimine permittantur: siquidem hoc pacto ratio habetur humanae fragilitatis ac tenuitatis; pii fideles ab omni sollicitudine metuque eripiuntur; ac postremo plurimis scandalis aditus intercluditur.

Plenarii indulti concessio pro Sabbathis non privil.

§ 5. Qua de causa, morem gerentes voluntati eiusdem Philippi regis catholici, et obsecundantes vehementi studio tot virorum, qui in Hispania commendatione pietatis excellunt, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut nostro nomine nostraque apostolica auctoritate permittas et indulgeas, ut in regnis Castellae, Legionis atque Indiarum, per dies Sabbathi (quibus tamen neque abstinentia consueta quadragesimae, neque aliud ieiunium praecipitur) quibuslibet animalium partibus fideles vescantur; eam vero conditionem adiicimus, nempe si consuetudo huiusmodi postremas animalium partes edendi diebus Sabbathi iamdudum in iisdem regnis invaluerit, et a veritate aliena minime sint pericula nobis exposita, et ipsa certo subeunda videantur, si carnium esus ad certas animalium partes solum redigatur. Interea apostolicam benedictionem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Conditiones adiectae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. ian. MDCCXLV., pontificatus nostri anno V.

LXI.

Constitutionem, quae incipit Sacramentum poenitentiae, *confirmat et dubia super ea excitata declarat* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Pontificis sollicitudo pro recta ecclesiasticarum legum intelligentia.

Apostolici muneris partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et iusta, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis, perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus.

Dubia excitata super sensu constitut. contra solicitantes.

§ 1. Sane cum nos alias per quamdam nostram constitutionem, cuius initium est *Sacramentum poenitentiae,* anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, kalendis iunii, pontificatus nostri anno primo editam, omnibus et singulis sacerdotibus tam saecularibus, quam regularibus interdixerimus et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum decalogi praeceptum commisso, excipere auderet; itaut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui iurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per nos vigore eiusdem constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum nos subinde super ea dictae constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cuiusque iudicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis coniecturis et opinionibus iactata, in sensus a mente nostra alienos forsitan distrahatur, eiusque vigor paulatim langueat atque enervetur.

Constitutio confirmatur in omnibus.

§ 2. Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, memoratam constitutionem nostram cum omnibus et singulis in ea contentis, tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre,

---

(1) Vide supra pag. 25. Addimus sequens

DECRETUM

Sanctae Universalis Inquisitionis super perpetua inhabilitatione Sacerdotum ad turpia sollicitantium, vel Sacrificio Missae abutentium ad sortilegia.

Feria V. die v. *augusti* MDCCXLV.

In generali Congregatione Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino Nostro Benedicto divina providentia Papa XIV., et Eminentiss. ac Reverendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Sanctissimus Dominus Noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto Missae Sacrificio, ac salutaris Poenitentiae Sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes tam saeculares, quam regulares cuiuscumque Ordinis, Instituti, Congregationis et Societatis etiam de necessitate exprimendae, vel in actu sacramentalis Confessionis, sive illius occasione aut praetextu, ad turpia sollicitantes, vel Sacrificio Missae abutentes ad sortilegia, praeter poenas a iure et apostolicis constitutionibus, ac signanter san. mem. Sixti V. et Gregorii XV., contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad praefati Sacrificii celebrationem; quodque eiusmodi decretum significetur singulis cuiuscumque Ordinis superioribus ac praepositis, ad hoc ut de illo, sicuti et de praedictis aliisque Summorum Pontificum constitutionibus, iuxta praescriptum in generali decreto Supremae Inquisitionis diei XV. decembris MDCXXXIII., semel saltem in anno, feria sexta post octavam Assumptionis B. Mariae Virginis, in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque generali vel provinciali capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos ac religiosos commonendos curent, eiusdemque commonitionis coram suprema Congregatione iuratum testimonium exhibeant.

PAULUS ANTONIUS CAPPELLONUS
S. Rom. et Univ. Inquisit. Notarius.

Loco ✝ Sigilli.

Die XXI. *augusti* MDCCXLV. *supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum palatii S. Officii, ac aliis locis solitis et consuetis urbis, per me Petrum Romolatium Sanctissimae Inquisitionis Cursorem.*

penitus et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus. Praeterea, habita super his cum venerabili fratre nostro Vincentio Episcopo Praenestino S. R. E. Cardinali Petra nuncupato poenitentiario nostro maiori, ac dilectis filiis officii Poenitentiariae Apostolicae ministris, qui rem iussu nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, edicimus ac declaramus, eadem constitutione singulis, ut supra, sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab huiusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, ita interdici re ipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impertiri.

Praesertim quoad prohibitionem absolvendi etiam in art. mortis, ubi alius sacerdos haberi possit.

Prohibitio remittitur si adsit infamiae aut scandali periculum.

§ 3. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat; tunc alium sacerdotem perinde haberi censerique posse, ac si revera abesset atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu, non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiusmodi sacerdos, et serio animadvertat, fore se re ipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam nostram constitut. inobedientiae, latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt; imo intelligat, teneri si graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius confessionis, absque ullius infamia vel scandalo, audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae nostrae constitutionis declaramus; et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et praecipimus.

Quod tamen praeverti, aut amoveri iubetur.

Contravenientes nihilominus in art. mort. valid. absolvunt.

§ 4. Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut praefertur, constitutae sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente, praesumpserit; quamvis huiusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non defuerint: non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam iurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: nihilominus sacerdos ipse violatae ausu eiusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta constitutione maiorem excommunicationem, eodemque plene modo, quo ibidem decernitur, nobis et huic Sanctae Sedi reservatam, incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus, atque statuimus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praefata nostra constitutione voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sed poenas et cens. in constitut. latas incurrunt.

Praesentium exemplis auct. tribuitur.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII. februarii MDCCXLV., pontificatus nostri anno V.

LXII.

Derogatis constitutionibus S. Pii V. et Greg. XIV. et aliis, decernit in omnibus Orientalium Indiarum regionibus religiosos cuiuscumque Instituti non posse munia parochialia exercere, nisi praevio examine et approbatione Ordi-

nariorum, atque in iis exercendis horum iurisdictioni esse subiectos (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium a Pontificis providentia in asserenda Episcoporum iurisdictione.

Quamvis ad confirmandum ecclesiastici regiminis ordinem, superiori pontificatus nostri anno, videlicet octavo idus novembris MDCCXLIV., apostolicas literas ediderimus, quarum initium est: *Firmandis, atque asserendis:* in quibus non modo sacrosanctae Tridentinae Synodi decretis, ac praedecessorum nostrum Romanorum Pontificum constitutionibus inhaerentes, iurisdictionem Episcoporum in omnes et quoscumque regulares, animarum curam personarum saecularium exercentes constabilivimus; verum etiam, iudicia sequentes in peculiaribus controversiis prolata a Congregationibus generalibus venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ecclesiasticis discutiendis negotiis auctoritate apostolica praepositorum, certos et congruos limites constituimus, quibus tum episcopalis auctoritas in praedictorum regularium ecclesias, atque personas, tum exemptiones in huiusmodi rerum genere ab ipsis regularibus praetensae, et pluribus in casibus eisdem debitae, continerentur: has tamen alteras pari auctoritate literas adiicere compellimur, ut hac ipsa in re parochialium etiam ecclesiarum, quae in Indiarum regionibus sunt, optimo regimini, atque utiliori administrationi, quantum cum Domino possumus, similiter consulamus.

Eandem peculiariter firmare intendit pro Indiarum regionibus.

Personae curam animarum exercentes, quamvis Regulares, iurisdictioni Ordinariorum subsunt ex Concilio Trid.

§ 1. Sane, ubicumque animarum cura personarum saecularium adnexa sit monasteriis seu domibus regularium virorum sive mulierum, quicumque huiusmodi curam exerceat, sive is regularis sive saecularis sacerdos existat, in his, quae pertinent ad ipsam curam et ad Sacramentorum administrationem, Episcopi dioecesani iurisdictioni, visitationi et correctioni subesse debet; ipso iubente Sacro Tridentino Concilio *sess. 25, cap. 11, de Regularibus,* per haec verba: *In monasteriis seu domibus virorum seu mulierum quibus imminet animarum cura personarum saecularium, praeter eas, quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum familia, personae tam regulares quam saeculares huiusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi sunt sita.* Cuius etiam Concilii providentia ulterius statutum est, ut nemo ad animarum curam in praedictis ecclesiis, etiam ad tempus, sive amovibiliter ad nutum, exercendam, admittatur vel deputetur, absque consensu Episcopi, et sine examine coram ipso, vel coram ipsius Vicario, antea faciendo; sic enim decrevit: *Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de eiusdem consensu, ac praevio examine per eum aut eius Vicarium, faciendo.*

Nemo ad curam assumi debet eodem Concilio, nisi de consensu et approbatione Ordinarii.

S. Pius V. anno MDLXVII. ex specialibus causis indulsit, ut Regulares in Indiis maris Oceani independenter ab Ordinariis curam exercere possent.

§ 2. Equidem alias beatae memoriae praedecessori nostro sancto Pio Papae V. ex parte clarae memoriae Philippi II. Hispaniarum regis catholici exposito, quod in partibus Indiarum Maris Oceani, propter deficientiam presbyterorum, officia et munia parochialia a religiosis viris exercebantur, qui, magno animarum fructu, Indorum conversiones promovebant, et, Ecclesiae Sacramenta eisdem administrando ac Verbum Dei praedicando et explicando, religioni ac pietati utilem navabant operam; idem Pius praedecessor, supplicationibus super hoc ex parte dicti Philippi regis humiliter sibi porrectis inclinatus, per suas literas incipientes *Exponi nobis,* datas apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXIV. martii anno MDLXVII., omnibus et singulis religiosis, quorumcumque etiam Mendicantium Ordinum, in dictis Indiarum partibus, in eorumdem Ordinum monasteriis, vel de suorum superiorum licentia extra illa commorantibus, ut in locis ipsarum partium eis de simili licentia assignatis, vel assignandis, officium parochi, matrimonia celebrando et ecclesiastica Sacramenta ministrando, prout eatenus consueverunt, (dummodo ipsi in reliquis eiusdem Concilii Tridentini formam observarent), exercere, et Verbum Dei, quatenus Indorum illarum partium idioma intelligerent, de suorum superiorum licentia, in eorum capitulis provincialibus obtenta, praedicare ac confessiones audire, libere et licite valerent, seclusa etiam Ordinariorum locorum licentia, per haec expressa verba: *Ordinariorum locorum, et aliorum quorumcumque licentia minime requisita,* facultatem

(1) Ex collect. Mainardi.

auctoritate apostolica concessit, et indulsit: volens insuper, et eadem auctoritate statuens, *ne in locis dictarum partium, in quibus essent monasteria religiosorum, qui animarum curam exercerent, aliquid per Episcopos innovaretur.*

Concessionem huiusmodi effectu caruisse, plura suadent.

§ 3. Verum huiusmodi privilegium sive indultum a sancto Pio praedecessore, ut praefertur, concessum, immutatis forsan rerum circumstantiis, executione et effectu caruisse oportet. Siquidem aperte conspicimus Episcopos praedictarum regionum, non multos post annos, suam in praemissis auctoritatem et iurisdictionem resumpsisse. Etenim in prima Synodo Limana provinciali anno domini MDXXXII. celebrata, praesidente in ea sancto Turribio, tunc, dum in humanis agebat, Ecclesiae Limanae Archiepiscopo, ipsius Synodi *cap. 16*, ita expresse cautum reperimus: *Nullus posthac clericus parochiam Indorum absque Episcopi collatione suscipiat, vel administret: qui alias susceperit, etiamsi proprio rectore parochia destituta sit, anathemate feriatur. Idem a regularibus observetur.* Eidemque Limanae Synodo consonat provincialis itidem Synodus Mexicana anno domini MDLXXXV. sub bonae memoriae Petro Moja de Contreras Archiepiscopo congregata et successive, nempe anno MDLXXXIX. ab Apostolica Sede examinata et approbata, quae sub titulo: *De visitatione propriae provinciae* § *III.* statuit, ut infra, videlicet: *Visitent Episcopi Ecclesias, et quas doctrinas vocant seu conditiones, ubi religiosi commorantur etc. Visitent etiam religiosos in praedictis doctrinis, seu conditionibus degentes, quoad animarum curam, quam exercent; eosque paterno zelo corrigant, eorum honori et bonae famae prospiciant, atque id omne praestent, quod ad effectum eiusmodi necessarium sit, iuxta decretum Sacri Concilii Tridentini;* collimantibus in eumdem scopum his, quae praescribuntur inferius: *Tit. de Regularibus et Monialibus* § *XIX.* ibi. *Iuxta id, quod a Concilio Tridentino decretum est, et per schedam regiae maiestatis dispositum, regulares qui Indorum curam gerunt, ab Ordinariis visitari, eisdem subditi esse debent, tam quoad doctrinam edocendam, quam quoad Sacramenta administranda.*

I. Dispositio Synodi provincialis Limanae anno MDXXXII.

II. Et Synodi provincialis Mexicanae anno MDLXXXV.

Et licet literae Pii V. a Gregorio XIV. confirmatae fuerint,

§ 4. Quamvis vero subinde a piae memoriae Gregorio Papa XIV. praedecessore quoque nostro aliae apostolicae literae, quarum initium est: *Quantum animarum,* aliaeque incipientes: *Exponi nobis,* anno MDXCI. emanaverint, per quas superius relatae Sancti Pii praedecessoris literae confirmatae fuerint et innovatae; quum tamen felicis recordationis praedecessor pariter noster Clemens Papa VIII., per suas literas in simili forma brevis sub die VIII. novembris anni MDCI. expeditas, quae incipiunt: *Religiosorum quorumcumque* (1), in forma specifica confirmaverit et approbaverit resolutionem congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, per quam firmatum extiterat, *regulares,* qui *ab eorum superioribus nominati, et a locorum Ordinariis seu officialibus approbati,* ad animarum curam in Indiarum partibus exercendam, *ob penuriam Sacerdotum saecularium,* mitterentur, non quidem habendos et reputandos esse tamquam Regulares extra claustra vitam degentes; siquidem aliquot per singulas hebdomadas diebus ab ecclesiis sibi commissis discedentes, in propriis religiosis domibus versabantur; sed *in concernentibus curam animarum, Ordinario loci subesse; in reliquis vero, non Ordinario loci, sed suis superioribus subiectos remanere, de quorum licentia extra claustra degunt.* Quum deinde similis recordationis Gregorius Papa XV. etiam noster praedecessor in sua generali et perpetuo valitura constitutione, quae incipit: *Inscrutabili,* per quam omnes indistincte Regulares animarum curam saecularium personarum exercentes, aut quoquo modo Sacramenta administrantes, Episcoporum visitationi et correctioni subiecit; quibuscumque contrariis constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque Ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium, militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum et cuiusvis alterius Instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi, nec non statutis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus, indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa et titulo oneroso

III. Nihilominus Clem. VIII. Regulares animarum curam in Indiis exercentes ordinariis subiectos voluit.

IV. Gregorius XV. generaliter omnes Regulares curam exercentes Ordinariis subiecit.

(1) Maiori quo potuimus studio quaesivimus has lit. Clementis VIII., sed usque nunc invenire non potuimus: si in Archivio Brevium vel alibi inveniemus, lector eas inveniet in nota ad constitut. Leonis XIII. *Romanos Pontifices.*

concessis, etiam mari magno seu bulla aurea, aut aliter nuncupatis, specialiter et expresse de apostolicae potestatis plenitudine plenissime derogaverit.

v. Innocentius X. iuxta votum dictae congregat. literas S. Pii V. in locis, ubi esset defectus parochorum, suffragari decrevit.

Quum insuper noster quoque praedecessor Innocentius Papa X. in suis pariter literis apostolicis anno MDCXLVII. datis, quae incipiunt: *Cum sicut accepimus,* confirmans praefatae congregationis resolutionem editam in causa *Angelopolitana* Indiarum Occidentalium novae Hispaniae, approbaverit ipsius congregationis sententiam, quae ad propositum dubium: *An bulla Pii V.* XXXIV. *in ordine* (ea nimirum, cuius nos superius meminimus) *concessa instante, et supplicante serenissimo rege catholico, non ad petitionem Regularium sit revocata in bullis Summorum Pontificum, in quibus exemptiones Regularium mitigantur,* respondit: *Agendum cum Sanctissimo, an velit declarare, bullam non esse revocatam, illam tamen non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus parochorum.*

vi. Regulares in dictis regionibus ad curam actu non admittuntur, absque examine et approbatione Episcoporum.

Quum denique ipsi catholici Hispaniarum reges, de sacrorum canonum observantia optime meriti, et de Tridentini Concilii executione soliciti, Episcopis per Indias sibi subiectas constitutis opem auctoritatemque praestiterint, ut legitima iurisdictione in regulares animarum curam exercentes in suis respective dioecesibus, pacifice fruerentur: iam constat, ipsis fatentibus Hispaniae nationis scriptoribus, neminem ex Regularibus nunc in iis regionibus ad obeunda parochialia munia in personas saeculares admitti, nisi praevio examine et approbatione Episcoporum localium, sive ipsorum respective officialium; et tam Concilii Tridentini decreta, quam Romanorum Pontificum constitutiones huiusmodi decretis consentaneas, in praedictis regionibus suum robur et observantiam obtinere.

Archiepiscopus Goae iurisdictionem in Regulares ad curam animarum deputatos exercet.

§ 5. Neque porro in Indiis Orientalibus ignota sunt eorumdem apostolicorum et conciliarium decretorum statuta: siquidem ex civitate Goana, celeberrimo in Indiis Orientalibus Lusitaniae regno subiectis emporio, nuperrime accepimus, venerabilem fratrem modernum ipsius civitatis Archiepiscopum, ipso praesertim favente charissimo in Christo filio nostro Ioanne illustri Portugalliae et Algarbiorum rege, cuius perspecta pietas et ecclesiasticae disciplinae zelus hac etiam in re clarissime emicuerunt, atque adiuvante dilecto filio nobili viro Marchione Castri-novi in praedictis regionibus pro-rege, ac strenuo regiae voluntatis administro; concessam sibi a Tridentina Synodo iurisdictionem et facultatem, quoad examen et approbationem Regularium ad animarum curam personarum saecularium deputatorum, intra dioecesis suae fines, plenissime, ut par erat, exercuisse.

Pontifex, Concilii Tridentini decreta et constitutiones in hac re editas, in omnibus Indiarum Orientalium regionibus locum habere decernit.

§ 6. Sed quoniam eorum, quae bene statuta sunt, quaeque ad optimum ecclesiarum statum maxime pertinent, perpetua et generalis executio, atque inconcussa observantia, magnopere nobis cordi esse debet; neque committendum, ut ullus in posterum dubiis et controversiis aditus pateat in huiusmodi rerum genere, in quo maximum ecclesiasticae disciplinae momentum vertitur; idcirco motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, volumus, statuimus et ordinamus, praedicta Tridentinae Synodi decreta, singulasque apostolicas constitutiones, tam a praedecessoribus nostris, quam a nobis, in eorumdem decretorum confirmationem, ampliationem et extensionem editas, quoad Episcoporum iura, ac debitam ipsis subiectionem a regularibus animarum curam personarum saecularium exercentibus; ut nempe Regulares ipsi, etiam quantumvis exempti, ad huiusmodi curam obeundam, sine praevio Ordinariorum locorum examine et approbatione, accedere aut in ea se ingerere nequeant, et in iis omnibus, quae ad praedictam curam quoquomodo pertinere dignoscuntur, eorumdem Ordinariorum iurisdictioni, visitationi et correctioni subiaceant; deinceps tam in praedicta Goana, quam in reliquis Indiarum Orientalium civitatibus, dioecesibus atque provinciis, locum omnino habere, ac perpetuo et incommutabiliter observari debere: decernentes et declarantes, praesentes nostras literas omnes et singulos regulares quorumcumque tam mendicantium, quam non mendicantium Ordinum, militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, etiam Iesu, et cuiusvis alterius Instituti etiam speciali mentione digni, ac necessario et in individuo exprimendi, ac quibusvis privilegiis et exemptionibus suffulti, omnino arctare et afficere, eosque ad plenariam et integram praemissorum observantiam fore efficaciter obligatos.

Et sub hac dispositione Regulares cuiuscumque instituti comprehendit.

Praesentes nullo defectu notari posse statuit.

§ 7. Insuper easdem praesentes, etiam ex eo, quod superiores regulares, et caeteri quicumque in praemissis interesse haben-

tes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato ac substantiali, aut ex quocumque alio capite a iure vel facto, aut statuto vel consuetudine aliqua, resultante, aut quocumque alio colore vel causa quantumvis privilegiata, etiam in corpore iuris clausa, ac tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, in ius vel ad controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci vel adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, sive aliud quodcumque facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari posse; sed ipsas semper perpetuoque validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, necnon Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis Apostolicae Nuntios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere: et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariis plenissime derogat.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo; necnon memoratis Sancti Pii V. et Gregorii XIV. praedecessorum praedictorum respective literis, caeterisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis etiam in Conciliis Generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum, atque dictorum Ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium, Congregationum, Societatum, etiam praedictae militiae Sancti Ioannis Hierosolymitani et cuiusvis alterius Instituti, etiam Societatis Iesu, ac monasteriorum, collegiorum, domorum ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam ex causa et titulo oneroso, vel in limine fundationis, et in mari magno seu bulla aurea, aut aliter nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam ad imperatoris, regum, reginarum et rerumpublicarum, et quorumvis aliorum principum et personarum, quacumque ecclesiastica vel saeculari dignitate fulgentium instantiam, seu eorum intuitu et contemplatione, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet, etiam per viam communicationis et extensionis, concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus, quoad ea, quae praesentibus quomodolibet adversantur, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, ac quaevis exquisita forma servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Eiusdem transumptis tribuit.

§ 9. Et quia difficile foret praesentes literas, ad singula quaeque loca, in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferri, etiam volumus et eadem apostolica auctoritate decernimus, quod illarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra, ac, ubi opus fuerit, eadem prorsus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, innovationis, declarationis sive extensionis et ampliationis, derogationis, voluntatis, statuti ac decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCXLV., VI. kalendas martii, pont. nostri an. VI.

XLIII.

Praefecto apostolico caeterisque missionariis Cophtae Missionis instructionem tradit super dubiis ad ritus ecclesiae et nationis Cophtorum pertinentibus (1).

Dilectis filiis, Iusto Maraghi, in universa Aegypto Vicario Generali, et Iacobo a Cremisir Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiae, Praefecto Missionis Apostolicae in Aegypto, caeterisque Missionis Cophtae missionariis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium. Eo quamvis tempore, quo pro demandato nobis apostolicae servitutis onere tot tantisque curis circumdamur, ut pene obruamur, delata ad nos fuerint nonnulla postulata a religioso viro Iacobo a Cremisir Ordinis fratrum Minorum S. Francisci strictioris observantiae et missionum apostolicarum in Aegypto praefecto: nihilominus in eo, qui infirmitatem nostram misericorditer regit, confidentes, operam studiumque nostrum ad proposita enodanda dubia libenter adiecimus, in spirituale electi illius gregis solatium, qui magno licet intercedente terrarum spatio a nobis dissitus sit, paterno tamen cordi nostro charitate proximus efficitur.

Nationis Cophtae merita in S. Sedem. § 1. Quas sane pontificiae solicitudinis et providentiae partes cum a nemine desiderari patiamur, qui verum Deum per veram fidem agnoscat; peculiari sibi illas vindicat iure inclyta Cophtorum natio, quae praecipui cultus ac filialis obsequii, quo Romanam Ecclesiam omnium aliarum matrem et magistram prosequitur, non semel luculenta et perenni digna laude praebuit specimina; praesertim vero in Sacra Oecumenica Florentina Synodo, in qua fel. rec. Eugenio PP. IV. praedecessore nostro expetitam diu Graecae Latinaeque Ecclesiae unionem promovente, veteri eiusdem unionis incendi desiderio visa est, palamque edocuit, oportere membra sub uno in terris capite indivisa consistere. Id ipsum quoque testata est successoribus Romanis Pontificibus Pio IV. et Gregorio XIII. omni conatu in praemissae unionis scopum enitentibus; ac apertius etiam Clementi VIII., ad quem solemni et honorifica decreta legatione, obsequentis animi ac devotae in Romanam Ecclesiam voluntatis publica exhibuit testimonia. Hanc quoque egregiam propensionem adhaerendi Romanae Ecclesiae plane perspectam habuit alter noster praedecessor Urbanus PP. VIII., qui zelo et sedulitate pari in id potissimum incubuit, ut praedicta ecclesiarum unio indissolubili charitatis foedere pro virili parte firmaretur.

Missionariorum ex Ordinis S. Francisci laudes. § 2. Alacriores tamen prae omnium rationum momentis ad hanc exequendam pastoralis officii partem nos effecit iampridem concepta intimeque cordi nostro infixa spes maioris incrementi Catholicae Religionis et lucri animarum, quibus erudiendis in superiori ac inferiori Aegypto, et in urbe principe Cairo, strenuam invictamque navant operam apostolici missionarii ex Franciscana ut plurimum familia adlecti, qui nullo laborum aspectu territi, sed induti fortitudine ex alto, in summa rerum ac temporum difficultate, nationem illa toto olim orbe terrarum celeberrimam, nunc vero assiduis aerumnis attritam, ac pene confectam, verbo vitae informant, vigilesque laborant, ut novi in diem palmites in vineam Domini traducantur.

Examen adhibitum super dubiis, quorum resolutio differtur. § 3. Adhibitis itaque in consilium nonnullis ven. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, dilectisque filiis consultoribus in Congregatione supremae et universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem confidentibus, exquisitisque, quo maturius deliberare possemus, aliorum etiam doctrina et prudentia praestantium virorum suffragiis, eorumque praesertim, quibus Orientalium mores, ritus et instituta longo usu et experientia essent cognita planeque perspecta, privati nostri laboris accessione singulorum sententias scripto traditas expendimus atque libravimus. Cum tamen ad singula definienda dubia in praesentiarum quamplurima desiderentur; idcirco haec apostolica scripta missionariis exhibenda mandavimus, ut ea, quae definitivo reliquorum dubiorum iudicio facem quodammodo praeferre valeant, ad nostri apo-

---

(1) Vide infra Const. *Anno vertente*, MDCCL.

stolatus auditum quamprimum deducenda curent.

Dub. I. *Cum fideles Cophti catholicam profitentes religionem a baptismo ritu Ecclesiae Latinae collato hoc potissimum nomine abhorreant, quod baptizatis una simul non conferatur Sacramentum confirmationis: quaeritur, an in casu, quo Sacerdos ritus Cophti commode adiri nequeat, permittendum sit PP. Missionariis illico post baptismum confirmationem conferre.*

Dub. II. *An parochis ritus Cophti, qui a schismate redeunt ad catholicae Ecclesiae unitatem, tribuenda sit facultas administrandi catholicis Sacramenta parochialia, qua prius potiebantur inter schismaticos; quamvis eadem administratio, nullo existente parocho catholico, demandata sit PP. Missionariis.*

Dub. III. *An Cophtis proprio ritu in aetate puerili ad Diaconatus Ordinem promotis, ubi legitima ad contrahendum matrimonium aetas advenerit, liceat nedum primum, sed alterum quoque inire matrimonium, ex vi dispensationis obtentae a PP. Missionariis absque ullo speciali indulto apostolico.*

Dub. IV. *An dicti Diaconi officium divinum recitare teneantur.*

Ad I. dub. Disciplinam Ecclesiar. Orient. in conferendo Sacram. confirmat.

§ 4. Quod attinet ad primum, plane compertum nobis est, veteri more et disciplina invaluisse apud Cophtos, ut abluti sacro regenerationis lavacro illico ab eodem sacerdote post absolutas baptismatis caeremonias Sacro Chrismate liniantur, ut prae aliis testatur Thomas a Iesu *in suo tractatu de conversione gentium lib. 7, cap. 7.* De simultanea tamen utriusque Sacramenti administratione non una eademque fuit agendi ratio cum Graecis apud Orientales Ecclesias residentibus, et illis, qui commorantur in Italia et insulis eidem adiacentibus. Quemadmodum enim Graecis incolis Italiae expresse vetita est administratio utriusque Sacramenti ab eodem ministro contemporanee facienda; ita patientia quadam et facilitate Sedis Apostolicae factum est, ut unum et alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Graecis conferretur; nec defuere idcirco theologi, qui huiusmodi tolerantiam, veste et imagine tacitae dispensationis obducerent.

Propositi dubii inspectio duplex.

§ 5. Quo opportune praemisso, apte distinguenda sunt diversoque iure censenda duo, quae exinde profluunt, extrema: aliud enim est, quod Cophti ex Indulgentia Apostolicae Sedis licitam sibi adstruant collationem utriusque Sacramenti, servato Orientalis Ecclesiae ritu, ab eadem Apostolica Sede non expresse vetito, sed tolerato: longe vero diversum, quod tolerantiam in peiorem partem detorquentes, abhorreant a baptismo ritu latino collato, hoc potissimum nomine, quod seorsim a confirmatione administretur. Idcirco, sicuti lenitati et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Cophti in suo iamdiu recepto et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod baptismum ritu latino, et seorsim a confirmatione collatum, acerbo alienoque animo perhorrescant.

Disciplina Ecclesiae Occidentalis circa idem Sacramentum.

§ 6. Praeterea, licet apud Occidentales etiam Ecclesias in more posita quandoque fuerit baptismatis et confirmationis simultanea collatio, et haec consuetudo in aliquibus dioecesibus anteacto tempore inoleverit, iuxta exempla relata a *Vicecomite in tract. de confir. cap. 14* et a *Martene de antiqu. Eccles. rit. lib. 1, cap. 2, art. 1;* nihilominus, abrogato prorsus a Romana Ecclesia aliarum matre et magistra huiusmodi more, consultissimis Summorum Pontificum decretis provide cautum est, ut renatis fonte baptismatis conferretur Sacramentum confirmationis in ea solum aetate, in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligerent, tantum inter se differre baptismum et confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento; seque per baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per confirmationem vero ad pugnam roboratos, et ad perferendos agones per gratiam instructos. Ex quo fit, ut rigide animadverti in eos oporteat, si qui forte sanctioris huiusce disciplinae instituta refugerent, aut contemnerent; omnemque curam adhibendam esse, ut ab errore et caecitate, Ecclesiae latinae adeo iniuriosa, retrahantur.

Quam nefas est improbare.

Consequentiae declarationis expetitae, quoad schismaticos et haereticos.

§ 7. Verum attributa, iuxta propositum thema, sacerdotibus latinis facultate conferendi, statim post baptismum, confirmationem, tantum abest, ut Orientales captivari possint in obsequium veritatis, ut immo animo semper obfirmatore suae adhaererent sententiae, erga quam facilem se ac pronam Apostolica Sedes exhiberet. Praeterea haeretici et schismatici, qui improbo pravoque ut plurimum ingenio catholicorum facta interpretantur, vel inconstantiae notam inurerent latinis, a suscepta semel probataque disciplina deflectentibus; vel

suo exemplo eos commovisse et in suas traxisse partes superbe dictitarent, ipsa temere vertentes officia pietatis in elationis argumentum.

Indultum concedi potest ad utilitatem fidelium.

§ 8. Si itaque ea sit nationis Cophtae conditio, ut fideli populo confirmatio administrari nequeat ab Episcopis, quibus huius Sacramenti administrandi ordinaria potestas commissa est; minime nos latet, eamdem administrandae confirmationis potestatem ex Indulto Apostolico ad Sacerdotem vel Missionarium, pro modo necessitatis, quandoque deferri posse. Huiusmodi delegatio nec nova nec inusitata videri debet, cum S. Gregorii Magni aliorumque Romanorum Pontificum nostrorum praedecessorum sanctissimis innitatur exemplis. Cum enim saepe contigerit, christifideles pastoris solatio esse destitutos, et Episcopis ob distantiam locorum impossibile vel difficile admodum fuerit, populorum necessitatibus praesentes fieri; in hanc partem episcopalis ministerii vocati sunt Sacerdotes, dummodo uterentur chrismate ab Episcopo rite benedicto et consecrato: ne alias contingeret, fideles rem sanctitatis plenam cunctando negligere, vel decedere sine hoc Sacramento divinis muneribus cumulato, et ad nostram sanctificationem instituto.

Examinandum an adsit legitima causa.

§ 9. Apostolici igitur missionarii, non suae auctoritatis incremento, sed lucro tantum animarum inhiantes, qua par est sedulitate et diligentia inquirant, an catholico gregi, super quo vigilias custodiunt, desit praesentia pastoris; an difficilis, vel impossibilis, sit frequens illius accessus; an fidelis populus in casu necessitatis versetur; et an demum circumstantiae in unum collectae praemissis consonent exemplis, ac parem exposcant providentiam. Integra porro sinceraque fide ea omnia quamprimum renuncient Sanctae Sedi, ut, re tota sedulo cognita intimeque perspecta, deliberare possit, an, et cui potissimum presbytero, tamquam ministro extraordinario, tribuenda sit haec auctoritas confirmandi, et episcopale hoc munus obeundi.

Pravae opiniones interim corrigendae.

§ 10. Ipsi interim missionarii, quibus datum est exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere, satagant, ut fidelis populus ab errore ad veritatem, ab odio ad obsequium erga baptismum Ecclesiae latinae reducatur, utque gens illa tandem agnoscat, pia sanctaque ordinatione fuisse dispositum, ut seorsim a baptismate conferretur Sacramentum confirmationis iis, qui in provectiori essent aetate, et ad percipiendam virtutem Sacramenti accommodata.

Ad II. dub. Indulgentia Ecclesiae in recipiendis lapsis.

§ 11. Haec quoad primum dubium. Quo vero ad secundum, licet in sui primordio catholica Ecclesia haeresim eiurantibus non semel ostenderit dura, ut eos potaret vino compunctionis; ideoque promotos ad Sacros Ordines solius laicae Communionis participes voluerit; ab hac tamen severitate iudicii successivis temporibus temperatum est, et ipsi Nicaenae Synodi patres *canone 8* ultro consensere, quod Novatiani in Sacris Ordinibus constituti, ab errore in semitam veritatis reduces, nedum permanerent in ordine clericali, sed etiam obtentarum dignitatum honore (providis tamen adiectis legibus) fruerentur. Hanc quoque piae Matris Ecclesiae lenitatem, in amplexum filiorum occurrentis, experti sunt Donatistae. Siquidem catholici praesules, qui gemino adstipulante edicto Marcellini Proconsulis, eos pro agenda religionis causa advocaverant in illum conventum ecclesiasticis monumentis tantopere celebratum, quo facilius ad verae fidei cultum et unitatem allicerent, retentionem gradus episcopalis antea adepti, veluti quoddam conciliandae pacis praeliminare, illis consulto obtulere.

Pastoribus conversis, qui digni sint, permittitur recent. gradus, arbit. Vic. Gen.

§ 12. Praeclara haec lenitatis argumenta attento nobiscum animo repetentes, aequum visum est, ut parochi ritus Cophti, valide tamen ac rite ordinati, qui, ex atra errorum, in quibus versabantur, caligine, in lucem catholicae veritatis emergunt, capaces sint etiam inter catholicos administrationis sacramentorum parochialium, qua prius in schismate potiebantur, quamvis haec ipsa spiritualis auctoritas, nullo existente parocho catholico, tributa etiam sit patribus missionariis, et ab illis exerceatur. Hanc autem capacitatem, quae singulis inest, ita temperandam esse decernimus, ut non omnes indistincte hoc pastorale munus sibi assumant, sed ii tantum, quos Vicarius generalis dominico gregi praefecerit; qui pietate, castis moribus conspicui sint; qui bonorum exemplo praeluceant; et in quorum reditu ad Ecclesiam nihil fictum aut simulatum, sed certum sincerae conversionis indicium deprehendatur.

Condit. ab iis servand.

§ 13. Praeterea, qui a Vicario generali inter alios praeelecti fuerint, abstineant ab exercitio dictae auctoritatis, quousque non reportaverint necessariam in utroque foro absolutionem, rehabilitationem, necnon dispensationem ab irregularitate, censuris et poenis, lapsis in haeresim canonice inflic-

tis. Ritu praeterea catholico administrent Sacramenta. Nullum eisdem cum schismaticis in divinis sit consortium, ex quo haeresis, pravaeque mentis suspicio, suboriatur; sed, interiecto cum schismaticis pariete, corde puro, conscientia bona, fide non ficta, praecepta Matris Ecclesiae, quae denuo eos in Christo genuit, intemeratae custodiant.

§ 14. Ex hac porro indulgentia uberem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus, lucrum scilicet animarum ad gremium Ecclesiae redeuntium: probe enim intelligent, nos pastoris Iesu Christi vicem in terris tenentes, tantum quaerere, et salvum velle, quod perierat; ovesque inventas, non virga timoris, sed officio charitatis, ad ovile congregare.

Franc. instit. spiritus quoad iurisdict. parochor.

§ 15. Nec conqueri iure poterunt missionarii suam auctoritatem hoc pacto videri imminutam, si opportune in memoriam revocaverint, quae ab eorum patre et institutore S. Francisco in suo testamento scripta leguntur: *Et si haberem tantam sapientiam, quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes, in parochiis, in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem praedicare.* Cui sententiae consona sunt documenta S. Bonaventurae in suo tractatu: *Quare fratres Minores praedicent: Temperatissime,* inquit Sanctus Doctor, *disposuit divina sapientia et instituit Sedes Apostolica, ut per Ordines praenotatos in praedicatione et confessione defectus cleri suppleatur, et animae salventur, et nec in spiritualibus, nec in temporalibus ius clericorum aliquatenus minuatur.* Parique censura, in simili negocio cum Graecis Melchitis nuperrime discusso, a nobis definitum est: *Licere tantum fratribus Ordinis Minorum Sancti Francisci custodiae Terrae S. parochialia munia obire circa Graecos Melchitas, eisque Sacramenta administrare in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus habendi parochum, aut alium antistitem graeci ritus.*

Missionar. officia.

§ 16. Neque etiam perperam timeant missionarii sibi in vinea Domini tamquam operariis tota die otiosis, et a bono opere torpentibus, nullam vel exiguam, occasionem impendendi laboris esse relictam. Praedicandum est ab illis sanctum Christi Evangelium, et docenda mysteria christiano homini necessaria ad aeternam salutem; explicanda vitia, quae declinare, virtutes, quas sequi, oporteat; adhibenda medela sauciatis per Sacramentum Poenitentiae; tum alia quoque administranda sunt Sacramenta in subsidium presbyterorum ritus Cophti; nihil demum derelinquendum est, quod ad animarum salutem et religionis incrementum pertinere possit. Potissima tamen solicitudo conferenda est, ut sacerdotes Cophti a fidei unitate rectaque semita declinantes, erroris depulsa caligine, ad unionem et amplexum catholicae Ecclesiae revocentur, eorumque numerus augeatur; hoc enim pacto vinea Domini Sabaoth reflorescet, optatumque fructum salutis, benedicente Domino, dabit in tempore suo.

Ad III. et IV. dub. Cophtorum mos in ordinat. infantium.

§ 17. Ad tertium et quartum dubium gradientes; pro faciliori et accuratiori illorum examine iuvat praemittere, verificari practice et in concreto apud Cophtos, quod in abstracto, et pro suo ingenio, disputant inter se latini theologi et canonistae, de Ordine sacro infanti ante rationis usum, vel ante pubertatem, collato. Praematuram huiusmodi ordinationem apud Cophtos veteri usu et disciplina invaluisse testatur pater Thomas a Iesu *dicto oper. de Conversion. gent. lib. 7, pag. 361: Conferuntur,* inquit, *Ordines, excepto presbyteratu, omni aetati, etiam immediate post baptismum parvulis, simulque dantur tonsura, et quatuor gradus, et diaconatus et subdiaconatus; nec hisce conferendis interstitia vel tempora particularia determinata sunt. Ubi sacros Ordines recipiunt, castitatem et abstinentiam pollicentur, ieiunare videlicet diebus Mercurii et Veneris, et tempore adventus, et quadragesimae etc. Insuper etiam quadragesimis Apostolorum Petri et Pauli et Assumptionis. Quando autem infantulis aut pueris sacri Ordines conferuntur, pro eis spondent, et haec vota observant ipsorum parentes, donec decimum sextum aetatis annum, aut circiter, exegerint.*

De eodem.

§ 18. Hanc quoque vigentem inter Cophtos consuetudinem assumendi ad Ordinem diaconatus constitutos in aetate infantili, confirmat suo testimonio Carolus Franciscus a Breno *in Manuali mission. Oriental. tom. 1, lib. 3, cap. 2, n. 5;* idemque usus evincitur in literis P. Berna missionarii Societatis Iesu, datis, anno MDCCVI., Cairo, ad P. Solerium, magni nominis, probataeque doctrinae Bollandistam: memoratis in iisdem literis *Cophtorum* seu *Iacobitarum* moribus et institutis, advertit, diaconos promotos in aetate sex vel septem

annorum, in immensum excrevisse numerum, caeteroquin necessarium, ne Ecclesia debitis fraudetur obsequiis; neve divina mysteria absque decenti ministrorum cultu et frequentia celebrentur, quemadmodum videre est *in continuatione Bollandi t. 5, mens. iun. pag. 132*.

Aetas in Ecclesia Occid. requisita ad recipiendos Ordines.

§ 19. Nemo adeo rudis est, qui ignoret in Ecclesia Occidentali diversos Ordines et ministrorum gradus fuisse institutos, et in sua rite tempora dispositos. Prima etenim tonsura initiandi sunt praediti usu rationis; qui in septimo aetatis anno praesumitur. Minoribus vero Ordinibus licet determinata aetas a Sacris Canonibus praestituta non sit, adhuc a septimo ad decimum quartum annum conferri solent, concurrentibus tamen in ordinando qualitatibus desideratis a Tridentino *sess. 23 de reform. cap. 5 et 11*. Porro eiusdem Tridentinae Synodi lege cautum est, ad subdiaconatum aetatem vigesimi secundi anni, ad diaconatum vigesimi tertii, ad presbyteratum vigesimi quinti, ad Episcopatum trigesimi esse necessariam; eo tantum inter Sacros Ordines et episcopatum recurrente discrimine, quod pro Sacris Ordinibus satis sit unius vel alterius respective anni inchoatio, pro episcopatu vero complementum trigesimi anni requiratur.

Ordinatio infantis est illicita, sed valida.

§ 20. Si tamen in huiusmodi provide institutarum legum contemptum contingeret fortasse ab Episcopo legitima auctoritate suffulto non solum Minores, sed etiam Sacros Ordines, infanti conferri; concordi theologorum et canonistarum suffragio definitum est, *validam* sed *illicitam* censeri hanc ordinationem, dummodo nullo laboret substantiali defectu materiae, formae et intentionis in Episcopo ordinante; non attenta contraria sententia, quae raros habet asseclas, et quae supremis tribunalibus et congregationibus urbis numquam arrisit.

At non imponit onera Ordini adnexa.

Aeque tamen certum et exploratum est, per hanc Ordinum collationem non subiici promotos obligationi servandae castitatis, nec aliis oneribus ab Ecclesia impositis; cum electio status a libera cuiusque pendeat voluntate, et altissimo nostra, non autem aliena, vota reddere teneamur.

Vetus disciplina temperata est quoad promotos per vim,

§ 21. Obsolevit enim vetus illa Ecclesiae disciplina, quae coacte aut per vim promotos ad sacerdotium et episcopatum, duro subiiciebat iugo servitutis, et observationis onerum et legum cuicumque Ordini impositarum, spreta quavis protestatione ordinati vel promoti, contra vim illatam, spretaque declaratione animi a suscepto Ordine abhorrentis.

Et quoad oblatos religioni.

Insuper, licet usque ad saeculum duodecimum consueverint parentes filios in infantili aetate positos in sacris monachorum coenobiis devovere, et divino famulatui mancipare, perpetuo vetito egressu e septis monachorum; attamen mitioribus Clementis III., Coelestini III., et Tridentinae Synodi decretis abrogata fuit lex illa, contra quam naturae et liberi arbitrii iura clamare videbantur.

Ratihabit. post usum rationis omissa, an imponat obligationem servandi onera.

§ 22. Non desunt tamen graves theologi, qui accuratiori etiam examine rem intime scrutentur: aiunt siquidem, infantes promotos ad Sacros Ordines, ubi sui compotes iam fuerint, diserte esse interrogandos super intentione permanendi, nec ne, in Ordine sibi collato. Si firmo deliberatoque animo palam assenserint, eo casu censent eos obstringi voto castitatis; sin minus, licitum sit eisdem ad saecularia vota transire, suspensa exercendi Ordinis potestate.

Item de ordinato ante pubertatem.

§ 23. Alium expendunt casum theologi, Ordinis suscepti post usum rationis, sed ante pubertatem. Affirmant ita ordinatum tunc solum obligari voto servandae castitatis, quando ordinationem *expresse* ratam habuerit, vel *tacite* aliquo exteriori signo (puta, quia ministraverit in Ordine suscepto, vel quia pensum diuturnum horarum canonicarum more aliorum absolverit): quousque ratihabitio non superveniat, iidem theologi nullam ordinato imponunt obligationem recitationis officii divini; immo censent tamdiu interdictum exercitium Ordinis suscepti, quamdiu ordinatus in aetate impuberi attingat alteram aetatem a sacris canonibus promovendis rite praestitutam.

§ 24. Expensa huc usque in abstracto ad tramites legum canonicarum, quibus Ecclesia Occidentalis informatur, facilem viam sternunt resolutioni non solum tertii dubii, in quo quaeritur: *An diaconis ritus Cophti licitae sint primae et ulteriores nuptiae,* sed etiam quarti, in quo quaeritur: *An dicti diaconi teneantur divinum officium recitare.*

Ordinationes infantium Cophtorum validae.

§ 25. Et sane, si missionarii qui dubia proponunt, ultro consentiunt, apud Cophtos ecclesiasticam hierarchiam perseverare in suis Ordinibus et gradibus apte dispositam; si sacrae illae ordinationes nullo laborant substantiali defectu ex parte materiae vel formae; si demum, sublato illo qui olim aderat, dissidentium opinionum

conflictu, nemo est, qui hodie validam non fateatur ordinationem a ministro etiam schismatico factam: necessario sequitur, ut, quemadmodum in Ecclesia Occidentali *valide* conferuntur Ordines Sacri etiam infantibus, ita Cophtis sacer diaconatus ordo in infantili aetate *valide* conferatur.

Sed non imponunt onera absque ratihabitione.

§ 26. Immo, si in Ecclesia Occidentali, ut praemissum est, eximuntur ab obligatione recitationis divini officii non solum pueri, sed etiam impuberes assumpti ad Ordinem sacrum, nisi confirmata iam aetate suam ordinationem expresse vel tacite ratam habeant, ex paritate rationis idem ferendum est in hac quoque parte iudicium de diaconis ritu Cophto in tenera aetate ordinatis, recurrente in uno et in altero casu defectu liberi assensus, singulis ad electionem et professionem status necessarii.

Quare praescribitur exploratio voluntatis, ad normam Conc. Tolet. II.

§ 27. In Concilio Toletano II. relato *in can. de iis, dist. 28,* ubi sermo instituitur de iis, *quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio mancipavit,* haec disciplinae regula opportune praescribitur: *Ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab Episcopo perscrutetur, quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, subdiaconatus ministerium, habita probatione professionis suae, a vigesimo anno suscipiant etc. Quibus autem voluntas, propriae interrogationis tempore, desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus.* Canonicae huius sanctionis litera aperte edocet, infantes a parentibus ecclesiasticis ministeriis dedicatos, exacto decimo octavo anno ab Episcopo interrogari oportere, an velint in sancto perseverare proposito, vel temporale inire coniugium. Ab huiusmodi recte agendi semita non deflectat praefectus missionis, sed diaconos in prima aetate ordinatos aperte interroget per se ipsum, si commode fieri possit, sin minus, per alium a se deputatum, et, quae illorum sit mens et voluntas, diligenter exploret.

Quae fiat expl. anno XVI.

§ 28. Haec porro interrogatio et inquisitio fiat postquam diaconi decimum sextum aetatis annum excesserint; consonum quippe est, diaconos eo tempore deliberare, quae, iuxta Trid. decreta, in quacumque religione tam virorum, quam mulierum, solemnia castitatis, paupertatis et obedientiae vota per regularem professionem emittuntur. Si, completo decimo sexto anno, interroganti responderint, nolle diutius in diaconali officio persistere; liceat illis primum, eoque legitime soluto, alterum quoque inire matrimonium. Certiores praeterea fiant, nulla ecclesiastica lege, vel praecepto, ad recitandum officium divinum, vel preces a clero Cophto usitatas, compelli.

Qui saecularia vota eleg., iis non prohibentur secundae nuptiae.

§ 29. Nec turpe videri debet, aut indecorum, diaconis a quavis ecclesiastica lege solutis aditum ad iteratas nuptias aperiri. Pro libertate secundi matrimonii sacrae clamant literae, et doctoris gentium saluberrima consilia. Ad foeminas sermonem instituens Apostolus in *epistola ad Romanos c. 7: Si autem,* inquit, *mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et in II. *ad Corinth. cap. 7: Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Demum ep. I. ad Tim. *c. 5,* florentis aevi viduas denuo ad matrimonium et ad sobolem procreandam hortatur, ne forte in contemptum castitatis sordibus incontinentiae coinquinentur. Qua freti auctoritate Orientalis Ecclesiae patres graviter erroris arguunt, et tamquam haereticos damnant, qui putant, post primae uxoris obitum nefas esse ad secunda vota transire, ut videre est apud Petrum Arcudium *de concordia Eccles. Occident. et Orient. l. 7, cap. 27.*

Contra, eligent. perseverare in ministerio Eccl.

§ 30. E contra, si diaconi ritus Cophti, completo decimo sexto anno, interroganti et illorum voluntatem inquirenti serio ac deliberate responderint, velle se in adepto Ordine perseverare, et ecclesiasticis vacare muneribus; eo casu sub districti severitate iudicii secundae nuptiae illis aperte interdicantur, clamante Apostolo, ep. I. ad Tim. *cap. 3: Diaconi sint unius uxoris viri.*

Quibus inhibetur etiam omnis bigamia.

§ 31. Insuper, cum personas Deo consecratas maxime puritas sanctitasque deceat, provide *canones apostolici 17 et 18,* quos praecipua veneratione et cultu Ecclesia prosequitur, prohibent Episcopis, presbyteris, et diaconis nedum *bigamiam propriam,* quae profluit ex secundo matrimonio, sed etiam *similitudinariam* ortam ex primo matrimonio cum vidua vel corrupta contracto. Disposita per canones apostolicos innovata fuerunt *in canone 3* Concilii Trullani; cuius auctoritas licet in Ecclesia Occidentali recepta non sit, illam tamen Orientalis Ecclesia suscipit et vene-

ratur. Alexius Aristenius (magni nominis apud Orientales auctor, quemadmodum Balsamon et Zonaras inferiori loco citandi) praefati canonis Trullani Glossator, ita scribit: ***Illum, qui binis implicatus est nuptiis post baptismum, aut pellicem retinet, aut viduam, aut ab alio dimissam, aut meretricem, aut servam, aut scenicam ducit, non posse Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum, aut hypodiaconum fieri, iuxta decimum septimum et decimum octavum Apostolorum canones decernunt.***

§ 32. P. Bernat apud Bollandistas *loc. cit.* propius ad rem accedens, testatur, diaconos Cophtos vinculo secundi matrimonii alligatos, ***adepto gradu excidere,*** et ab Ordinis antea collati ministerio suspendi. Nec sane deest huic disciplinae satis firmum rationis praesidium. Cum enim diaconi opportuno tempore interrogati, libero et deliberato actu voluntatis ratam ordinationem habuerint, et novum quoddam vitae genus ratificando elegerint, ac professi fuerint, deliberato pariter voluntatis actu censendi sunt se subiecisse legibus Ordini ratificato et vitae instituto necessario connexis, ac legi praesertim prohibendi secunda connubia et bigamiam, adeo ut nefas sit a proposito resilire.

De matrimoniis diaconor.

§ 33. Toti hactenus fuimus in examine secundarum nuptiarum: nunc vero aliqua ***de primis*** attingenda sunt, ut singulis propositi dubii partibus satis fiat.

Disciplina Ecclesiae Occid. et Or. quoad coel. sacrorum ministrorum.

§ 34. Quamvis antiquissimo tempore, ad augendam clericalis militiae sanctitatem, utraque Ecclesia Occidentalis et Orientalis aeque praescripserit, nedum presbyteros, sed alios etiam in SS. Ordinibus constitutos in perpetuo coelibatu versari debere, et hanc custodiendae castitatis obligationem numquam remiserit aliarum mater et magistra Romana Ecclesia; secus tamen contigit tractu temporis in Ecclesia Orientali, ut aperte evincitur ex *can. Aliter. dist. 31, cap. Quaesitum de poenit. et remiss., et cap. Cum olim, de cleric. coniugat.* Quibus sanctionibus consonae sunt literae apostolicae felic. record. Gregorii XIII. praedecessoris nostri, datae ad Patriarcham Maronitarum, legendae apud Thomam a Iesu in supra memorato opere pag. 490 ibi: ***Cum Stephanus Papa tradat, Orientalium veterem esse traditionem, ut eorum Sacerdotes matrimonio copulati sint, cumque id illis numquam interdixerit Ecclesia, nec videtur interdicendum Maronitis; lex enim coelibatus semper gravis visa est Graecis, propterea coniugium permissum est illis etc. Permittendum id itaque videtur Maronitis, dummodo ad matrimonium non compellantur, qui coelibes esse vellent, sed ad id potius piis hortationibus inducantur.***

Quid apud Graecos.

§ 35. Iunguntur matrimonio Graeci in minoribus Ordinibus constituti, et, uxore retenta, ad maiores Ordines et ad sacerdotii gradum rite promoventur: ubi tamen contigerit, eos in statu coelibi Sacris Ordinibus insigniri, a quacumque spe contrahendi matrimonii deiiciuntur, ut fuse edocet *Gloss. in can. Diaconi, dist. 28.*

Nuptiae post susceptum Diaconat. interdictae.

§ 36. Quinobst et declaratio et protestatio de expetendo coniugio in ipsa susceptione Ordinis Sacri emissa a diaconis, qua concurrente, compatibiles videntur nuptiae cum simultaneo diaconatus ministerio, ad praescriptum *canonis 10.* Concilii Ancyrani, relati *in canon. Diaconi, dist. 28:* ***Quicumque Diaconi constituti, in ipsa ordinatione protestati sunt, et dixerunt, oportere se uxores ducere, cum non possint sic manere, ii si uxorem postea duxerint, in ministerio maneant, eo quod hoc sit illis ab Episcopo concessum; si qui autem, hoc silentio praeterito, et in ordinatione, ut ita manerent, suscepti sunt, postea autem ad matrimonium venerunt, ii a diaconatu cessent;*** siquidem Balsamon, qui canonem illum accurate expendit, expresse reiicit in illo disposita, inquiens: ***Hunc canonem ne sequaris;*** et innixus solidiori doctrinae sexti canonis Synodi Trullanae, inefficacem esse concludit assensum dictae protestationi quoquo modo praestitum ab Episcopo ordinante: ***Sextus enim canon*** (sunt illius verba) ***Synodi in Trullo deponendos decernit presbyteros et diaconos, qui post ordinationem matrimonium contraxerint. Quod fit autem contra canones, nec ex permissione episcopali, nec ex eo tantum, quod tacuerint, concedetur, ut quod consistere nequit.***

Confirmatur.

§ 37. Eadem est quoque sententia Zonarae de canone supra relato Concilii Ancyrani; immo, ad removendam antinomiam duorum canonum, nempe Ancyrani et Trullani, qui inter se colliduntur, sextae Synodi decreta sequenda proponit: ***Cum igitur sibi invicem hi canones manifeste adversentur, sextae Synodi canon, qui et posterior fuit et magis cum apostolico canone consentit, servari debet.*** Nec diversimode etiam sentit Aristenius, qui in

hoc auctoritatum conflictu adhaeret partibus Concilii Trullani. Ait enim: *Sed huic canoni opponitur sextus sextae Synodi canon, non omnino ei, qui caelebs ad hypodiaconi aut diaconi aut presbyteri gradum venit, concedens matrimonio sibi foeminam coniungere, sed eum, qui hoc ausus fuerit, deponi iubens. Et vim retinet ille canon; seu hic in desuetudinem abiit.*

Matrimonium diaconi Graeci, et illicitum et nullum.

§ 38. Diu multumque agitata est inter theologos controversia illa, plena iurgii ac dissidii: An solum illicitum, vel potius illicitum et invalidum reputari deberet matrimonium initum in Ecclesia *Orientali* post collationem Sacrorum Ordinum, quemadmodum nullum et irritum reputatur in Ecclesia *Occidentali*. Placuit sane pluribus, *validum,* sed *illicitum,* censeri debere huiusmodi matrimonium, tum quia canonicae sanctiones et decreta Ecclesiae Occidentalis illud irritantia protendi non possunt indole sua ad Ecclesiam Orientalem; tum quia canones Synodi Trullanae, quorum semper a Graecis commendata fuit auctoritas, nullibi expresse annullant et irritant matrimonium post Sacros Ordines contractum. Strenue contra pugnarunt alii pro omnimoda invaliditate, et saniori certe consilio; utpote tuentes sententiam maioribus suffragiis suffultam, et menti congregationum urbis consentaneam. Nullitatem matrimonii satis erui posse iudicarunt ex ipso *can. 3.* Concilii Trullani his verbis: *Eis nefario videlicet dissoluto coniugio.*

Consentit auctoritas Imper. Iustiniani.

§ 39. Favet etiam eidem sententiae auctoritas Imperatoris Iustiniani, qui in codice a Gothofredo illustrato *lib. 1 de Episc. et Cleric., novell. 45,* huiusmodi nuptias nefarias et incestuosas appellat; et soboli inde procreatae notam illegitimitatis, et turpem paternae incontinentiae, maculam inurit. Et licet in iuribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi; in subiecto tamen casu loquitur Imperator, relative ad SS. Canones, ibi: *Quae et sacris visa sunt canonibus.*

Cophti in infantia ordinati matrimon. inire nequeunt, post ratihabitionem,

§ 40. Omnia itaque in unum perstringentes, si, ex hucusque dictis, Graecis ad Ordines Sacros iam promotis expresse vetitae sunt non solum *secundae,* sed *primae* etiam nuptiae: pari sane iure in proposito themate prohibenda est diaconis ordinatis in tenera aetate celebratio *quarumcumque nuptiarum,* postquam ipsi in aetate iam confirmata, serio deliberatoque animo consensere in ordinationem iamdiu susceptam, illamque publica declaratione ratificarunt; proindeque patribus missionariis omnis adimitur potestas super hoc dispensandi.

Et etiam post eiuratum schisma.

§ 41. Nec opitulari quoquo modo potest Cophtis salutare propositum eiurandi schismaticorum errores, seque devovendi ex animo unioni Catholicae Romanae Ecclesiae. Si enim divina tantum adspirante aura, nulloque humano impellente consilio, in piae matris gremium se receperint, et ad nos confugerint; facile etiam intelligent, eiusdem Catholicae Ecclesiae disciplinae et observantiae eos conformari oportere; ideoque subiici legi coelibatus, quam promoti ad Ordines Sacros, sive Latini sint sive Graeci, in Romana Ecclesia sancte et inviolate custodiunt.

De recitatione divini officii.

§ 42. Imminet etiam Diaconis ratam habentibus suam ordinationem onus dietim recitandi officium divinum; de quo instituitur quaestio *in quarto dubio.*

Ecclesiae Occident. lex eam imponit sacris ministris.

§ 43. In Ecclesia Occidentali imposita est presbyteris, diaconis et subdiaconis dicta obligatio, quamvis nullum ecclesiasticum beneficium fuerint assequuti. Cohaeret enim Ordini Sacro diurnum pensum horarum canonicarum; illudque veteri traditione acceptum, et immemorabili consuetudine in more positum fuisse docet communior theologorum opinio.

Similis consuetudo in Ecclesia Orient.

§ 44. Quantum assequi potuimus coniectura et testimonio monachorum ritus Cophti in urbe degentium, quos ea de re percunctari non praetermisimus, diaconi, subdiaconi et presbyteri Ecclesiae Orientis nulla lege expressa, canone aut Concilii decreto adiguntur ad recitationem officii divini; quia vero positi in huiusmodi ministerii gradibus tenentur Omnipotenti Deo orationes et sacrificium laudis offerre, etiam apud Orientales laudabilis invaluit consuetudo recitandi divinum officium.

Quae legis vim habere debet; ut definitum fuit de Maronitis.

§ 45. Memoriae proditum est, Patriarcham Maronitarum plura proposuisse dubia praedecessori nostro Gregorio XIII., ut supremo illius et Apostolicae Sedis iudicio definirentur. Legitur § 6. hoc potissimum: *Creamus,* inquit Patriarcha, *pueros quinque vel sex annorum subdiaconos, sine obligatione legendi horas canonicas.* En Apostolica definitio relata in saepe memorato opere P. Thomae a Iesu: *Tenentur etiam omnes ordinati ad horas canonicas, saltem illi nationi consuetas, et*

a viris doctis recognitas, non solum beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris, sine beneficio. Qua de re, si disciplina Ecclesiae Orientalis subiicit obligationi et praecepto recitandi officium divinum *more nationis* generatim omnes in Sacro Ordine constitutos, eadem sane obligatio idemque praeceptum persolvendi horas canonicas *more suae nationis* afficiet diaconos Cophtos, qui per solemnem ratificationem tempore habili emissam denuo assensum praestitere Ordini Sacro in infantili aetate suscepto.

Praemissa quatenus procedant.

§ 46. Satis haec videri possunt pro examine tertii et quarti dubii, semper tamen prae oculis habita firmiterque retenta hypothesi, quod quaestio usque modo instituta referenda sit ad diaconos ordinatos in prima aetate ritu Cophto inter schismaticos, qui post reditum ad Orthodoxam Ecclesiam, et post ratihabitionem Ordinis factam apud catholicos in statu coelibi, vindicent sibi postea legitimi iura coniugii.

De his qui ordinationem tacite ratam habuerunt, et nuptias contraxerunt ante eiuratum schisma.

§ 47. At suspicari nobis non temere licet, crebrius in praxi alium dari casum a praemissa hypothesi longe diversum. Saepissime etenim contigit, a Diaconis apud schismaticos in aetate infantili ordinatis, ubi aetas adolevit, ratam haberi apud eosdem schismaticos ordinationem, si non expresse, saltem tacite, v. gr. ministrando in Ordine suscepto; et ab ipsis subinde contrahi matrimonium. Demum ab erroribus, in quibus versantur, quaerunt in sinu catholicae Ecclesiae salutare perfugium, sub spe tamen obtinendae dispensationis super matrimonio iam inito, ut in statu coniugali legitime perseverent.

Hi stricto iure ab uxoribus separandi.

§ 48. Casus iste quo frequentior est, eo etiam explicatu difficilior. Etenim, si ad tramites iam expensarum rationum ipso iure irrita sunt matrimonia post Ordinem Sacrum contracta; necessario sequitur, diaconos in reditu a schismate ad unitatem Ecclesiae non posse pedes tenere in diversis, unum in divinis, alterum in carnalibus, sed illico separari debere a quovis uxoris consortio. Quis erit tamen, qui non agnoscat ac fateatur, hanc separationem gravem obicem obtrudere properantibus in viam salutis, ac plurimum obstare, ne inita de conversione consilia ad exitum perducantur?

An expediat dispensationem concedere.

§ 49. E contra vero, si facile cum Diaconis dispensetur in matrimonio post Sacrum Ordinem contracto (quod tamen omnino novum ac inusitatum non esset, ut perperam nonnulli arbitrantur), ineluctabiles sese obiiciunt difficultates in dicta dispensatione exequutioni demandanda. Siquidem cum apud fideles, etiam Ecclesiae Orientalis, nulla sint et irrita matrimonia post Ordines Sacros celebrata; dispensatio grave illis scandalum ingereret, et acerbe quererentur, maximum infligi vulnus ecclesiasticae disciplinae.

Si dispensetur, necessaria esset renovatio consensus.

§ 50. Insuper, cum res sit de matrimonio in radice nullo, dispensatio suffragari non posset, nisi renovato ac denuo in faciem Ecclesiae rite praestito a coniugibus consensu. Hanc vero renovationem consensus novam omnino putarent Cophti, vel fortasse refugerent, tamquam plenam aleae; probe intelligentes, unum et alterum coniugem posse pro libito abstinere a praestando assensu, immo potiri facultate se se in libertatem vindicandi.

Facultas dispensandi alias a S. Sede concessa.

§ 51. Caeterum, ut mox innuimus, indubiis ecclesiasticae historiae monumentis edocemur, alias dispensatum fuisse, ut Orientales ad unitatem redeuntes perseverarent in foedere matrimonii post Sacros Ordines contracti. Exemplum huiusmodi dispensationis exhibent apostolicae literae fel. rec. Innocentii IV. praedecessoris nostri anno MCCXLIV. datae ad magistrum et priores fratrum Praedicatorum Terrae Sanctae, quibus idem Pontifex inter alia indulget, ut per fratres dicti Ordinis, *qui deputantur ad praedicandum Iacobitis, Neostritis* (1), *Giorgianis, Graecis, Armenis, Maronitis, Mossolinis, aliisque nationibus in partibus Orientalibus constitutis etc. dispensari valeat, ut illi ex nationibus numeratis, qui post susceptionem Sacrorum Ordinum, vel in gradibus et casibus a divina minime lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem.* Extat dictarum literarum exemplar authenticum Romae in Archivo Ordinis, exscriptum ad fidem autographi asservati in coenobio Viterbiensi, ut videre est in novissimo Bullario Dominicano, edito et illustrato ab Antonio Bremond dicti Ordinis alumno *tom. 1, pag. 136.*

Suspenditur resolutio.

§ 52. Sed haec exempla tanti non sunt, ut nos statim ea sequi velimus. In hoc gravi negotio, in quo multa desunt, quae scitu digna sunt, haeremus adhuc; et praecipuum pontificiae solicitudinis munus esse

(1) Videtur legendum *Nestorianis.*

intelligimus, nihil intentatum relinquere, quod ad singulas circumstantias enucleate assequendas pertinere possit.

Missionarii iubentur circa subiecta capita distincte referre.

§ 53. Partes erunt igitur Vicarii generalis, ac Praefecti missionis, caeterorumque missionariorum, ad quos praesentem instructionem deferri volumus, articulis infra subiectis congruum ac dilucidum exhibere responsum, nosque certiores quam primum efficere, ut tandem firmo, ut aiunt, pede deliberare possimus.

I. An spes ulla affulgeat proximi reditus alicuius Episcopi ad sinceram cum catholica Ecclesia unitatem.

II. An rebus in eo, in quo hodie sunt, statu manentibus, expediat, tribui uni vel pluribus presbyteris facultatem extraordinariam administrandi Sacramentum confirmationis; cui, vel quibus, dicta facultas tuto delegari possit, ut Sacro Chrismate praecipue liniantur filii orti a parentibus catholicis post haeresim eiuratam, et abluti Sacro Baptismate, saltem a sacerdote latino.

III. An in casu concessionis huiusmodi facultatis expediat monere sacerdotes, ne ea utantur administrando confirmationem infantibus immediate post baptismum (nisi in casu necessitatis), sed in ea tantum aetate, qua confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.

IV. An diaconi ritus Cophti attingant hodie eximium illum numerum, qui a scriptoribus praefertur. An diaconi ordinati in aetate puerili, ministrent adulti in Ordine suscepto, et in statu coelibi, ita ut inferri possit, eos ante nuptias ratam ordinationem habere; cum compertum sit, teste P. Benart, *eos a puero functionibus ecclesiasticis assuescere*, et in magno numero ordinari, *ne aliquando desint, qui Ecclesiae ministeriis operam navent.*

V. An et quomodo tolli possit et radicitus extirpari abusus conferendi Ordines ante legitimum tempus, et induci, quoad aetatem ordinandorum, observantia decretorum Concilii Tridentini, quam in casu simili, ad catholicae fidei praesidium et disciplinae ecclesiasticae augmentum, Gregorius XIII. plurimum commendavit Patriarchae Maronitarum in illis verbis: *Inducendi sunt Maronitae, ut Concilii Tridentini decreta observent, sess. 23, c. 12.*

VI. An plus commodi et utilitatis, vel potius scandali et detrimenti, allatura sit rei catholicae dispensatio super matrimonio inito post Ordines Sacros, libratis in utramque partem omnium rationum et circumstantiarum momentis.

Adhortatio.

§ 54. Enixe demum expetimus ea omnia, quae evangelici praecones, ad animarum salutem, ad catholicae fidei propagationem, et spirituale solatium nationis illius, quam intima complectimur charitate, opportuna esse cognoverint. Interim Deum, a quo sancta desideria, recta consilia, et iusta sunt opera, enixe rogantes, ut ovibus ac pastoribus suorum charismatum dona multiplicet, eisdem optati eventus auspicem, apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. maii MDCCXLV., pontificatus nostri anno V.

LXIV.

Damnat abusum interrogandi poenitentes de nomine complicis, seu socii criminis, tamquam scandalosum, Sacramento iniuriosum etc. (1).

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis regnorum Portugalliae et Algarbiorum,

BENEDICTUS PP. XIV.

**Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.**

Pontificis studia in avertendis animarum periculis.

Suprema omnium ecclesiarum sollicitudo et divina IESU CHRISTI omnium Pastorum Principis, cuius vices plane immerentes gerimus, caritas assidue urget nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati nostrae universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes christiani orbis populos ac nationes, opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus; atque iis praecipue regnis et locis peculiari quodam apostolicae nostrae caritatis studio auctoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum fides, religio, pietas quammaxime floreant, callidus humani generis hostis nocere fidelibus, dum aperto bello desperat, per insidias molitur; in angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens,

---

(1) Vide infra const. *Ubi primum — Ad eradicandum.*

qua ex arte non minora saepe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta, esse proventura nequissimus veterator confidit.

Refert abusum interrogandi poenitentes de nomine complicis, seu socii criminis etc.

§ 1. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliae et Algarbiorum regnis et ditionibus, quibus vos antistites summa cum sacerdotalis virtutis vestrae commendatione praesidetis, et quibus pro singulari erga catholicam Ecclesiam atque apostolicam hanc S. Sedem observantia, meritae debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios, falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, perversam quamdam et perniciosam praxim in audiendis christifidelium confessionibus, et in saluberrimo Poenitentiae Sacramento administrando, invehere atque introducere caepisse; ut videlicet, si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii huiusmodi seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent; imo etiam complicis eiusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari: quam illi quidem intolerandam imprudentiam, tum procurandae complicis correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones huiusmodi vel falsas et erroneas sequendo, vel veras et sanas male applicando, perniciem tam suis, quam poenitentium animabus, consciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno iudice constituerent.

Scandala inde exorta.

§ 2. Et vero iam secuta fuisse multa eiusmodi damna, infelici experientia compertum est; nec fieri potuit quin ea de causa et oblocutiones, et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint. Tristia nos haec nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem huiusmodi abusum protinus iusta indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos filios nostros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha in iisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis generalem inquisitorem, et Thomam de Almeyda Patriarcham Lisbonensem; atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo, atque etiam eradicendo, adlaborasse.

Item Card. Inquisitoris et Patriarchae sollicitudines.

Damnat relatam praxim.

§ 3. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte apostolico nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re nostram apud vos obscuram aut ambiguam esse sinamus; notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a nobis praesentes nostras in forma brevis literas reprobari atque damnari, tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento iniuriosam tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab eiusdem poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem.

Episcopis mandat, ut eam inhibeant et extinguant.

§ 4. Eapropter, venerabiles fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est quod dubitemus, supremi tamen officii quoque nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis nostrae aperta significatione, et apostolicis insuper hortationibus nostris intensius acuere et excitare, ut pro se quisque vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus et efficacioribus quibuscumque iuris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes ministros adhibitis, noxiam huiusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinae misericordiae fontes illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro, ad abluendas dealbandasque in Sanguine suo animas, amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro ac prudentia luculentiora nobis certo pollicemur vestrae pietatis et observantiae argumenta, apostolicam benedictionem cum uberrima coelestium charismatum copia coniunctam vobis, venerabiles fratres, ex animo impertimur.

Transumptis fidem haberi iubet.

§ 5. Volumus autem, ut praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus

ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. iulii MDCCXLV., pontificatus nostri anno V.

LXV.

Regi Francorum commendat Armenos orthodoxos Constantinopoli degentes (1).

Dilecto filio Comiti Castellanae christianissimi regis oratori in civitate constantinopolitana,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

De Armenorum angustiis dolor.

Quo propensiori apostolicae benignitatis nostrae studio excepimus nonnullos dilectos filios nationis armenae catholicam religionem in ista constantinopolitana civitate profitentis deputatos, eo intimi doloris maiori sensu affecti, audivimus gravissimas angustias, ad quas natio illa, magis ab Armenis schismaticis, quam ab ipsis othomannicae sectae viris redacta, eos opem praesidiumque nostrum imploraturos Romam ad nos destinaverat.

Ad illos sublevandos necessarium oratoris auxilium.

§ 1. Inter plurima autem, in particulari Congregatione nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum coram nobis habita, multis agitata consilia, quibus aliquod vexatae nationi solatium ac subsidium pararetur, nullum visum est opportunius, quam ad te confugere. Experientia enim compertum est, salutarem sublevandae tuendaeque armenae nationi, atque aliis christifidelibus, in tota othomannica ditione substinendis fovendisque, operam a christianissimi Francorum regis apud constantinopolitanam aulam oratoribus, atque a te praesertim hactenus impensam esse, atque etiamnum summa cum nominis tui laude impendi. Etsi autem ipse orthodoxae religionis, quo ferves, zelus commonstravit, te nullis egere stimulis, ut illam omni ope protegas, nos tamen, quo tua officia afflictae nationi, sese de patrocinio tuo glorianti, mirum in modum profutura efficacius conferas, non solum ea a te poscimus et flagitamus, verum etiam carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum vehementer rogamus atque obtestamur; nimirum, ut quemadmodum, praeclara maiorum suorum exempla aemulatum, alias etiam superasse experti sumus, ita in praesentia velit nomen Maiestatis Suae, in ipsa aula constantinopolitana potentissimum, ad huiusmodi negotium pro votis conficiendum a te interponi.

Carthaginensis Archiepiscopus ad Pontificis postulata et moerorem aperiendum, deputatur.

§ 2. Verum ea, in quibus praecipuas muneris tui partes potissimum commendari cupimus, omnia plenissime accipies a venerabili fratre Francisco Hieronymo Bona Archiepiscopo Carthaginensi, patriarchali vicario, et apostolico nostro in civitate constantinopolitana visitatore, qui hasce nostras in simili forma brevis literas tibi reddet. Praeterea laudatus Franciscus Hieronymus Archiepiscopus, quem a te gratiam inivisse laetamur, plenius tecum agere, tibique omnia aperire, et gratam eapropter studiosamque erga te voluntatem nostram contestari minime omittet. In quanta demum sollicitudine et moerore versemur, commiserantes adversam huiusmodi tempestatem, a memoratis schismaticis Armenis iamdudum excitatam, et nunc acrius in eosdem catholicos Armenos saevientem, non est cur pluribus explicemus tibi, quem oculis spectantem magis prae ceteris commoveri nos absentes existimamus. Itaque in eum, quo, ventis et mari imperante, fit tranquillitas magna, fiduciam nostram coniicientes, fore confidimus, ut, mittens auxilium suum de Sancto, optatam, te quoque adnitente, iisdem dilectis filiis nationis Armenae serenitatem largiatur. Interim ad prosperi successus auspicium tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem cum uberi coelestium charismatum copia coniunctam peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. augusti MDCCXLV., pontif. nostri anno VI.

LXVI.

Confirmat decretum S. C. de P. F. quo statuitur missionarios apostolicos cuiusvis Ordinis recipere debere a Vic. Apostol. in Anglia facultatem admi-

(1) Ex Regesto Epist. ad Princ. et alios anni V. Benedicti XIV., in Arch. Vatic.

nistrandi Sacramentum Poenitentiae, ac exercendi quascumque facultates ad animarum curam pertinentes (1).

Vicariis Apostolicis Angliae,

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Controversia orta inter Vicarios Apostolicos et missionarios regulares

Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, in causa inter dilectos filios Vicarios Apostolicos regni Angliae ex una et dilectos etiam filios fratres missionarios Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Recollettorum nuncupatorum ex altera parte, super facultatibus administrandi Sacramenta, vertens decretum tenoris sequentis, videlicet — Decretum S. Congregationis generalis de Propaganda Fide habitae die XVI. augusti MDCCXLV. Referente Emo et Revmo domino Cardinale Lante controversiam ortam inter Vicarios Apostolicos regni Angliae et missionarios Ordinis Minorum Recollettorum, super facultatibus administrandi Sacramenta, Sacra Congregatio decrevit ut infra, videlicet: Regulares missionarios Angliae, cuiusvis sint Ordinis, etiam Societatis Iesu, teneri omnino in posterum recipere facultates administrandi Sacramentum Poenitentiae, ac exercendi quascumque facultates concernentes curam animarum, a Vicariis Apostolicis in suis respective districtibus; eosdem Vicarios posse illos examini subiicere, et legitimis causis in toto vel in parte suspendere ab exercitio dictarum facultatum; nec non etiam corrigere super moribus, atque praecipere ne absque eorum licentia deserant catholicos semel ipsorum curae commissos, atque loca assignata praetergrediantur; constitutione s. m. Urbani VIII. incipiente *Plantata* (2), quibuscumque privilegiis Regularium et consuetudinibus non obstantibus; ac esse supplicandum SSmo pro approbatione cum brevi apostolico: et facta de his omnibus per me infrascriptum secretarium relatione Sanctissimo Domino nostro in audientia habita die XXII. mensis eiusdem, Sanctitas Sua benigne laudavit et approbavit, mandavitque ab omnibus, ad quos pertinet, inviolabiliter observari, ac breve apostolicum desuper opportunum expediri. Datum ex aedibus dictae Sanctae Congregationis die XXVIII. augusti, anno quo supra. — Nicolaus Lercharius Secretarius. — Loco ✝ Sigilli.

Decretum S. C. de Propaganda Fide super missionariorum subiectione Vicariis Apostolicis

Non obstantibus privilegiis.

Apostolica confirmatio decreti.

Cum autem, sicut Vicarii Apostolici praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta et expressa, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae confirmatoriae.

Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, aliisque ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti monasterii etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum, tenore praesentium, pro plene et suf-

Clausulae derogatoriae.

(1) Ex Append. ad Bullar. Pontif. S. Congregationis de Propaganda Fide, tom. II., pag. 111. Vide supra constitutionem *Quamvis ad confirmandum* et infra constitutionem Leonis XIII. *Romanos Pontifices.*

(2) Vide vol. I., pag. 148.

ficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptorum fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. septembris MDCCXLV., pontif. nostri anno VI.

LXVII.

Regulas servandas tradit in processibus super famâ sanctitatis servorum Dei, ordinaria Episcoporum sive aliorum Ordinariorum Praesulum conficiendis; etc. (1).

Venerabili fratri Ioseph Episcopo Augustano,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Inquisitiones peractae super vita et moribus sororis Crescentiae.

Sollicitudini nostrae dudum relatum fuerat, in civitate imperiali Kauffbura, quam incolunt simul orthodoxi ac Lutheranae professionis sectatores, vitam degere sanctimonialem quamdam, Crescentiam nomine, adeo sanctitatis opinione celebratam, ut assiduus ad eam concursus fieret hominum etiam virtute et genere illustrium. Quapropter multiplici experimento edocti, inanes aliquando affectatae sanctitatis larvas obtendi, atque etiam ab animarum directoribus, ob suos peculiares fines, eosque interdum minus rectos, depraedicari et divulgari; datis ad fraternitatem tuam literis die XVII. maii superioris anni MDCCXLIV., discretioni tuae commisimus, ut in praedictae Sororis Crescentiae vitam et mores inquireres, deque illius agendi rationibus, sive bonis, sive malis, certiores nos redderes.

§ 1. Quamvis autem, ante litterarum nostrarum adventum, eadem soror Crescentia extremum diem obiisset, ideoque expirasse dici posset nostra tibi directa commissio; attamen fraternitas tua pastoralis vigilantiae partes esse iudicavit, graves quosdam atque prudentes viros ad hoc subdelegare, ut in eiusdem defunctae mores eam inquisitionem explerent, quam, ipsa vivente, fieri cupiebamus.

§ 2. Huius itaque inquisitionis acta, aliaque ad rem pertinentia, una cum epistola tua scripta die XXIV. maii proxime elapsi, ad nos allata fuerunt; et nos quidem epistolam ipsam statim legimus et perpendimus; ipsa vero acta, aliaque adnexa, viris expertis credidimus redigenda in summarium; quod deinde, simul ac per tot alias, quibus distinemur, occupationes et curas nobis licuit, cum ipsis authenticis actis et documentis conferre non praetermisimus.

Ex processu nihil eruitur supra communem vitae probitatem.

§ 3. In his omnibus equidem nihil offendimus, ex quo defuncta soror Crescentia de affectatae sanctitatis crimine argui possit. Verum ex ipsis testium dictis (etiamsi integra fides iis adhiberetur, nec ulla iusta adesset suspicio, eos ad favendum praedictae Sorori praecedenter instructos fuisse), illius quidem vitam ad normam probitatis exactam, et gravibus exemptam criminibus agnoscere nobis visi sumus, nullam tamen heroicam virtutem, nullum signum, sive miraculum ab omnipotenti Deo, ipsius intercessione, patratum deprehendisse, ingenue fatemur.

Idea operis SS. D. N. *De canonizat. Sanctorum.*

§ 4. Non ignotum tibi esse opus *De Canonizatione Sanctorum* a nobis conscriptum, ex fraternitatis tuae litteris intelleximus. In quo opere elaborando, postquam ultra viginti annos in munere promotoris fidei versati fuimus, qualemcumque operam nostram conferre opportunum duximus, non ut doctrinae laudem ac nominis celebritatem consequeremur, sed ut certam ac tutam methodum traderemus dirigendi seriem causarum Beatificationis et Canonizationis, quae ob varias opiniones scriptorum, qui in negociis Congregationis Sacrorum Rituum non satis versati fuerant, aliquo modo involuta ac perturbata videbatur; utque omnium oculis pateret, quam caute ac diligenter Apostolica Sedes in huiusmodi causarum examine se gereret.

---

(1) Vide supra vol. II., pag. 19 decretum S. Cong. Rituum, et infra decret. pont. *Cum in Congregatione*, et in sec. part. h. op. instruct. S. C. de P. F. *Cause di Beatificazione — Procedura canonica.*

Caute procedendum in conficiendis processibus super fama sanctitatis

§ 5. Inhaerendo itaque regulis in eo opere expositis, quae non equidem a nobis conditae, aut primum excogitatae, verum ex praefatae Congregationis disciplina collectae et in aliorum usum productae fuerunt, satis agnovisse poterit fraternitas tua, huiusmodi causis initium fieri a conficiendis processibus propria et ordinaria auctoritate Episcoporum, sive aliorum ordinariorum praesulum. His tamen minime properandum esse in demandanda confectione huiusmodi processuum; sed expectandum esse congruum temporis intervallum ab obitu illius Dei servi sive ancillae, de cuius virtutum aut miraculorum fama inquirendum sibi esse duxerint; neque vero admovendam esse operi manum, nisi praecesserit vera et legitima fama virtutis heroicae aut miraculi ad illius servi Dei intercessionem sive invocationem, a Deo patrati; nihil enim frequentius esse, quam post mortem alicuius fidelis viri, aut mulieris, magnam sanctitatis vel miraculorum opinionem in populo oriri, ac potissimum si ab aliquibus de industria rumor foveatur; quae tamen opinio, nisi veritate innixa sit, vel ipso temporis lapsu languescere et interire vel, etiamsi hominum artificiis aliquamdiu sustentari pergat, perspicuis tandem divinae sapientiae consiliis destrui et confundi consuevit. In conficiendis autem huiusmodi processibus, praecipue considerandum esse extremum mortis articulum, in quo nisi aliquid illustre et sanctitate conspicuum se obtulerit, reliquae omnes inquisitiones supervacaneae remanent. Denique, ubi a Defuncto, vel ipso iubente et probante, ab alio quolibet aliquid scriptum fuerit; ne in praefatis concinnandis processibus inutiliter tempus aurumque insumatur, ante omnia ad trutinam revocanda esse huiusmodi scripta, ac diligenter investigandum, an aliquid contra fidei veritatem aut contra morum integritatem contineant, vel ullam peregrinae doctrinae novitatem a communi Ecclesiae sensu et consuetudine alienam exhibeant.

Quid potissimum observari intersit.

De iisdem cautelis.

§ 6. Porro fraternitati tuae in procuranda processus ad nos transmissi compilatione, non id propositum fuisse putamus, ut causam Beatificationis sororis Crescentiae quandocumque promovendam inchoare volueris. Novimus, potissimum inquisitionis peractae scopum fuisse, ut de monialis defunctae moribus instructos nos redderes et, an affectatae sanctitatis notam meruerit, nos edoceres. Sed, quoniam facile evenire posset, ut, fervente adhuc plurium pio erga illam affectu, enixe a te postularetur, ut conficiendis processibus initium fieret; idcirco non inopportunum duximus, praemissa omnia tibi in memoriam revocare, tutioremque agendi rationem paucis innuere; quum necessarium omnino putemus, per aliquod temporis spatium inquisitiones differri, atque interim observari, quo res evadat; an nullum appareat artificii humanaeque machinationis vestigium; an denique requisitae conditiones adsint pro inchoandis processibus ad Beatificationis iudicium instruendum profuturis.

§ 7. Quod etiam in casu, de quo agitur, magis expediri censemus; tum quia in collectis nuper plurium virorum atque mulierum testimoniis, ut supra diximus, nulla elucet heroicae virtutis aut miraculorum probatio, nec in obitu Sororis Crescentiae splendidum ullum sanctimoniae indicium apparet; tum quia complura huius scripta supersunt, quae ante omnia opus est ad examen vocari. Quod si etiam compilationi processus ordinarii, ad inchoandam beatificationis causam, locus esset, necessarium plane videretur exactam instructionem pro recta illius confectione, iuxta ea, quae in praedicto opere nostro *De Canonizatione* conscripsimus, hinc ad vos mittere; quum in praedicto processu nobis oblato nostroque iussu a peritissimis viris discusso, animadversum fuerit, testes in eo inductos turmatim examinatos fuisse, nec praevium, ut par erat, iusiurandum praestitisse; cumque non ita, ut oportebat, interrogati fuerint, generalia dumtaxat deposuisse, nihil de peculiaribus actionibus defunctae sororis enarrantes.

§ 8. Atque haec, venerabilis frater, satis esse possent, ad accuratam illam, quam de commissa tibi inquisitione nobis reddidisti rationem; nec ulterius progrederetur epistola nostra, nisi alia quaedam literis tuis nobis indicanda iudicasses; inter quae praecipuum locum obtinet, quod scribis, de publicatis lateque diffusis, quibusdam imaginibus Spiritum Sanctum sub speciosi iuvenis forma referentibus, subscriptis verbis: *Veni Sancte Spiritus:* de quibus imaginibus, utpote statim undequaque sparsis atque multiplicatis, duo potissimum inquirenda sunt: primum, an soror Crescentia eas invenerit, vulgaverit, approbaverit; alterum, an (praetermissa indagine de earum auctore) huiusmodi iconum usus, ex-

Imagines Spiritus Sancti sub humana specie disseminatae.

pressio et veneratio, sive intra Ecclesias, sive extra illas admitti possit.

§ 9. Nos autem de prima quaestione minime verba faciemus, eamque intactam relinquemus iis, quibus forsan de virtutibus sororis Crescentiae quandocumque inquirendum esse contigerit; sive agendum fuerit de permittenda introductione causae super ipsius beatificatione, sive, introducta iam causa, de ipsis virtutibus aestimandis et comprobandis.

Episcopi prohibitio a Pontifice confirmatur.

§ 10. De altera vero quaestione dicturi, primum omnium apostolicum fraternitatis tuae zelum, quo huiusmodi imagines huc illuc sparsas et per coenobium, per ecclesiam, per chorum palam expositas, auferri et removeri iussisti, laudamus atque probamus, te hortantes, immo etiam auctoritate, qua fungimur, tibi mandantes, ut, in suscepto proposito firmiter constanterque perseverans, nullo pacto permittas huiusmodi icones ulterius multiplicari; quascumque vero ullibi existere compereris, eas omnes et singulas de medio tollas; adhibitis iis auctoritatis simul prudentiaeque tuae remediis, quibus optatum finem sine turba, ac tumultu, consequi posse iudicaveris.

Divina natura pingi non potest.

§ 11. Neminem profecto latet, impium atque sacrilegum errorem fore, divinaeque naturae iniuriosum, si quis se putaret Deum Optimum Maximum, sicuti in se est, coloribus exprimere posse. Quum enim illius imago depingi atque oculis subiici nequeat, nisi tamquam materialis alicuius substantiae, corporea figura et partibus praeditae; si quis has qualitates divinae naturae tribueret, is profecto in Anthropomorphitarum errorem incideret.

Imagines Dei iuxta apparitiones in Scriptura relatas licitae sunt.

§ 12. Repraesentatur tamen Deus eo modo eaque forma, quibus in Scripturis Sanctis legimus ipsum mortalibus apparere dignatum esse. Licet enim id ab heterodoxis scriptoribus improbe reprehendatur, inter quos Simonem Episcopum vidimus *suarum institutionum theologicarum lib. 4. sect. 2. cap. 10.* asserentem non licere Deum pingere, ne sub ea quidem forma, qua se hominibus videndum exhibuit; ex nostris vero etiam Durandus opinatus fuerit huiusmodi imaginum usum minime expedire; et Ioannes Hesselius, Catholicus itidem Scriptor, *Catechismi sui lib. 1. cap. 65.*, huic opinioni favere videatur, dum ait innocuas quidem fore huiusmodi picturas, si a doctis tantummodo viris conspici deberent; sed, quum sapientium et insipientium oculis expositae esse debeant, facile evenire posse, ut indoctis per eas male de Deo credendi occasio praebeatur.

Auctoritates theologorum.

§ 13. Nihilominus communiter catholici theologi aliter docent. Petavius *theologicorum dogmatum lib. 15. De Incarnatione cap. 14. (ut videre est ipsius operum Tomo VI.)* licitum esse demonstrat, Deum sub ea forma depingere, qua ipsum accepimus semetipsum conspiciendum praebuisse: *Communi catholicorum assensu inveteravit opinio, nimirum ut eatenus figurari Deus possit, qua sub externa aliqua specie aspectabilem se praebuit hominibus.* Molanus, doctus auctor, *historiae sacrarum Imaginum lib. 2. cap. 3.* hanc ipsam sententiam confirmat: eamdemque quaestionem duo alii clari nominis theologi egregie illustrarunt, nimirum Suarez *in 3. part. D. Thomae tom. I. quaest. 25. art. 3. disput. 54. sect. 2. pag. 793.* et Valentia *tom. IV. suorum operum pag. 284.* Quibus addendi sunt duo S. R. E. Cardinales, Bellarminus et Gotti, a nobis alias citati in Opere nostro *De Canonizatione Sanctorum lib. IV. part. 2. cap. 20. num. 2.*

Concilii Tridentini et Sedis Apost. decreta.

§ 14. Imagines Deum ita repraesentantes minime reprobat sacra Tridentina Synodus *sess. 25. De Invocatione, Veneratione et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus;* sed Episcopis mandat, ut populos edoceant, per huiusmodi picturas erudiri et confirmari gregem Christi *in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis.* Si quis vero privatus huiusmodis imaginum usum opinione sua reprobare ausus est, ecclesiastico iudicio damnatus fuit, ut indicat Propositio XV. inter damnatas a fel. rec. praedecess. nostro Alexandro Papa VIII. die VII. decembris MDCXC. quae sic habet: *Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.*

Ratio.

§ 15. Et profecto, quum in sacris literis legatur, Deum ipsum sub hac aut illa forma hominibus se videndum exhibuisse, cur sub eadem forma eumdem pingere non licebit? *Si ergo literae legentibus permittuntur; cum tamen sacrae literae in maxima veneratione habeantur, cur non etiam Imagines permittentur?* Verba sunt Alphonsi de Castro *lib. 8. adversus haereses;* quo etiam argumento strenuo usus est Cardinalis de Richelieu in suo tractatu *De faciliori ratione reducendi eos, qui se ab Ecclesia segregarunt lib. 3. pag. 439.*

Spiritus Sanctus licite pingitur sub specie columbae.

§ 16. His positis principiis minime dubiis, facile patebit, qua ratione Imago Spiritus Sancti a pictoribus efformari debeat,

et quaenam ipsius Imagines approbari debeant, aut reprobari. In Sanctis Evangeliis a BB. Matthaeo, Marco et Luca conscriptis, ubi baptismus enarratur, quem Dominus Noster Iesus Christus a Ioanne accipere voluit, legitur apertum fuisse coelum et Spiritum Sanctum corporali specie, sicut columbam, super eum descendisse. Quod cur factum fuerit, mirifice explicat Dionysius Alexandrinus in Epistola adversus Paulum Samosatenum; quae extat in Collectione Conciliorum Labbei *tom. 1. pag. 867.* ita: *Cur vero in specie columbae Spiritus Sanctus descendit? scilicet ut nos doceret, qui misit illum, quique eum, quem misit, accepit. Sicut enim Noe dimisit ex Arca Columbam, et ipse illam recepit; ad eam similitudinem intelligendum nobis est, ipsius Christi esse Spiritum Sanctum coaeternum, et, quod erat ipsius, hoc dedisse nobis; dividens, et effundens super omnem carnem credentium, quia Deus est et Dominus, qui divisit nobis suum Sanguinem et Spiritum.*

De natura columbae in forma visae remissive.

§ 17. Non hic opus est in eam controversiam ingredi, quae inter eruditos criticos agitur, super illius columbae natura. De hac olim egimus in nostro tractatu *de festis Domini Nostri Iesu Chrsti, editionis Patavinae* § LIV., qua editione absoluta, recentiorem quamdam super hoc argumento vidimus dissertationem inter *discursus Historico-Criticos ad illustrationem veteris et novi Testamenti* typis editam *Hagae Comitum an. 1737. pag. 148.*

§ 18. Quod autem ad praesentem quaestionem attinet, quum Spiritus Sanctus in columbae specie olim visibiliter apparuerit; profecto illius imago sub eadem specie depingi debet. Qua in re vetus Ecclesiae disciplina nostrorum temporum consuetudini adstipulatur. De ea siquidem testatur S. Paulinus Episcopus Nolanus, qui, saeculo Christi quinto ineunte, in epistola ad Severum, describens picturas in Basilica S. Petri iam tunc existentes, ita cecinit:

Antiquus Ecclesiae mos pingendi Spiritum Sanctum in specie columbae,

Pleno coruscat Trinitas Mysterio:
Stat Christus Agnus, vox Patris coelo tonat.
Et per columbam Spiritus Sancti fluit.

In Conciliis assertus

§ 19. Pariter Christi anno DXVIII. antiocheni clerici et monachi, in precibus Ioanni Patriarchae et Synodo adversus Severum congregatae exhibitis, haec habent, apud Labbeum *Conciliorum tom. 5. p. 159: Columbas aureas et argenteas in figuram Spiritus Sancti super divina lavacra et altaria appensas, una cum aliis, sibi appropriavit; dicens, non oportere in specie Columbae Spiritum Sanctum nominare.* Damnatus etiam fuit in Concilio Nicaeno Secundo, habito anno Domini DCCLXXXVII., Xenaias catechumenus, quum ausus esset asserere, non licere Spiritum Sanctum sub columbae formam repraesentare: *Inter caetera autem dicebat et hoc esse puerilis animi factum, fingere in Columbae Idolo ter adorabilem Spiritum Sanctum:* ut videre est in collectione Conciliorum, regia nuncupata, Parisiis impressa an. MDCXLIV. *tomo 18. pag. 458.*, et apud Cardinalem Baronium ad annum Christi 485.

Et ex antiquis monumentis comprobatus.

§ 20. In opere quoque italica lingua scripto Philippi Bonarotae Senatoris Florentini, quod inscripsit *Observationes in antiqua vitrea vasa,* ex urbis coemeteriis effossa, *pag. 125.* plures afferuntur imagines Spiritus Sancti, sub Columbae specie in nobilibus illis sacrae antiquitatis fragmentis expressae. Cum vero recentiores sectarii, Calvinus, Lutherus, Zuinglius, mox relatum Severi errorem renovare contenderint, neminem latet, quid de illorum deliriis Ecclesia iudicaverit; quorum ampla refutatio videri potest apud Gretserum in tractatu *De Sacris Imaginibus cap. 9.* impresso *in tomo 17.* novissimae editionis ipsius operum.

II. In figura linguarum ignis super Apostolos descendentium.

§ 21. Legitur insuper in sacris Novi Testamenti paginis, quod quum post Christi in coelum Ascensionem congregati essent Apostoli et Discipuli, una cum Maria Matre Iesu, solemni die Pentecostes *apparuerunt illis dispertitae linguae, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto.* De quo Mysterio fuse egimus in praedicto opere nostro *De Festis Domini Nostri Iesu Christi* § 480. *et sequentibus,* editionis Patavinae; ubi *sub* § 492. docuimus, licere Pictoribus, ad rapraesentandum id, quod in solemniis Pentecostes ab Ecclesia recolitur, Apostolos pingere, aliosque cum iis in Coenaculo congregatos et flammulas ignis in linguarum figuram e coelo demissas, eorum omnium capitibus impluentes; quoniam in sacra Apostolicorum Actuum historia *cap. 2.* refertur, Paraclitum Spiritum Sanctum hoc visibili signo adventum suum ea occasione hominibus manifestasse. Verum, si quis extra hanc occasionem eumdem Spiritum Sanctum pingere velit, non aliter ipsum, quam sub Columbae forma,

Idque dumtaxat in repraesentat. mysterii Pentecostes.

poterit repraesentare; ut etiam recte monuit eruditus auctor Ayala in tractatu, cui titulus est *Pictor Christianus*, ubi *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 7. scribit: *Cum vero Spiritus Sanctus depingendus venit, non alia specie pingendus est, nisi illa, qua in Iordane nimirum apparuit, quamque docet divinus textus his verbis: Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut Columba in ipsum.* In Catechismo autem auctoritate sacri Concilii Tridentini edito, super eo Decalogi praecepto *Non habebis Deos alienos coram me*, ubi agitur de pingendis Divinis Personis, haec habentur: *Columbae vero species et linguae tanquam ignis, in Evangelio et Actis Apostolorum, quas Spiritus Sancti proprietates significent, multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis explicari.*

Imago divinae personae, praeter formam ab ipsa assumptam, affingi nequit.

§ 22. Quod si dicatur, minime reprobari, immo libenter admitti usum pingendi Spiritum Sanctum in Columbae specie; verum id agi, ut praeterea possit sub speciosi iuvenis aut viri forma repraesentari; nos contra iure responderi posse contendimus, quod, quum aliter non liceat divinae personae imaginem humanis oculis intuendam exhibere, quam sub ea forma, sub qua in Scripturis Sanctis narratur eamdem personam se olim hominibus aspectabilem praebuisse, sequitur inde, non modo licitum esse Spiritum Sanctum, vel die Pentecostes in mystica figura linguarum ignis super Apostolos descendentium, vel alias in columbae specie, depingere; propterea quod uterque eiusdem pingendi modus in divini textus historia et auctoritate fundantur: sed hoc insuper recte colligitur, minime licere, eumdem Spiritum Sanctum sub adolescentis aut viri specie figurare, quum nullibi inveniatur in Divinis Scripturis ipsum sub huiusmodi forma hominibus apparuisse.

Imagines erroris occasionem praebentes, et insolitae, a Concil. Trid. vetantur.

§ 23. Huic autem rationi addenda est auctoritas sacrosanctae Tridentinae Synodi, quae *loco superius citato* prohibet, fidelium oculis exhiberi *ullas falsi dogmatis imagines, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebentes;* et, generaliter, ullam insolitam poni aut ponendam curari imaginem, tam in ecclesiis, quam in aliis quibuscumque locis, districte vetat. Imago autem, de qua agimus, praeterquamquod insolita est, impium etiam, atque damnatum a patribus, errorem in animos intuentium revocare posset; eorum videlicet, qui asseruerunt, divinam Spiritus Sancti personam humanae conditionis naturam assumpsisse, de quibus loquitur Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi XVI. tomo 4. Bibliothecae Maximae SS. Patrum Lugduni impressae an. 1677. p. 523.* et S. Isidorus Pelusiota *lib. 1. Epist. 243.* eiusdem bibliothecae *Tomo VII.*, praeter auctorem notarum ad Concilium Constantinopolitanum I. in *Collectione Conciliorum Labbei tom. 2. pag. 976.*

Error, qui ex praedicta imagine erui posset.

Obiicitur imaginis exemplum SS. Trinitatis sub figura trium hominum aequalium et similium.

§ 24. Equidem ex epistola fraternitatis tuae satis intelleximus, huiusce argumenti vim ab iis quoque agnitam fuisse, qui de praesenti quaestione apud te verba fecerunt; qui tamen eam se declinare posse putarunt, adductis exemplis quarumdam imaginum Sanctissimae Trinitatis, quibus ea sub figura trium hominum aequalis et undequaque similis aspectus repraesentatur. Id quod alterius disquisitionis occasionem nobis aperit; ut scilicet examinemus, an liceat Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere; et, quatenus id licitum sit, quaenam illius imagines damnatae sint; quaenam haud omnino reprobatae, quaenam demum approbatae et permissae; denique an ex huiusmodi picturis ullum argumentum trahi possit, ut imago Spiritus Sancti, de qua nunc agimus, vitio carere ostendatur.

Licitum est pingere SS. Trinitatem.

§ 25. Porro licere Sanctissimam Trinitatem coloribus pingere, communis est theologorum opinio, quam copiose propugnant Valdensis, Molanus, Catharinus, Conradus Brunus, Nicolaus Sanderus, Franciscus Turrianus, Suaresius, Vasquez; quos sequitur Theophilus Raynaudus in libro cui titulus *Heteroclita spiritualia coelestium et infernorum pag. 23.* inter ipsius opera *Tomo 15.*, ita scribens: *Ex usu Ecclesiae, et ex consensu potiorum theologorum, fas est pingere Sanctissimam Trinitatem;* ubi etiam Durandum impugnat inter scriptores catholicos contra opinantem. Thuanus quidem *lib. 18.* refert decretum quoddam, cuius auctorem Espencaeum fuisse asserit: *Ut Sanctae Trinitatis Effigies, tamquam Sac. Scripturae, conciliis et veterum patrum testimoniis prohibita, tollatur;* ac reprehendit Decanum Collegii Theologici Parisiensis, Nicolaum Malardum, eo quod huiusmodi decreto obstitisset. Verum in hac re Thuani dicta refellit Gretserus *in Thuano Pseudotheologo pag. 57. tom. 17.* novissimae editionis Ratisponensis operum eiusdem Gretseri. Christianus Lupus vir non vulgaris erudi-

tionis, *in notis ad canones septimae Synodi cap. 5.* admittens piam consuetudinem pingendi Sanctissimam Trinitatem, quaerit quo tempore eadem introducta fuerit, seque id reperire non potuisse ingenue fatetur; quod idem nos quoque, pari sinceritate, professi sumus *lib. 4. de Canoniz. Sanctor. p. 2. cap. 20. num. 3.*

Non tamen sub qualibet forma.

§ 26. Illud tamen a theologis nostris communiter traditur, minime permittendum esse pictoribus, ut Sanctissimam Trinitatem qualibet forma pro ipsorum libito repraesentare audeant: quin adversus eorum licentiam invehuntur Vasquez *Tom. 1. pag. 676.*, et Cardinalis Bellarminus *controversiarum tom. 2. cap. 8. de Imaginibus Sanctorum;* qui sic ait: *Notandum non debere eiusmodi imagines multiplicari, nec tolerandum esse, quod pictores audeant ex capite suo confingere Imagines Trinitatis; ut cum pingunt unum hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus et in medio eorum Columbam: ista enim monstra quaedam videntur, et magis offendunt deformitate sua, quam iuvent similitudine;* eademque docet Sylvius *Tom. 4. in tertiam partem Divi Thomae q. 25. art. 3. q. 2. pag. 111. editionis Antuerpiae anni 1714.*

Non in utero B.mae Virginis.

§ 27. Inter reprobatas imagines Sanctissimae Trinitatis ea procul dubio recensenda est, quam pluribus insectatur Ioannes Gerson *Tomo 3. ipsius Operum Antuerpiae editarum anno 1706.*, quamque narrat se vidisse in quadam domo Regularium; ubi nimirum repraesentabatur Deipara Virgo Trinitatem ipsam in utero gerens, quasi vero tota Trinitas humanam carnem ex Virgine assumpsisset. Addit vero Molanus *Historiae Sacrarum Imaginum lib. 2. cap. 4.* se numquam satis intellexisse id, quod apud Gersonem legerat, donec huiuscemodi Sanctae Trinitatis imagines in Belgio pluribus locis expositas conspexerit; quas quidem se quoque damnare et reprobare profitetur.

Non sub figura hominis tricipitis.

§ 28. Humani corporis figuram tribus capitibus instructam, tamquam Imaginem Sanctissimae Trinitatis repraesentandae aptam, tueri quodammodo conatur Valentia *Tom. II. ipsius operum pag. 389.* Verum super huiusmodi Imaginibus solemne iudicium fel. record. Urbani Papae VIII. praedecessoris nostri prodiisse referunt, Macri in *Vocabulario Ecclesiastico,* verbo *Icona,* et Episcopus Sarnellus *Epistolarum Ecclesiasticarum Tomo IV. Epist. 13.*, qui testantur praedictum Urbanum comburi iussisse picturas quasdam, Sanctissimam Trinitatem exhibentes sub specie hominis triplici facie instructi: idque factum fuisse die XI. augusti anno MDCXXVIII. Sed et longe ante ipsius Urbani et Bellarmini supra laudati tempore, S. Antoninus *in Summa Theologica part. 3. tit. 8. cap. 4. § 11.* ita scriptum reliquit: *Reprehensibiles etiam sunt,* pictores videlicet, *cum pingunt ea, quae sunt contra fidem, cum faciunt Trinitatis imaginem unam personam cum tribus capitibus, quod monstrum est in rerum natura.*

An sub figura trium hominum aequalium et similium, disputatur.

§ 29. Sequitur ut videamus quid sentiendum sit de Imagine Sanctissimam Trinitatem exhibente in tribus personis, statura, aetate, omnibusque aliis lineamentis omnino aequalibus. Thomas Valdensis suorum *operum Tomo III. Tit. 19. de Sacramentalibus cap. 151.* huiusmodi picturam approbare non dubitat. Nec dissentit Molanus *historiae sacrarum Imaginum lib. 2. cap. 3.* Verum Ayala in aliam abire videtur sententiam, in praecitato opere *Pictor christianus lib. 2. cap. 3. num. 8.* de ea imagine sic loquens: *Aliam alicubi conspeximus pingendae Sanctissimae Trinitatis rationem, hanc scilicet: Depingebantur in tabula tres viri perquam similibus faciebus, aequali prorsus statura et aequalibus atque omnino similibus coloribus, vestibus, ac lineamentis. Non quidem hoc tam absurde; sed tamen non omnino recte: etsi enim hac ratione servetur repraesentatio qualitatis et coaeternitatis divinarum personarum, deficit tamen character et notio, ut ita loquamur, divinae personae: praeterquam quod in his rebus, quae sunt dignitate sua gravissima, vitanda et fugienda est omnis et quacumque novitas.*

Argumentum pro affirmativa ex tribus angelis Abrahamo visis.

§ 30. Ut autem variarum huiusmodi opinionum fundamenta paullo accuratius exploremus, innititur sententia Valdensis apparitioni Abrahamo factae, quae *Genes. cap. 18.* refertur, his verbis: *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso fervore diei;* statimque subiicitur: *Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, et adoravit in terram.* Post quae animadvertere licet, quod Abraham unum tantummodo alloquitur, *Et dixit, Domine, si in-*

veni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; atque vicissim unus dumtaxat Abrahamo respondet: *Dixit autem Dominus ad Abraham, etc.* In hac itaque apparitione S. Augustinus *lib. 11. de Trinitate cap. 20. tom. 8. pag. 784. editionis monachorum Congregationis Sancti Mauri,* agnoscit Sanctissimae Trinitatis imaginem; ita scribens: *Cum vero tres viri sunt, nec quisquam in eis vel forma, vel aetate, vel potestate maior caeteris dictus est, cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem Trinitatis aequalitatem, atque in tribus personis unam eamdemque substantiam?* Augustini opinionem amplexi sunt Rupertus *lib. V. Commentariorum in Genesim cap. 37,* Suarez *de Angelis lib. 6, cap. 20, num. 10 et sequentibus,* Cornelius a Lapide et Du Hamel in idem *caput XVIII. Geneseos,* aliique.

Et ex interpretatione S. Augustini, aliorumque.

Hebraeorum opinio diversa.

§ 31. Sunt tamen, a quibus eadem S. Doctoris interpretatio non recipitur. Praetermissa siquidem hebraeorum opinione, qui putant, tres illos Abrahamo visos non alios fuisse, quam angelos Michaelem, Gabrielem et Raphaelem, quorum primus, Dei partes gerens, venerit, ut inquireret in scelera Sodomae, et iustum in meritam civitatem supplicium statueret; at reliqui duo, iussu prioris, civitatem ipsam everterint, Lot vero liberaverint, uti narratur *sequenti capite eiusdem libri Geneseos XIX.,* quam hebraeorum opinionem referentes Tostatus atque Tirinus, in eamdem propendere se ostendunt; ut videre est in ipsorum commentariis in praemissum Genesis *caput XVIII.* Sane non pauci ex Sanctis Patribus existimarunt, duos ex tribus, qui tunc Abrahamo apparuerunt, angelos extitisse, tertium vero fuisse Filium Dei, secundam nimirum Sanctae Trinitatis personam; atque hanc sententiam frequenti expositorum calculo comprobatam, ab ipsa Ecclesia adoptatam fuisse putat Augustinus Calmet, idque deducit ex iis verbis, quae licet non habeantur in sacro textu, in divinis tamen officiis leguntur, videlicet: *Tres vidit et unum adoravit.* Videatur ipse Calmet in praecitatum *Genesis caput XVIII.,* necnon *Discursus XVII. in idem caput XVIII. Genesis,* inter *Discursus historico-criticos theologico-morales in vetus et novum testamentum,* Antuerpiae editos *anno* MDCCXXXVI. *tom. II.*

Alia SS. Patrum interpretatio.

Imagines SS. Trinitatis tuto permittendae.

§ 32. Imagines itaque Sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, et tuto permittendae, illae sunt, quae vel personam Dei Patris exhibent in forma viri senis, desumpta ex *Dan. cap. 7, vers. 9, Antiquus dierum sedit;* in eius autem sinu Unigenitum ipsius Filium, Christum videlicet Deum et Hominem; et inter utrosque paraclitum Spiritum Sanctum in specie columbae, vel duas personas modico intervallo seiunctas repraesentant, unam senioris viri, nimirum Patris, alteram Christi, medium autem inter ipsos Spiritum Sanctum in columba, ut praefertur, expressum: *Imagines ergo Trinitatis, quae ab Ecclesia probantur, sunt illae, quae Deum Patrem continent in forma hominis senis, in cuius sinu sit Christus, et inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbae; vel imagines, in quibus seorsim Deus Pater in forma hominis senis, et seorsim Christus, sed propinqui ambo, et inter utrumque Spiritus Sanctus in forma columbae efformentur.* Verba sunt Cardinalis Capisucchi, qui plures annos munere magistri sacri palatii apostolici laudabiliter functus fuit; *in Controversiis theologicis, controv. XXVI. de cultu sacrarum imaginum § 11 circa finem.* Similia peti possunt ex praedicto opere nostro *de Canonizatione Sanctorum lib. 4, part. 2, cap. 20, num. 3.* Et quamvis Molanus loquens de hac ratione repraesentandi Sanctissimam Trinitatem, ac praesertim ubi Christus in sinu Patris, veluti mortuus, depingitur, dubitare videatur, an approbari possit, propterea quod Christum mortuum nemini apparuisse legitur; attamen facile dignoscitur quam levis momenti sit huiusmodi difficultas. Licet enim Salvatoris nostri mortui nullam apparitionem factam fuisse legamus; mortuus est tamen, et palam in conspectu innumerabilis populi expiravit. Cur igitur ea forma, qua olim Hierosolymis a tot millibus hominum visus est, depingi nequit etiam in sinu Patris? aut cur sub eadem specie exponi nequit publicae adorationi fidelium? Quocirca facile Molani dubium resolvitur, ut observat etiam laudatus Ayala, supradicto libro, cui titulus *Pictor christianus, lib. 2, cap. 3, num. 12.*

Imagines Christi mortui.

§ 33. His itaque praemissis, quoniam potissimum fundamentum pro sustinenda imagine Spiritus Sancti sub humana iuvenis specie, in usu praedictarum tabularum statuitur, quae Sanctissimam Trinitatem exhibent in tribus personis, statura, vultu et lineamentis aequalibus; harum vero ta-

Effigies trium hominum similium si approbata non est, frustra allegatur.

bularum legitimus usus desumitur ex trium virorum apparitione Abrahamo facta, de qua *Genesis cap. 18;* iuvat nunc ita ratiocinari: Aut usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus personis undequaque similibus, canonicus est, et in Ecclesia pacifice receptus; sicuti etiam sententia de indicato Trinitatis mysterio in tribus viris, qui Abrahamo apparuerunt, satis tuta est, et solidis rationibus innixa; aut usus huiusmodi tabularum, ut nonnulli putant, canonicus non est, nec ab Ecclesia probatus; et relatae pariter opinionis fundamenta nutant, ut aliqui superius citati arbitrantur. Si nec canonicus est usus memoratae imaginis, nec opinio de figurato in praedicta apparitione Trinitatis mysterio tuta est, nec solidis rationum momentis suffulta; nequaquam permitti potest, ut super debilibus hisce infirmisque fundamentis tamquam certum stabiliatur quod licitum sit sub viri aut iuvenis specie Spiritus Sancti imaginem exhibere.

Et etiamsi tolerandasit, non faveret picturae, de qua hic agitur

§ 34. Quod si usus pingendi Sanctissimam Trinitatem in tribus personis aequalibus et similibus canonicus esset, legitimus, et ab Ecclesia probatus; atque etiam tutissima foret praefata opinio, quos apparitio trium angelorum Abrahamo facta mysterium adorandae Trinitatis significaverit; nil aliud ex hic inferri posset, nisi praedictum Trinitatis repraesentandae modum, hoc est pingendi tres viros aequali specie, et simili vultu, licitum esse et tolerandum; numquam vero ex iisdem rite colligeretur, licere Spiritum Sanctum, seorsim a duabus aliis personis, humana facie, et sub speciosi iuvenis forma depictum exhibere. Nec enim apparitio Abrahamo facta unius angeli fuit, sed trium; nec ullibi in sacris literis narratur, Spiritum Sanctum in forma viri, aut iuvenis, seorsim a duobus aliis, qui reliquas duas Trinitatis personas repraesentarent, hominibus apparuisse. Singulas vero sanctissimae triadis personas non alio modo pingi posse, quam quo earum quaelibet hominum se aspectibus exhibuerit, iam supra a nobis probatum est; idemque in Catechismo Romano, *loco superius citato,* his verbis traditur; ***Nemo tamen propterea contra religionem, Deique legem quicquam committi putet, cum Sanctissimae Trinitatis aliqua persona quibusdam signis exprimitur, quae tam in veteri, quam in novo testamento apparuerunt.***

Quae agitur,

§ 35. Denique imago Spiritus Sancti, de qua est quaestio, insolita est, et inusitata in Ecclesia; et consequenter nullo modo recipienda, iuxta mentem Sacrae Tridentinae Synodi supra relatae, et Conciliorum provincialium post Tridentinum coactorum, quorum decreta collegit Thiers in suo tractatu ***De superstitione tom. 1, lib. 2, cap. 1, pag. 214.***

tamquam insolita, reiicienda est.

De ratione rite pingendi SS. Trinitatem.

§ 36. Pingitur imago Sanctissimae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, repraesentando vel Patrem iuxta Filium, in sinu Patris; simulque cum iis Spiritum Sanctum in columbae forma, ut antea diximus. Pingitur et Pater solus, seorsim ab aliis personis, quoniam vocem Domini Dei deambulantis in paradiso audivit Adam, *Genesis cap. III.*, innixus mysticae scalae, visus est Iacob, *Genesi XXVIII., 13;* Moysi quoque miro modo conspiciendum se praebuit, *Exod. XXXIII., 23;* tum etiam Isaiae, tamquam Rex in solio sedens *Isaiae VI., 1;* et Danieli, veluti senex albo vestimento amictus, *Dan. VII., 9.* Pingitur etiam aeternus Filius seorsim a Patre et Spiritu Sancto, quoniam is homo factus, in diebus carnis suae cum hominibus conversatus est, atque etiam, postquam a mortuis resurrexit, non semel Apostolis aliisque manifestus apparuit. Repraesentatur idem cruci, quam pro nobis pertulit, affixus: quam quidem Crucifixi effigiem nec impius Lutherus e medio tolli posse putavit; et Elisabetha Angliae regina nuncupata, Henrici VIII. et Annae Bolenae filia, licet sac. imaginibus bellum indixerit, eam tamen in regio suo oratorio retinere voluit; ut videre est apud Bossuetum Meldensium quondam Episcopum ***tom. 2 ipsius operum, Gallico auctoris idiomate Venetiis editarum anno*** MDCCXXXVIII., ***pag. 137 et pag. 460.*** Pingi quoque consuevit in forma agni; atque huic imagini fundamentum praebet prophetia Isaiae, testimonium Baptistae, evangelistarum dicta, apocalypsis Ioannis Apostoli, et epistola prima B. Petri; quapropter eamdem Salvatoris nostri imaginem approbat Hadrianus Pontifex in epistola ad Tharasium conscripta, quae lecta est in Synodo septima, *Actione II.;* et vetustissima occurrunt huiusmodi picturarum exempla in sacris coemeteriis, et in basilicis huius nostrae Romanae urbis expressa. Pingitur denique Spiritus Sanctus, vel tamquam de coelo descendens die Pentecostes in figura linguarum ignis, vel alias in columbae specie, seorsim pariter ab aliis divinis personis; quia sub his figuris fac-

Tum personam aeterni Patris.

Item Filii.

Et Spiritus Sancti.

itae sunt eiusdem apparitiones, quarum Scriptura meminit; nusquam vero invenire est in sacris literis, tertiam personam absque aliarum consortio, in similitudine viri, aut iuvenis apparuisse. Quapropter argumenti superius expositi vis immota manet; nimirum quod etiamsi per tres angelos Abrahamo visos divina Trinitas repraesentata fuerit, non ideo tamen Spiritus Sanctus seorsim a duabus aliis personis, humana specie, seu viri seu iuvenis depingi potest.

Suadetur Episcopo constantia in proposito, cum exhibitione pontificiae auctoritatis etc.

§ 37. Atque haec privatis nostris studiis colligere, et paucis illis subcisivis horis, quae nobis ab ingruentibus undique negotiis publicis vix supersunt, ut peculiarem bibliothecam nostram ingredi possimus, praesentibus ad fraternitatem tuam literis complecti voluimus; ut initam abs te rationem prohibendi praedictas imagines Spiritus Sancti, earumque usum et cursum intercipiendi, comprobaremus. Neque porro dubitamus, quin, pro magna laudis existimatione, quam tibi peperit egregia tua apostolici muneris administratio, et pro ea rationum gravitate, cui innititur huiusmodi imaginum prohibitio, debita mandatis tuis obedientia ab omnibus exhibeatur. Verum ubi, instigante humani generis hoste, contrarium eveniret, tuum erit de omnibus nos certiores facere; nos etenim ministerii nostri partes esse reputabimus, apostolicam, qua, Deo volente, fungimur, auctoritatem interponere, ut et refractarii meritis poenis afficiantur, et pravae consuetudines adversus Ecclesiae instituta ac disciplinam invectae, penitus eliminentur.

De aliis superstitionibus divulgatis.

§ 38. Praetermittenda autem non sunt alia quaedam, quae in eadem epistola tua legimus: spargi nimirum, ac dispensari complures praefatae sororis Crescentiae effigies; necnon coronas precatorias, earumque grana, cruces, scapularia, oleum, pulverem, aquam, manus denique, vel pictas, vel ex ligno effictas, cum pollice inter indicem et medium inserto; existimantibus plerisque de vulgo, praedictas cruces, et coronas a Deo benedictas, et indulgentiis ditatas fuisse; earum vero manuum simulacra ad fugandos daemones plurimum valere; cum aliis huiusmodi nugis, quae ab iis disseminantur, qui venditandis huius generis superstitionibus temporalia sibi lucra comparare student.

Prudentia Episcopi commendatur.

§ 39. Et quidem ex eadem epistola tua optime agnoscimus, tibi, satis consilii et prudentiae in temetipso esse, ad rectum de huiusmodi rebus iudicium ferendum; nec aliud nobis reliquum esse videtur, quam ut fraternitatem tuam hortemur, ut quam ingressus es viam, insistere pergas; inepta nimirum, quae diximus, deliria non approbando, sed fidem auctoritatemque omnem iis derogando.

De indulgentiis falso iactatis, iudicium S. Sedis.

§ 40. Ut tamen circa similia Apostolicae huius Sedis sensum atque iudicium agnoscas, consilio iudicioque tuo per omnia consentaneum; notum tibi esse volumus, fuisse olim piam Dei ancillam, nomine Ioannam a Cruce, magna sanctitatis fama illustrem, cuius vita conscripta est ab Antonio Daca. Ferebatur in vulgus, quaedam coronarum precatoriarum grana, ipsius intercessione a Iesu Christo benedicta fuisse, pluribusque aucta indulgentiis. Verum huiusmodi indulgentiae ab hac Sancta Sede apocriphae declaratae fuerunt, quemadmodum videre est apud praecitatum Thiers *de Superstitione tom. 2, cap. 12,* qui etiam refert decretum de iis prolatum anno MDCLXXVIII. a congregatione S. R. E. Cardinalium sacris indulgentiis praeposita eodem *tom. 2, cap. 12, pag. 17 et sequentibus;* et signanter *pag. 25.* Cumque introducta esset causa de illius ancillae Dei beatificatione, et ob eiusdem praeclara merita, eo usque feliciter processisset, ut iam ab auditoribus rotae confecta esset ipsius relatio, iuxta morem ea aetate vigentem; quum deinde eadem causa post decreta Urbani Papae VIII. reassumenda esset, cito consepulta remansit, propter excitatas obiectiones ex praefatis granis benedictis, et praetensis indulgentiis eisdem adnexis, desumptas, ut ostendit pontificium decretum anno MDCLXIV. editum, et a nobis relatum in *opere de Canonizatione sanctorum lib. 2, cap. 36, num. 18, editionis Patavinae;* praeter ea, quae in regestis Congregationis Sacrorum Rituum adnotata reperiuntur, quaeque eo loci in medium afferre opportunum non duximus.

Item de imaginibus eorum, quorum cultus non est approbatus.

§ 41. In eodem tamen opere *lib. 2, c. 8, n. 3* videre poteris decretum praedecessoris nostri Urbani Papae V., prohibens distribui numismata in eorum honorem conflata, quibus aut Beati, aut Sancti cultus ab Apostolica Sede tributus antea non fuerit.

Naturalia remedia ad fugandos daemones inutilia.

§ 42. Demum quod attinet ad expulsionem daemonum a corporibus obsessis, inter plura remedia in eum finem ab Ecclesia recepta, quorum copiosam seriem exhibet diligens scriptor Martinus del Rio *Disquisitionum magicarum cap. 2, sect. 3, quaest. 3,* locum profecto non habet in-

compositus ille, et parum verecundus gestus, in praefatis manuum figuris expressus. Porro an daemones naturalium rerum virtute a corporibus obsessis expelli queant, nos etiam disputavimus in saepecitato opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4, part. 1, cap. 29, num. 7;* partemque negantem amplexi sumus, cum maiori theologorum numero, quorum auctoritates ibi retulimus, quibusque addi potest Theophilus Rainaudus in libro inscripto *Theologia naturalis, tomo V. ipsius operum, p. 55,* quem librum videre nobis contigit, dum hanc ipsam epistolam dictaremus.

Disciplina Ecclesiae in exorcismis servanda.

§ 43. In exorcizandis energumenis, illud potissimum interest, ut ante omnia dignoscatur, an revera obsessus sit a daemone is, qui talis esse affirmatur, ubi vero ita esse constiterit, eligatur ab Ordinario sacerdos perspectae pietatis, vitae integritatis, atque prudentiae; huic autem ad expellendum daemonem, non quidem picta, vel lignea manu, aliisve ineptis huiusmodi nugis utatur; sed praescriptas in Rituali Romano regulas adamussim servet. Magnus ille Mediolanensis Antistes S. Carolus Borromaeus, quum rectam ac tutam exorcizandi rationem in libro a se probato tradidisset, in quarta dioecesana Synodo a se habita anno MDLXXIV. *decreto 18,* prohibuit, ne quis, occasione oblata, aliis quibuscumque exorcismis, precationibus, aut ritibus uteretur, quam quae haberentur in praedicto libro; *cui nihil ab eo,* nimirum ab exorcizante, *addi, detrahi, ac ne mutari quidem fas sit.* Postmodum vero a recol. mem. Paulo Papa V. praedecessore nostro, anno domini MDCXIV., publicatum fuit Rituale Romanum, in quo adest peculiaris titulus *de Exorcizandis obsessis.* Ac fel. record. praedecessor pariter noster Clemens Papa XI. in quadam epistola encyclica data die XXI. iunii MDCCX. districte mandavit, ut nemo exorcizans a norma in praedicto Rituali Romano praescripta ulla ex parte discedere praesumat.

Collaudatur Episcopi cura in sacris studiis fovendis et promovendis.

§ 44. Praeclarum tandem fraternitatis tuae propositum, nos satis pro merito commendare et collaudare non valemus; quod scilicet scribis, operam te daturum, ut in clero regimini tuo commisso, una cum religionis ac pietatis cultu, sacrarum literarum studia conserventur, atque in dies incrementum accipiant, additis ad theologiam scholasticam, ecclesiasticae historiae et canonicae iurisprudentiae disciplinis. Sane hoc tibi non exiguam in praesentia laudem, perennem vero in Ecclesiae monumentis nomini tuo gloriam comparabit; quodque pluris est, ingens apud Pastorum Principem meritorum pondus tibi acquiret. Nec illud praetereundum est, quod si clerum ita instructum, sanaque doctrina eruditum habueris, non ita facile te huiusmodi molestiis vexari continget, quales nuper ex tuis literis intelleximus, animum tuum veritati et ecclesiasticae disciplinae integritati inhaerentem fatigasse. Interea fraternitatem tuam sincero caritatis affectu complectimur, ac tibi totique gregi tibi concredito apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. octobris MDCCXLV., pontificatus nostri anno VI.

LXVIII.

Concessionum gratiarumque apostolicarum facta distinctione, decernit quaenam earum per Secretariam Brevium expediri debeant, quaeque per Datariam, sub poena nullitatis expeditionum (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam.

Officiorum et iurisdictionum distinctio recto regimini necessaria.

Gravissimum Ecclesiae Universae reique publicae regimen humilitati nostrae concreditum, optima, quantum nobis ex alto conceditur, ratione moderari, simulque ab omnibus iis, quorum opera ac ministeriis utimur, concordibus atque in unicum publicae utilitatis scopum collineantibus studiis procurari cupientes; id maxime interesse arbitramur, ut singulis officiis, quibus tam iustitiae administratio, quam gratiarum dispensatio continetur, proprias atque distinctas in Republica partes, certosque tum auctoritatis tum iurisdictionis limites designemus: constat enim, non aliunde certiorem gubernii concordiam, quam ex recta divisione munerum et officiorum partitione coalescere; nec magis firmam corporis stabilitatem, quam ex apta atque ordinata membrorum omnium di-

---

(1) Hanc const. retulimus, cum missionariis perutilem existimamus.

Reformatio tribunalium a Sanctiss. Domino Nostro peracta.

stinctione consistere. Quapropter, cum anno proxime elapso, editis apostolicis literis XII. kalendas ianuarii, quarum initium est: *Romanae Curiae praestantiam,* huiusmodi munerum et iurisdictionum divisionem pro iudicibus et tribunalibus huius nostrae curiae, in iis, quae pertinent ad legitima causarum iudicia, opportune statuerimus: animum in praesentia adiicimus ad certos constituendos fines, intra quos ea quoque officia se in posterum continere debeant, quibus demandata est expeditio gratiarum, quae de Apostolicae Sedis liberalitate tam in universos christifideles, quam in subditos ditioni nostrae populos, asssidue diffunduntur.

De officio magistri brevium in Dataria Apostolica.

§ 1. Porro ad expedienda complura huiusmodi gratiarum genera, inter caeteros Apostolicae Sedis ministros et officiales, unus in Dataria Apostolica ab immemorabili tempore extitit, Magister Brevium nuncupatus, cuius electionem ante pontificatum felicis recordationis praedecessoris nostri Pauli Papae V. ad Collegium Secretariorum Apostolicorum absque controversia pertinuisse dignoscitur. Verum, quum de anno MDCXIV. post obitum olim Ioannis Mileti ad huiusmodi officium Magistri Brevium a praedicto Collegio Secretariorum Apostolicorum electi, super iure novum Magistrum Brevium eligendi et deputandi, triangularis orta esset lis et controversia; num scilicet ad Datariam Apostolicam, an vero ad praedictum Collegium Secretariorum Apostolicorum vel potius ad Collegium Scriptorum Brevium, praedicti officialis electio et deputatio spectaret; eaque lis et causa coram bon. mem. Marco Aurelio Maraldo tunc temporis Datario discuteretur, atque adhuc indecisa penderet; idem praedecessor Paulus huiusmodi litem et causam auctoritate apostolica ad se avocavit, atque omnibus rite perpensis, per suam schedulam motus proprii decrevit et declaravit, electionem personae, quae officium Magistri Brevium exerceret, a praedicto Collegio Secretariorum Apostolicorum semper faciendam esse et fore, factamque tunc ab ipso collegio electionem in persona Ioannis Iacobi Bulgarini ratam habuit, approbavit et confirmavit.

Quod a Gregorio XV. in officium vacabile erectum fuit.

§ 2. Postea vero recolendae memoriae praedecessor pariter noster Gregorius Papa XV. anno MDCXXII. officium huiusmodi magistri Brevium in officium vacabile sub eodem titulo, cum, adnexis praelaturae insigniis et honoribus, et cum facultate illud resignandi pro iusto pretio, ad instar aliorum officiorum vacabilium, erexit, ipsique pro tempore praelato huiusmodi officii possessori, omnia et singula emolumenta, quae de caetero in gratiarum expeditionibus a Magistro Brevium percipi et exigi consueverant, perpetuo cessit et assignavit; atque ita de una in alteram personam transeundo, officium praedictum in proprietatem devenit venerabilis fratris Alexandri de Abbatibus, nunc Viterbiensis Episcopi. Cum autem nos, conservandis augendisque apostolici aerarii utilitatibus solicite intenti, uberes eiusdem officii redditus, cum primum illud ex persona moderni ipsius possessoris vacare contigisset, Camerae nostrae Apostolicae in perpetuum applicare et appropriare statuissemus; ut etiam citius huiusmodi applicatio et appropriatio suum sortirentur effectum, officium ipsum a praedicto Alexandro Episcopo pro competenti pretio resignari curavimus. Quod quum ipse de facto in manibus nostris sponte resignasset; nos resignationem huiusmodi admittentes ad commodum et favorem eiusdem Camerae Apostolicae, per speciale chirographum manu nostra signatum sub die VI. iunii anni Domini MDCCXLII., mandavimus, ipsi resignanti persolvi ex pecuniis praedictae camerae tredecim millia scutorum monetae Romanae de iuliis decem pro quolibet scuto, pro pretio convento praedicti officii, quemadmodum soluta fuerunt; et ex tunc huiusmodi officii Magistri Brevium nuncupati annuum fructum et emolumenta ex ipsius officii exercitio pro tempore redigenda, eidem Camerae Apostolicae applicavimus et perpetuo incorporavimus; ita tamen, ut a nostro et Pontificum successorum nostrorum pro tempore Datario, unus aliquis officialis eligi et cum congrua mercedis assignatione deputari debeat, ad hoc ut sub eiusdem Datarii directione, nomine vero Camerae Apostolicae, officium ipsum fideliter exerceat, et administret, prout supradictus Alexander Episcopus eiusque in dicto officio praedecessores pro tempore exercuerunt; ac de perceptis seu exactis emolumentis, statutis temporibus et quandocumque opportunum visum fuerit, rationem reddat, prout in praedicto chirographo manu nostra signato, et in instrumento ibidem per acta dilecti filii Gregorii Castellani unius ex eiusdem Camerae Apostolicae Secretariis sub die quinta iulii eiusdem anni confecto et stipulato, latius et uberius continetur.

Ipsius redditus Camerae Apostolicae applicari a Summo Pontifice.

Qui separari iubet gratiarum genera per dictum officium expedienda ab aliis, quae per Secretar. Brevium expediri possunt.

§ 3. Ut autem certa ratione constet, quaenam gratiarum et concessionum genera per Datariam praedictam, et per organum huiusmodi Magistri Brevium in posterum expediri oporteat; quaenam vero sint expeditiones, quae per literas sub annulo Piscatoris et per Secretariam Brevium nostrorum secretorum fieri permittuntur; omnisque inordinatio et confusio tollatur, quae ex promiscuo recursu ad praedictas Datariam et Secretariam Brevium, alias usitato, oriebatur, non sine fraudum periculo, et officiorum vacabilium de expeditionibus participantium, adeoque ipsius Camerae nostrae Apostolicae detrimento; mandavimus dilecto filio nostro Dominico Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero Cardinali Passioneo nuncupato Brevium nostrorum secretorum Secretario, necnon dilecto filio magistro Ioanni Iacobo Millo Datario nostro, ut unanimi studio, perpensis veteri stylo et consuetudine, atque etiam ipsa multiplicis generis gratiarum et concessionum natura, consilium suum nobis aperirent super huiusmodi negotiorum divisione et congrua partitione inter praedicta officia inviolabiliter in posterum stabilienda et respective servanda.

§ 4. Ipsi vero praemissa omnia sedulo et accurate pensantes, auditis etiam utriusque officii praedicti ministris in eorum praxi, stilo et consuetudinibus, respective peritis, post maturum examen, elenchum quemdam, communi ipsorum consensu conceptum et utriusque subscriptione signatum nobis obtulerunt, in quo sigillatim continebantur materiarum seu gratiarum apostolicarum genera: primo quidem earum, quarum expeditionem ad dictam Secretariam Brevium Secretorum privative; secundo earum, quarum expeditionem, tam ad ipsam Secretariam, quam ad Datariam Apostolicam promiscue; tertio demum earum, quarum expeditionem ad ipsam Datariam privative spectare debere convenientius iudicarunt.

Elenchus gratiarum per Secretariam Brevium privative expedienda.

§ 5. Porro concessiones et gratiae, quarum expeditio, iuxta praedictum elenchum, Secretariae Brevium secretorum privative tribuitur, tales sunt: altaria portatilia: altaria privilegiata: concessiones habitus militiae Domini Nostri Iesu Christi, aut alterius militiae similis: avocationes causarum, et extinctiones litium: abbreviatoriae nunciaturarum: indulta gaudendi privilegio antianitatis pro advocatis consistorialibus coadiutoribus: creationes in militem auratae militiae, et in comitem palatinum: licentiae ingrediendi in monasterium educationis causa: facultates permanendi in monasterio in habitu saeculari: capiendi possessionem nomine Camerae: vescendi prohibitis: brevia facultativa magnis magistris cuiuslibet ordinis equestris vel militiae: benedictiones agrorum contra animalia nociva: commutationes voluntatis: confirmationes decretorum congregationum et literarum patentium Nuntiorum, aut Legatorum Sedis Apostolicae: commutationes officii divini in alias preces: creationes in generalem, aut in alios officiales regulares: clericatus Camerae: admissiones ad privilegia civitatis, vulgo *Cittadinanze:* deputationes coadiutorum in officiis et muneribus saecularibus: communicationes privilegiorum et indulgentiarum: confirmationes electionum personarum, non tamen super re beneficiaria: creationes magistrorum, abbatum et aliorum graduatorum regularium: commissiones contra Episcopos: dispensationes super defectu aetatis tredecim mensium, vel alterius temporis, ad effectum suscipiendi ordines: declarationes capellae publicae: derogationes fideicommissorum: doctoratus: deputationes fideicommissorum, visitatorum, collectorum, auditorum et notariorum nuntiaturarum et aliorum similium: dispensationes super bigamia, aut alio simili impedimento obsistente receptioni in Militiis et Ordinibus Equestribus: licentiae concedendi bona ecclesiastica in emphyteusim ad tempus et ad tertiam generationem, dummodo tamen canon, aut census annuus, summam decem ducatorum auri de Camera non excedat, prout reperitur in regestis: erectiones marchionatus in principatum, aut ducatum vel comitatum: erectiones montium, collegiorum et provinciarum pro regularibus: dismembrationes conventuum ab aliqua provincia ad effectum erigendi aliam: oeconomatus: erectiones archiconfraternitatum cum facultate aggregandi: facultates universitatibus studiorum: facultates Episcopis suscipiendi munus consecrationis: licentiae patrocinandi in causis civilibus: retinendi famulam in monasterio: facultates absolvendi a casibus reservatis: retinendi sacrum oleum infirmorum et asservandi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum: facultates S. R. E. Cardinalium, Legatorum, Nuntiorum et Episcoporum pontificio solio assistentium: facultates as-

sumendi nomen et titulum Archiepiscopi, etiamsi pallium quis non habeat: gubernia: indulgentiae ordinariae et extraordinariae: indulta emittendi professionem ante completum annum novitiatus: emittendi pariter professionem in conventu non destinato: utendi birettino: non incedendi in habitu, ratione pensionum, iuxta constitutionem Sixti V., ad triennium: impositiones super ecclesiasticis: cruciatae: prorogationes pensionum: exemptiones a vectigalibus: processionibus et oneribus: licentiae ingrediendi monasteria et pernoctandi in eis: creandi census, eosque extinguendi: permutationes bonorum, non tamen super materia beneficiali vel ecclesiastica: indulta capiendi possessionem post signatam supplicationem et ante expeditionem literarum, tam pro Episcopis, quam pro quocumque beneficio ecclesiastico, ad sex menses: percipiendi fructus in absentia et non residendo: permanendi extra statum ecclesiasticum: habendi fenestram, cancellos et ianuam in publicis ecclesiis: recipiendi sacram Communionem in privatis domus oratoriis: retinendi et legendi libros prohibitos: exercendi opera servilia diebus festivis: celebrandi in loco patrati delicti: incedendi in habitu laicali, ad effectum dumtaxat gaudendi privilegio fori et retinendi pensiones, ut supra: legitimationes: concessiones habendi locum in consilio Ferrarien., aut alterius civitatis et terrae status ecclesiastici: dispensationes matrimoniales pro principibus supremis: oratoria privata: creationes protonotariorum apostolicorum non participantium: prohibitiones extrahendi libros, paramenta et utensilia sacra: revocationes talium prohibitionum: prorogationes ad tempus, non tamen ad praesentandum, aut publicandum vel ad suscipiendos ordines, sive aliquem gradum, iuxta decretum appositum in supplicatione per Datariam: facultates privativae imprimendi libros: revalidatoriae, seu perinde valere super brevibus iam expeditis: loca seu officia quadraginta virorum reformatorum status libertatis civitatis Bononien., et resignationes eorumdem locorum seu officiorum: restitutiones in integrum dummodo non sint in materia beneficiaria: reductiones onerum et missarum: concessiones privativae venationis: provisiones ecclesiarum in partibus infidelium ad instantiam vel commodum Congregationis de Propaganda Fide, favore Vicariorum, necnon ecclesiarum Scotiae et Hiberniae, quae a praedicta secretaria gratis conceduntur: auditoriatus Rotae Maceraten., Ferrarien. et Bononien.: officia signaturae: alia officia et munera saecularia, quae a Romano Pontifice saecularibus conferuntur, et quae per Breve expediri consueverunt, et similia, quae respiciunt scaecularitatem sine ulla connexione cum re beneficiaria, cuiusmodi sunt capitaneatus, baroncellatus, fiscalatus et similia; necnon deputationes coadiutorum in eisdem: licentia personis ecclesiasticis suscipiendi tutelam minorum et nobilibus mulieribus viduis suscipiendi tutelam filiorum: item personis ecclesiasticis, studendi iuri in publicis studiorum universitatibus: extrahendi reliquias: versandi cum haereticis: locandi ad tempus: et indulta liberandi reos pro confraternitatibus.

§ 6. Gratiae autem et concessiones, quae tam per Secretariam Brevium praedictorum, quam per Datariam Apostolicam promiscue, iuxta dictum elenchum, poterunt expediri, sunt quae sequuntur: confirmationes contractuum, statutorum, privilegiorum, ordinationum, concordiarum et transactionum, tam in forma communi, quam in forma specifica: absolutiones cum dispensationibus ad ordines super irregularitate proveniente ex defectu corporis vel ex delicto, non tamen homicidii in statu ecclesiastico commissi: confirmationes decreti iudicis: derogationes statutorum urbis, Spoletan., et aliarum civitatum super excessu dotis: dispensationis super praemissis irregularitatibus cum praedictis restrictivis: extra tempora, tam pro Italis, quam pro ultramontanis: erectiones confraternitatum: indulta medendi et exercendi chirurgiam: indulgentiae perpetuae pro confraternitatibus: licentiae transeundi ad ordinem strictiorem: licentiae se immiscendi in criminalibus: et restitutiones adversus lapsum quinquennii.

Item earum, quae tam per Datar., quam per Secret. Brevium expediri possunt.

§ 7. Demum concessiones et gratiae, quarum expeditio, iuxta relatum elenchum, Datariae Apostolicae privative quoad Secretariam praedictam reservatur, sunt generaliter quaecumque aliae concessiones et gratiae in superioribus non comprehensae nec expressae; et signanter illae omnes, in quarum expeditione, de stylo et consuetudine immemorabili, solvenda est compositio in ipsa Dataria, aut taxa Cancellariae, sive Iocalium.

Quaenam per Datariam tantum expediri debent.

§ 8. Nos igitur, quum praemissam materiarum et gratiarum apostolicarum divi-

Pontifex confirmat relatam divisionem, et

privativam inter dicta officia respective constituit

sionem et partitionem iusta lance libraverimus, eamdemque rationabilem et aequitati consonam et tam Secretariae et Datariae praedictarum iuribus congruenter distinguendis, quam Camerae et Cancellariae Apostolicarum, illarumque respective ministrorum, officialium et collegiorum indemnitatibus conservandis et stabiliendis, aptam opportunamque agnoverimus; non modo ipsam, prout superius expressa est, ratam et gratam habemus; verum etiam perpetuae ipsius firmitati et observantiae consulere et providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, eamdem, apostolica auctoritate, tenore praesentium, in perpetuum approbamus et confirmamus, illique inviolabilem sanctionis nostrae firmitatem et robur adiicimus.

Sub poena nullitatis expeditionum

Decernentes et eadem auctoritate statuentes, quod gratiae et concessiones apostolicae alterutri ex Secretaria Brevium et Dataria praedictis privative, ut praemisimus, attributae, si quas forte per alterum ex dictis officiis, contra huiusmodi partitionis et divisionis praescriptum, expediri quandocumque in posterum contingat; necnon ipsae literae apostolicae super iisdem confectae, nullitatis et invaliditatis vitio subiaceant: prout nos illas ex nunc, prout ex tunc et e contra, tamquam non rite et legitime, seu etiam nullo modo expeditas, processusque forsan habitos vel habendos per easdem, cum omnibus et singulis inde quomodolibet secutis et sequendis, dicta apostolica auctoritate, ipsarum tenore praesentium, annullamus, irritamus et invalidamus, neminique ad quemcumque effectum ullatenus suffragari posse decernimus.

Iubet supplicationes dirigi ad quem de iure

§ 9. Quamobrem iisdem Dominico Cardinali et magistro Ioanni Iacobo Datario, eorumque pro tempore in muneribus huiusmodi respective successoribus, per easdem praesentes districte praecipimus et iniungimus, ut ipsi in posterum in quarumcumque gratiarum et concessionum apostolicarum expeditione, superius praescriptam divisionem et partitionem prae oculis habentes, eam firmiter observent, ac ab omnibus et singulis sibi respective subiectis personis, officialibus, vel ministris inviolabiliter observari faciant. Et pro huiusmodi observantia, omnes et quascumque petitiones aut supplicationes pro impetratione gratiarum in alterutro ex dictis officiis per solicitatores agentes, negotiorum expeditores, aut alios quoscumque, contra praescriptae petitionis normam, forsan porrectas et praesentatas, seu quandocumque porrigendas et praesentandas, ad alterum ex eisdem officiis, ad quod, iuxta praemissae partitionis continentiam, pertinere dignoscuntur, fideliter dirigant et remittant:

Non obstantibus remissionibus aliunde obtentis, nisi praesentibus legitime derogatum fuerit.

Non obstantibus aliis quibuscumque ipsarum petitionum, aut supplicationum remissionibus, quae forsan ab alio quolibet ex nostris administris et officialibus, etiam a Secretaria nostra supplicum libellorum, ac nostro et Romani pro tempore Pontificis nomine, ac etiam a quacumque ex Congregationibus S. R. E. Cardinalium emanaverint, vel extortae fuerint. Nos enim remissiones eiusmodi, contra memoratae partitionis prascriptum quomodolibet pro tempore emanatas vel obtentas, nisi illae de speciali nostro aut successorum nostrorum mandato, expressam ipsarum praesentium derogationem contineat, tamquam per errorem factas, sive per subreptionem aut obreptionem obtentas, ab ipsis Brevium Secretario, atque Datario, eorumque successoribus praedictis, omnino spernendas et nullatenus attendendas fore declaramus.

Clausulae salutares.

§ 10. Praesentes quoque literas de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati et auditi non fuerint, vel quocumque alio colore, praetextu, occasione vel causa, a quoquam notari, impugnari, in ius vel controversiam revocari nullatenus unquam posse, sed eas semper et perpetuo validas firmas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios aut delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi et interpretandi facultate, iudicari, declarari, et interpretari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogationes

§ 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac

quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon privilegiis indultis, facultatibus et literis apostolicis eiusdem S. R. E. Cardinali Brevium praedictorum Secretario, ac Datario seu Pro-Datario pro tempore existentibus, quomodolibet et ex quacumque causa hic forsan de necessitate exprimenda, respective forsan concessis, approbatis et innovatis, usibus quoque, stilis, tolerantiis, permissionibus et consuetudinibus etiam diuturnis et inveteratis, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan facientibus vel extantibus. Quibus omnibus et singulis, illorum omnium et singulorum tenores etiam veriores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, speciliter et expresse, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio. § 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae approbationis, confirmationis, constitutionis, irritationis, annullationis, praecepti, statuti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXLV., sexto kalendas decembris, pontificatus nostri anno VI.

LXIX.

Super electionem abbatis Collegii itali graeci S. Basilii Magni de Urbe disponit (1).

Breve pro Collegio italo graeco S. Basili M. de Urbe.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Laudabile Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum institutum, ut si quas super quibusvis negotiis emergere et erumpere perspexissent contentiones, lites, ac disceptationes, statim apostolica auctoritate et providentia dirimerent componerentque, eo maiori studio tenere ac sectari nos in sacrosancti apostolatus specula constitutos decet, quo per omnem vitae nostrae aetatem nihil curavimus impensius, quam, ut e medio sublatis contentionum, litium, disceptationumque forensium dissidiis ac tricis, per solam liquidamque veritatis inspectionem ius suum unicuique tribueretur, ac iustitia et pax sese invicem oscularentur.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius modernus Abbas generalis Ordinis S. Basilii Magni vigore facultatis sibi a Diaeta Generali eiusdem ordinis die XXVIII. iunii proxime praeteriti in monasterio Sancti Michaelis Archangeli Regni Siciliae Ordinis praefati habita attributae per suas patentes literas die XIII. augusti nuper elapsi dilectum etiam filium Philippum Spitalieri monachum expresse professum, ac unum ex Abbatibus provinciae Siculae memorati Ordinis in Abbatem *Collegii dicti Sancti Basilii de Urbe* alias a felicis recordationis Urbano Papa VIII. praedecessore nostro per suas in simili forma Brevis die XVII. decembris MDCCXXXI. *pro decem collegialibus* et dicti ordinis professoribus *nempe quatuor perpetuo ex sicula provincia, tribus ex Regno Neapolitano, ac reliquis ex aliis nationibus* arbitrio superiorum dicti ordinis, praeter superiorem, confessarium et repetitorem, *erecti* nominaverit et deputaverit; nominationi vero et deputationi huiusmodi Provincia Romana Neapolitana eiusdem ordinis obstiterit et interea supplex libellus, in quo rationes pro se facientes utraque pars deducere non praetermisit, nobis porrectus fuit:

§ 2. Hinc est, quod nos, qui lites dissidiaque huiusmodi opportunis rationibus dirimere, illisque ne rursus quandocumque excitari valeant, ansam praecidere studemus hisce malis occurrere, ac felici prosperoque dicti *collegii* regimini et gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, consulere, expensasque, si in iudicio causa huiusmodi produceretur, quas utraque pars facere deberet, evitare cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine quamcumque litem inter dictum Abbatem generalem ex una et provinciam Romanam Neapolitanam dicti ordinis ex altera partibus vertentem mo-

---

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

tam, ac pendentem, seu in posterum movendam, ex eo, quod provincia praedicta *collegium* huiusmodi, utpote in urbe existens, multo iure suum esse contendit, supprimimus et extinguimus, ac extinctam esse declaramus, perpetuumque silentium imponimus; ac motu, scientia et potestatis plenitudine paribus nominationem, seu deputationem memorati Philippi Abbatis provinciae Siculae in abbatem Collegii Sancti Basilii de eadem urbe, ut praemittitur, factas, ad tempus per Constitutiones dicti Ordinis auctoritate apostolica confirmatas praescriptum approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus. Praeterea motu, scientia et potestatis plenitudine similibus statuimus, praecipimus, volumus et mandamus, ut futuris temporibus hic ordo quoad electionem Abbatis Collegii Sancti Basilii huiusmodi servari debeat: nempe ut pro primo iam incepto sexennio et subinde in posterum Abbas collegii praedicti ex provincia *Sicula;* Prior seu Vicarius ex provincia utriusque *Calabriae;* ac Cellerarius seu Procurator ex provincia Romana Neapolitana esse debeant. Pro secundo sexennio Abbas dicti collegii ex provincia *utriusque Calabriae;* Prior seu Vicarius ex provincia Romana Neapolitana; et Cellerarius seu Procurator ex provincia Sicula sint. Pro tertio sexennio unus ex abbatibus provinciae Romanae Neapolitanae in abbatem eligi debeat, ac unus provinciae Siculae in priorem seu Vicarium et alter monachus provinciae utriusque Calabriae in Cellerarium seu procuratorem dicti collegii deputentur: electiones vero abbatum aliorumque officialium huiusmodi pro tempore faciendae ad Diaetam generalem dicti Ordinis, iuxta alias electiones caeterorum abbatum et officialium totius Ordinis monasteriorum, spectet: ea tamen conditione, ut abbas seu superior dicti *Collegii* pro tempore existens vocem activam et passivam in omnibus capitulis generalibus habeat; voce vero huiusmodi in capitulis provincialibus suae uniuscuiusque provinciae, cuius superior erit, dumtaxat gaudere possit.

Clausulae derogatoriae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ordinis, provinciarum et *collegii* huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. decembris MDCCXLV., pontificatus nostri anno VI.

LXX.

Statuta Terrae Sanctae a Ministro Generali Ordinis S. Francisci Minorum Observant. collecta et ampliata atque ab Ordinis Discretorio approbata confirmat (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae clementiae abundantiam constituti, ea, quae pro salubri religiosorum virorum, sub suavi Christi iugo arctiorisque disciplinae instituto vota sua Deo reddere uberesque bonorum operum fructus, adspirante superni favoris aura, proferre iugiter satagentium, directione et gubernio provide constituta atque ordinata esse noscuntur, ut firma inviolataque persistant, apostolici muniminis nostri, cum

(1) Vide infra Pii IX. Breve *Romani Pontifices.*

id a nobis petitur, praesidio libenter constabilimus.

Tenor expositionis.

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Raphäel a Lucagnano, minister generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, ipse de mandato nostro ei vivae vocis oraculo, auctoritateque attributa compilationem statutorum diversis temporibus pro bono Terrae Sanctae regimine editorum confici, nec non nonnulla ex illis explicari, ampliarique, aliaque etiam de novo condere ac adiicere curaverit, quae opportuna vel necessaria pro componendis terminandisque dissidiis partiumque studiis ac abusibus irreptis evellendis iudicaverit; tenor autem statutorum huiusmodi est qui seqitur, videlicet:

Cap. I.

De Guardiano, eiusque officio.

Guardiani electio et dotes.

I. In Guardianum S. Montis Sion religiosus nonnisi aetate gravis, doctrina et eruditione insignis et prudentia clarus, rerumque agendarum usu peritus et vitae innocentia optimisque moribus undequaque probatus, in generalibus comitiis communi PP. consilio et consensu et extra generalia comitia de aliquorum discretorum et definitorum generalium approbatione, per superiorem generalem instituatur et eligatur. Et si in Terrae Sanctae custodia talibus praerogativis insignitus aliquis reperiatur, in ceteris pro electione praeferatur.

Praesentatio et publicatio electionis.

II. Taliter electus teneatur literas suae electionis exhibere Sacrae Congregationi de Propaganda Fide; ab eaque tum suae electionis confirmationem, tum literas patentes praefecti missionum a custodia Terrae Sanctae dependentium recipere; nullamque iurisdictionem in sanctam Custodiam exercere valeat, quoadusque patentes literae institutionis et dictae confirmationis inibi formiter publicentur.

Guardiani iurisdictio.

III. Ipse est et declaratur verus, immediatus et unicus superior totius Terrae Sanctae et omnium ac singulorum fratrum in ea commorantium, cuiuscumque nationis, gradus et conditionis extiterint, eodem prorsus modo, quo quisque minister provincialis est suae provinciae superior: unde paternaliter corripere et punire valet omnes religiosos, cuiuscumque graduationis extiterint, etiam vicarium et procuratorem generalem, si delinquentes eos invenerit, certiorata tamen Sacra Congregatione de Propaganda Fide, quoad missionarios.

Potest etiam iuridice procedere, ad instar provincialium

IV. Potest etiam iuridice contra eosdem procedere, sicuti contra definitorem provinciae procederet provincialis, et de consilio ac voto discretorum tam vicarium quam procuratorem praedictos proprio respective officio per sententiam privare, et simul cum eodem Discretorio alium instituere vicarium aut procuratorem, usque dum a superiori generali aliter provisum fuerit.

Est visitator generalis totius familiae Terrae Sanctae.

V. Guardianus Terrae Sanctae de novo institutus, ex officio visitator generalis existat super totam familiam Terrae Sanctae, eamque tam in capite quam in membris visitet, ut uniuscuiusque meritorum vel demeritorum habeatur testimonium superiori generali transmittendum, qui pariter Sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabit in iis quae ad missionem et ad missionarios pertinent.

Post adventum ad residentiam inquirat super gestis a praedecessore eiusque vicario.

VI. Statim ac ad sanctam civitatem pervenerit, syndacationem instituat, ac diligenter inquirat de peractis tam a suo praedecessore, quam a vicario et procuratore, ceterisque fratribus, et ministrum generalem de omnibus adamussim informet.

Visitationem officinar. peragat.

VII. Exactam itidem peragat visitationem omnium officinarum SSmi Salvatoris, una cum discretis et integram habere curet notitiam status custodiae, eleemosynarum videlicet actu existentium tam in variis procurae capsulis, quam apud syndicos et procuratores conventuum et hospitiorum eiusdem custodiae, et similiter omnium rerum et ornamentorum, quae in officinis procurae, sacrarii, cellarii, coquinae et conventuum SSmi Salvatoris, Bethlehem, Nazaret et Sancti Ioannis in Montana asservantur, conferendo inventaria et examinando si cuncta dictis inventariis sint correspondentia.

Conventus et hospitia visitet.

VIII. Singulo quoque anno teneatur conventus et hospitia ab urbe Hierosolymis parum dissita per semetipsum, cetera vero ab eadem sancta civitate valde distantia semel saltem in triennio per religiosos idoneos visitare, visitationemque huiusmodi Discretorio communicare, ac ea decernere valeat, quae bono et utilitati custodiae expedire iudicaverit. Superiori generali autem, quantocitius poterit, transumptum authenticum transmittat earumdem visitationum, ut innotescat quo pacto servitium Terrae Sanctae melius curare possit.

Catalogum religiosor. quolibet anno transmittat ad Generalem.

IX. Insuper quolibet anno ad patrem Generalem, sive ad commissarium generalem familiae, catalogum omnium religiosorum actu in Custodia Terrae Sanctae existentium mittat, eorumdem provinciam specificando, et simul quando tempus eorum permansionis praefixum expiret; ad hoc ut praedicti pater Generalis sive commissarius generalis familiae tot dumtaxat religiosos, quot ad servitium Terrae Sanctae erunt opportuni, dimittant. Pater vero generalis sive praedictus commissarius generalis catalogum missionariorum, qui in praefata Custodia reperiuntur, sacrae Congregationi de Propaganda Fide tradant, ut missionum necessitatibus consultius per eam provideatur.

Transmittantur scripturae per religiosos, qui ad custodiam non redibant.

X. Pro his ad superiores generales transmittendis scripturis nullo modo deputabit missionarios vel fratres, quibus ad Terram Sanctam iterum reverti necesse sit; sed easdem per aliquos religiosos mittat, qui vel ob completum triennium in servitio Terrae Sanctae, vel alia de causa ad propriam provinciam regredi teneantur; et eodem modo se gerat, si ob urgens negotium aliquas literas aut informationes, durante officio, ad superiores dirigere debeat. Sic enim omnes inutiles vitabit expensas, et nimiam religiosorum divagationem.

Per fratres Terram S. adventantes certiorandus Guardianus, qui literas obedientiales transmittat.

XI. Teneantur omnes et singuli fratres, cuiuscumque sint nationis, Itali videlicet, Galli, Hispani, Germani et quicumque alii, statim ac ad Terram Sanctam appulerint, patrem guardianum de eorum adventu per literas certiorem facere et ab eo collocationem petere, quam idem guardianus de consensu Discretorii determinabit, et literas obedientiales dictis fratribus transmittet, absque eo quod illas vel vicario vel procuratori consignare teneatur. Et idem servetur quotiescumque aliquis de uno ad alium conventum transferendus erit.

Ad Guardianum spectet officialium et inservientium electio.

XII. Ad Guardianum simul cum Discretorio pertineat instituere et eligere discretos, guardianos, vicepraefectos, praesidentes, parochos, cappellanos, procuratores, viceprocuratores, syndicos et interpretes, Constantinopolim pueros mittere ad effectum addiscendi linguam turcicam, et omnes ac singulos alios officiales instituere, sacristas, videlicet, ianitores, coquinarios etc.

Quomodo eligendi ad parochias nationales Galli.

XIII. In provisione parochiarum et cappellaniarum ad Gallos pertinentium tam Guardianus quam discreti iis prudenter attendant, quae a p. vicario repraesentabuntur; nec alteri nationi eas parochias et cappellanias conferre debeant; nisi deficientibus religiosis Gallis et idoneis, qui iis inservire valeant; deputandi vero ad curam animarum, cuiuscumque nationis sint, super idoneitate examinentur per p. guardianum eiusque Discretorium.

Religiosi non transmigrent sine Guardiani licentia.

XIV. Nullus religiosus, cuiuscumque sit nationis, sub poena apostasiae audeat pergere de uno ad alium locum sine p. Guardiani licentia in scriptis obtinenda, et in casu gravaminis permittitur recursus ad Discretorium, sed in devolutivo tantum.

Neque hinc inde vagentur.

XV. P. Guardianus non permittat religiosos, qui semel sanctuaria visitavere, hinc inde vagari, nec equitantes nec pedestres, quamvis hoc facere intenderent causa devotionis, aut extraordinariae peregrinationis; neque illis permittat gestare arma laesiva, qualia sunt archibusium, ensis et similia, etiamsi id facere velint venationis vel alterius solatii causa, vel ad ipsorummet tuitionem.

Poenae in detractores iurium Guardiani.

XVI. Quicumque scripto aut verbo asserere ausus fuerit, Guardianum non esse superiorem, aut esse superiorem solummodo in spiritualibus, non autem in temporalibus, vicarium esse Gallorum superiorem, procuratorem Hispanorum, et alia huiusmodi seditiosa deliramenta; verificato et probato delicto, puniatur reus. Si religiosus fuerit, statim in christianitatem regredi cogatur. Si interpres, vel ad servitium Terrae Sanctae sit addictus, officio et servitio privetur et dimittatur. Si vero christianus sit in domibus Terrae Sanctae habitans, a domo expellatur; et eodem modo puniantur religiosi, cuiuscumque nationis et graduationis extiterint, qui mandatis superiorum generalium ordinis pro tempore existentium obedire ausu temerario renuerint.

Excommunicatio publicanda in Coena Domini.

XVII. Sedulo invigilet p. Guardianus, ut quolibet anno et in qualibet custodiae ecclesia, feria quinta in Coena Domini publicetur et fulminetur inter Missarum sollemnia excommunicatio summo Pontifici reservata, adversus omnes et quoscumque tam seculares quam religiosos, qui eleemosynas Terrae Sanctae usurpaverint, vel usurpari curaverint, vel infideliter administraverint, vel fuerint in causa, mediate vel immediate, quod Terrae Sanctae avaniae factae fuerint; a qua excommunicatione nullus absolvi valeat, nisi a Romano Pontifice, praeter mortis articulum. Talis

autem excommunicatio latino et arabico idiomate publicari debeat.

Monita salutaria.

XVIII. Caritative, benigne et paternaliter se gerat cum omnibus et singulis religiosis cuiuscumque nationis, aequalemque se faciat cunctis, ut sine personarum vel nationum acceptatione summa indifferentia erga omnes se gerat, ne ullus conquerendi iustam habeat occasionem, vel forte ad principes respectivos recurrendi.

Transvectores eleemosynarum, earumque usus.

XIX. Eleemosynarum transvectores ad christianitatem, quamcitius poterit, remittere curet; nec ullo modo ultra duos menses in Terra Sancta eos morari patiatur; neque ipsis ullo modo permittat per se vel per alios sanctuaria emere, quamvis ab aliqua persona se ad hunc effectum eleemosynam recepisse dicant; sed dictam eleemosynam p. procuratori tradi curet, ut ipsemet, vel per viceprocuratorem, praefata sanctuaria procuret.

Equites S. Sepulcri a Guardiano instituendi.

XX. Renovantur statuta generalia quoad Equites SSmi Sepulcri ex concessione apostolica per p. Guardianum instituendos; et eidem praecipitur in virtute sanctae obedientiae et sub poenis ad superioris generalis arbitrium infligendis, ut nullum instituat talem equitem, nisi praevio consensu unanimi omnium discretorum, ac nisi adhibitis consuetis sollemnitatibus ad talem institutionem, et nisi datis in eleemosynam centum zecchinis venetis per Equitem instituendum, iisque ad conservationem SSmi Sepulcri unice applicandis; in sollemnitatibus autem talis institutionis ab Equite instituendo vel non exigat solum iuramentum, aut, si exigendum duxerit, a formula iuramenti clausulam illam de Turcis oppugnandis deleat, ne avaniis gravibus sancta loca graventur et familia hierosolymitana eiiciatur.

Sigilli custodia.

XXI. Praecipitur ad hoc, ut sigillum, quo patentes dictorum Equitum muniri solent, asservetur in capsula, seu arca trium clavium, in qua reponuntur eleemosynae pecuniariae, nec possit extrahi nisi Discretorio praesente, ad cuius etiam praesentiam patentes sigillo muniri debebunt, ac statim in arca sigillum iterum reponi.

Guardianus ex se non assumat interpretem sibi.

XXII. Non possit Guardianus ullum interpretem pro suo particulari servitio assumere; sed ab ipso Discretorio deputetur, si noverit ita esse necessarium aut expediens, iuxta varias temporum aut negotiorum circumstantias, ipso tamen Guardiano proponente.

Sine Discretorio nil innovet circa functiones ecclesiasticas.

XXIII. Nec ullo modo valeat immutare vel alterare, quae a praedecessoribus laudabiliter stabilita et practicata sunt circa particularia exercitia, caeremonias et functiones ecclesiasticas, nec pontificalium numerum augere. Si vero dubium aut difficultas insurrexerit, discutiatur in Discretorio, et eiusdem decisioni omnes obtemperare teneantur.

In rebus gravibus Discretorium consulat.

XXIV. Statuimus ut Guardianus hierosolymitanus in nulla re gravi solus iudicium ferat, sed PP. discretorum et etiam aliquando totius communitatis consilium petat, ne praeceps proprio consilio in aliquam vel spiritualem vel temporalem iacturam seipsum et religionem inducat.

Officiales cum consilio Discretorum debent deputari.

XXV. Cum Terrae Sanctae Custodia de missionariorum actionibus et vivendi modo respondere debeat, ac saepe saepius avanias eorum causa solvere; nullo modo possit Guardianus absque Discretorii assensu deputare guardianos, vicepraefectos, aut praesidentes, aut curatos, etiam in conventibus vel hospitiis ubi reperiuntur nostrae missiones, sed eligantur sicut pro aliis cautum est.

Quorumnam consensus exquirendus in rebus missionum.

XXVI. Quotiescumque guardianus aliquod negotium missiones concernens tractare aut expedire debebit, vel pro negotiis missionum alicui praelato vel missionario extero scribere aut respondere, teneatur, ultra Discretorii consilium, exquirere etiam aliquorum PP. e gravioribus conventus SSmi Salvatoris et missionariorum in eodem conventu forte existentium votum et mentem, non tamen missionarios ex aliis locis vocare, cum quibus per literas, si necesse fuerit, negotia pertractare poterit.

Cap. II.

De Vicario.

Superior custodiae est Guardianus, vel praesidens; quibus absentibus, est Vicarius

XXVII. Vicarius SSmi Salvatoris nullo modo Custodiae Terrae Sanctae est vel esse potest superior, cum dicta superioritas unice pertineat ad Guardianum sacri Montis Sion, vel ad praesidentem, qui, absente vel deficiente a Custodia Guardiano, loco ipsius vel a Discretorio vel a Ministro Generali instituitur. In absentia tamen Guardiani vel praesidentis a dicto conventu SSmi Salvatoris, dictus Vicarius est superior eiusdem conventus et ad ipsum pertinet gubernium omnium religiosorum in eodem commorantium, eo modo quo ipsi Guardiano pertineret, si praesens esset.

Vicarius est prima persona post Guardianum.

XXVIII. In quocumque conventu vel hospitio Terrae Sanctae reperiatur p. Vicarius, respici et considerari debeat tanquam prima Custodiae persona post Guardianum, quantum ad honorem et praecedentiam et ad peragendas sacras functiones, quando praesens non est p. Guardianus.

Quomodo Vicarius nuncupand., et quando in functionibus praeferendus

XXIX. Nominetur tantum Vicarius sacri Montis Sion, aut vicarius custodialis Terrae Sanctae, et nullo modo Vicarius generalis appelletur; qui in functionibus, quae fiunt conveniente communitate Sancti Salvatoris, absente vel impedito Guardiano, praesideat et praeferatur, ipseque tum in SSmo Sepulcro, tum aliis conventibus dictas functiones, quas exerceret Guardianus, si praesens esset, exequatur.

Ordo praecedentiae.

XXX. Praecedentiae ordo inter Vicarium Montis Sion et p. Procuratorem generalem Terrae Sanctae servetur ubique per Terram Sanctam, qui Hierosolymis sancitus est.

Vicarii incessus in processionibus.

XXXI. Pater Vicarius Montis Sion in processionibus procedat ante indutos superpelliceis, etiam dum Guardiani praesentia desideratur.

Nullum signum superioritatis illi competit.

XXXII. Tempore quo Missam celebrat, nullum in capite biretum gestare potest; neque in refectorio aliquid particulare sive cibi sive potus habere, sed vitae communi in omnibus et per omnia, etiam quoad vestitum, aliis religiosis se conformare tenetur sub poena privationis officii.

Socium habere potest et paramenta distincta

XXXIII. Pro sui arbitrio socium sive sacerdotem sive laicum habere poterit; vestes etiam sacras et paramenta distincta in sacristia ad Missam celebrandam, inferiora tamen eis quibus utitur Guardianus; et in choro, absente p. Guardiano, ter incensari debet.

Expleta visitatione Sanctuariorum, a civitate nequit iterum exire.

XXXIV. Non possit Vicarius, visitatis semel sanctuariis Terrae Sanctae, a civitate hierosolymitana et adiacentibus eius exire, nisi gravissima ex causa a Discretorio approbanda; et hoc idem statuitur pro omnibus et singulis Discretorii patribus.

Non det obedientiam, neque sigillum retinere audeat.

XXXV. Prohibetur patri Vicario Sancti Salvatoris, ne audeat dare obedientiales fratribus Custodiae Terrae Sanctae, sub poena privationis officii, et non audeat retinere sigillum sub poena falsarii.

Cap. III.

De Procuratore.

Procuratoris officium

XXXVI. Curam habebit Procurator rerum temporalium ad Terram Sanctam pertinentium, non quidem ut superior, sed veluti simplex administrator, in omnibus et per omnia a Guardiano et a Discretorio dependens. Habebit tamen ad arbitrium suos socios, quos dimittere tenebitur quotiescumque graviter deliquerint: iudicium vero levitatis vel gravitatis delicti ad Discretorium pertinebit.

Nequit distribuere domos vel caragium.

XXXVII. Non possit Procurator pro sui arbitrio domos ad Terram Sanctam pertinentes distribuere, nec tributum, seu, ut aiunt, caragium pro christianis pauperibus solvere; sed tam domuum distributio, quam tributi solutio quolibet anno a Discretorio determinari debeat, habito semper respectu ad maiorem vel minorem christianorum indigentiam. Quod ut securius praestari possit, teneatur parochus omnium familiarum christianorum Hierosolymis degentium catalogum eidem Discretorio praesentare, ac statum earumdem, nempe maiorem vel minorem pauperiem, indicare.

Prohibita Vicario pecuniarum solutio et aliorum alienatio.

XXXVIII. Conventuum et hospitiorum Terrae Sanctae Procuratoribus literas cambiales summam ducentorum zecchinorum excedentes sine Discretorii consensu solvere minime possit: neque sine eiusdem Discretorii placito munera dare, vel pecunias, vel horologia, aut vestes, vel alia similia, neque avanias solvere, et hoc sub poena privationis officii. Quoties autem de Discretorii consensu aliquid erogabit aut solvet, tali modo se gerat, ut turcis et etiam christianis innotescat, quod haec non praestat nomine proprio, et veluti caput vel superior Terrae Sanctae, sed nomine Guardiani et totius Discretorii; et circa hoc punctum sedulo et serio instruantur interpretes et alii ad quos praedicta negotia tractare pertinet.

Vestimenta dare nequit absque mandato Guardiani.

XXXIX. Nec vestimenta, nec sandalia, nec alia huiusmodi ulli religioso tribuat Procurator absque licentia vel mandato in scriptis p. Guardiani. Quotiescumque autem tale mandatum sibi praesentatum fuerit, benigne, caritative et sine mora tribuat, vel tribui curet, quod tali mandato ordinatum erit.

Neque supellectiles aliis conventibus absque licentia Discretorii dare.

XL. Sub poena privationis officii non possit supellectiles sacras, calices, paramenta, aliaque huiusmodi ad conventus vel hospitia Custodiae sine Discretorii consensu transmittere. Discretorium autem sollicitam curam gerat, ut conventus et hospitia aequaliter et debita servata proportione provideantur.

Item de provisionibus faciendis.

XLI. Provisiones facere nullo modo possit sine praevio Discretorii mandato tam circa quantitatem, quam circa qualitatem rerum providendarum; possitque Discretorium duos deputare religiosos, qui easdem res tempore consignationis videant et examinent.

De reddenda ratione accepti.

XLII. Eidem Discretorio unoquoque mense rationem reddere teneatur procurator cum individua expressione qualitatis et quantitatis rerum emptarum, nec non monetarum, quas recepit et solvit, zecchinorum videlicet, ungarorum, liboninarum, etc. etc., explicando pretium pro ipsis captum; causam, qua in alias monetas commutatae fuerint; et specificando utrum solverit pretium piastris, ut aiunt, abochelbis vel isolatis; et suos computos veridicos esse comprobabit per attestationes, seu receputas personarum, quibus pecunias solverit; cavendo, ut in dictis attestationibus, seu receputis, exprimatur monetarum species et piastrarum qualitas.

Idem et alii conventus.

XLIII. In omnibus conventibus et hospitiis ad custodiam Terrae Sanctae pertinentibus, excepto conventu SSmi Salvatoris, semel in mense computi reddantur praesentibus religiosis inibi commorantibus, explicando pariter varietatem monetarum et qualitatem piastrarum, quae fuerunt expensae: iidem computi ab omnibus religiosis respective subscripti transmittantur p. Procuratori generali, qui tenebitur eos Discretorio praesentare pro ulteriori examine et approbatione. Si quis vero religiosus motivum haberet vel habere putaret dictos computos non subscribendi, non litiget neque contendat verbis, sed modeste ac religiose sua motiva per epistolam Discretorio communicet.

Dummodo non aliter moneantur.

XLIV. Si per p. Guardianum, vel per Discretorium, Procuratores vel alii officiales conventuum et hospitiorum Terrae Sanctae moniti fuerint, ut p. Guardiano vel Discretorio directe et immediate computos respectivos, computorum libros, vel alia similia transmittant, teneantur illico obedire et transmittere quidquid ab eis quaesitum fuerit. Qui non obtemperaverit, si religiosus sit, statim ad christianitatem transmittatur; si secularis, ab officio et servitio Terrae Sanctae amoveatur.

De capsis et emptione sanctuariorum.

XLV. In emptione sanctuariorum varia ipsorum pretia explicet procurator, notetque quod iuxta taxatum iam pretium, quodque iuxta inferius ordinario emerit. Discretorio etiam rationem reddat sanctuariorum quae emit, quae distribuit; et quantitatis et qualitatis sanctuariorum, quae in qualibet capsa ad christianitatem transmittenda reponit. Tempore vero, quo capsae componuntur et replentur, praesentes sint duo religiosi a Discretorio destinati, unus italus et alter gallus vel germanus, qui Discretorium certiorare teneantur capsas tales esse quales a procuratore declarantur. Si vero pp. discreti compositioni capsarum assistere velint, liberum sit cuique ipsorum.

Procuratoris vigilantia.

XLVI. Conceditur patri Procuratori generali Terrae Sanctae, ut prudenter invigilet super ministris officiorum sacristiae, cellariorum, coquinae et procurationis, ne quidquam contra sanctam paupertatem perdatur vel distrahatur; et quatenus vel minus fidelem vel attentum aliquem deprehenderit, de hoc p. Guardianum certiorem reddat, ut remedium ab ipso adhibeatur.

Non potest retinere claves officinarum.

XLVII. Eidem tamen procuratori et aliis procuratoris ministris praecipitur ut claves variarum respective officinarum deponant; et in posterum unica pro qualibet officina clavis esse debeat, a proprio respective officiali tenenda; qui tamen officialis officinam aperire, et p. procuratorem in eam introducere tenebitur, quotiescumque idem procurator eamdem visitare voluerit.

Non potest ad comitia generalia se transferre.

XLVIII. Non liceat p. Procuratori ad comitia generalia pro reddenda suae administrationis ratione se transferre, sub poena apostasiae. Nec a Ministro Generali possit super hoc dispensari, sed suos clare et distincte coram Discretorio Terrae Sanctae generales reddat computos: ipsosque ab eodem Discretorio approbatos et ab omnibus discretis subscriptos, sigillisque tam p. Guardiani quam procuratoris munitos p. Guardiano consignet, qui eos Capitulo generali praesentare tenebitur.

Eleemosynarum custodia.

XLIX. Eleemosynae omnes, quae ad sancta loca transvehuntur, in arca sub tribus clavibus asserventur; quarum una sit penes p. Guardianum vel praesidentem pro tempore, altera penes p. Vicarium, tertia denique a p. procuratore detineatur. Quod decretum p. Guardianus executioni demandari curet, sub poena suspensionis ab officio in casu inobservantiae per ipsum incurrenda.

Supellectilium transmissio.

L. Commissarii Terrae Sanctae determinate ad hunc vel illum locum Custodiae supellectilia, vel sacra vel profana, nullo modo transmittant, sed cuncta Discretorio dirigantur; Discretorium autem secundum

cognitas indigentias conventuum eadem applicabit. Quod si supellectilia aliqua a benefactoribus applicentur determinate alicui conventui vel sacristiae, a commissario, qui ea recepit, notificetur Discretorio, apposito nomine benefactoris: Discretorium autem ad illum conventum vel sacristiam dirigat, cui a donante fuerint assignata.

Eleemosynarum receputae et notificationes

LI. Receputae eleemosynarum et rerum omnium, quae a pp. Commissariis Terrae Sanctae ex christianis regionibus Hierosolymam transmittuntur, fiant et subscribantur a pp. guardianis et discretis pro tempore praesentibus; commissarii autem christianitatis clare et distincte Discretorio notificent eleemosynas, quas transmittunt; eas videlicet, quae libere a benefactoribus tribuuntur in subsidium Custodiae, et eas, quae pro Missis sive perpetuis sive manualibus celebrandis, specificando qualitatem eleemosynae eique oneri sive perpetuo sive manuali correspondentis; et Discretorium similiter in libris clare et distincte omnia, ut praefertur, adnotabit, ut, ea qua par est fidelitate, piae benefactorum intentioni satisfieri queat.

Inventaria a procuratore habenda

LII. P. Procurator inventaria habeat rerum omnium, quae in officinis existunt, tum suae procurationis, tum etiam earum quae in sacristiis, cellariis et coquinis conventuum SS. Salvatoris, S. Ioannis in Montana, Bethleem et Nazaret etc. asservantur; illaque a p. Guardiano et a Discretorio subscripta sint, ut rationem omnibus reddere possit, maxime singulo anno in visitatione per p. Guardianum peragenda.

Quilibet minister suum habeat inventarium.

LIII. Singulis item officiorum ministris singula inventaria tradantur rerum, quas respective in officio illis credito contingat adinveniri, ut ipsi quoque per Guardianum coram Discretorio in omni eventu ad reddendam rationem cogi possint.

Liber generalis rationum.

LIV. Statuitur quod Procurator Sancti Salvatoris habeat rationale, seu librum, in quo coram Guardiano et discretis fideliter et manifeste scribat numerum omnium eleemosynarum, quae ex Hispania, Gallia, Italia, Germania et Flandria mittuntur; et ibi nominet expresse personam principis vel nobilis, qui eleemosynam concessit, simulque patriam et nationem cuiuscumque benefactoris. Deinde scribatur ibi nomen et natio p. Commissarii, qui eleemosynam mittit, et illius cuius opera Hierosolymam mittitur.

Libri et supellectiles novorum religiosorum a procuratore adnotentur.

LV. Mandatur etiam quod quando aliquis religiosus veniat de novo Hierosolymam, ipse procurator conventus scribat fideliter libros et omnem supellectilem, quam novus frater portat, qui etiam debet scribere: et si contingat huiusmodi fratrem exire de Terra Sancta et reverti ad has partes, tunc dabuntur eidem libri proprii usus et supellectiles.

Cap. IV.

De Discretis et Discretorio.

Septem individuis constet Discretorium.

LVI. Discretorium Terrae Sanctae ex septem religiosis in posterum coalescere decernitur; nempe ex p. Guardiano, p. vicario, p. procuratore, aliisque quatuor, quorum unus sit ex italica, alter ex gallica, alter ex hispanica, et alter ex germanica nationibus.

Discretorum officium triennale.

LVII. Discretorum officium ita sit triennale, ut semel in discretos electi, durante triennio, nullo modo possint in superiores aut guardianos conventuum, vel hospitiorum praesidentes eligi, nec extra conventum SSmi Salvatoris de familia collocari. Poterunt tamen ad aliud triennium continuare, si sic expediens Discretorio videatur, et dummodo per secretas ballottationes concurrant.

Modus eligendi discretos.

LVIII. Deficiente quacumque de causa aliquo discreto, alius eiusdem nationis eligatur a Discretorio; huiusmodi autem electio sub nullitatis poena fiat ut sequitur. Praesententur tres religiosi a Guardiano, si eligendus fuerit italus vel germanus; si vero gallus aut hispanus, praesentatio fiat a vicario vel procuratore respective: deinde fiat in Discretorio discussio meritorum ipsorum, ad videndum, an digni et idonei inveniantur; postea, Guardiano digniorem proponente, praestitoque a singulis electoribus iuramento coram venerabili Crucifixi imagine de meliore eligendo, electio fiat per secretas ballottationes; et si maiorem votorum partem habuerit, pro discreto legitime electo habeatur; sin vero, alium ex tribus proponat Guardianus, usque dum per votorum pluralitatem habeatur electio.

Quinam in discretos eligi nequeant.

LIX. Nec religiosi Tertii Ordinis neque laici in discretos eligi valeant, nisi in casu necessitatis et deficientibus Primi Ordinis religiosis et respective sacerdotibus idoneis illius nationis, ex qua discretus est assumendus; secretarius autem p. Guardiani in discretum minime eligi valeat.

De tempore, interessentia et praesidentia in Discretorio.

LX. Semel in hebdomada congregari teneatur Discretorium, loco, die et hora ab eodem Discretorio post praesentium publi-

cationem semel destinandis; et ex officio ad ipsum accedere et interesse tenebuntur omnes et singuli discreti absque ulterioris convocationis seu citationis necessitate. In absentia Guardiani, aut praesidentis Custodiae, praesidentiam habebit vicarius, aut provicarius; cunctaque discutientur et determinabuntur eodem prorsus modo, ac si praesens foret ipse Guardianus, cui tamen liberum erit idem Discretorium extraordinarie etiam convocare, quotiescumque id necessarium aut expediens, pro Terrae Sanctae bono regimine iudicaverit.

De agendis in Discretorio.

LXI. Non nisi in Discretorio aperiri aut legi possint literae aut scripturae ad ipsum Discretorium directae; et sine praevio eiusdem Discretorii consilio et assensu nihil grave praecipere aut facere possit Guardianus; neque ulli christiano orientali ad christianitatem peragendi licentiam concedere.

Cap. V.

De numero fratrum et duratione officiorum, eorumque incolatus.

Circiter centum sexaginta religiosi morari in custodia debent.

LXII. Pro servitio conventuum omnium atque hospitiorum Custodiae Terrae Sanctae sexaginta laici et sacerdotes centum, idest fratrum centum et sexaginta numerus assignatur; qui tamen non sic arithmeticus erit, neque impraeteribilis, ut, admonente Discretorio, a superiore generali augeri nequaquam possit; atque supra praedictos non alii aliqui ibidem in promptu habendi sint ad occurrendum fortuitis necessitatibus ab epidemiis aliisque infortuniis originatis; atque adeo praefatus numerus idcirco figitur, ut normae sit prudentiae superiorum ad ipsum immodice non excedendum; et in eumdem hunc finem iniungitur p. Guardiano, ut, possessione inita officii sui, catalogum ad superiores generales transmittat degentium ibi religiosorum, etiam missionariorum, subnectendo cuique, iuxta taxatas moras, quo tempore ad propriam dimittetur, et informando singulis annis quot ipsorum e vivis sublati sint, ut opportunius, providentia quae convenit, impendi possit: superior autem generalis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide catalogum missionariorum, ut supra confectum, consignabit, ut eidem innotescat status missionum et operariorum in eis laborantium.

Officiales Terræ Sanctæ sunt triennales.

LXIII. Triennalia sint officia Guardiani, vicarii, procuratoris et discretorum, aliorumque officialium Terrae Sanctae. Sed e conventu SSmi Salvatoris discedere nullo modo valeat Guardianus, vicarius, nec procurator, nisi post adventum suorum respective successorum. Excipitur tamen casus instantis Capituli generalis celebrandi, ad quod cum accedere teneatur Guardianus, potest opportuno tempore, electo prius per Discretorii patres idoneo praesidente, discedere. Possit tamen Minister Generalis quemlibet eorum ad aliud triennium confirmare, si per iuratam totius Discretorii attestationem utilitati Custodiae sic convenire sibi constiterit.

Ultra triennium non morandum in Custodia.

LXIV. Nullus religiosus cuiuscumque fuerit nationis, exceptis missionariis, ultra triennium in Custodia Terrae Sanctae manere valeat; sed, elapso triennio, teneatur Guardianus omnes et singulos ad proprias remittere provincias; iique, receptis literis obedientialibus, teneantur sub poena privationis perpetuae vocis activae et passivae statim eas executioni demandare, etiamsi ob aliquod motivum ultra triennium ibidem commorati fuissent.

Nisi ob necessitatem et de Discretorii consensu.

LXV. Si aliquem religiosum ultra triennium pro exercendo aliquo officio retinere necessarium fuerit, hoc fiat de consensu Discretorii, et usque dum alius religiosus, qui tale officium exercere valeat, a christianitate advenerit.

Missionariorum collocatio

LXVI. In conventibus vel hospitiis, ubi non sunt missiones, nullo modo collocentur de familia missionarii, nisi post expletum ipsis taxatum missionum exercendarum tempus. Indulgetur tamen, ut eorum devotioni satisfacere et cum debita facultate p. Guardiani possint loca sancta visitare.

Quidnam dandum fratribus e Terra Sancta redeuntibus.

LXVII. Fratribus redeuntibus e Terra Sancta post exhibitum ipsi, triennio consueto, servitium commendabile, p. Procurator ad trium piastrarum sumptum sanctuaria concedere teneatur, reddere libros, si quos secum iidem illuc comportaverunt, et assignare ipsis unum illud (ni admodum consumptum fuerit), quo ad Terram Sanctam pervenerunt, indumentum.

Cap. VI.

De pertinentibus ad Custodiam.

Pro quibusdam locis eligendi superiores hispanici.

LXVIII. Etsi conventus omnes et omnia Custodiae hospitia omnibus cuiuslibet nationis fratribus communia esse debeant, et in superiorum electione meritis eligen-

dorum et conventuum vel hospitiorum necessitatibus unice attendi debeat; praecipitur tamen, quod superiores conventus Sancti Ioannis in Montana et hospitiorum Ramae, Ioppen, Damasci, Nicosiae et Constantinopolis assumi debeant ex hispanica natione, quoties ex eadem idonei ad haec religiosi reperiantur; serveturque consueta alternativa pro superioritatibus Bethleem et SSmi Sepulcri. Si vero idonei in Custodia non reperiantur religiosi hispani, possit tunc Discretorium praefatas superioritates aliis idoneis religiosis cuiuslibet nationis conferre.

Sacristae officia.

LXIX. In principalioribus Custodiae ecclesiis primus Sacrista debeat esse sacerdos, qui, ultra exemptionem ab officio hebdomadarii, horis matutinis et nocturnis interesse non teneatur, exceptis diebus, quibus occurrit officium vel primae vel secundae classis. Ipsius vero munus erit vasa sacra tangere, supellectilia et paramenta custodire et disponere, ac functionibus sacris superpelliceo indutus assistere. Secundus vero Sacrista laicus erit, cui incumbet cetera peragere laboriosiora munera pro ecclesiae decentia et munditia.

Quinam eligendi et quomodo pro nonnullis sacris functionibus.

LXX. Ad vitandas controversias et iurgia, quae in functionibus tam Hebdomadae Sanctae, quam novenae Nativitatis Domini a nationibus faciendis et decantatione Evangeliorum in Paschate Resurrectionis oriri possent, religiosi pro unoquoque ministerio nominentur ac deputentur ab antiquiori discreto cuiuslibet nationis; videlicet itali a p. Guardiano, galli a p. Vicario, et hispani a p. Procuratore; idemque servetur in festivitatibus S. Iacobi et S. Ludovici ab hispanis et gallis respective celebrandis.

In hospitiis et conventibus, quinam, absente superiore, curam habeant.

LXXI. In conventibus et hospitiis Custodiae, absente superiore locali, praesidentiam habeat et curam conventus vel hospitii sacerdos antiquior de familia inibi existens. Si vero solummodo laici de familia reperirentur, ac adesset sacerdos etiam hospes, ipsi sacerdoti pertineat gubernium; sin minus, curam et praesidentiam habeat antiquior laicus.

Sine licentia Discretorii non reparentur aedificia.

LXXII. Nullus audeat aedificia nova construere, aut antiqua resarcire, sine praevia Discretorii approbatione; quam Discretorium nullo modo dare possit, nisi praehabitis omnibus et singulis facultatibus necessariis tam a gubernatoribus, quam ab aliis ministris, ad quos de iure vel regionis consuetudine spectat.

Libri Missarum retinendi.

LXXIII. In qualibet sacristia serventur libri, in quibus omnia onera Missarum respective perpetuarum et manualium adnotentur, cum individua expressione tum benefactorum, pro quibus Missae sunt celebrandae, tum eleemosynae cuique oneri correspondentis; et quilibet celebrans teneatur scribere propria manu cuius intentioni celebravit; et quolibet mense teneatur Discretorium examinare utrum exacte sit satisfactum omnibus Missarum oneribus tum perpetuis tum manualibus, ad praescriptum constitutionis s. m. Innocentii XII, incip. *Nuper*. Discretorium autem singulo anno pariter teneatur superiorem generalem per iuratam attestationem certiorem facere, quod dictis oneribus satisfactum fuerit ad tenorem constitutionis praedictae. Ad haec iniungitur, ut in qualibet sacristia tabella literis perspicuis et intelligibilibus confecta exponatur, in qua onera omnia Missarum, perpetua vel ad tempus instituta, distincte adnotentur, ut amplius in dicta constitutione.

Si a legatariis non persolvatur eleemosyna Missarum, significetur ministro generali.

LXXIV. Si in aliqua Custodiae ecclesia reperiantur legata, pro quibus a benefactoribus legatariis eleemosyna nullatenus tribuatur, distinctam de eis notitiam cum iuramento a Discretorio subscriptam transmittat p. Guardianus ministro generali, qui de remedio cogitabit.

Cap. VII.

De disciplina in Custodia observanda.

Quaenam servanda ab omnibus in Custodia.

LXXV. Conformiter ad apostolicas Ordinisque constitutiones, omnes religiosi in sancta Custodia commorantes, cuiusque status, conditionis et nationis existant, sive superiores, sive subditi, sive officiales, vitam communem tam in victu quam in vestitu et ecclesiasticis functionibus chori et ecclesiae, quam communitatis in refectorio, omnino servare teneantur. Delinquentes vero et in vanum admoniti, si officiales fuerint, officio priventur; si simplices subditi, statim ad christianitatem dimittantur. Relinquitur tamen prudentiae et charitati p. Guardiani officiales aliquos et alios discrete dispensare, quando ratione actualium occupationum id conveniens vel necessarium iudicaverit.

Quinam exempti a nonnullis officiis.

LXXVI. Nullus pariter sit exemptus a legendis in refectorio die sabati officiis communitatis, nisi PP. Vicarius, Procurator, Chronologus, Curatus, Lectores Mysticae et

Linguarum, sacrista et medicus, propter continuas suorum officiorum occupationes. Laici etiam omnes exercere debeant per hebdomadam officium acolythorum, associare sacerdotes, Missas quotidie in sacello B. M. V. in monte Calvario et in eius sepulcro in valle Iosaphat celebrantes; deferre alimenta fratribus, qui de familia in Sanctissimo Sepulcro clausi morantur; aliaque similia humilitatis officia praestare. Ab his excipiuntur infirmorum curator, pharmacopula, sacrista, ianitor, sociique procuratoris.

Ad eadem ceteri omnes praestanda, etiam eleemosynarum transvectores, tenentur.

LXXVII. Ad eadem teneantur omnes, etiam eleemosynarum transvectores eorumque socii, cuiuscumque extiterint nationis, si ob aliquam rationabilem causam a Discretorio approbatam, ultra bimestre in Terrae Sanctae Custodia moram trahant.

Singuli parochi librum retineant eleemosynarum; quarum residuum in manus syndici consignandum.

LXXVIII. Teneantur omnes et singuli parochi cuiuscumque nationis librum tenere, in quo omnes adnotentur eleemosynae, quas tam pro concionibus quam pro aliis laboritiis spiritualibus accipient. Eaeque pariter, quas pauperibus distribuent, deque his bis in anno superiori locali rationem reddent. Si vero, deductis expensis et sic distributis pecuniis, aliquod notabile residuum foret, teneatur superior localis de eo certiorare Guardianum hierosolymitanum, ad hoc ut dictas residuas eleemosynas in manus syndici consignari, et cum aliis Terrae Sanctae eleemosynis incorporari curet.

De processionibus ad sanctuaria.

LXXIX. Processio quotidiana SSmi Sepulcri in posterum fieri debeat solummodo a cappella SSmi Sacramenti ad Montem Calvarium, et a Monte Calvario ad SSmum Sepulcrum; qualibet vero feria sexta per annum et cunctis quadragesimae sabatis fiat universaliter ad omnes Stationes. Similiter in conventu bethleemitico quotidiana processio fiat solummodo ad tres Stationes, videlicet: *Ubi natus est Iesus; ubi reclinatus fuit in praesepio; et ubi adoratus est a Magis.* Processio autem generalis et ad omnes eiusdem sanctuarii cappellas fiat tantum diebus festivis. Idem proportionaliter servetur in aliis sanctuariis S. Ioannis in Montana et Nazareth etc. Completa tamen processione, per spatium saltem mediae horae oratio mentalis habeatur, cui omnes, cuiuscumque gradus et conditionis fuerint, interesse tenentur.

Silentium et lectio in refectoriis.

LXXX. Perpetuum servetur silentium in omnibus refectoriis conventuum SSmi Salvatoris, Bethleem, SSmi Sepulcri et S. Ioannis in Montana; et quamdiu prandium vel coena duraverit, nunquam intermittatur lectio, et hoc sub poena suspensionis ab officio per duos menses, incurrenda a Guardiano vel alio superiore qui contrarium egerit vel permiserit.

Institutio lectoris in conventu SS. Salvatoris.

LXXXI. Instituatur a Discretorio lector, qui ter in hebdomada in refectorio conventus SSmi Salvatoris, prout in christianitate practicatur, lectiones theologiae moralis mysticae et explicationis nostrae regulae peragat, primam videlicet latino, posteriores vero italico sermone. Talis lector a Discretorio institutus literas patentes suae institutionis a p. Guardiano obtinebit; et, ultra exemptionem ab exercendo officio hebdomadarii, etiam ab interveniendo Matutino dispensabitur iis diebus, quibus lectiones habebit.

Clausura observetur in conventu SS. Salvatoris.

LXXXII. In conventu SSmi Salvatoris stricte observetur clausura, ut decet religiosorum honestatem; quare prohibemus, ne mulieres ingrediantur infirmariam vel transeant per domicilium (vulgo dictum *Taglia-panno*); proinde etiam inhibemus, ne deinceps frater infirmarius, seu chirurgus, possit mederi vel scindere venas infirmis mulieribus, tam intra quam extra conventum, sine expressa Guardiani licentia.

In aliquibus conventibus vetatur ingressus saecularibus intra portam secundam.

LXXXIII. Non permittatur inferiori nostrorum conventuum SSmi Salvatoris, S. Sepulcri, Bethleem et Nazareth ingredi aliquem saecularem intus secundam portam, etiamsi interpres aut familiaris conventus existat; prout neque mulieres, nec pueros, nisi ad audiendas Missas recto tramite foras regressuros. Peregrini vero et interpres linguae arabicae et turcicae introire poterunt, tempore et loco designatis et non alias.

Distractio rerum prohibita.

LXXXIV. Prohibetur omnibus religiosis, quicumque illi sint, sub poena excommunicationis maioris ipso facto incurrendae, nec non privationis vocis activae et passivae, ne ullo pacto, nec scilicet vendendo, nec permutando, nec quovis alio genere negotiationis agendo, distrahere audeant, vel per se vel per alios, coronas, rosarios vel alias huius generis devotiones Hierusalem.

Restituantur spolia defunctorum.

LXXXV. Spolia defunctorum consistentia in rosariis, crucibus, aliisque huiusmodi devotionibus, et omnia quaecumque alia uti extracta fuerunt ex peculiis procurationis, ita non nisi eidem restituantur.

Cap. VIII.

De euntibus ad Terram Sanctam et redeuntibus fratribus.

Religiosi a Generali vel commissario tantum mitti Hierusalem possunt.

LXXXVI. Nullus Generali vel commissario inferior in utraque familia quavis causa, etiam peregrinationis, fratres Hierosolymam mittere possit, sub poena privationis vocis activae et passivae.

Quinam a superioribus mittendi.

LXXXVII. Superiores autem generales nullo modo mittant, nisi eos quos per iuratam provincialium et definitorum attestationem noverint esse specialis probitatis et irreprehensibilis vitae, ac solo devotionis motivo ductos ad inserviendum sanctissimis locis, ut Christi bonus odor esse possint in omni loco et in omni gente, etiam prava et perversa natione.

Et in quonam numero.

LXXXVIII. Ut autem omnes provinciae sive Observantium sive Reformatorum, aut Recollettorum vel Discalceatorum, facilius participes fiant coelestium benedictionum, quibus praemiantur Terrae Sanctae inservientes, decernitur non esse mittendos ex unaquaque provincia plures duobus. Quod ut facilius observari possit, iniungitur, ut singuli ministri provinciales, tam Observantium quam Reformatorum, Recollettorum et Discalceatorum praedictorum, superioribus generalibus attestationem iuratam et subscriptam a definitoribus singulo quoque triennio transmittant, in qua praesentent fratres, sive sacerdotes sive laicos, suarum respective provinciarum, quos magis pios et devotos, in fide constantes et morum gravitate probatos et maxime ad inserviendum sanctis locis idoneos et ad eundum paratos noverint.

Literae patentes in albo, ut dicitur, prohibentur.

LXXXIX. Literae patentes indeterminatae, seu *in albo,* ut vulgo dicitur, pro religiosis ad Terram Sanctam mittendis omnino prohibentur.

Recognoscendae a provinciali cum definitoribus.

XC. Quaecumque patentes literae a superioribus generalibus expeditae, pro mittendo aliquo religioso ad Terram Sanctam, antequam executioni demandentur, recognosci debeant a patre provinciali cum definitoribus, quatenus hi apud ipsum inveniantur; et insuper a Guardiano et discretis conventus, in quo moram fecerit ille cui concessae sunt; et tam provincialis, quam definitores, guardiani et discreti praedicti, a tergo dictarum patentium attestationem cum iuramento facere debent, quod religiosus, qui mittitur, moribus et qualitatibus iis praeditus sit, ut ad bene inserviendum sanctis locis capax et idoneus reputetur. Idem servari decernitur etiam pro iis qui ellemosynarum conductores, seu transvectores, appellantur, et de anno in annum a commissariis transmittuntur Hierosolymam. Commissarii autem Terrae Sanctae, in portibus christianitatis existentes, nullum talibus requisitis et attestationibus non munitum iter ad Terram Sanctam sumere patientur, neque viaticum ad hoc subministrabunt, sub poena privationis officii.

Ituri ad Terram Sanct. inventarium omnium quae supportant, ferre debent.

XCI. Nulli religiosi ad Terram Sanctam ituri, etiam ii qui a commissariis respectivis pro eleemosynis illuc transferendis cum facultatibus superiorum generalium deputati sunt, iter sumere valeant, nisi prius per patrem commissarium Terrae Sanctae, una cum Guardiano et discretis conventus, visitentur ea omnia, quae ad Terram Sanctam deferre debent; et attestatio a praedictis patribus commissario, guardiano et discretis subscripta et religiosis ituris consignanda, conficiatur; in qua ea omnia quae dicti religiosi transferunt adamussim adnotentur, cum expressione numeri capsarum, rerumque in eisdem contentarum, et omnium aliorum quae transferunt; quam attestationem superioribus vel commissariis portuum tum christianitatis, tum orientalium, ad quos appulerint, exhibere teneantur. Praecipitur autem commissariis et guardianis praedictis, sub poena privationis suorum officiorum, ne quidquam quod negotiationem sapiat vel mercaturam, sed ea tantum quae usui et necessitati fratrum convenientia extiterint, transferri permittant.

Item decernitur pro fratribus redeuntibus.

XCII. Quod sancitum est pro ituris fratribus, idem decernitur pro a Terra Sancta redeuntibus; praecipiturque tum p. Guardiano, tum pp. discretis, sub poena privationis suorum officiorum, ut cunta examinent, quae a Terra Sancta transferuntur, et inventarium fidele ab unoquoque eorum subscriptum et fratri redeunti consignandum, conficiant; in quo omnia ad christianitatem transferenda adamussim adnotentur, ut supra de euntibus cautum est.

Poenae contra incumbentes in mercaturam.

XCIII. Si quis religiosus, proprii status immemor, inventus fuerit mercationi vel saecularibus incumbere negotiis, teneatur p. Guardianus non solum ipsum ad provinciam statim remittere; sed ulterius superiori generali denunciare, ut in provincia iuxta delicti gravitatem puniatur.

Quaenam nequeant exportare discedentes.

xciv. Nullus religiosus e Custodia discedens, etiamsi missionarius fuerit, vasa, aut paramenta sacra, vel ecclesiasticas supellectiles, aut calices, planetas etc. secum deferre valeat; nec procurator talia ulli concedere queat, quamvis alicuius navis officio cappellani esset functurus.

Servanda a redeuntibus e Terra Sancta.

xcv. Omnes fratres e Terra Sancta redeuntes, statim ac in partibus christianorum portuum appulerint, adeant pp. commissarios, sive illorum vicesgerentes, aut, ipsis absentibus, p. Guardianum vicinioris conventus, illumque precentur, ut in calce suarum patentium subscribat diem sui adventus et recessus ab illo conventu; ut innotescat, cum ad propriam pervenerint provinciam (ad quam recto tramite reverti debent), an vagati sint, quo casu possint puniri, ipsisque sub poena apostasiae nullo modo liceat sine speciali superioris generalis licentia Romam venire.

Officialibus superioribus nulla, dimissis officiis, praerogativa competat, nisi Discretorii accedente attestatione.

xcvi. Decernitur quod neque p. Guardianus, neque Vicarius, neque Procurator Terrae Sanctae, expleto proprio respective officio, ulla praerogativa eisdem ob ipsum debita frui valeant, nisi prius per attestationem a Discretorio cum iuramento subscriptam superiori generali constiterit, ipsos laudabiliter proprium exercuisse officium, et exacte, quantum ex ipsis fuit, praesentia observasse et observari curasse decreta; quae de trimestri in trimestre, in plena communitate omnium conventuum et hospitiorum Custodiae, legi debebunt, ne ignorari possint.

Aliorum statutorum, praeter praesentia, confirmatio.

xcvii. Confirmantur insuper omnia et singula statuta pro bono regimine Custodiae Terrae Sanctae alias edita, laudabilesque eiusdem Custodiae consuetudines, in iis, quae praesentibus decretis, statutis et constitutionibus non adversantur, contrariis cassatis, abrogatis et annullatis.

Reassumitur constitutio.

§ 2. Ipse vero Raphäel minister generalis praeinserta statuta, quae prius a dilectis itidem filiis Discretorii eiusdem ordinis approbata fuerunt, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderat; nos ipsius Raphäelis Ministri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quavis occasione vel quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinserta capitula, seu decreta, quae dilectus filius noster Vincentius S. R. E. presbyter Cardinalis Petra nuncupatus, ac dilectus etiam filius magister Nicolaus Lercari, Congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum praefectus et secretarius, viderunt et mature perpenderunt, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Praecedentium statutorum confirmatio.

Clausulae confirmatoriae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas ac praeinserta statuta seu decreta semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedis Apostolicae Nuncios, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscat., die vii. ianuarii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno vi.

LXXI.

Huiusmodi statutorum irritat articulos sub num LXIX. *et* LXXIX. *contentos ad*

deputationem Sacristarum et ad quotidianas supplicationes spectantes, ceteris tamen suo robore permanentibus (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Expositio. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Raphäel a Lugagnano Minister generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum, quod ipse, pervento ad hanc almam urbem nostram dilecto etiam filio Iacobo a Luca fratre expresse professo dicti Ordinis, Guardiano conventus Hierusalem et Custodiae Terrae Sanctae iam visitatore, ab hac Sancta Sede deputato, de decretis et statutis pro bono regimine memoratae Terrae Sanctae conditis, et a nobis per quasdam nostras in simili forma brevis, die VII. ianuarii proxime elapsi, approbatis et confirmatis, cum eodem Iacobo communicare non praetermisit. Dictus vero Iacobus omnia in eis contenta pro bono dictae Terrae gubernio partim necessaria, partimque utilia agnovit, exceptis tamen duobus ex dictis statutis sub numeris 69 et 79 contentis, in quibus aliquid de novo praecipitur spectans ad deputationem sacristarum et ad quotidianas processiones in Custodiae huiusmodi monasteriis fieri solitas; quod utrumque ex duobus dictis statutis, ut dictus Iacobus asserit, non solum inutile eidem Custodiae, sed etiam praeiudiciale foret, ac propterea ipse Raphäel minister generalis supradicta duo statuta, ne illa dissidiis ansam praebeant, per nos de medio auferri plurimum desiderat; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Petitio.

Utriusque articuli abrogatio. § 1. Nos igitur ipsum Raphäelem ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memorata duo statuta sub numeris 69 et 79 expressa, ac omnia et singula in eis contenta, firmis tamen omnibus aliis remanentibus, ut praefertur, per nos confirmata, auctoritate apostolica tenore praesentium annullamus, cassamus et irritamus, ac annullata, cassata et irrita, ac nullius roboris et momenti esse et fore decernimus et declaramus.

Clausulae. § 2. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in praefatis nostris literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. februarii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXII.

Facultatem dispensandi ab abstinentiis concessam Patriarchae Greco-Melchitae decretali Demandatam *extendit etiam ad Episcopos eiusdem nationis* (2).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Exordium. Inter gravissima apostolicae servitutis munera imbecillitati nostrae a supremo pastorum principe Iesu Christo iniuncta, non ultimum certe, sed praecipuum esse reputamus, ut, ad aeternam omnium christifidelium salutem suaviter fortiterque procurandam, ea supremam auctoritatem potestatemque nobis divinitus traditam universis opportune impertiamur ratione, qua, dum ecclesiasticas quidem severioris disciplinae regulas ubique locorum semper servatas custodire nitimur, insimul, viscera christianae caritatis induentes, ubicumque urgens necessitas postulaverit, easdem etiam ad tempus moderari studeamus.

---

(1) Ex Bull. Pont. S. C. de P. F. vol. III., p. 236.

(2) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

Exponuntur decreta alias edita pro restituenda disciplina apud Graecos-Melchitas.

§ 1. Sane alias postquam quamplura dubia et varia postulata, quae venerabilis frater Cyrillus Patriarcha Antiochenus Graecorum-Melchitarum ediderat, atque ad huius Sanctae Sedis iudicium more maiorum detulerat, primum per nos ipsos summo studio ac diligentia singulatim expendissemus, deinde adhibito etiam nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui Propagandae Fidei negotiis praesunt, coram nobis non semel, sed iterum ac tertio, congregatorum, consilio, nonnulla necessaria et opportuna super iisdem dubiis ac postulatis statuissemus; decretalem nostram epistolam ad venerabiles fratres, ipsum scilicet Patriarcham Antiochenum et omnes eiusdem ritus catholicos Episcopos eidem Patriarchae subiectos, die XXIV. mensis decembris, anno MDCCXLIII. dedimus. Praeter cetera autem quae in ipsa decretali epistola a nobis praescripta sunt, vehementer etiam iniunximus, ut tam ipse Patriarcha, quam alii antiocheni patriarchatus orthodoxi antistites, in sua quisque dioecesi, antiquos ritus et laudabiles Graecae Ecclesiae consuetudines, si quibus in locis quomodolibet quavis indulgentia licentiaque remitti ac pessum ire contigisset, ad pristinam observantiam revocare, restituere et confirmare adniterentur.

Praesertim super abstinentiis et ieiuniis.

§ 2. Atque eo potissimum, quod memoratus Cyrillus patriarcha, in quodam peculiari cum suis antistitibus anno millesimo septingentesimo trigesimo sexto in Monte-Libano habito consessu, quoad abstinentias et ieiunia ante natalitiam Domini nostri Iesu Christi sollemnitatem, ante dies festos Assumptionis Beatae Virginis Mariae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in Graeca Ecclesia servari solita, cum hominibus desertos Arabum, pagos in Libano et Anti-Libano positos incolentibus non solum dispensasset, verum etiam ad unum dumtaxat diem antedictas Nativitatis Dominicae, Assumptionis Beatae Virginis Mariae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli sollemnitates immediate praecedentem reduxisset, coarctassetque: hinc ex sublimi hac sacrosancti apostolatus specula praevidentes, quantum profecto praeiudicium ac detrimentum observantiae ecclesiasticae disciplinae ab initio servatae, quoad huiusmodi abstinentias et ieiunia, haec novitas, imo relaxatio, in Graeca Ecclesia allatura esset, illud antevertere curavimus, atque insimul mandavimus ut abstinentiae et ieiunia huiusmodi in eumdem omnino, in quo per anteacta secula, ac praesertim ante inductam ab Euthymio olim Tyri et Sidonis Archiepiscopo novitatem, impertitasque ab ipso Cyrillo Patriarcha dispensationes, reperiebantur, statum iterum reducerentur. Praeterea cum laudabilis consuetudo singulis per annum feriis IV. et VI. a piscium esu abstinendi in Graeca Ecclesia multis ab hinc saeculis recepta, quae a quamplurimis Graecae Ecclesiae hominibus sanctissime adhuc retinetur ac servatur, maiorem in partem iam remissam esse, ac iamiam penitus aboleri constaret, praecepimus etiam ut sine ullo discrimine in toto antiocheno patriarchatu custodiretur.

Nihilominus ob defectum ciborum quadragesimalium, fuerunt datae Patriarchae facultates sub conditionibus.

§ 3. Haec vero, quemadmodum praefati sumus, mandantes, minime obliti sumus apostolicae benignitatis. Quamobrem paterno animo commiserantes egestatem christifidelium montana Libani et Anti-Libani loca incolentium, quos, propter ciborum quadragesimalium inopiam in iis locis vigentem, carnibus ac lacticiniis interdum per dies, quibus esus huiusmodi ipsis interdictus vetitusque est, vesci fertur, facultatem eidem Cyrillo Patriarchae anno millesimo septingentesimo trigesimo secundo datam, iterum largiti et hac ratione impertiti fuimus; ut nimirum, quoad abstinentias et ieiunia huiusmodi, in casu urgentis dumtaxat necessitatis dispensare posset; ut dispensationes huiusmodi neque generaliter, neque in perpetuum, neque omnibus indiscriminatim, sed alicui hominum coetui vel communitati, de anno in annum et per illud solummodo tempus, quo urgentem necessitatem contigerit permanere, concederentur.

Eadem facultas dispensandi cum iisdem conditionibus extenditur ad successores Patriarchas et ad Episcopos patriarchatus.

§ 4. Quoniam autem saepedicta ciborum quadragesimalium inopia, sicut accepimus, aliquando in aliis eiusdem patriarchatus dioecesibus evenire potest, idcirco paternae commiserationis cum unoquoque providentissime habendae memores, antedictam dispensandi facultatem laudato Cyrillo, eiusque pro tempore Patriarchae Antiocheno successori, elargitam, ad modernos et pro tempore existentes eiusdem patriarchatus Archiepiscopos et Episcopos catholicos, sub iisdem prorsus dictis modo et forma, tenore praesentium, auctoritate apostolica extendimus, atque ipsis Archiepiscopis et Episcopis, eorumque singulis tribuimus, concedimus et impertimur. Porro unicuique modernorum et pro tempore existentium dicti patriarchatus antistitum notum

esse volumus, ac districte mandamus, ut unusquisque eorum in propria dumtaxat dioecesi, in solo urgentis necessitatis casu et non aliter, facultate antedicta, cum iisdem clausulis et conditionibus in laudata nostra decretali epistola expressis, uti valeat: nempe, ut dispensationes huiusmodi nec generales nec perpetuae sint, sed de anno in annum, uni dumtaxat certo hominum coetui aut communitati, per illud solummodo temporis spatium, quousque iustum ac rationabile dispensandi momentum praestiterit, concedantur.

Hortationes.

§ 5. Ceterum, ne propter frequentem, etiam in saepedictis casibus et sub saepe expressis clausulis et conditionibus, dispensandi indulgentiam, sensim abstinentias et ieiunia huiusmodi remitti, atque etiam in oblivionem abire (contingat quemadmodum cum aliis ecclesiasticae disciplinae non tam consuetudinibus quam praeceptis iamdudum factum esse dolemus), eosdem modernos et pro tempore existentes dicti patriarchatus antiocheni antistites in Domino hortamur, ut quisque districtae rationis, quam aeterno iudici Christo Iesu pastorum principi de pastorali sua procuratione rite sancteque obeunda redditurus est, memor, omni studio et conatu advigilet atque curet, ut quidquid super abstinentiis et ieiuniis saepedictis per ipsam nostram decretalem epistolam praescribitur, excepto urgentis dumtaxat necessitatis casu, penitus omnino debitae exactaeque observantiae demandetur.

Clausulae confirmatoriae.

§ 6. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et eiusdem S. R. E. Cardinales, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicare et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, etiam nostris, etiam hac super re editis, nec non, quatenus opus sit, dicti patriarchatus antiocheni, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. martii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXIII.

Commemoratis et confirmatis iis, quae de celebratione unius Missae in decretali Demandatam *statuerat super eodem altari apud Graecos Melchitas, concedit Archiepiscopo Aleppensi, ob angustiam illius ecclesiae, novies in diebus festivis celebrari posse, dummodo Missa in altari maiori non iteretur* (1).

Venerab. fratri Archiepiscopo Hierapolitano,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Literae apostolicae alias datae Patriarchae Antiocheno Graeco-Melchitae super

Decretalem nostram die XXIV. decembris anni MDCCXLIII. in lucem dedimus, eamque inscripsimus Antiocheno Patriarchae Graeco-Melchitarum et ceteris catho-

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

pluribus altaribus in ecclesiis erigendis, atque missis in quadragesima celebrandis.

licis Episcopis eumdem ritum habentibus, qui ipsi Patriarchae subiiciuntur: quippe cum maximo studio teneamur, ut vetusti ritus Ecclesiae Graecae omnino conserventur, permittendum minime duximus, ut in ecclesiis Libani atque Anti-Libani plures eodem die Missae super eodem altari celebrarentur; utque diebus singulis Quadragesimae sacrum institueretur, summopere cupientes, ut veteri ritu missa Praesanctificatorum retineatur per omnes dies (non tamen sabbato vel die dominica), quibus sollemne Quadragesimae ieiunium indicitur. At quoniam nobis expositum fuit, si huiusmodi ritus et instituta servarentur, illud obvenire necessario, ut graeci sacerdotes pietati suae satisfacere non possent, qui sacrum facere vehementer expeterent, et laicis impedimentum obiiceretur, qui oblationes deferrent ut Missae sacrificium pro sua voluntate conficeretur; ideo monuimus Episcopos magno studio contendere, ut in eadem ecclesia plura altaria conderentur, utque sacerdotes rem divinam facerent simul cum Episcopo vel alio sacerdote, qui primo loco celebraret; neque praetermisimus recensere ac praescribere rationes omnes, quibus id facili negotio perficeretur: uti liquido constat ex nostra decretali, in qua plane ostendimus, quo pacto huiusmodi concelebratio institui possit, piaeque voluntati offerentium per ipsam satisfieri, quin sacerdotes ulla sordidae utilitatis macula notentur.

Apud Graecos unicum altare in qualibet Ecclesia, et unicam Missam quovis die celebrandam super eo, ex auctoribus demonstratur.

§ 1. Ideo vero plures Missas eodem die super uno altari minime probavimus in ecclesiis Libani atque Anti-Libani, eo quod Orientalis Ecclesiae disciplina severa ita sit, ut unicum altare in quolibet templo concedi deberet, ubi postquam sacerdos Missae sacrificium obtulerit, nullus alius eodem die possit ipsum iterare. Id aperte testatur Christianus Lupus, quem graecae eruditionis gloria magnopere commendandum nemo inficiabitur: « Graecorum ecclesiae, inquit (*part. 4 suarum adnotat. ad Synod. General. ac Provin. pag. 310)* non habent nisi unicum altare, et in uno eodemque altari, adeoque et in una eademque Ecclesia, nequit eodem die iterari sacrificium ». Eamdem rem confirmat Cardinalis Bona pietatis ac doctrinae laude clarissimus *(lib. 1. Cap. 14. Rerum Liturgicarum):* « Graecorum alia est consuetudo; unicum enim altare in singulis ecclesiis habent, nec fas esse putant, intra septa eiusdem templi, sacrum eadem die iterare. Ideo Patres et historici graeci unius tantum altaris in una ecclesia mentionem faciunt: cuius unitatis analogiam inde accipi ferunt, quia unus est Christus, una fides, una Ecclesia, unicum sacrificium. »

In eccles. utrique ritui communibus Graecus a Sacrificio abstinet, si Latinus praevenerit.

§ 2. Porro in iis locis ubi Graeci cum Latinis Ecclesiam communem obtinent, si latinus sacerdos rem divinam operatus sit, tum graecus a sacrificio abstinet: « Non quidem in latini ritus contemptum vel odium, ut quidam temerario suspicantur, sed ne eadem die intra templi eiusdem septa sacrificium iterare, quod nefas videtur, graecus praesumat. » Quod si graecus sacerdos velit sacrum facere, locum prior occupat; nec tamen latinum sacerdotem improbat, si post ipsum ad altare accedat, et sacrificium iteret, eo quod suo ritui consentaneum id minime ignorat: « Hacque de causa, cum devotionis adimplendae affectu, Graecus hinc, illinc Latinus in templi eiusdem ambitu sacris operari affectat, Graecus alium praevenire studet, ne, sacrificio ab eo peracto, ipse Religione a sacris retardetur, nec tamen Latini (quod ipse expertus sum) temere conscientiam accusat, quem ritus licentiam sequi probe novit. » Tum vero graecus sacerdos suo ritui fecisse satis existimat, si neque sermonibus, neque suis exemplis operam dederit, ut plures eodem die Missae super uno altari celebrentur: « Sed, ipse inquit Goar. *(in adnotationibus ad Rituale Graecorum,* quod *ultimo Venetiis impressum fuit, pag. 22)* veterum canonum observantia se duci ostentat, qui dum unico Christi sacrificio attenderunt, unicum in ecclesiis altare induxerunt, et non iterandum in eo sacrificium praeceperunt. »

Non abstinet Latinus si Graecus praevenerit: et ratio differentiae.

Missa Praesanctificatorum iuxta graecum ritum ex auctoritatibus confirmatur.

§ 3. Insuper in nostra decretali statuimus, ut diebus quadragesimalis ieiuniis, praeter sabbata ac dies dominicos, nullum aliud sacrificium, nisi Praesanctificatorum statuatur. Scriptores hunc ritum fuse commemorant: Leo Allatius praeclaram de illo dissertationem confecit in libro *De perpetua consensione Ecclesiae Occidentalis et Orientalis;* Petrus Arcudius idem recenset *lib. 3, cap. 57, de Concordia Occidentalis et Orientalis Ecclesiae;* Christianus Lupus, in *Decreta et Canones Conciliorum lib. 2, pag. 951 et sequentibus,* eumdem ritum magnopere illustrat et quibusdam superstitionibus eum vindicat, quae ipsum quandoque labefactaverant. Si quis

rem luculentius inspicere velit, monumenta expendat, quae Cardinalis Bona *de Rebus Liturgicis* sapienter conscripsit, *lib. 1, Cap. 15;* Thomassini Tractatum legat *de Ieiuniis, part. 1, Cap. 23;* percurrat recentem scriptorem De l'Isle in *Historia Dogmatica de Ieiunio, lib. 6, cap. 1, pag. 474 ac sequentibus.* At vero satis erit ante oculos ponere canonem 49 Concilii Laodiceni, quod Cardinalis Baronius Nicaeno ipso vetustius arbitratur. Itaque sic decernitur: « Non oportere in Quadra« gesima panem offerre, nisi sabbato et do« minicis tantum ». Canon etiam 52 Concilii Trullani, quod Orientalis Ecclesia plurimi facit, ita constituit: « In omnibus san« ctae Quadragesimae ieiunii diebus, prae« terquam sabbato et dominica et sancto « Annuntiationis die, fiat sacrum Praesan« ctificatorum ministerium ». Silentio omittimus impudentiam schismatico consentaneam, ob quam nonnulli ex graecis hominibus Occidentalem Ecclesiam improbare non dubitarunt, eo quod singulis Quadragesimae diebus sacrum facere consueverit. Neminem quippe latet, quam graviter sapienterque Cardinalis Humbertus a Sylva-Candida illorum audaciam fregerit et errorem confutaverit. Quamobrem neque temere, neque inconsulto statuimus in nostra decretali retinendum esse vetus institutum missae praesanctificatorum diebus Quadragesimae, eo quod Ecclesiae graecae disciplina a primis usque temporibus id constanter postulaverit: « Hunc morem (inquit « Cardinalis Bona) adhuc servat Orientalis « Ecclesia »; quae profecto cum moerore ac luctu quadragesimalis ieiunii, laetitiam sacrificii copulari minime posse diiudicat. Illud pariter addit Cardinalis Bona, cum verba facit de ritu missae praesanctificatorum: « Occidentalis Ecclesia eo nunquam « utitur, aut usa est, nisi feria sexta Ma« ioris Hebdomadae ». Postremo dissimulanda non sunt ea quae in Ecclesia Mediolanensi geruntur; in qua cum ambrosianus ritus pluribus in rebus Graecorum ritui conformetur, ideo Sanctus Carolus Borromaeus indixit illis ecclesiis, quae romanum ritum sequerentur, ut feriis sextis in Quadragesima Missae sacrificia conficerent; id vero non liceret aliis ecclesiis, quae ritum ambrosianum obtinerent: « Cum id, « praeter cetera mysteria, summam quam« dam et cumulatam populi catholici spi« ritalem laetitiam praeseferat »: *In actis Mediolanensis Ecclesiae.*

Ex auctoritate scriptorum dicit se concessisse erectionem plurium altarium ob ecclesiarum angustiam, quae distincta sacella muro seiuncta haberi non sinit.

§ 4. In decretali nostra, quam saepius nominavimus, ne sacerdotum pietati, piisque desideriis offerentium aliquid deesset, permisimus, ut eodem in templo plura altaria conderentur, et rationem quoque indicavimus, ut cum Episcopo vel alio sacerdote sacrificium peragente plures uno tempore sacerdotes concelebrarent. In Ecclesia Graecorum, quae hic Romae constructa est, plura sane occurrunt altaria; verum Leo Allatius ita de illa scriptum reliquit: « Templum divo Athanasio sacrum, « quod Romae est, non ita ex nationis il« lius more extructum est, ut ad consti« tuendas Graecorum hodiernas ecclesias « in exemplum adduci possit et debeat, « cum potius Latinae Ecclesiae modum, « eumque non ita antiquum, referat. » Itaque minime ducti fuimus hoc exemplo, ut in ecclesiis plura altaria largiremur, sed potius auctoritate ac testimoniis eiusdem Allatii et Cardinalis Bonae, qui tradiderunt, iampridem Graecis in more positum fuisse, ut conderent sacella a templo seiuncta, ita ut murus interesset; quae sacella Parecclesias ipsi nuncuparunt, easque non semel intra septa monasteriorum extructas fuisse, in quibus rem divinam facerent. Quare cum nobis cognitum perspectumque sit, hoc tempore talem facultatem Graecis haud suppetere, ut eiusmodi aedificia construant, qui exiguam ecclesiam impetrare vix queunt in iis Barbarorum locis ubi versantur, ideo hanc mentem consiliumque suscepimus, ut plura ipsis altaria per indulgentiam concederemus.

Apud Graecos presbyteri saepissime cum Episcopo concelebrant.

§ 5. De concelebratione autem sacerdotum cum Episcopo, si forte, novis extructis altaribus in eadem Ecclesia, nondum id satis esse presbyteris atque offerentium multitudini ac religioni videatur, Arcudius, *lib. 3, Cap. 17, pag. 205, de Concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis,* ita testatur: « Presbyteri frequentissime apud « Graecos cum Pontifice una concelebrant « et consacrificant. » Quod si Episcopus ipse sacrum minime conficiat, tum ex reliquis sacerdotibus unus deligitur, qui primi offerentis partes ac dignitatem sustineat: « Hanc antiquam (inquit Morinus in *Trac« tatu de Sacris Ordinationibus, part. 3, « exercit. 8, num. 7)* et apostolicam tra« ditionem hactenus integram Graeci con« servarunt, cuius vestigia Latini in ordi« nationibus presbyterorum et Episcopo« rum etiam nunc exprimunt. Cum apud « Graecos in aliqua ecclesia multi sunt pres-

« byteri, omnes simul ordinarie Missam « celebrant, et eorum aliquis deputatur, « cui primario celebratio competit. »

Non obstantibus tot concessionibus, novae preces pro iteratione Missae in eodem altari.

§ 6. Cum haec ita se habeant, omnes beneficiis nostris cumulatos post decretalem nostram plane acquievisse sperabamus, ac praesertim ob facilitatem nostram, qua in eodem templo pluria altaria condenda liberaliter indulsimus. Verum spes nos fefellit: nuper enim maximo studio facultatem consequi a nobis tu praecipue postulasti, ut plures uno die Missae in eodem altari celebrentur: sacerdotum et fidelium offerentium pietati ob concelebrationem, quam superius meminimus, aliqua ex parte consultum esse non inficiaris; sed ecclesiam, quae Hierapoli est, tam exiguam tamque angustam asseris, ut fideles curae tuae commendati diebus festis sacro interesse omnes et Ecclesiae praecepto obtemperare nullo modo possint, etiamsi nova struantur altaria, in quibus tamen iterare Missae sacrificium non liceat.

Praesertim ob ecclesiae hierapolitanae angustiam et populi multitudinem, qui aliter praecepto diebus festis satisfacere nequiret.

§ 7. Deprehendimus forte literas tuas, quas die XXV. maii anno MDCCXLIV. ad nos dedisti, in quibus certiores nos facis, in Ecclesia, quae Melchitis est Hierapoli, septem altaria numerari. Quamobrem, si sacrum fiat in quolibet altari diebus festis, et ratio temporis ita habeatur, ut sacerdotes diversis horis ad altare sacrificium operentur, tum profecto difficile videbitur, quod populus universus diebus festis Ecclesiae mandata facere nequeat, nisi plures in eodem altari missae instituantur. Equidem ad certum iudicium de hac re ferendum, ecclesiae spatium et populi copia plane constare deberent. Tu autem in tuis literis pro certo adfirmas, angustam ecclesiam et populum frequentissimum, eo quod in ipsa Armeni Syrique conveniant, quorum templa ab haereticis occupantur; quare non semel contigisse, ut plurimi ex fidelibus per dies festos ecclesiae limen ob affluentem multitudinem attingere non potuerint dum sacra inchoarentur; immo non semel etiam turbae concitatae fuerint in tanta hominum frequentia, qui missae sacrificio interesse vehementer deposcebant. Quapropter nobis indicas, ob has rationes iam septem ab hinc annis permissum a te esse, ut in eadem ecclesia octavum, nonum, et decimum quandoque, sacrum haberetur; ex quo consequitur, ut plures super uno altari missae peragantur. Porro haec a te gesta fateris, sperans, fore ut nostra auctoritate comprobarentur.

Sub certis conditionibus conceditur iteratio.

§ 8. Itaque, licet Graecorum disciplina contraria sit et nostra etiam decretalis adversetur, tamen apostolica potestate nostra tibi concedimus (si vera sint exposita, uti vera esse non dubitamus), concedimus, inquam, ut diebus festis novem sacra conficiantur in supradicta tua ecclesia, quoties id necessarium iudicabis; ita tamen, ut unum tantum ex dictis novem sacris super altari maiori celebretur; quae concessio permaneat, donec tempus et occasio ferant ut ecclesiae spatia dilatentur et donec eae rationes minime concidant, quas nostros ob oculos proposuimus, ut hanc facultatem peteres.

Ob easdem causas eamdem facultatem S. Leo M. concessit.

§ 9. Hanc indulgentiam nostram S. Leoni Magno praedecessori nostro tribuendam potissimum intelligas. Cum enim Dioscorus Alexandrinus unicum in ea civitate templum haberet, ad quod incredibilis fidelium multitudo conflueret, S. Leoni Pontifici declaravit, evenire Alexandriae easdem turbas, eadem incommoda, quae nuper Hierapoli contigisse tu ipse testatus es. Itaque cum Romae consuetudo iampridem invaluisset, ut diebus festis, cum populi frequentia maxima esset, in eadem ecclesia, eodemque altari plura sacrificia offerentur (quamvis unicum altare et unum sacrificium in qualibet ecclesia tunc temporis haberetur), S. Leo Pontifex, probitatis ac doctrinae laude praeclarissimus, Dioscoro permisit, ut super eodem altari plura sacrificia statuerentur. Nos igitur adducti praestantissimi Pontificis exemplo facultatem eamdem tibi impertimur, iis tamen conditionibus, quas superius commemoravimus. His autem verbis usus est S. Leo (epist. 11, iuxta recentem editionem; quae tamen octuagesimum primum locum obtinet, si veteres editiones inspiciantur): « Ut autem in omnibus observantia nostra « concordet, illud quoque volumus custo« dire, ut, cum sollemnior quaeque festi« vitas conventum populi numerosioris in« dixerit, et ea fidelium multitudo conve« nerit, quam recipere basilica simul una « non possit, sacrificii oblatio indubitanter « iteretur, ne his tantum admissis ad hanc « devotionem, qui primi advenerint, vi« deantur hi, qui postmodum confluxerint, « non recepti, cum plenum pietatis atque « rationis sit, ut quoties basilicam, in qua « agitur, praesentia novae plebis impleve« rit, toties sacrificium subsequens offera« tur. Necesse est autem, ut quaedam pars « populi sua devotione privetur, si, unius

« tantum Missae more servato, sacrificium « offerre non possint, nisi qui prima diei « parte convenerint. Studiose ergo dilectio« nem tuam et familiariter admonemus, « ut quod nostrae consuetudini ex forma « paternae traditionis insedit, tua quoque « cura non negligat, ut per omnia nobis « et fide et actibus congruamus. »

Prudens oeconomia Apostolicae Sedis, eiusque studium in servandis Graecorum ritibus.

§ 10. Postremo te admonemus aditus intercludere illorum sermonibus, qui dictitant ampliora privilegia in Maronitas, atque Italo-Graecos collata fuisse a Sede Apostolica, et plurimis in locis libere permitti ea quae tibi in praesentia denegantur. Nam Italo-Graeci inter Latinos versantur, latinoque Episcopo subiiciuntur; Maronitae autem fidem Romanae Ecclesiae profitentes, latinum ritum magna ex parte susceperunt. Accedit, quod perpauci schismatici degunt in iis locis, ubi graecae disciplinae relaxatio minime improbatur, vel saltem catholici tam frequentes sunt, ut numerum schismaticorum longe superent, qui sane catholicos arguere et lacessere non praetermittunt, si paululum vetus disciplina remittatur. Ob has causas, quae te minime afficiunt, animum nostrum induximus, ut aliis largiremur ea quae tibi convenire non arbitramur; utque maiori, quo possumus, studio tueamur auctoritatem ac sententiam, quam Innocentius III. in Lateranensi Concilio, cap. 4, amplexus est, ac posteris commendavit: « Licet Graecos in « diebus nostris ad obedientiam Sedis Apo« stolicae revertentes fovere et honorare « velimus, mores ac ritus eorum, in quan« tum cum Domino possumus, sustinen« do, in his tamen illis deferre nec vo« lumus, nec debemus, quae periculum « generant animarum et ecclesiasticae de« rogant honestati ». Idem exemplum secutus est Innocentius IV. in epistola ad Episcopum Tusculanum, legatum Sedis Apostolicae apud Cyprios: « Quia nonnulli Grae« corum iamdudum ad devotionem Sedis « Apostolicae redeuntes, ei reverenter obe« diunt et intendunt, licet et expedit, ut « mores ac ritus eorum, quantum cum Do« mino possumus, tollerantes, ipsos in Ro« manae Ecclesiae obedientia praeserve« mus, quamquam in iis, quae animarum « periculum parerent vel honestati eccle« siasticae derogarent, nec debeamus illis « deferre aliquatenus, nec velimus. »

§ 11. Haec scribenda duximus, ut peculiarem in te benevolentiam nostram testaremur, qua benedictionem apostolicam tibi peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die x. martii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXIV.

Episcopum Oscensem docet, quibus in casibus et conditionibus ex iure communi, eodem die, bis Missa ab eodem sacerdote celebrari possit (1).

Venerabili fratri Antonio Episoopo Osoensi,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Dubium ab Episcopo Sanctitati Suae propositum.

Declarasti nobis, in sacra Visitatione, qua Dioecesim tuam perlustrasti, deprehendisse nonnullos rectores ecclesiarum parochialium, quibus alia quoque ecclesia a parochiali longe seiuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii sacerdoti committere nequeunt, qui pro-rectoris munus sustineat: hinc fieri, ut rectores ipsi rem divinam in utraque ecclesia festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiae praecipienti fidelibus, ut festis diebus Missae sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua Synodo id minime licere Rectoribus ecclesiarum parochialium, quoties alius sacerdos praesto sit, qui sacrum facere possit in una ex iis ecclesiis, quae rectoribus subiiciuntur; id autem attulisse tam gravem rectoribus ipsis molestiam, ut Synodalis Decreti executionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re nostram, nostramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam tuam in primis commendamus, totiusque Hispanae gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si forte aliquid incerti dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deposcere consuevit. Deinde tuae Synodi Decretum aequitati ac disciplinae Ecclesiae maxime consentaneum esse respondemus; ita ut demandari exe-

Decretum synodale Episcopi.

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide.

cutioni debeat, nec vanis omnino rectorum querimoniis imminui vel labefactari.

Sententia doctorum in hac materia.

§ 1. Quamvis nonnulli ex theologis moralibus (et quidem nimis indulgenter) plures rationes et causas excogitaverint, ob quas sacerdos eodem die Sacrificium Missae bis offerre posse videatur, quemadmodum facile videri potest *3 Summae* Sancti Antonini *tit. 3, cap. 6, num. 5,* item *lib. 3, Summae* Sancti Raymundi *tit. 24,* et in Summa Hostiensis *ad tit. de celebratione Missarum num. 14 et seqq.*, et in Summa Sylvestrina *in verb. Missa primo* §. *Septimo quaeritur*, et in Summa Armilla *in verb. Missa, num. 15,* id tamen unanimi consensu permittitur Sacerdoti, qui duas parochias obtineat vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam: tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant eiusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et Suarez *in 3 part. Divi Thomae tom. 3, quaest. 73, art. 2, disput. 80, sect. 3,* de hac hypotesi loquens, inquit in ea tantum hodie licere duas missas eodem die celebrare: *Casus de pluribus parochiis est proprius, ac fere solus in usu.* At vero, si in altera ex his parochiis sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem divinam facere possit, tum illarum rectori nequaquam licet in utroque loco sacrificium iterare, eo quod alterius sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes Pasqualigus *de Sacrificio Missae tom. 1, quaest. 381, num. 2,* Vericellus *de apostolicis missionibus tit. 1 de privilegiis regularium, dub. 18,* §. *31, num. 201,* Girabaldus *de Sacramentis tract. 5, cap. 7, dub. 2, num. 15,* Rotarius *in Theologia Morali Regularium tom. 3, cap. 2, punct. 11, num. 5,* Tournelius *in Praelectionibus Theologicis, de Sacramento Eucharistiae part. 2,* iuxta Parisiensem editionem *p. 346,* Schmalzgrueberius *tit. de celebratione Missarum num. 41.* Quod si scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscitis, nempe Cardinalis Zabarellae *in cap. consuluisti, num. 3, de celebratione Missarum,* ubi haec habentur: *Si est alius, qui celebrare possit, non celebrabit sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare et sit ieiunus;* Petri de Ancharano *in Commentariis ad eumdem Textum n. 1: Intellige, si non sit alius ibi paratus ad celebrandum et ille sit ieiunus;* Cardinalis Toleti *in Summa lib. 2, cap. 3, num. 4,* Layman *in Theolog. Morali lib. 5, tract. 5, cap. 4, n. 6;* Salmaticensium *Theologiae Moral. tom. 1. tract. 5, de Sacrificio Missae, cap. 5, punct. 1, num. 12,* iuxta quartam editionem, quae Matriti facta est *anno 1717;* Gavanti *ad rubricas missalis part. 3, tit. 12, num. 7.*

Decretum Synodi Limanae.

§ 2. At supervacaneum est plures auctoritates praestantium virorum congerere, cum id satis superque constet ex septima Synodo Dioecesana, quam Sanctus Turribius *anno 1592* celebravit *cap. 3, tom. 4* Conciliorum Hispanorum, quae simul collegit vir eximius inter Hispanos Cardinalis de Aguirre *pag. 687.* Porro haec sunt verba: *Iuxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac civitate an. 1567, quantum convenit et per locum iuris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque parochis nostri districtus, ut diebus dominicis, et festivis ex praecepto servandis, possint celebrare duas missas in duabus ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius ecclesiae assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera.*

Quando iuxta dictum decretum Parocho liceat duas Missas eodem die celebrare.

§ 3. Ex his apertissime deprehenditur concedi parocho, qui duas ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis Sacrificium Missae instituere, ne diebus festis Ecclesiae praeceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem capite tertio Limanae Synodi, quae mox subiiciemus, certi limites eidem parocho statuuntur, ipsique praescribitur, ut uno tantum loco sacrum conficiat, si in altero sacerdos occurrat, qui populo rem divinam operari possit. *Cum autem habuerint alium sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum ecclesiarum, non poterit parochus celebrare in utraque, sed unam missam tantum in una, quandoquidem alter sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

§ 4. Non ignoramus, auctoritatem Limanae Synodi suae Dioecesi finibus solum concludi. At, cum Sanctus Turribius regendae Ecclesiae peritissimus et virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus, ac dioecesanis institutis

eam saltem fidem atque auctoritatem, vimque, ut aiunt, directivam, adhibendam et adscribendam, nemo inficiabitur, quam Itali omnes, aliique extra Italiam S. Caroli Borromaei Synodis omni tempore praestiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, Sanctum Turribium, virum adeo singularem (pro cuius canonizatione, cum promotoris fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus), conferre plurimum, ut, si propositae rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; laetandumqne idcirco nobis iure merito videmur, qui commentarium *de Sacrificio Missae* in lucem proferentes, italico sermone a nobis conscriptum, cum Bononiensem Sedem administraremus, idem plane asserimus, quod pro illustranda praesenti quaestione superius attulimus et opinionem nostram auctoritate confirmavimus eiusdem Synodi Sancti Turribii, uti liquido constat ex nostro commentario, quod commemoravimus *tom. 2, part. 4, sect. 2, num. 38 et seqq.* et praecipue *num. 40,* quod quidem primo Bononiae typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum, ac typis impressum Patavii, lucem publicam rursus aspexit.

Confirmatur sententia ex aliis Conciliis.

§ 5. Quod si Limanae Synodo alia quoque concilia adiungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiepiscopo Rothomagensi anno MCCXXXI. coactum est, quemadmodum legitur in collectione regia maxima Conciliorum ab Harduino compilata *tom. 7, pag. 186: Nullus audeat Missam bis in die celebrare, aut cum duplici Introitu, nisi in humana necessitate etc. et hoc, ubi non est, nisi unus sacerdos;* alterum, quod Nemausi *anno* MCCLXXXIV. coactum fuit, cum Martinus IV. Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex Collectione Labbeana *tom. 12, part. 1, pag. 1213: Si omnes parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima Missa, postmodum parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa, post receptionem Corporis et Sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam Missam in praedictis casibus celebrare.*

§ 6. Ea potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est, nisi unus sacerdos;* nec non alia: *Nec sunt in ecclesia duo sacerdotes:* ex quibus clare perspicimus, non licere parocho, si alius sacerdos praesto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus Missae Sacrificio intersit, sive missa celebranda sit in duabus Ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata Synodo Limana, sive una tantum sit Ecclesia, in qua missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in Synodo Nemausensi. Hi quippe duo casus eodem iure censendi sunt, uti praecipue advertit Theophilus Raynaudus *tom. 17 operum* editionis Lugdunensis *pag. 8.*

Et ex sententia aliorum doctorum.

§ 7. Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. Neque vero copiam ecclesiasticae eruditionis ostentabimus, ut cognitum id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, consequeremur, cum duo praeclari scriptores postremis his temporibus congesserint casus omnes, quibus ante decretales praedecessorum Innocentii III. atque Honorii III. plures uno die missae ab eodem sacerdote celebrantur. Hi sunt Saintebeuvius *tom. 3 resolutionum casuum conscientiae, cas. 83,* et Pontas *in Dictionario casuum conscientiae, in verb. Missa, cas. 15.* De hoc ipso argumento luculenter disseruit is, qui suis adnotationibus undecimam Sancti Leonis epistolam illustravit, iuxta editionem, quae ultimo facta est. De ipso nos quoque verba fecimus *in Commentario de festis diebus Domini Nostri ac Beatae Virginis Mariae part. 1, num. 667 et seqq.* Quamobrem, his praetermissis, illud affirmabimus, ex communi totius Ecclesiae disciplina permitti tantum sacerdoti hoc tempore, ut die Natali Salvatoris nostri ter sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, uti ostendit Canon: *Nocte sancta de Consecratione dist. 1;* vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus author Telesphorus illius canonis impugnatur) parens ac magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. Id nos testimoniis praestantium virorum indicavimus in Commentario nostro, quod superius nominavimus, *part. 1, num. 665 et seqq.*

Id permittitur die Natali Domini.

Examinantur decreta Pontificum, nempe Alexandri VI,

§ 8. Excepta die Dominicae Nativitatis, iuxta hodiernam disciplinam non licet sacerdoti eodem die sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex Decreto Alexandri Papae II. *Can. Sufficit de Consecratione, dist. 1,* ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum Mundum redemit. Non modica res est, unam Missam facere; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest:* etenim Pontifex ita rem prosequitur: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt et alteram de die, si necesse fuerit:* quibus verbis Alexander II. non improbare videtur eum sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis aut adulationibus saecularium, una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem.* Porro ex his facili coniectura prospicere quisque potest, Alexandrum II. decreto solum cavere, ne sordidae utilitatis, sive assentationis gratia, Sacrificium iteretur. Vasquesius idem Decretum sic explicat *in 3 part. Divi Thomae tom. 3, quaest. 83, art. 2, cap. 5, num. 43: In praedicta Epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures Missas celebrare: de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quae Thomassinus scripta relinquit *De veteri et nova Ecclesiae disciplina par. 3. lib. 1. cap. 72, num. 6,* ubi clare ostendit, libertatem pluries una die celebrandi necessario coercendam fuisse, ut quorumdam sacerdotum avaritiae modus imponeretur.

Innocentii III,

§ 9. Igitur omittentes Alexandri II. decretum, alterius praedecessoris nostri, nimirum Innocentii III. auctoritate ac Decretali rem nostram comprobamus. *Cap. Consuluisti, de celebratione Missarum: Respondemus,* inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicae etc. sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Equidem Alexander II., uti superius commemoravimus, et Innocentius III. usi sunt hoc eodem verbo *sufficit:* at secundo tantum loco per id verbum praeceptum indicitur: nam si quis integram Innocentii Decretalem percurrat, apertissime cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice, *utrum Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat,* idem prorsus significat, ac *liceat.* Cum igitur responsum dederit Pontifex, sufficere *sacerdoti semel iu die unam missam solummodo celebrare;* illud *sufficit,* sacerdotes adigit praecepto, ne plura sacrificia uno die faciant.

§ 10. Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus *num. 44: Nam quod quaesitum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quaereretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex,* sufficit, etc. *hoc verbum denotat praeceptum prohibens, plusquam semel celebrare.* Neque mirari quis debet, si idem verbum *sufficit,* consilium uno loco, alio autem praeceptum praeseferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet:* quod iuxta varias rerum circumstantias, in iure canonico modo solum honestatis officium ac decentiam denotat, modo vero necessitatem atque praeceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus *disput. Theolog. tom. 1, lib. 5, dub. 21, num. 4.* Verum ex Honorio III. qui post Innocentium III. Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente,* sub eodem titulo *de celebratione Missarum,* manifesto deprehenditur, illud verbum *sufficere,* de quo in Decretali Innocentii III., cum praecepto coniungi. Rem totam, sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui Decretalem integram eiusdem Honorii describit. Honorii III.

§ 11. Sypontinus Archiepiscopus (eam modo civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feria quinta maioris hebdomadae Sancta Olea de more in ecclesia cathedrali rite consecrabat. Eadem die mane se conferebat ad Montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magna frequentia in eum locum religionis causa confluebant. Eius loci clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut sacrum iteraret; quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III. responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III. praedecessoris sui, nempe: *Cum cuilibet sacerdoti, quacumque dignitate praefulgeat, unam in die celebrare missam sufficiat, nam et valde est felix, qui celebrat digne unam.* Post haec praecipit Archiepiscopo, ut Syponti rem divinam peragat, ubi sacrum Chrisma conficere debebat, et in Ecclesia Montis Gargani sacrificium offerre praetermittat: hisce utitur verbis, quibus illum *sufficit,* ab Innocentio III. Casus eius decretalis.

scriptum cum praecepto omnino copulari declarat: ***Fraternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, missarum studeas solemnia celebrare.*** Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicae, prohibuit sacerdoti plures Missas una die celebrare, ***in cit. Cap. Consuluisti, de celebratione Missarum,*** addidit: ***Nisi causa necessitatis suadeat.*** At Honorius, qui ***in Cap. Te referente, eodem tit. de celebratione Missarum,*** Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem divinam peractam, dum sacrum Chrisma conficiebat in Ecclesia Sypontina, aliam Missam celebrare in Ecclesia Montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab Innocentio admissam, nunquam adesse, cum alius invenitur sacerdos, qui secundam Missam celebrare potest: secundam quippe Missam noluit ab Archiepiscopo in Ecclesia Montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius non adesset sacerdos, qui Missam in eadem Ecclesia celebrare posset, iuxta monitum Cardinalis de Turrecremata ***in Can. Sufficit, sub n. 4, de consecratione, dist. 1.*** En eius verba: ***Quod autem in Decretali te referente, Episcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Coenae, est propter hoc, quia non erat necesse quod Episcopus celebrasset, nisi in illa Ecclesia, in qua de consuetudine debebat Chrisma conficere; quia hoc non potest, nisi Episcopus, et aliam Missam celebrare poterat simplex Sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per Vicarium celebrare et in illa Ecclesia plures sacerdotes fuisse.*** Quod, etiam ante Cardinalem a Turrecremata, iam fuerat adnotatum ab Hostiensi ***in Cap. Te referente num. 4,*** ab Antonio de Butrio ***super eodem textu n. 3,*** et ab Abbate ***super eodem quoque textu in fine tit. de celebratione Missarum.***

Quid de Episcopis qui habent duas Cathedrales.

§ 12. Praeterea casum proponunt Episcopi, qui praeesset duobus episcopatibus inter se vicinis; ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifices Alexander III. et Innocentius III. sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes, ecclesiam suam episcopalem esse et unitam ecclesiae Sypontinae, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina tractantem, ***Tom. 7. Italiae Sacrae:*** quaeruntque, an sub obtentu Chrisma conficiendi in utraque ecclesia, quod sine celebratione Missae consecrari decenter nequit, posset ea die bis sacrificium offerre; et unanimiter respondent, id non licere: et sic rem componunt, quod uno anno in una Ecclesia celebret Missam feria quinta in Coena Domini, et conficiat Chrisma; et alio anno id ipsum faciat in alia Ecclesia et ab una ad aliam Chrisma consecratum, uti moris est, transmittat: reque sic composita, asserunt, nullam ex suis ecclesiis Chrismate carituram esse, subditosque unius vel alterius episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Missam quinta feria in Coena Domini, in qua maximopere expedit, ut audiant Missam; ea quippe celebrari poterit a sacerdote in ecclesia, in qua eo anno Episcopus Chrisma non conficit, cum verisimile non sit, alium non reperiri sacerdotem, qui ea ipsa die sacrum in ea facere possit; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio et Abbas *locis citatis.*

§ 13. Haec sunt, quae ex iure canonico desumpsimus. Sed cum Glossa ***in Cap. Consuluisti, in verb. necessitatis, de celebratione Missarum,*** necessitati addat utilitatem, et vel utilitatem vel necessitatem satis esse dicat, ut unus sacerdos eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, parochos, de quibus agitur, posse tum utilitatem, tum necessitatem praetexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit sacerdos, qui sacrum facere valeat: utilitatem quippe in eo constituent, quod, bis ipsi celebrando non subministrabunt sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa, quam celebrabit; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt praedictam eleemosynam alteri sacerdoti Missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest.

Causa utilitatis non sufficit ut bis celebretur.

§ 14. Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis; qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt, non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis. Sic docet Cardinalis Zabarella ***in Cap. Consuluisti, num. 3, de celebratione Missarum.*** En eius verba: ***Considera, quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis.*** Et concordant super eodem capitulo Antonius a Butrio ***n. 4,*** Abbas ***n. 2,*** et caeteri quos vocant repetentes; et praeclare inter recentiores docuit Vericellus ***de apostolicis missionibus tit. 1 de privilegiis Regularium dub. 18, n. 201.*** Utilitas autem proposita non populum, sed parochum

respicit, et sic celebrantem et non audientem.

§ 15. Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera parochi tanta premantur egestate, ut alteri sacerdoti stipendium Missae nequeant suppeditare: si enim inopia adeo magna non sit, episcopali auctoritate, iuxta Caput quartum Concilii Tridentini *sess. 21, de Reformatione,* adigi potuerunt, ut sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiantur, uti sapienter admonet Engel *ad tit. Decretalium de celebratione Missarum, n. 3.* Secundo, si parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur: quemadmodum enim Episcopus adigere potest sacerdotem, ut populo sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio desumitur *sess. 23, cap. 14, de Reformatione,* ubi haec leguntur: *Curet autem Episcopus ut ii saltem diebus Dominicis, et Festis solemnibus etc. Missas celebrent:* siquidem illud verbum *Curet,* praeceptum inferre in hac gravissima causa non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit *de Sacrificio Missae quaesit. 844, n. 11: Si in aliquo oppido sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, poterit Episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam; et ideo, cum sacerdotes habeant ratione ordinis munus suum addictum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere praeceptum audiendi sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis sacerdotibus pro substentatione; quia, cum ministrent populo, aequum est, quod accipiant aliquid pro substentatione.*

Neque paupertatis ex inopia ecclesiae.

§ 16. Porro difficile prorsus videtur, omnia haec simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, ven. frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re divina facienda sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut sacrificium iterent parochi, quibus non deest alius sacerdos, qui diebus festis populo ministret.

Perpendit rationes parochorum.

§ 17. Post haec, quae a nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possunt, ad ea sermonem transferimus, quae ab ipsis parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi sacrificii diebus festis ipsis adimatur; eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solum constituitur in celebranda et applicanda missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis religionis mysteriis, tradendaque pueris christiana disciplina, cum ad sacrum audiendum in Ecclesiam conveniunt.

§ 18. Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus. Etiam quum olim felic. record. praedecessor noster Innocentius Papa XIII., ad discutienda Hispani Cleri gravissima negotia ab insigni viro bonae memoriae Ludovico huius S. R. E. Cardinalis Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem praestantium aliquot eiusdem S. R. E. Cardinalium deputasset; nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset; meminimus non parum temporis, plurimumque laboris nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem, ob quam parochi Hispani se immunes ac liberos dictitabant ab edocendis instruendisque Christiana doctrina pueris, eo quod huiusmodi exercitationes in aliis quoque ecclesiis haberentur; aut quia concionatorum opera studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quae parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quae omnia leguntur in constitutione quae incipit *Apostolici ministerii,* quam praefatus Innocentius praedecessor promulgavit, in qua § 9. recensentur ac refelluntur ea omnia, quae modo commemoravimus.

Quas reiicit.

§ 19. His autem per transennam adnotatis, iam responsum quaestioni faciamus, videlicet non esse iterandum die festo sacrificium, si parocho alius sacerdos operam suam navare possit, etiamsi catechismus eodem die fideique mysteria populo explanari debeant. Haec enim fieri possunt eiusdem sacerdotis ministerio, qui ad sacrum conficiendum inducitur; quemadmodum nos ipsi statuimus in Bononiensi Dioecesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes, id consentaneum esse decretis, quae super hac re Pontifices Romani non

semel ediderunt. Id nos ostendimus *Institut. 3, tom. 3 nostrarum Institutionum Ecclesiasticarum,* quae Bononiae impressae fuerunt. Accedit, quod parochus, qui die festo fideles instituendos in utraque ecclesia libenter suscepisset, si iterandi sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solum ecclesia rem divinam faciat, ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat ecclesiam, ubi a sacrificio abstineat et christianae legis instituta dumtaxat populo declaret.

§ 20. Tui praeterea parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis operentur; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur; cuius sane iudicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Verricellus *de apostolicis missionibus, tit. 4 de privilegiis, quaest. 19, num. 202: Quaeres primo, an ad celebrandas duas Missas in locis, ubi adest talis necessitas, requiratur licentia Episcopi? Respondetur affirmative, seclusis privilegiis missionariorum. Ita a sacra Congregatione resolutum.* Certum quoque est, facultates eiusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi; vel si aliquando concedantur, non haberi tamquam alicuius sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur *Cap. In ordinanda, num. 37, de Simonia: Miratur sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet, et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum fidei vel quid simile etc. Nec concedi potest haec licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicuius sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Episcopo examinanda.* Itaque cum eiusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, nunquam parochos tuos probabimus, si ipsi de te conquerantur: nos prudentiam fraternitatis tuae magnopere commendamus, teque agnoscimus animum mentemque tuam conformasse exemplo praedicti Sancti Caroli Borromaei, qui *in prima Synodo provinciali c. 5,* abrogavit *licentia a suis praedecessoribus concessas plures Missas celebrandi.*

Quid de consuetudine.

§ 21. Parochi postremo, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos, utrum ratione an temere id asserant, examinare praetermittimus. Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum et alienum iudicamus. Non utique ius divinum sed ius ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem sacerdote sacrificium iterari. At non omnia, quae iuris tantum ecclesiastici sunt, praescribi possunt. Si etenim iuxta civiles leges *sanctae res* praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratione sacerdotibus omnibus praecipit, uti colligitur ex decreto de *observandis et evitandis in celebratione Missae.*

§ 22. In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod parochi duarum parochiarum feria sexta maioris hebdomadae officium faciebant, primum in una ex parochiis et deinde illud iterabant in altera. Ieiunii praeceptum in sumptione Eucharistiae non est iuris divini, sed ecclesiastici, teste Cardinali Bona *Rerum liturgicarum lib. 1, c. 21, num. 2,* ubi refert, initio non omnibus in locis universos praedicta lege obstrictos fuisse: cumque, hoc minime obstante, animadversum fuisset, parochum celebrantem officium in secunda parochia, non ieiunum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in officio, quod celebravit in prima parochia, particulam Hostiae consecratae die praecedenti, una cum vino non consecrato, et sic ieiunium fregerat naturale; reprobata fuit consuetudo, etsi, uti asserebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii parochi duarum parochiarum, aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque parochia officium feriae sextae maioris hebdomadae celebrare possent, praetermittendi videlicet haustum vini in primo officio, quod in prima parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut ieiuni in secunda parochia officium facerent, missamque, quae dicitur praesanctificatorum, celebrarent. At haec quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui ecclesiastico, quem et Ordo Romanus et Sacramentarium Sancti Gregorii praescribunt, et adhibet uni-

versalis Ecclesia. Franciscus Sylvius, magni nominis theologus, *tom. 5 suorum Operum* editionis Antuerpiensis *orat. 1,* quae est unica *de Officio Parasceves,* rem graphice exponit, nec parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *in 3 part. Divi Thomae, tom. 3, quaest. 73, art. 2, disquis. 80, sect. 3.* Et nos ipsi haec omnia exposuimus *in nostro tractatu de sacrificio Missae,* typis Patavinis edito, *sect. 2,* § *39.* Et *in alio Tractatu de Festis Domini Nostri Iesu Christi, par. 1,* typis quoque Patavinis edito, § *336 et seqq.* confutavimus errorem Graecorum Schismaticorum, qui volunt, in missa praesanctificatorum, per immersionem particulae in Calicem ex Sacratissima Hostia detractae, transubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi; et diximus, sacerdotem in officio feriae sextae maioris hebdomadae sumere Christi Corpus et Sanguinem, cum utrumque revera sit sub specie panis, praecedenti licet die consecrati.

§ 23. Praescriptionis excipit praesumptio, de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus iurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis ab immemorabili afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, et etiam privilegium apostolicum, quod, utpote nullo certo documento probatum, praesumptum appellatur. Sed, caeteris praetermissis, ne haec epistola longior evadat, subdimus, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt; ne praesumptio plus habeat roboris et momenti, quam veritas.

§ 24. Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quae ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes reiiciant examinanda, ut earum consilio rem expediant. Anno MDCLVII. cum in civitate, quam dicunt *de Assumptione,* in provincia Paraguariensi, pars magna nobilium domi se continerent, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad Ecclesiam, ut sacrum die festo audiret, Episcopus exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam nobilium praedictorum gratia et aliam ante meridiem, ut reliquus populus missae praecepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Congregatione Concilii *die 1 septembris* MDCLVII. nec petitio fuit exaudita, ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse sacerdotem, qui Missa mantelucanam celebraret pro nobilibus; quemadmodum colligitur *ex lib. 21 Decretor., pag. 56.*

§ 25. Praeterea vobis omnibus notum est, in Regnis Aragoniae, Valentiae et in Comitatu Catalauniae, die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quemlibet sacerdotem saecularem bis Missam celebrare posse et ter quemlibet sacerdotem regularem; quod singulare privilegium antiquae consuetudini et famae apostolici privilegii concessi vel a Iulio III. vel a Paulo III. summis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus *in supra citato nostro Commentario de sacrificio Missae, sect. 2,* § *31,* et latius dum munere fungebamur secretarii Congregationis Concilii, cum causa quaedam *Castellana* pertractaretur, quemadmodum videri potest in Thesauro resolutionum praedictae Congregationis *tom. 2, pag. 168,* et plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonae memoriae Cardinali Lanfredino, dum ipsum secretarii munus obiret et de quadam Causa *Oriolen.* ageret, de qua *tom. 5 eiusdem Thesaur., pag. 384 et seqq.* Viri, qui dignitate et praestantia supra caeteros eminebant, Summis Pontificibus humillime supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantum ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod presbyteri tum saeculares, tum regulares, in die Commemorationis omnium defunctorum rem divinam iterato faciebant, precesque suas singulari pietate et rationibus undequaque petitis cohonestarunt: negotioque a Summis Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, haec precibus huiusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbane dimisit, quemadmodum recensuimus *in citato nostro Tractatu de Sacrificio Missae sect. 2,* § *32,* editionis Patavinae.

§ 26. Porro, si denegatum fuit Episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut nobiles satisfacerent praecepto audiendi Missam, eo quod alius aderat sacerdos, qui sacrum facere poterat; si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantum pro extensione privilegii precabantur, et talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno respiciebat; unusquisque facili negotio cognoscere pot-

erit, quid a Sede Apostolica factum esset, si simplices parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset sacerdos, qui parocho operam suam praestare posset, et bis celebrandi, non unica die intra annum, sed tot diebus, quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus praecipiuntur.

Decretum Episcopi servandum decernitur.

§ 27. Ut fraternitatis tuae postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus nos absolvere potuisse, docendo nimirum, tuam Constitutionem Synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus iuris canonici professor, *in Comment. ad Cap. Te referente, num. 2. de celebratione Missarum*, docet a nemine binas Missas eadem die celebrari posse, si id sit vetitum in Constitutione Synodali. Sed haec scribenda ad te putavimus, ut tuum religionis eximium studium nostris laudibus prosequeremur, certamque normam ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua tuamque mentem tutissime conformares. Quapropter tres dies in privata nostra bibliotheca mane insumpsimus, quos vacuos ac liberos ab audiendis ministris molestisque negotiis nacti sumus, ut has literas conficeremus. Postremo te summopere iterumque commendantes, qui huius Sedis Apostolicae in dubiis rebus sententiam consiliumque exquisieris, benedictionem tibi nostram, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI. martii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXV.

Confirmat instructionem S. Cong. de P. F. Graecis Melchitis datam circa ieiunia, abstinentias et consuetudines Ecclesiae Graecae, aliaque ad eamdem nationem spectantia (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Praeclaris Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum institutis inhaerentes, ab inita suprema universalis Ecclesiae procuratione nihil curavimus impensius, quam ut suus unicuique ecclesiae ac nationi debitus honor, sua dignitas, suae leges, suae consuetudines, sui ritus, ac quaecumque alia, quae cum integerrima orthodoxae fidei sinceritate in unitatis centro, et inviolabili ecclesiasticae disciplinae observantia vigere constabat, non modo sanctissime custodirentur, verum etiam, quoad integrum nobis fuit, adaugerentur.

Demandatur confectio instructionis pro Graeco-Melchitis super ritibus et ieiuniis.

Inter cetera autem, quae pro natione graeco-melchita catholica patriarchatus antiocheni a nobis hactenus praestita sunt, adornari mandavimus instructionem tenoris sequentis, videlicet:

Sequitur instructio.

Istruzione per la nazione greco-melchita cattolica del patriarcato antiocheno sopra l'osservanza de' riti, digiuni, astinenze e consuetudini della Chiesa Greca, ed altre pendenze riguardanti la medesima nazione, secondo le risoluzioni prese nelle congregazioni particolari tenute avanti la Santità di Nostro Signore li 28 e 31 decembre 1745 e 3 gennaro 1746.

Ad alliciendos schismaticos multa innovata a Patriarchis catholicis super ritibus et ieiuniis

La Santità di Nostro Signore mossa da quell'ardente zelo, che conserva per la dilatazione della religion cattolica nelle vaste regioni dell'Oriente, e per l'osservanza de' riti e della disciplina delle chiese orientali, si degnò nell'anno MDCCXLIII. di tenere alla sua presenza varie congregazioni particolari con l'intervento di alcuni Cardinali, che compongono la Congregazione de Propaganda Fide, e di alcuni teologi. In queste furono esaminati varii dubbii ed alcune istanze proposte in nome del Patriarca antiocheno de' Greci-Melchiti, Cirillo Serafino Tanas: il quale seguendo l'esempio del suo zio Eutimio Arcivescovo di Tiro e Sidone (uomo per altro di molto zelo e sollecitudine di propagare la fede cattolica), e nell'idea di rendere più mite la disciplina della Chiesa greca, per allettare con ciò gli scismatici all'unione colla Chiesa cattolica, nella quale non sarebbero stati obbligati alla rigida osservanza di quei lunghi digiuni, de' quali per altro si sono sempre i Greci gloriati con somma gelosia di non infrangerli; erasi avanzato a concedere sopra di essi dispense generali, e più particolarmente a ridurre il digiuno de' Santi Apostoli Pietro e Paolo, e le astinenze del Natale e dell'Assunta, al solo giorno che precede tali feste. Aveva inoltre permesso, che più Messe si celebrassero nello stesso giorno sopra del medesimo altare, e che nei giorni di Lunedì, Martedì, Mercoledì, Giovedì e Venerdì di tutta la

---

(1) Ex App. ad Bull. Pont. Sac. Congr. de Prop. Fide. Tom. II., pag. 117.

Quadragesima, nei quali per antichissimo uso ed immemorabile consuetudine celebrasi nella Chiesa greca la sola Messa dei Presantificati, potesse celebrarsi ancora la Messa intiera.

Innovationes huiusmodi a S. Sede reprobatae fuerunt.

Queste ed altre simili introduzioni ed innovazioni, come quelle ch'erano contrarie alla dovuta osservanza del rito greco, e piuttosto inducevano confusione ne' cattolici, e scandalo negli scismatici (i quali procurano di mostrarsi almeno nell'esteriore rigidi e gelosi osservatori della loro disciplina, introdotta presso di essi da molti secoli), non furono approvate da Sua Santità; e quindi con una sapientissima decretale diretta al medesimo Patriarca ed a tutti i Vescovi greci-melchiti cattolici ad esso subordinati, e pubblicata sotto li XXIV. decembre dello stesso anno, riprovò ed annullò ogni novità introdotta da qualunque prelato della Chiesa greca, foss'egli Patriarca o Vescovo, la quale tendesse ad alterare la disciplina della medesima Chiesa: e ne ingiunse la totale e piena osservanza al Patriarca, ordinandogli d'invigilare, che non si introducesse alcuna novità nella materia de' riti, de' digiuni, delle astinenze e degli antichi costumi.

Dispensatio Patriarchae super ieiuniis et abstinentiis iam annullata.

Più particolarmente dichiarò irrita e nulla la suddetta dispensa generalmente data dal Patriarca, in un congresso tenuto l'anno MDCCXXXVI. co' suoi Vescovi, a tutti i Greci-Melchiti abitanti dei villaggi del Libano e dell'Anti-Libano, di digiunare nel solo giorno precedente la festa de' Santi Apostoli Pietro e Paolo, dell'Assunzione e del Natale di Cristo: ed insieme ordinò che in tutta l'estensione del patriarcato antiocheno si osservasse il lodevole antichissimo costume di astenersi dal pesce nei Mercoledì e Venerdì di tutto l'anno.

Confirmata facultas dispensandi toties quoties in casibus merae necessitatis.

Ciò non ostante, compassionando con viscere di paterno affetto la povertà di quei cattolici, e la mancanza in quei luoghi di cibi quadragesimali, si compiacque di confermare la facoltà, con decreto di una congregazione particolare di Propaganda Fide de' XXII. gennaro dell'anno MDCCXXXII., conceduta al Patriarca di dispensare con qualche ceto, ed anche comunità, acciocchè ne' tempi dei suddetti digiuni ed astinenze possano cibarsi di latticinii, ed anche di carne; purchè la dispensa sia particolare di anno in anno, e non generale, nè perpetua, ma per il solo tempo che dura la necessità: dovendo altresi egli procurare con ogni cautela, che con tali dispense non vadano in disuso e dimenticanza i riti antichi, e l'osservanza de' digiuni e delle astinenze.

Celebratio plurium Missarum in eodem altari ac abolitio Missae Praesanctificatorum, vetitae: permissa nihilominus plurium altarium erectio, et sacerdotum concelebratio.

Non credette però di condiscendere all'istanza fatta dal medesimo Patriarca, che fosse permessa la celebrazione di più Messe su lo stesso altare nel medesimo giorno, e che nei giorni, nei quali si celebra la Messa de' Presantificati, potesse celebrarsi la Messa intiera: mentrechè la Santità Sua riconobbe che ciò sarebbe stato un pervertire, anzi togliere, un precetto ed una consuetudine introdotta dagli antichi Santi Padri della Chiesa greca, ed osservata in essa inviolabilmente fino al tempo presente. Bensì, per soddisfare alla pietà dei sacerdoti, ed alle molte oblazioni de' fedeli, permise, che possano erigersi altri altari nelle chiese in luogo decente; e quando il numero degli altari non corrisponda a quello de' sacerdoti, o alla moltiplicità degli oblatori, dichiarò che concelebrando più sacerdoti su lo stesso altare, secondo il costume della Chiesa greca, insieme con un Vescovo o con altro sacerdote, ogni concelebrante possa applicare il sacrificio secondo la mente degli oblatori; purchè ognuno di essi sia vestito co' paramenti sacri, reciti intieramente tutta la liturgia, proferisca le parole della consacrazione, ed esplori la mente degli oblatori, se con ciò restino essi soddisfatti per l'elemosina somministrata.

Et ita retusae schismaticorum calumniae.

Con tali provvedimenti, coerenti in tutto alla disciplina della Chiesa greca, volle Sua Beatitudine smentire li falsi clamori degli scismatici, soliti ne' passati tempi a lagnarsi che la Chiesa latina procurava di distruggere il rito greco, rimise questi in una piena osservanza, e diede a tutti una regola certa e fissa, alla quale dovessero conformarsi; ingiungendo l'obligo alli Vescovi e sacerdoti di togliere dalla mente degli ignoranti la sciocca credenza che un sacerdote, servendosi di quei medesimi paramenti de' quali altri siasi servito in quel giorno, e celebrando su quel medesimo altare sopra cui altri abbia celebrato, rompa il digiuno; con altre simili stolte opinioni, le quali ne' passati secoli ha saputo spargere la malizia o l'ignoranza degli scismatici.

Iusiurandum emissum a Patriarcha super observantia decret. ante Pallii susceptionem.

Quindi, perchè il Patriarca Cirillo nel medesimo tempo fece premurose istanze che gli fosse trasmesso il sacro Pallio, la Santità Sua con eccesso di clemenza si de-

gnò di mandarglielo insieme con alcuni sacri doni, col mezzo di monsignor Emmanuele Vescovo di Babilonia, a cui conferì il carattere di delegato di questa Santa Sede. Ingiunse però a questo, che prima di rivestire il Patriarca del sacro Pallio, oltre alli giuramenti soliti prestarsi in simili occasioni, altro da questo ne esigesse, con cui si obbligasse di osservare per sè stesso, e fare osservare in tutto il patriarcato antiocheno dai suoi Greci-Melchiti la suddetta decretale.

Quo praestito, Patriarcha derogationes petit.

Prestollo egli in presenza di due Vescovi del suo rito, di molti monaci e di alcuni missionarii latini, e quindi lo sottoscrisse di proprio carattere, e lo confermò col sigillo patriarcale. Ma dopo pochi giorni spedì in Roma il suo vicario D. Giuseppe Papilla, con commissione di fare istanza a Sua Santità della dispensa da quelli medesimi digiuni, astinenze e riti, de' quali aveva poco prima giurato l'osservanza. Espose questi che, attesa la lunghezza dei digiuni e delle astinenze, e la povertà dei cattolici, riusciva ad essi difficile di osservarli per tanti giorni, quanti erano enunciati nella decretale; e quindi fece istanza:

Super reductione ieiunii Apostolorum,

Primo: che fosse lecito ad essi di osservare il digiuno degli Apostoli per quei soli dodici giorni, che precedono la festa dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, allegando esser questo l'uso introdotto nel tempo del Patriarca Atanasio, col consenso degli altri patriarchi de' Greci di Costantinopoli e di Gerusalemme.

Super ieiuniis Adventus.

Secondo: che togliendosi l'obligo dell'astinenza dell'Avvento per quaranta giorni interi, si lasciasse ad ognuno la libertà di digiunare quel numero di giorni che gli venisse ispirato dalla propria divozione.

Super abstinentia a piscibus feriis IV. et VI. totius anni,

Terzo: che parimente si togliesse il precetto dell'astinenza dal pesce in tutti i Mercoledì e Venerdì dell'anno, asserendo l'uso contrario essersi già talmente introdotto e radicato, che non possa sperarsene l'abolimento.

Super consuetudine inducta quoad altaria et missarum celebrationem.

Rappresentò ancora essersi già da dieci anni introdotto il costume di celebrare più Messe sullo stessso altare nel medesimo giorno, e che ne' giorni della Quaresima, oltre alla Messa de' Presantificati, si celebri il sacrificio intiero, e ciò non solo attesa la scarsezza ed angustia delle chiese non corrispondenti al numero de' cattolici e dei sacerdoti, ma ancora per riflesso alla quantità delle elemosine, le quali si offrono da essi a titolo di celebrazione di Messe; ed in oltre perchè possa aversi pronto il sagramento della Santissima Eucaristia in tutti i tempi, nel caso che sia bisogno di ministrarlo agl' infermi.

Novo examini iterum subiecta decreta; ac eorumdem observantia demandata,

Tali cose si è degnata Sua Santità di esaminare maturamente in tre congregazioni particolari tenute alla sua presenza, coll'intervento di alcuni Cardinali della Congregazione di Propaganda Fide; ed avendo riconosciuto che le suddette istanze sono contrarie alla disciplina della Chiesa greca, e che il permettere simili novità contro l'uso, sì antico che moderno, di essa, può apportare delle confusioni e dei disordini, anzi dello scandalo, e motivo di divisione alli nemici della religione cattolica (i quali devono restar convinti ed allettati a venerarla ed abbracciarla per la sua verità e santità, e non per la rilassazione de' digiuni e mutazione de' riti e consuetudini introdotte dalli Santi Padri della medesima Chiesa), ha determinato di comandare, come in fatti colla presente ordina e comanda al Patriarca, di osservare intieramente la decretale da esso medesimo giurata.

Iniunctumque Patriarchae, ut faciat illa observare, et caute procedat in peculiaribus concedendis dispensationibus.

Ad esso pertanto incombe il peso di esortare tutti i Greci cattolici del patriarcato, e più particolarmente quelli della diocesi patriarcale, a riprendere i digiuni ed astinenze in tutta quella estensione di giorni, ed in que' tempi ne' quali sono stati quelli e queste osservate prima delle dispense da esso concedute, e prima delle innovazioni e moderazioni introdotte dall'Arcivescovo di Tiro e Sidone, Eutimio; ad astenersi dall'uso del pesce in tutti i Mercoledì e Venerdì dell'anno; ed osservare il lodevole costume di celebrare una sola Messa sopra lo stesso altare, e di celebrare la sola Messa de' Presantificati nei giorni di Lunedì, Martedì, Mercoledì, Giovedì e Venerdì della Quadragesima. E quindi, dovendosi egli servire con cautela, e precisamente nelle forme espresse nella decretale, della facoltà concessagli di dispensar con essi in caso di necessità, non dovrà dare dispense generali o perpetue, ma concedendole a qualche ceto o comunità, dovranno queste essere particolari di anno in anno, e per quel solo tempo che durerà la necessità della dispensa.

Atque idem praestent Episcopi patriarchatus.

Dovrà altresì con tutta l'efficacia esortare i Vescovi del suo patriarcato a praticare lo stesso nelle loro diocesi, e a darsi tutta la cura che in esse sia pienamente osservata la medesima decretale.

Quoad Missas et ritus servanda praecedentia decreta.

Lo stesso dovrà praticarsi riguardo alla celebrazione delle Messe; tanto più che non è difficile l'erezione di nuovi altari e di nuove chiese in tutti i villaggi esistenti nelle montagne del Libano e dell'Anti-Libano; ed in molti luoghi è praticabile il costume, che molti sacerdoti concelebrino insieme: ciò che dovrà farsi nelle forme e colle regole prescritte nella suddetta decretale.

Providetur ne Eucharistia desit infirmis.

Perchè poi gl'infermi nell'estremo della vita non sieno privi dei santissimi sagramenti, procurerà ogni Vescovo che in quelle chiese le quali sono possedute dalli cattolici, si conservi continuamente il santissimo sagramento dell'Eucaristia, non già nella forma che dicesi praticarsi dagli scismatici, cioè di conservare indecentemente il Pane consagrato, seccato o al sole o al fuoco e di poi pesto, e che quindi è stata giustamente riprovata dalla Congregazione del Santo Offizio, ma con tutto rispetto e decenza nei ciborii; usando tutta l'attenzione, che le chiese sieno ben custodite dalle irriverenze degli infedeli.

Ad tollendas discordias exortas quoad Graecos baptizatos a latino sacerdote, datur unicuique facultas seligendi ritum.

Avendo Sua Santità inteso con sommo dispiacere quali disordini e confusioni provenissero dalle continue discordie dei missionarii latini, intorno ad alcuni cattolici, i quali, sebbene nati da genitori greci, eransi fatti battezzare dalli sacerdoti latini in mancanza di sacerdoti cattolici del proprio rito greco, e che perciò si chiamano *Latinizzanti;* e quindi volendo togliere ogni occasione di litigi e di scandali che con troppa frequenza da ciò nascevano, colla sua accennata decretale determinò di dare ad ognuno di essi la libertà di scegliere quel rito che più ad ognuno piacesse, con obligo di seguitarlo intieramente senza commistione di altro rito: e che se ne dichiarasse avanti la persona che da Sua Beatitudine sarebbe destinata.

Instructiones ad hoc.

A questo fine con suo breve speciale concedette le facoltà necessarie al suddetto Vescovo di Babilonia, di esplorare la mente di tali *Latinizzanti.* Gli fu congiuntamente data istruzione di portarsi in Damasco, interrogare ognuno, qual rito volesse seguitare, il latino oppure il greco, secondo la piena libertà loro conceduta da Sua Beatitudine; e quindi formate due note distinte, una di quelli che avessero voluto restare nel rito latino, l'altra di quelli che avessero scelto il rito greco, quella consegnasse alli Padri di Terra Santa come parochi de' latini nella chiesa di Damasco, l'altra trasmettesse al Patriarca Cirillo, acciocchè riconoscendoli per sudditi, li provedesse di sacerdoti greci cattolici, i quali amministrassero loro i sagramenti.

Si portò il delegato in Damasco, e visitò ad una ad una le case de' *Latinizzanti:* ma avendo riconosciuto, conforme asserisce, che giammai in Damasco erano mancati sacerdoti cattolici di rito greco, pubblicò un decreto, con cui ordina, che tutti i suddetti *Latinizzanti* debbano riprendere il rito greco.

Et ipsarum irritatio.

Siccome pertanto, quand'anche il fondamento di questo decreto sussistesse, egli nel pubblicarlo ha ecceduto li limiti delle sue facoltà, e con esso ha tolto alli sudditi *Latinizzanti* quella libertà di scegliere il rito, la quale ad essi concedesi nella decretale (poichè piuttosto avrebbe dovuto notificare alla Santa Sede Apostolica una circostanza non nota, e sopra di essa esplorare la mente di nostro Signore); quindi è che la Sua Santità inerendo anche su questo punto alla disposizione della decretale, e previa l'irritazione del suddetto decreto del delegato, quale dichiara nullo e di nessun valore ed efficacia; e non ostante che alcuni di essi in esecuzione di tale decreto fossero nuovamente passati al rito greco, rimette tutti e singoli i suddetti *Latinizzanti* nella piena libertà di sceglier l'uno o l'altro rito, latino o greco, sebbene sieno nati da genitori greci, e, quando furono battezzati dalli latini, vi fossero in Damasco o nelle vicinanze i sacerdoti greci cattolici.

Ac iterum concessa ritus electio, quae ad alias civitates extenditur sub conditionibus.

In vigore pertanto di tale permissione dovrà ognuno di essi scegliere o il rito greco o il latino, e dichiararsene avanti la persona la quale sarà a questo fine specialmente deputata da Sua Beatitudine. E perchè si è preinteso che di simili *Latinizzanti* se ne trovino alcuni nei villaggi vicini alla città di Damasco, ed altri in altre città del patriarcato antiocheno, perciò Sua Santità dichiara compresi tutti nella disposizione della decretale, e concede a tutti la medesima licenza di seguitare il rito latino quando lo vogliono, oppure di ritornare al rito greco: colla condizione però che quelli tra *Latinzzanti* i quali non sono ancora giunti all'uso della ragione, seguano il rito de' loro genitori, se questi avranno scelto un medesimo rito, altrimenti abbraccino il rito del padre. Dovranno bensì tutti questi, quando bramino di restar latini, conformarsi intiera-

mente al rito latino, e perciò osservare esattamente le astinenze ed i digiuni della Chiesa latina, santificarne le feste secondo il calendario gregoriano, ed essere immediatamente sottoposti alli parochi latini: e nella stessa maniera, quelli che avranno scelto di ritornare al rito greco, dovranno osservare tutti li digiuni, astinenze ed altre lodevoli consuetudini della Chiesa greca, secondo le disposizioni della decretale; e quindi essere soggetti alli loro sacerdoti cattolici, ove questi si trovino.

Iniuncta Latinis cura Graeco-Melchitarum, si deficiant istorum ecclesiae et sacerdotes.

E perchè, attese le presenti circostanze delle cose, non in tutte le città del patriarcato antiocheno i Greci-Melchiti cattolici hanno chiese del proprio rito, e dall'altro canto devono con ogni cautela astenersi dal comunicare *in divinis* cogli scismatici; perciò sì li Padri di Terra Santa, come anche gli altri missionarii latini dovranno dare ad essi tutto l'aiuto, anzi espressamente permetter loro di esercitar le funzioni del loro rito nelle chiese, oratorii o cappelle delle missioni; destinare i giorni e le ore, nelle quali possano i sacerdoti greci celebrare le Messe, ascoltare le confessioni, predicare alli loro nazionali, ed istruirli nei rudimenti della fede cattolica: ricordandosi essere eglino mandati nel Levante a solo oggetto di purgare que' popoli dagli errori e ricondurli al grembo della Chiesa cattolica con mezzi dolci e soavi, e non già per dilatare la propria giurisdizione con pregiudizio di quella de' prelati della Chiesa orientale.

Missionariis renovatur prohibitio suadendi transitum e ritu graeco ad latinum.

Per questo medesimo fine Sua Santità ordina che si osservi esattamente ciò che nella decretale si prescrive, intorno al passaggio de' Greci al rito latino. E perciò proibisce espressamente a tutti i missionarii latini di qualunque Ordine ed Istituto, anche della Compagnia di Gesù, sotto le pene espresse nella suddetta decretale, che veruno di essi ardisca d'introdurre presso i Greci-Melchiti novità alcuna, la quale possa tendere al disprezzo, o alla alterazione, o imminuzione del loro rito e lodevoli consuetudini, e molto meno di insinuare, o persuadere alcuno de' Greci di lasciare il proprio rito e di passare al latino: rinnovando in ciò la dichiarazione, che quelli i quali in avvenire riceveranno il Battesimo dalli sacerdoti latini, in deficienza di sacerdoti greci cattolici, non s'intende perciò che debbano esser latini: ma, sebbene per i suddetti motivi ricevano i sagramenti dalli latini, dovranno almeno osservare il rito greco ne' digiuni ed astinenze, ed in tutte le altre cose che non riguardano i sagramenti.

Patriarchae et Episcopis maronitis iubet, ne in rebus Graeco-Melchitarum se ingerant, vel ad proprium ritum Graecos traducant.

Similmente sebbene per lo passato, attesi i decreti della Congregazione del Sant'Offizio e di quella di Propaganda Fide, sia stato lecito agli Orientali di passare da un rito orientale all'altro; ciò non ostante volendo togliere ogni occasione di litigio e di animosità alli rispettivi prelati di quelle Chiese, rinnova l'ordine già espresso nella decretale, con cui si proibisce al Patriarca ed alli Vescovi maroniti non solo d'ingerirsi in qualunque maniera nelle cose spirituali della nazione greco-melchita, e quindi di usurparsi quella giurisdizione ed autorità che sopra di essa compete al Patriarca greco-melchita antiocheno ed a suoi Vescovi; ma ancora di insinuare alli Greci il passaggio al rito maronita, e di ammetter quelli che volessero spontaneamente abbracciarlo, quando non ne abbiano precedentemente ottenuto la speciale licenza dal Sommo Pontefice Romano.

Transitus iam factus e graeco ritu ad maronitam confirmatur, sed vetatur in futurum.

Ma siccome quelli Greci e que' Soriani, i quali per lo passato abbandonando il proprio rito sono passati tra Maroniti, hanno ciò fatto sull'autorità dei decreti delle sovraccennate Congregazioni, delle quali quella di Propaganda, nel MDCCXIII. e nei due anni susseguenti, non ostanti le replicate premurose istanze di Eutimio Arcivescovo greco di Tiro e Sidone, che fosse proibito alli monaci maroniti di ricevere i Greci, e di farli passare al rito maronita, lo esortò a desistere da tali premure, sul riflesso che i decreti di essa proibitivi del passaggio da un rito all'altro hanno luogo solamente tra li Greci e li Latini, e non tra orientali ed orientali, tra quali non v'era proibizione alcuna: e quella del Sant'Offizio nel MDCCXL. dichiarò che quei Soriani, i quali già da molt'anni erano passati al rito maronita, non dovessero essere obligati a ripigliare il proprio rito, ma piuttosto doveansi lasciare nel rito da essi abbracciato; quindi è che la Santità Sua, previa la circoscrizione del decreto del delegato apostolico fatto contro il tenore della decretale, cioè che tutti quei Greci i quali sono passati al rito maronita, debbano ritornare al proprio antico rito, e di altro simil ordine in coerenza di quello del delegato, pubblicato dal Patriarca dei Maroniti, e forse anche da' suoi Vescovi; dichiara che tali Greci e Soriani non siano tenuti di lasciare il rito maronita, ma pos-

sano restare in esso quando lo vogliano; proibisce però che in avvenire verun Greco possa passare al rito maronita senza averne precedentemente ottenuto la permissione del Romano Pontefice.

Confirmantur S. Sedis praecedentia decreta quoad monasterium græco-melchitar., eiusque dependentiam a monacis basilianis.

Riguardo poi al monastero eretto nel villaggio di Zuc Micail nel Kesroano, per quelle zitelle della nazione e rito greco-melchita, le quali eleggano di servire al Signore in perpetua castità, sebbene colle risoluzioni e provvedimenti espressi nella decretale doveasi sperare che si fossero tolte le discordie, e che, sottomettendosi tutti intieramente alle decisioni di questa Santa Sede, non venisse più lungamente impedito un benefizio, il quale la nazione ha procurato alle proprie figliuole colla spesa di molto danaro; ciò non ostante si è inteso con sensibile dispiacere, che siano più che mai cresciute le discordie, e che, non ostante l'incombenza data al delegato di fare eseguire i decreti sopra di ciò emanati, questi non abbiano ancora prodotto l'effetto che dovevano: anzi con un decreto provisionale del medesimo delegato se ne sia sospesa l'esecuzione, avendo egli posto il monastero sotto la direzione di un sacerdote secolare, ed in assenza di questo sotto quella del solo Patriarca, e con ciò sospesa ogni ingerenza de' monaci e la giurisdizione dell'Ordinario. Quindi è che Sua Santità, volendo por fine a questa controversia, la quale già da molt'anni tiene in discordia e divisione la nazione greco-melchita, ed impedisce che altre simili divote zitelle non entrino nel monastero, previa la circoscrizione del decreto provisionale del Vescovo di Babilonia, rinnova gli ordini su questo punto espressi nella decretale: e perciò nuovamente dichiara che il suddetto monastero è proprio della nazione greco-melchita, talmente che non sia lecito nè al Patriarca nè alli Vescovi di ammettervi zitelle di altra nazione e rito; ordina e vuole che il governo sì spirituale che temporale di esso spetti alli monaci basiliani della Congregazione di S. Giovanni in Soairo, con l'immediata subordinazione all'Arcivescovo di Berito, ordinario del luogo, e mediata al Patriarca greco antiocheno, quando e questi e quello sieno cattolici: ed in deficienza di Patriarca e di Ordinario cattolico, il monastero sia immediatamente soggetto all'abate generale, come a delegato della Santa Sede.

Eiusdem monasterii puellarum confessarius deputandus ab abbate basiliano generali.

Attribuisce all'abate generale de' suddetti Monaci il *ius* di deputare uno de' suoi monaci per confessore ordinario, ed altro per istraordinario di esse, previa l'approvazione del suddetto Arcivescovo, il quale possa altresì destinare altro confessore straordinario, quando lo richiegga il bisogno delle monache, desumendolo da missionarii latini, sì secolari che regolari, di qualunque Ordine ed Istituto.

In eodem servanda basiliana regula primitiva.

E siccome in questo Monastero non deve osservarsi altra regola che la genuina di S. Basilio, quale è stata trasmessa alli monaci, e da essi abbracciata, così le monache di questo dovranno riceverla ed osservarla, e quindi astenersi dall'uso della carne nel senso della medesima regola: concedendosi al suddetto abbate generale la facoltà di permetterne l'uso a qualcheduna in caso d'infermità, e nella maniera che sarà espressa nelle costituzioni da formarsi.

Constitutiones efformandae ad S. Congregationem transmittantur post puellarum acceptationem.

Queste poi permettendosi che possano desumersi da quelle di S. Francesco di Sales, eccettuatone però tuttociò che possa essere contrario al rito, alla disciplina e consuetudini della Chiesa greca, ed al costume della nazione e del paese, dovranno compilarsi dall'abbate generale de' monaci soariti, il quale le presenterà all'Arcivescovo ordinario. Questi dopo averle diligentemente esaminate ed approvate, le esibirà alle zitelle, dando ad esse un congruo tempo per riconoscerle, e quando convengano di accettarle, si sottoscrivano di proprio carattere dalle medesime: e poscia dall'Arcivescovo dovranno trasmettersi alla Congregazione di Propaganda Fide, acciò le esamini, e trovandole degne di approvazione, le presenti al Romano Pontefice per ottenerne la confermazione.

Puellae melchitae extra degentes monasterium iterum recipiantur, et ad vota admittantur.

Inoltre non essendo giusto che quelle zitelle le quali si trovano fuori del monastero, per aver voluto osservare le convenzioni da esse fatte nel MDCCXXXVI. nella città di Aleppo coi monaci soariti, restino più lungamente prive del diritto che loro compete sopra del monastero, per la di cui costruzione sì esse che i loro congiunti hanno contribuito gran parte del denaro occorso per la fabbrica, e non possano soddisfare il pio desiderio che nutrono, di consagrare a Dio la loro verginità co' voti solenni; perciò Sua Beatitudine ordina e vuole che esse sieno subito ammesse nel monastero, e quando persistano nel santo proponimento di monacarsi, queste e tutte le altre che vorranno professare, siano ammesse ancora alla professione solenne.

I voti solenni poi sì ora, che in avvenire dovranno farsi nelle mani dell'abate generale *pro tempore* de' monaci della Congregazione di San Giovanni in Soairo.

Dimittantur monasterio quae nolint regulam et novas constitutiones servare.

Che se alcune delle zitelle, le quali si trovano attualmente nel monastero, non vorranno professare, dovranno ciò non ostante conformarsi intieramente al modo di vivere delle altre, osservare le regole e le costituzioni del monastero, essere subordinate alla immediata giurisdizione dell'Ordinario, ed alla direzione sì spirituale che temporale de' monaci soariti, e finalmente sottomettersi a quanto si prescrive nella decretale dei XXIV. decemb. MDCCXLIII. e nella presente Istruzione. In caso contrario dovranno essere subito dimesse, acciò non siano all'altre di disturbo: e sebbene avessero contribuito qualche danaro per la fabbrica del monastero, ciò non ostante non avranno alcun diritto di ripeterlo, avendone esse fatto una pia limosina, e perciò irrepetibile.

A monacis basilianis supplendum, in iis quae monasterii tuitioni desunt

Siccome poi questo monastero viene computato tra quelli che appartengono alla Congregazione de' Monaci di San Giovanni in Soairo, ad essa unito ed incorporato, perciò qualora per il sostentamento delle monache, e di quelle vergini che eleggeranno di stare in esso, e vi saranno ammesse, e per i loro alimenti ed altre cose simili, non sieno sufficienti le elemosine le quali saranno date dalla pietà de' fedeli, e ciò che potrà ricavarsi dal lavoro delle loro mani, con tanta lode praticato sempre ne' monasteri della Chiesa orientale; l'abbate generale de' suddetti monaci sarà tenuto di somministrare sì li alimenti, come tutto quello che possa esser necessario per il mantenimento del monastero, e ciò con i proventi di tutta la Congregazione. — Dato in Roma dal Palazzo della medesima Sagra Congregazione li XV. febbraio MDCCXLVI. — V. Card. PETRA Prefetto — NICCOLÒ LERCARI Segretario.

Loco ✝ sigilli

Reassumitur constitut., quae clausulis confirmatoriis roboratur.

Praeinsertam itaque Instructionem, quo firmius subsistat et servetur exactius, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon patriarchatus et nationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides adhibenda transumptis.

Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. martii MDCCXLVI., pontific. nostri anno VI.

LXXVI.

Missionariis Societatis Iesu in insulis subiectis Francorum Regi conceditur facultas dispensandi in quibusdam consanguinitatis vel affinitatis gradibus, nec non absolvendi contrahentes, revalidandi et legitimandi prolem (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Dispensandi facultatem concedit.

Ut dilecti filii nostri presbyteri regulares missionarii Societatis Iesu a suis supe-

---

(1) Ex Tabulario Typographiae Reverendae Camerae Apostolicae.

rioribus in Martinicae, Guadalupae, Sanctorum Christophori, Dominici et Vincentii, ac Caiennae cum locis adiacentibus dominio carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi subiectis, nec non Marigalensis respective insulis deputati, iniuncta sibi munera ad christifidelium illarum partium utilitatem, adiuvante Domino, facilius exequi valeant, ex commisso nobis coelitus sacrosancti apostolatus officio providere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica deputatorum consilio, presbyteris regularibus missionariis praefatis cum Nigritis, neophytis earumdem insularum, tum indigenis tum advenis, in quocumque vel quibusvis consanguinitatis vel affinitatis gradibus a iure divino non prohibitis, primo tantum excepto, ac in eodem primo etiam rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in occultis tamen, ac in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, auctoritate nostra apostolica gratis dispensandi, et eos, qui in primo affinitatis gradu huiusmodi matrimonium etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationibus, aliisque censuris, et poenis ecclesiasticis ea de causa incursis, et foro conscientiae tantum, gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam decernendi facultatem, ad viginti annos duraturam, donec interim in illis partibus aliquis Episcopus constituatur, dicta auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Necnon absolvendi a censuris contrahentes, et prolem legitimandi.

Clausulae.

Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici, vel secretarii dictae Societatis Iesu subscriptis, et sigillo Praepositi Generalis eiusdem Societatis Iesu, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. maii MDCCXLVI., pontif. nostri anno VI.

LXXVII.

Arnulfum Bossù Congregationis Missionis Vicarium Apostolicum Algerien. eligit (1).

Dilecto filio Arnolfo Bossù presbytero saeculari Congreg. Missionis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Pro commissa nobis divinitus pastoralis officii cura spiritualibus catholicorum in Africa sub Turcarum ditione degentium necessitatibus quantum nobis ex alto conceditur consulere, teque, qui, ut accepimus, presbyter saecularis Congregationis Missionis existis, ac de tua fide, doctrina, prudentia, pietate, charitate et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te in Vicarium Apostolicum Algerien loco defuncti Caroli Mariae Gabrielis Poirier du Burgh eiusdem Congregationis Missionis presbyteri, cum extensione ad civitatem Tuneti, cum facultatibus solitis et consuetis, auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus et deputamus; attento vero itineris intervallo, quo tu Algerii residens longe distans a Tuneto, ut opportune christifidelium in praefata civitate Tunetana, seu ad eam appellantium, spiritualibus indigentiis prospiciatur, tu statim ac receperis praesentes nostras literas, per tuas patentes literas in tuum Pro-Vicarium generalem pro Missione Tunetana dilectum filium Carolum

---

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

Felicem ab Affori modernum praefectum fratrum Minorum S. Francisci capuccinorum nuncupatorum eiusdem Missionis Tuneti, et in posterum dictas patentes literas in personam cuiuscumque pro tempore successoris in praedicta praefectura ab eadem Congregatione Cardinalium de more eligendi reiterare debeas, in quibus quidem patentibus literis dicto praefecto Pro-Vicario concedatur facultas omnia et singula, quae etiam specialem potestatem requirunt, exercendi absque ulla tui restrictione seu limitatione, ita ut idem praefectus Pro-Vicarius exercere valeat quamcumque iurisdictionem ordinariam in dicta Missione Tuneti tam supra laicos, quam supra ecclesiasticos et regulares cuiuscumque Ordinis ibidem degentes, seu advenientes, tam liberos, quam captivos, servata tamen tibi appellatione in devolutivo tantum a decretis et provisionibus, quas a dicto praefecto Pro-Vicario fieri contigerit; in casibus autem, in quibus tu procedas pro aliqua gratia, vel indulto, favore alicuius personae in Missione Tunetana existentis, quascumque provisiones praefecto Pro-Vicario praedicto dirigere debeas cum clausula, veris existentibus narratis, et dummodo idem praefectus Pro-Vicarius non habeat causam in contrarium pro executione patefaciendam tibi, cui ipse praefectus Pro-Vicarius ut tuus minister quoscumque actus officiosos et reverentiales exhibere omnino teneatur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Mandantes propterea in virtute s. obedientiae in omnibus ét singulis christifidelibus earumdem civitatum, caeterisque ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut te ad demandatum tibi per praesentes Vicariatus huiusmodi officium, illiusque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant. Teque recognoscant, et tibi in omnibus, quae ad idem officium pertinent, respective pareant, faveant et assistant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis, ac in venerabilibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. iunii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXVIII.

Solemni decreto in albo Sanctorum recenseri statuit et ab omnibus coli Fidelem a Sigmaringa Ordinis Min. Cappuccinorum praefectum missionis apostolicae in Rhaetia et S. Cong. de P. F. Proto-Martyrem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Vinea electa, quam plantavit dextera Domini etc. (1).

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., III. kal. iulii, pontificatus nostri anno VI.

LXXIX.

Suas literas ap. Suprema omnium *contra confessarios exquirentes a poenitentibus complicis nomen confirmat; poenas in delinquentes statuit cum praefinitione ordinis procedendi in huiusmodi causis* (2).

(1) Reliqua vide in Bull. h. Pont. et in Bull. de Prop. Fide vol. III., p. 204.

(2) Vide infra *Ad eradicandum.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Delatus alias in Sacramento Pœnitentiæ abusus.

Ubi primum de perversa quadam, et absurda praxi in Sacramento Poenitentiae administrando apud nonnullos confessarios in Portugalliae et Algarbiorum regnis introduci coepta, non sine animi nostri dolore, nuntium accepimus, non levi aliquo incertoque rumore ad nos perlatum, sed ita gravibus solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate, tum magnitudine, facerent; praetermittere non potuimus, quin continuo, datis ad venerabiles fratres eorumdem regnorum ac ditionum Archiepiscopos et Episcopos apostolicis nostris literis, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero literarum die septima mensis iulii superioris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quinti editarum, quas praesenti huic nostrae Constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat:

Literis Sanctissimi Domini, quae hic inseruntur, reprobatus fuerat.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Suprema omnium ecclesiarum solicitudo, etc. (1).

Confirmatio earumdem literarum.

§ 1. Has porro nos literas in forma brevis tunc datas iterum praesentibus nostris confirmamus et roboramus, easque ab omnibus et singulis fideliter exacteque observari iniungimus atque praecipimus.

Et poenae in docentes oppositum, contradicentes, mala interpretantes.

Statuentes insuper, ac decernentes, ut quicumque cuiusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali et individua, ad effectum ut hisce nostris praesentibus comprehendatur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere licitam esse huiusmodi praxim, prout ea in relato nostro brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit, ad eiusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, vel auctoritate suffulto, nisi a nobis, vel pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Et in confessarios contrafacientes.

Et quia non modo cavendum est, ut, quae sunt a nobis in praeinsertis literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva sint, et immunia, verum etiam ne quis in Sacramenti Poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia umquam recedat; idcirco omnibus et singulis confessariis utriusque cleri tam saecularis, quam regularis, quantumvis exempti, et quacumque speciali et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, divini interminatione iudicii, atque in virtute sanctae obedientiae, prohibemus, ne, conformiter ad praedictam reprobatam praxim, poenitentes, qui peccatum seu crimen aliquod, cuius socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant, de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis huiusmodi adiunctis, sive circumstantiis, expressionem magisque individuam eiusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis, fore subiiciendos.

Ordo procedendi contra dictos delinquentes,

Praeterea, quoniam contra damnatum huiusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum ac formam etiam in foro externo procedendi, et ultrices adversus reos poenas imponendi, statuere atque ordinare; omnesque super hoc exorituras, vel etiam iam exortas, dissensiones componere et penitus amputare; volumus, decernimus ac declaramus, quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a nobis iam reprobatam, vel in eiusdem praxis defensionem scribentes aut loquentes, vel eiusdem reprobationem in memorato nostro brevi contentam impugnantes, aut perverse interpretantes, in officio Sanctae Inquisitionis praedictorum regnorum atque ditionum severe puniantur, et contra eos et eorum quemlibet in eodem officio procedatur, non minus, ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tuen-

Tam docentes, contradicentes, male interpretantes,

(1) Reliqua vide supra pag. 230.

tur opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica reiectas et condemnatas.

Quam confessarii contrafacientes cum suspicione pravi dogmatis.

Similiter in eodem officio procedendum erit, et procedi volumus ac statuimus contra confessarios quoque, ut supra, delinquentes, ac de nomine complicis poenitentem interrogantes, eidemque poenitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes: dummodo tamen huiusmodi interrogandi ac denegandi actus talibus circumstantiis coniunctus sit ac convestitus, quae sic agentem confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credulitate suspectum reddant.

In officio inquisitionis iudicandi et puniendi.

§ 2. Itaque contra praedictos omnes et singulos delinquentes tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis ac praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, et quorum specialis et nominatim mentio facienda sit, praedictorum regnorum ac ditionum inquisitores, potestate a nobis tradita, quatenus opus sit, praesentium tenore de novo concessa, prout in causis fidei, iuxta sacrorum canonum formam, nec non sancti officii inquisitionis huiusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines et decreta, diligenter inquirant et procedant, et quos in aliquo ex eiusmodi excessibus culpabiles repererint, in eas, pro criminum qualitate et circumstantiis, suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab executione Ordinum, privationis beneficiorum, dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae ac passivae, si regulares fuerint, aliasque poenas decernant; omnes etiam, vel earum tantum aliquas, in perpetuum, vel ad tempus, infligendo.

Et eidem a scientibus denunciandi.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverit, eum, intra terminum dierum, in edictis sancti officii eiusmodi inquisitionis praefigi solitum, eidem sancto officio denunciare teneatur: alioquin poenas non denunciantibus per eadem edicta infligi consuetas incurrat. Verumtamen ab huiusmodi onere denunciandi iustis de causis eximi volumus, et eximimus, personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, idest in casu, quod suum peccatum confitens, a confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim poenitentem huiusmodi ab obligatione eumdem confessarium denunciandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit confessarium aliquo ex superius enumeratis, et sancto officio denunciandis modis deliquisse, tunc eum et ipse denunciare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

Confessarii vero contrafacientes absque dicta suspicione, iudicandi et puniendi erunt ab Ordinariis.

Quod si confessarii de complicis nomine perperam interrogantis, absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat eiusmodi esse, ut, quamvis imprudens et malus, simplex tamen quidam et nudus actus fuerit, idest iis circumstantiis destitutus, quae de prava credulitate, vel de mala adhaesione ad praxim in saepe dicto nostro brevi reprobatam, tamquam ad licitam, eumdem confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum neque denunciationis oneri, neque sancti officii praedicti cognitioni subiectum erit; sed de illo cognoscere, atque in delinquentem confessarium, per suspensionem ab audiendis confessionibus, vel alias canonicas et legitimas poenas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cuiusque dioecesi omnino spectabit.

Haec procedendi regula servanda decernitur.

His igitur circa ordinem, formam, modumque contra eiusmodi delinquentes procedendi, ut praefertur, constitutis, ac suis unicuique iudici ecclesiastico iuribus assignatis et distributis; hanc nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quae tamen haud umquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper praeclara Inclytae Lusitanae nationis universae erga Sedem Apostolicam observantia et obedientia, nec non eximia tum istius sanctae Inquisitionis officii, tum cuiusque loci Ordinariorum numquam defutura vigilantia.

Et aliter a quocumque antehac statuta abrogantur.

Quapropter quaecumque aliter, quam praesentibus nostris decrevimus et constituimus, sive in edictis praefati officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum mandatis, aut pastoralibus literis, vel decretis antehac statuta prodierint, ea nos, quoniam post apostolicam hanc a nobis propositam agendi seu iudicandi normam minus necessaria fore censemus, desinere iam, et cessare, ac, veluti numquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio, et ex certa scientia, deque

apostolicae potestatis plenitudine declaramus, statuimus atque sancimus.

Clausulae pro literarum validitate et executione.

§ 3. Decernentes easdem praeinsertas, nec non praesentes nostras literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et dignitatis existant, seu alias speciali et individua mentione, et expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas tum praeinsertae, tum praesentes emanaverint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet etiam privilegiata causa, colore, praetextu et capite, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed ipsas praesentes, easdemque praefatas in forma brevis literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis praemissis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte et inviolabiliter observari.

Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et contra haereticam pravitatem generales Inquisitores, Legatos quoque de latere, et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque auctoritate, potestate et praeeminentia fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

Non obstantibus quibusvis apostolicis, et in universalibus sive provincialibus aut synodalibus conciliis editis generalibus sive specialibus constitutionibus et ordinationibus, edictis quoque praedicti Inquisitionis officii, et quorumcumque Ordinariorum, etiam Episcoporum et Metropolitanorum, mandatis, literis pastoralibus sive decretis, nec non eiusdem officii, et quarumcumque ecclesiarum etiam episcopalium et metropolitanarum, et quorumcumque ordinum, congregationum, religionum et institutorum, etiam Societatis Iesu, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stilis, usibus et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem Inquisitionis officio, illiusque Inquisitoribus, Commissariis, aliisque officialibus, tum etiam Ecclesiis, eorumque praelatis, ordinibus, congregationibus, institutis, societatibus, illorumque superioribus et personis quibuslibet, sub quibusvis verborum tenoribus et formis; et cum quibuscumque etiam efficacissimis, et insolitis derogationibus, clausulis atque decretis, etiam motu, et apostolicae potestatis plenitudine similibus, seu ad quarumcumque personarum, etiam regia, aliave qualibet mundana vel ecclesiastica potestate fulgentium instantiam, vel alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis.

Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores praedictos pro sufficienter, et de verbo ad verbum expressis et insertis, formasque huiusmodi pro plene et exacte observatis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Fides habenda transumptis.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra, ubique habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum condemnationis, reprobationis, confirmationis, sanctionis, prohibitionis, ordinationis, abrogationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo sexto, quarto nonas iunii, pontificatus nostri anno VI.

LXXX.

Nonnulla praescribit circa regimen confraternitatis utriusque sexus sub invocatione Cathedrae S. Petri, prope metropolitanam ecclesiam Ragusii erectae (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Iniunctum imbecillitati nostrae in suprema catholicae ecclesiae procuratione gravissimum munus advigilandi non modo pro sacrarum rerum cultu, sed pro publicarum etiam rerum tranquillitate, a pastorali nostra sollicitudine et apostolica auctoritate iure ac merito exigit, ut si qua dissidia, quae bene constitutum utrarumque ordinem quomodolibet invertere et perturbare possent, statim opportuna ac salutaria iisdem dissidiis componendis extinguendisque apostolicae providentiae potestatisque nostrae remedia adhibere satagamus.

Narratio.

§ 1. Quoniam autem, sicut accepimus, confraternitas utriusque sexus christifidelium, de consensu bo. me. Andreae Archiepiscopi Ragusini, et cum beneplacito consilii et nobilium civitatis Ragusinae, pro diversis piis operibus adimplendis sub invocatione Cathedrae Sancti Petri in civitate Ragusina olim instituta reperitur, cuius deinde peculiaria quaedam statuta apostolica itidem auctoritate, per apostolicas fel. rec. Xysti IV. et Clementis VIII. romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum literas, quarum tenorem his praesentibus nostris in forma brevis literis pro expressis et insertis haberi volumus, et in quibus uberius dicitur contineri, approbata et confirmata fuerunt: huius vero confraternitatis confratres presbyteri, praesertim saeculares, penes quos bonorum ac reddituum privative residet administratio, pro tempore existentes, cum de rebus negotiisque quibuscumque ad memoratam confraternitatem quomodolibet spectantibus per ipsos agendum deliberandumque esset, suos coetus, sive conventus sive congregationes,

(1) Ex Regesto Epist. ad Princ. et alios anno VI. Benedicti XIV., in Arch. Vatic. Ex eodem reg. transcribimus ep. ad Archiepiscopum Ragusinum et ad rectorem et consiliarios reipublicae Ragusae.

Venerabili fratri Angelo Archiepiscopo Ragusino,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Super exorta dissidia dolens Archiepiscopum certiorem facit de literis ad hoc datis.

Non sine gravi cordis nostri dolore acccepimus, dissidia inter dilectos filios confratres Confraternitatis sub invocatione Cathedrae Sancti Petri in ista civitate erectae saepe excitari solita, eo processisse, ut, ne quidquam vel minimum praeiudicii ac detrimenti tranquillitati reipublicae ragusinae afferri aliquando contingat, nostri apostolici muneris esse ducamus, nonnulla ad pacem concordiamque inducendam providentissime decernere, quemadmodum ex aliis nostris in simili forma brevis literis hac ipsa die ad futuram rei memoriam datis te intellecturum fore confidimus.

Apostolicarum literarum executionem illi demandat.

Fraternitati itaque tuae committimus et mandamus, ut statim atque ad te redditae fuerint laudatae nostrae literae, easdem iis ad quos spectat, notas facias ac denunties; nec non omnia et singula in iisdem contenta debitae promptaeque executioni, etiam, quatenus opus fuerit, sub ecclesiasticis censuris poenisque canonicis demandari et servari cures, satagas et adnitaris, salva semper archiepiscopali tua iurisdictione et auctoritate. Ceterum de pastorali obstrictae tuae erga nos et Apostolicam hanc Sedem obedientiae in exequendis apostolicis mandatis nostris officio alacriter praestando certi, ad prosperi successus auspicium fraternitati tuae apostolicam benedictionem peramanter impertimur,

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

Dilectis filiis nobilibus viris rectori et consiliariis reipublicae Ragusinae,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii nobiles viri, salutem et apostolicam benedictionem.

Illos laudat et de exauditis precibus certiores facit.

Quanta paterna benevolentia inclytam istam rempublicam, etsi catholicae fidei hostibus veluti circumseptam, de orthodoxa tamen religione benemereri pergentem, prosequamur, quantaque apostolica benignitate optatis nobilitatum vestrarum obsecundare gestiamus, vobis reipsa compertum exploratumque esse non dubitamus. Quod sane vobis amplius confirmatum iri confidimus per alias nostras in simili forma brevis literas hac ipsa die ad futuram rei memoriam datas, ex quibus intelligetis qua alacritate demissis precibus vestris annuerimus, et quo pacto opportunum ac salutare pro conservanda eiusdem reipublicae tranquillitate apostolicae providentiae auctoritatisque remedium adhibuerimus.

Hortatio.

Ad eiusdem itaque reipublicae vestrae decus, commodum et incrementum pro supremo apostolicae procurationis nostrae munere nos advigilantes, parem a nobilitatibus vestris requirimus non tam perspectae commendatissimaeque vestrae erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem nosque ipsos observantiae reverentiaeque vicem, quam debitam pro divini honoris cultu adaugendo, rerumque sacrarum disciplina servanda operam ac studium. Porro nobilitatibus vestris persuasum esse cupimus, vos hac ratione divinum quidem praesidium ad prosperiorem firmioremque eiusdem reipublicae conditionem, tranquillitatemque comparandam promerituros, a nobis vero omnia apostolicae caritatis auctoritatisque officia certo facere pollicituros. Interim apostolicam benedictionem, cum coelestium munerum copia coniunctam, nobilitatibus vestris peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

in quodam prope metropolitanam ecclesiam loco, sive conclavi sive mansione, habere solebant. Verum ob controversias et dissensiones, prout pariter accepimus, ab iisdem saecularibus presbyteris super eorumdem reddituum dispensatione nuper excitatas, timentes nos, ne quidquam praeiudicii aut detrimenti eapropter tranquillitati reipublicae Ragusinae, quae orthodoxae religionis hostes adiacentes habet, importari posset, atque ex eo potissimum, quod confratres presbyteri saeculares huiusmodi, sive multi sive pauci, congregari soliti non modo ad arcanum et iusiurandum servandum obligantur, ne quidpiam suarum consultationum deliberationumque cuiquam communicetur; verum coetus etiam, sive conventus sive congregationes suas, haud amplius in designato loco, ut praemittitur, sed ubicumque iisdem confratribus congregandis libet, celebrare audeant: unde nonnulli in suspicionem etiam venerunt non levem, quod ipsi presbyteri confratres hoc pacto de negotiis ad rempublicam etiam pertinentibus interdum agere, atque ita iisdem negotiis sese immiscere tentent.

Ad concordiam cum republica servandam nonnulla circa regimen confraternitatis præscribuntur.

Eapropter nos, ut omnis iniecta suspicio huiusmodi incussusque metus e medio penitus auferatur, etsi nullum ecclesiasticae libertati et immunitati praeiudicium aut detrimentum afferri cupimus, imo omnes apostolatus nostri partes ad utramque vindicandam conferre adnitimur; tamen ad pacem, concordiam, tranquillitatemque conciliandam, servandam, confirmandamque par aequumque esse ducimus, ut, iustitia et pace, ac sacerdotio et imperio sese invicem osculantibus, nonnulla de integro decernamus, prout tenore praesentium apostolica auctoritate decernimus: I. Ut nimirum deinceps singulis eorumdem confratrum coetibus, sive conventibus sive congregationibus, tam statis, quam quacumque causa toties quoties opus fuerit indicendis et habendis, semper interesse debeant duo nobiles viri ex Ordine Senatorio singulis mensibus sorte extrahendi. II. Ut ipsi confratres non alibi ad ipsorum libitum et arbitrium, sed in solito prope metropolitanam ecclesiam, ut praemittitur, loco dumtaxat convenire et congregari possint. III. Ut nobiles viri, qui, ut pariter praemittitur, in coetibus, sive conventibus sive congregationibus huiusmodi, interesse tenentur, nudam simplicemque in ipsis praesentiam praestantes, solam quoque simplicemque agendarum deliberatarumque rerum notitiam habentes, nullas omnino in consultationibus deliberationibusque per confratres ineundis statuendisque, nullas in reddituum administratione et usu, eorumque reddenda ratione, nullas commendationum in confratrum electionibus, nullas denique in rebus negotiisque quibuscumque ad eamdem confraternitatem quomodolibet spectantibus partes sibi arrogent; atque ita sese gerant, ut nullum penitus omnimodae confratrum libertati praeiudicium per ipsorum praesentiam inferri possit. IV. Ut laudati duo nobiles viri in eorumdem confratrum coetibus, sive conventibus sive congregationibus, praesentes ad inviolabile omnium et singularum rerum per ipsosmet confratres vel disputatarum, vel deliberatarum, vel gestarum secretum servandum districte teneantur. V. Ut omnes et singulae resolutiones deliberationesque, quas ab iisdem confratribus presbyteris non in loco designato, sed alibi ad libitum congregatis, deinceps capi ac statui ausum fuerit, nunc pro tunc nullae, irritae et inanes, ac nullius prorsus momenti et roboris reipsa sint et habeantur. VI. Nolumus denique per huiusmodi apostolicae providentiae decreta quidquam vel minimum praeiudicii aut detrimenti detractum aut illatum iri iuri ad Archiepiscopum pro tempore Ragusinum super eadem confraternitate, iuxta sacros canones ac praesertim Concilium Tridentinum, competenti; sed ius eiusmodi semper illaesum et integrum esse et fore, atque intelligi debere volumus ac mandamus.

Clausulae confirmatoriae.

§ 2. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, ac quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non eiusdem confraternitatis statutis et constitutionibus per laudatos Xystum et Clementem praedecessores nostros, ut praemittitur, confirmatis; quibus quoad hanc partem, quatenus opus sit, ad effectum huiusmodi dumtaxat derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Archiepiscopus Ragusinus literarum exsecutor deputatur.

Praeterea, ut debitae promptaeque executioni eaedem praesentes nostrae literae demandentur, venerabili fratri Angelo Archiepiscopo Ragusino, salva semper ipsius auctoritate et iurisdictione, committimus et mandamus, ut laudatas nostras literas ipsis confratribus intimari et ab iisdem omnino observari faciat et curet, atque etiam, quatenus opus sit, sub ecclesiasticis censuris et canonicis poenis arbitrio suo imponendis praecipiat ac mandet.

Transumptorum fides.

Vulumus autem ut saepedictarum nostrarum literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXXI.

Nonnullos Episcopos Maronitas redarguit de negata Patriarchae subiectione et de Vicarii patriarchalis electione facta, praetextu appellationis ad S. Sedem; mandat ut omnia ordini restituantur; eorumque actus nullos declarat, sanatis actibus iurisdictionis ab ipsis et ab intruso Vicario factis; absolutionem a censuris contractis per confessarium concedendam disponit, post authenticam gestorum reprobationem (1).

Venerabilibus fratribus Stephano Botri, Ioanni Beryti, Tobiae Cypri, Ignatio Tyri et Germano Tripolis, respective dioecesum Archiepiscopis et Episcopis Maronitis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis gaudium ob extinctum schisma, et subiectionem novo Patriarchae a S. Sede deputato.

Non possumus satis aptis verbis explicare, quanta consolatione repleti ingenti superabundaverimus gaudio, cum epistolas a fraternitatibus vestris ad nos mense octobris anni MDCCXLIII. datas accepimus. In his enim magna cum pontificii cordis nostri laetitia perlegimus, quanta cum addictae vestrae erga apostolicam hanc S. Se-

(1) Ex Reg. Epist. anni VI. habemus seq. literam apost. ad clerum et populum antiochenum de epist. *Non possumus* ad Archiepiscopos et Episcopos missam:

Dilectis filiis universis christifidelibus cleri saecularis ac regularis et laicis nationis Maronitarum Botri, Beryti, Cypri, Tyri ac Tripolis respective dioecesum,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Praeclara de constanti nationis vestrae Maronitarum catholicae fidei professione, laudabili christianae pietatis cultu et eximio vestri erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem obsequii venerationis et adhaesionis zelo tot luculentis vestrae alacritatis et obedientiae exemplis semper confirmata opinio nos inducit, ut omnes amantissimi potius patris, quam severi iudicis partes in praesentia adhibeamus cum venerabilibus fratribus antistitibus vestris, praesertim qui venerabilis fratris Simonis Evodii Patriarchae a nobis ad schisma duorum Patriarcharum nulliter electorum tollendum apostolica auctoritate constituti, et ab universis nationis Maronitarum hominibus cum laudum praeconio et plausu excepti, iurisdictione praestitaque illi obedientia sese subduxerunt, et per suas circulares epistolas praeter alia vobis denuntiarunt, ut, nomine tantum Patriarcham Simonem Evodium appellantes, nulla de illius dignitate et auctoritate rationem haberetis. Fore enim in Domino confidimus ut iidem venerabiles fratres antistites vestri, quos per alias in simili forma brevis literas hac de re absona, et per sacros canones tantopere improbata admonemus, saniora consilia amplectentes, et de commissis delictis dolentes, ad communionem in unitate spiritus, et debitae obedientiae obsequio cum eodem Patriarcha quamprimum redeant. Pluribus ipsos antistites vestros hortati sumus, ac quamplurima praescripsimus et apostolica auctoritate indulsimus, ut omnia partium studia, dissidia et schismata penitus eliminarentur, et omnia vestra in caritate fierent. Ea propter vobis, dilecti filii, non solum notum esse volumus, quod nos omnia et singula in negotio huiusmodi ab iisdem antistitibus vestris ut a laudati Patriarchae Simonis Evodii iurisdictione se subducerent, facta ac gesta annullaverimus irritaverimusque, et nulla atque irrita, et nullius momenti ac roboris, esse ac fore declaraverimus; verum etiam vobis apostolica auctoritate nostra iniungimus et mandamus, ut eadem, ut praefati sumus, facta ac gesta omnino nulla et irrita habeatis ac teneatis. Praeterea, si quis vestrum consiliis mandatisque eorundem vestrorum antistitum obsequutus noverit se in quamcumque ecclesiasticam censuram ac poenam incurrisse, imo etiam irregularitatem ob quamcumque hac occasione causam se contraxisse, vobis significamus, nos paterna benignitate et apostolica auctoritate tribuisse et elargitos esse quibuscumque confessariis ad sacramentales confessiones excipiendas per uniuscuiusque legitimum non intrusum Ordinarium approbatis facultatem in actu sacramentalis confessionis tantum a quibuscunque ecclesiasticis

dem, omnium ecclesiarum matrem et magistram, nosque ipsos supremas pastorum principis Iesu Christi vices in terris gerentes, pietatis venerationisque observantia et alacritate apostolicas nostras in simili forma brevis literas unanimi consensione amplexi, easdem sollicitae promptaeque executioni demandaveritis; debitam nimirum, nulla interposita mora, obedientiam praestantes ven. fratri Simoni Evodio olim Archiepiscopo damasceno, quem, ob dissidia et schismata duorum patriarcharum antiocheni patriarchatus nationis vestrae electionem nulliter factam irritamque oborta, Patriarcham suprema nostra apostolica auctoritate creaveramus. Praeterea tanta cum pace, quiete, tranquillitate atque animorum sinceritate illum vestrum virum ac legitimum superiorem et caput venerati fuistis, ut non solum publica etiam acta super huiusmodi cultu, obsequio, obedientia et veneratione confecta, sed praeclara quoque vestrae laetitiae universalisque plausus signa edita fuerint in obsequium reverentiamque eiusdem Apostolicae huius S. Sedis, quae est columna et firmamentum catholicae fidei, pro qua ad sanguinem vitamque ipsam profundendam vos promptos paratosque esse professi fuistis. Insuper aperte significastis, a vobis pari obedientia reverentiaque exceptas fuisse apostolicas alias nostras in simili forma brevis literas, quarum inviolabili apostolici muniminis patrocinio synodum provincialem nationis vestrae Maronitarum, Libanensem dictam, confirmaveramus. Addidistis denique spondentes, quod a vobis, qui laudatae Apostolicae huius Sanctae Sedis obsequentissimi filii, nostrisque apostolicis oraculis obedientes esse gloriamini, omnis cura, diligentia atque opera adhiberetur, ut statuta in ipsa synodo libanensi contenta integerrime servarentur atque adimplerentur.

Nova tristitia ob defectionem a Patriarcha eodem, et electum Vicarium Patriarchalem.

Verum praeceptam huiusmodi laetitiam et cumulata gaudia nostra abstulerunt, et tanta acerbitate et moerore, ut nunquam alias, asperserunt epistolae a fraternitatibus vestris ad nos mense maii anni MDCCXLV. proxime elapsi datae. Intelleximus enim (quod non sine intimo cordis nostri dolore repetimus) vos ita ab eiusdem Simonis Patriarchae vestri tantopere culti obedientia, tot luculentissimis testimoniis ipsi praestita, subtractos esse, ut Vicarium etiam patriarchalem vobis elegeritis. Imo epistolas etiam circulares novimus ad vestras respective dioeceses a vobis missas, per quas praecipitur vestris subditis uniuscuiusque dioecesis, ut neque laudati Patriarchae edicta et mandata recipiant, neque ecclesiasticis censuris ab ipso quomodolibet latis et inflictis pareant, neque ullam de eiusdem Patriarchae dignitate et auctoritate rationem habeant, sed ut nomine tantum Patriarcham appellent: atque hoc etiam, ut Apostolicae huic S. Sedi aliquid deferatur obsequium. Ea propter ausi etiam estis palam facere nullam ad ipsum Patriarcham in vestris respective dioecesibus auctoritatem potestatemque spectare, donec responsa et mandata ab hac S. Sede, ad quam asseritis a vobis appellatum esse, istuc advenerint.

Salutaris reprehensio.

Nos sane, quemadmodum et in semipublico consistorio nostro cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus tunc temporis habito, et in memoratis nostris in forma brevis literis vestram obedientiam reverentiamque prolixa commendatione prosequuti, eximias etiam laudes, quibus Romani Pontifices praedecessores nostri nationem vestram exornarunt, atque inter tot infideles, haereticos et schismaticos circumquaque consjdentes esse veluti rosam inter spinas celebrarunt, recolere et augere non omisimus, ita incredibili dolore atque horrore perculsi in praesentia

---

censuris et poenis absolvendi atque etiam super quacumque irregularitate ob praemissa quomodolibet contracta dispensandi. Itaque, dilecti filii, quos paterna caritate complectimur, hortamur vos, ut unusquisque sui officii et debitae erga suum Patriarcham Dei et Apostolicae huius Sanctae Sedis gratia vobis datum obedientiae memor ad hasce nostras, qui tanquam amantissimus Pater a supremo pastorum principe Iesu Christo constituti admonemus et rogamus, voces veluti e somno excitus, ad cor redire festinet, atque, nulla interposita mora, non solum salutari poenitentia malum, quod fortasse commiserit, expiare studeat, sed debita etiam cum veneratione et obedientia suum agnoscens Patriarcham, eidem sese subiiciat, atque ipsius edita mandata et praecepta alacri promptoque animo exequi curet. Ita enim et nostram atque huius Sanctae Sedis gratiam ac benevolentiam magis magisque vobis polliceri et uberiorem a misericordiarum patre et totius consolationis Deo caelestium munerum copiam vobis promereri potestis. Interea ad prosperi successus auspicium vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

maximopere admiramur quidquid, vobis significantibus, a fraternitatibus vestris tanto cum vestrae dignitatis, vestri nominis, adeptaeque apud omnes bonos, atque apud S. Sedem praeclarae opinionis dedecore, damno ac iactura factum gestumque sit; unde cum Apostolo Paulo gentium doctore exclamare et deplorare cogimur: *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? quis vos fascinavit?* Haec profecto vestrarum sententiarum tam inopinata et subita mutatio, quae certe non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, magis magisque in admirationem nos adducit. Verum utcumque res se habeat, quisquis aliter ad vos scribat aut referat, quam quod fraternitatibus vestris a nobis iniunctum praeceptumque fuit per saepedictas nostras literas, tum quoad debitam laudato Patriarchae Simoni obedientiam, tum quoad integram dictae Synodi libanensis observantiam, tum quoad alias apostolicae providentiae ordinationes, is a vobis tamquam mendax et seductor omnino reputari debet; namque illud eiusdem Apostoli Pauli vobis repetimus et indicimus: ***Si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit.***

Licet inobedientia mandatis S. Sedis schismate redolens foret censuris punienda, mitius tamen agit Pontifex.

Porro mirum in modum contumaciam vestram auctam esse animadvertimus ex ipsis vestris iniustis providendi rationibus schisma sapientibus; ex eo quod vos a dicti Patriarchae iurisdictione subtraxeritis, non aliis certe momentis, quam quod ad hanc Apostolicam Sedem appellaveritis, a qua donec responsa, prout diximus, et mandata ad vos non pervenerint, interea temporis ipsas providentiae rationes a vobis contra sacrorum canonum regulam perceptas, propositas, et executioni etiam demandatas, substinendas et observandas esse contenditis, sub specioso obtinendorum ab eadem S. Sede oraculorum praetextu. Quod sane quam absonum ab unitate Ecclesiae, quam ab schismate non alienum sit ab omnibus intelligitur, qui recte sapientes subtractionem huiusmodi, propria auctoritate a vobis excogitatam, ac tot ausis per vos ipsos ad nos relatis confirmatam, damnant, et meritis poenis ac censuris afficiendam esse existimant. Nos autem in tanta doloris acerbitate, etsi pro supremo apostolicae nostrae procurationis officio tantopere divinitus imbecillitati nostrae iniuncto, et pastorali zelo de tanta audacia dignam animadversionem, iuxta sacros canones, a vobis exigere deberemus, induentes tamen viscera misericordiae, vobiscum secundum Iesu Christi caritatem ac praeceptum agendum esse in praesentia ducimus.

Irritat omnia gesta.

Itaque fraternitates vestras de tot tamque gravibus delictis contra canonicam disciplinam, et maioris saniorisque partis antistitum et hominum nationis Maronitarum vobis adversantium sententiam commissis admonentes, omnia et singula, quae a vobis, ut ab eiusdem Patriarchae iurisdictione vos subtraheretis, facta gestaque fuerunt, nulla, inania et irrita, ac nullius prorsus momenti ac roboris fuisse, esse et fore, tenore praesentium, apostolica auctoritate nostra declaramus; ex eo praesertim, quod sine ulla prorsus iurisdictione et potestate, imo in spretum contemptumque supremae auctoritatis Sedis Apostolicae, ad quam unam dumtaxat iudicium adversus laudatum Patriarcham vestrum ferendi facultas reservata est, facta gestaque esse dignoscuntur.

Asserta gravamina examini subiicientur, et interim electi Vicarii acta sanantur.

Quod vero ad praeiudicia, quae vobis ab ipso Patriarcha illata esse per easdem literas vestras nobiscum conquerimini, attinet, id nobis disquirendum reservatum esse nos intelligentes, iam in mandatis dedimus, ut rationum momenta ad utramque partem spectantia comparentur; ut, hisce per nos ipsos expensis, quidquid hac in re iustum esse constiterit, apostolica nostra auctoritate decernatur. Interea pari auctoritate nostra omnibus et singulis christifidelibus tam de clero saeculari, quam regulari, ac laicis dictae Maronitarum nationis vestrarum respective dioecesum, per alias nostras in simili forma brevis literas iniungimus et mandamus, ut omnia et singula in negotio huiusmodi a vobis facta gestaque, prout a nobis iam nulla atque irrita et nullius roboris ac momenti esse et fore declaratum est, ita ipsi habeant et teneant. Verum, ut apostolica benignitate vobiscum agamus, atque nulla pontificiae caritatis documenta a vobis desiderari patiamur, primum quidem omnia et singula, quae ad Patriarchae vestri dumtaxat iurisdictionem spectant, sive a saepedicto Vicario Patriarchali per fraternitates vestras constituto, sive a nobis ipsis facta gestaque earumdem praesentium tenore et auctoritate sanamus.

Facultatem delegat absolvendi a censuris et poenis incursis.

Deinde vero considerantes quod vos propter praemissa in ecclesiasticas censuras et poenas a sacris canonibus statutas incurreritis, quibuscumque confessariis ad sacramentales confessiones audiendas per unius-

cuiusque legitimum non intrusum Ordinarium approbatis facultatem concedimus et impertimur, ut postquam a vobis ceterisque, qui hac in causa deliquerint, authenticam declarationem improbationemque omnium et singulorum, quae facta gestaque fuerint, prius exegerint, ab omnibus et singulis censuris ecclesiasticis et poenis canonicis quomodolibet incursis in actu confessionis sacramentalis absolvant, atque insimul super irregularitatibus etiam propter divinorum celebrationem contractis vobiscum dispensent.

Hortationes. Ceterum, venerabiles fratres, hortamur vos in Domino, et rogamus per viscera misericordiae Dei nostri, idipsum sapere in Domino, supportantes invicem et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Interim ad prosperi successus auspicium vobis, venerabiles fratres, ac singulis qui mandatis et exhortationibus hisce nostris obaudiverint, apostolicam benedictionem peramanter elargimur.

Fides adhibenda transumptis. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx. iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXXII.

***Fratrem Desiderium Ord. Min. Observ. Hierosolymis praesidentem commissarium ap. apud Maronitas constituit ad componenda nova exorta dissidia et ut Synodi Libanensis decreta observari curet* (1).**

(1) Ex Reg. Ep. ad Princ. anni VI. Ben. XIV. in Arch. Vat. Ex eodem desumimus lit. ap. quibus Pont. Evodium Patriarcham Ant. Maronit. de missione Desiderii certiorem facit.

Venerabili fratri Simoni Evodio Patriarchae antiocheno Maronitarum,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Patriarchae comunicat deputationem factam commissarii apostolici. A dilecto filio Desiderio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia conventus S. Sepulcri in Hierosolymis praesidente, quem ad dissidia inter fraternitatem tuam et aliquot venerabiles fratres tuae nationis antistites (quemadmodum per fraternitatis tuae, eorumdem antistitum, aliorumque epistolas non sine incredibili cordis nostri molestia rescivimus) exorta suaviter fortiterque componenda extinguendaque apostolicum nostrum commissarium cum facultatibus necessariis et opportunis fecimus, constituimus ac deputavimus, non solum hae nostrae in forma brevis literae ad fraternitatem tuam perferentur; sed omnia etiam quoad gravissimum huiusmodi negotium a nobis facta, gesta ac praescripta tibi communicabuntur.

Eidem Patriarchae permittit adsistentiam: et ut benigne commissarium excipiat, rogat. Ad primum quidem fraternitati tuae persuasum esse volumus, nos eadem, qua te Patriarcham elegimus, apostolica caritate et auctoritate tibi adfuturos; nec passuros esse, ut supremae apostolicae potestatis nostrae officia in istius Patriarchatus tui procuratione a te desiderentur. Eapropter bono te animo esse iubemus, atque insimul poscimus et rogamus, ut eumdem Desiderium commissarium nostrum apostolicum, tui gratia a nobis deputatum, iis humanitatis, benevolentiae, reverentiaeque significationibus excipias, quibus personam, quam gerit, decet complecti.

Commissarius edocendus de synodi libanensis observantia, ad quam ipsum Patriarcham impellit. Inter cetera vero quae eidem commissario nostro iniunximus, illud etiam mandavimus, ut accurate edoceri studeat, quonam pacto omnia et singula, per alias nostras in simili forma brevis literas iterum atque iterum, et praesertim pro synodi vestri libanensis dictae confirmatione, data, a nobis statuta, mandata ac praescripta, debitae executioni demandata sint, eorumque observantia vigeat floreatque, quemadmodum vehementer optamus, atque a fraternitate tua exposcimus et requirimus. Quod si autem quidquam, quacumque ex causa, a quovis, etiam a fraternitate tua, quamvis inconsiderate, super ipsius synodi libanensis observantia sive mutatum, sive omissum, sive parvipensum esse contigerit, te hortamur, ut per te ipsum omnia in pristinum restitui, reduci et observari cures et adnitaris.

Appellatio contra ipsum Patriarcham in devolutivo fuit admissa. Porro te certiorem facimus, nos de iis omnibus, de quibus ad Apostolicam hanc S. Sedem appellantes iidem antistites adversus fraternitatem tuam nobiscum conqueruntur, omni adhibita diligentia, expensis rationum utrinque momentis, tunc fore decreturos, postquam intellexerimus debitam ab iisdem antistitibus, ceterisque cum ipsis sentientibus, qui a patriarchali iurisdictione tua sese subtraxerunt, obedientiam fraternitati tuae praestitam fuisse, atque exhiberi.

Monet pro concordia. Ex hac igitur propensa nostra erga fraternitatem tuam voluntate et apostolico nostro patrocinio te facile intellecturum confidimus, quod non solum interea temporis omnia sacerdotali animo substinere ac praeferre, sed ea quoque conferre debeas, quae ad componendas dissensiones, extinguenda schismata, concordiam conciliandam, ac tranquillitatem communemque pacem inducendam, perpetuoque stabiliendam noveris opportuna ac salutaria. Interea uberrimam tibi a pastorum principe Iesu Christo, aeterno iudice et bonorum omnium remuneratore Deo, coelestium charismatum copiam adprecantes, fraternitati tuae apostolicam benedictionem ex intimo corde deprompam elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

Desiderio Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum professori, conventus Sancti Sepulchri in Hierosolymis praesidenti ac commissario apostolico,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Narratio exorti schismatis.

Nemini sane manifestius, quam tibi, dilecte fili, esse potest, quanta coelesti benignitate pastorum princeps Iesus Christus, misericordiarum pater et Deus totius consolationis, benedixerit apostolicis nostris studiis, sollicitudinibus, consiliis ac favoribus, quibus suaviter fortiterque alias adhibitis, tandem sublato duorum nulliter electorum nationis Maronitarum patriarcharum schismate, venerabilem fratrem Simonem Evodium olim Archiepiscopum Damascenum a nobis apostolica auctoritate electum Patriarcham, universim eiusdem nationis venerabiles itidem fratres Antistites, ac dilecti filii clerici saeculares et regulares, ac laici magna animorum consensione et luculentissimis communis laetitiae et universalis plausus signis complexi eidem debitam obedientiam et observantiam praestiterunt. Exultavimus profecto prae gaudio, manusque in coelum levavimus et bonorum omnium largitori singulares egimus gratias, cum rescivimus per eiusdem novi Patriarchae, Archiepiscoporum et Episcoporum, aliorumque dictae nationis insignium virorum epistolas eximiis addictissimae eorum erga Apostolicam hanc S. Sedem nosque ipsos venerationis, reverentiae, obedientiae notis, actionisque gratiarum officiis refertas.

Nova exorta dissidia.

Verum exorta deinde eumdem Patriarcham inter ac Stephanum Botri, Ioannem Beryti, Tobiam Cypri, Ignatium Tyri et Germanum Tripolis respective dioecesum Antistites dissidia non sine intimo animi nostri dolore accipientes, ad nova apostolicae nostrae providentiae remedia, hisce sedandis, componendis, extinguendisque salutaria, opportune comparanda, urget nos Christi charitas. Ad huiusmodi igitur gravissimum negotium rite sancteque transigendum, operam industriamque tuam requirimus.

Deputatio apostolici commissarii.

Eapropter, te, de cuius singulari fide, prudentia, sapientia, dexteritate ac religionis zelo, plurimum in Domino confidimus, atque ex eo praesertim quod in istis regionibus commorans, et praesidentis munere in isto tui Ordinis conventu fungens, ingenia, mores, idiomata et instituta dictae nationis Maronitarum apprime noveris, apostolicum commissarium apud ipsam nationem cum omnibus et singulis facultatibus, ad infrascripta necessariis et opportunis, tenore praesentium apostolica auctoritate facimus, constituimus et deputamus.

Tenor commissionis.

Ac primum quidem tibi committimus et mandamus, ut postquam exempla apostolicarum nostrarum in simili forma brevis literarum ad laudatos Patriarcham, Antistites, eorumque clericos saeculares et regulares, ac laicos datarum, in chartis pergamenis scriptarum, et annulo Piscatoris munitarum, quae insimul cum ipsis exemplaribus literis nostris tibi reddenda mandavimus, accurate perlegeris, accurate etiam de iis omnibus, quae in ipsis literis nostris continentur, te edoceri cures. Deinde ut ita sapienter prudenterque cum memoratis Patriarcha, Antistitibus, clericis et laicis agas ac te geras, ut, postquam compereris omnia pro nostris votis, et ipsius nationis concordia, tranquillitate ac pace fore cessura, tunc dumtaxat iisdem dictas nostras literas tradas, notas facias, proponas ac publices; ut omnes et singuli, ad quos spectare perspexeris, de nostris apostolicis ordinationibus, praeceptis et mandatis certiores fiant. Neque omittas, quin imo te adniti volumus et mandamus, ut ipsis potissimum antistitibus non solum declares, verum etiam intelligere facias, quam immeritò sese hac in re gesserint, quam iniurie Apostolicam hanc S. Sedem de ipsis semper benemereri pergentem habuerint, quam indebite cum ipso Patriarcha egerint. Tuum igitur munus erit, omnia caritatis, benignitatis, pacis, auctoritatisque argumenta explicare, ut et iniuncto tibi ministerio et optatis nostris, ad Dei gloriam et aeternam eiusdem nationis salutem intentis, satisfacias.

Contra contumaces per censuras animadvertat, et decretorum synodi libanensis exsequutionem urgeat.

Praeterea facultatem etiam tibi tribuimus et impertimur, ut auctoritate apostolici nostri commissarii, si opus fuerit, utens in rebelles, contumaces et apostolicis mandatis nostris non obtemperantes, sed adversantes meritis canonicisque poenis et censuris animadvertere possis ac valeas. Insuper, si qua non levis momenti, sive a Patriarcha, sive ab Antistitibus, sive ab omnibus, sive singulis de novo facta, gesta, praescriptaque fuisse cognoveris,

quae contra synodi provincialis libanensis dictae, ab Apostolica hac S. Sede confirmata, statuta, decreta ac mandata re ipsa sint, quorum cognitio ac decisio ad ipsam dumtaxat S. Sedem spectat, omnia ad pristinum statum restitui, et iuxta dictam synodum observari facias, cures et mandes.

Hortatio.

Ceterum, dilecte fili, te iterum rogamus et in Domino hortamur, ut serio animo considerans, et quam ardua sit provincia tibi commissa, et quam amplae facultates ad illam alacrius adeundam et felicius explicandam componendamque attributae, omnia studia, omnes conatus et vires intendas, non ut apostolicam tantum benignitem nostram tibi promerearis, sed ut aeternam etiam in coelis repositam mercedem a bonorum omnium remuneratore Deo, quem unum prae oculis habere debes, consequi possis et valeas. Nos interim ad prosperi successus auspicium tibi apostolicam benedictionem, quam nostro nomine universae nationi mandatis tuis obtemperanti, tuaque salubria monita adimplenti elargiri poteris, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. Iulii MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXXIII.

Relato Tridentinae Synodi decreto de residentia Episcoporum, confirmatis praedecessorum constitutionibus, decernit poenas in contravenientes, atque Congregationem super residentia eiusque sessiones in usum reducit (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Pontificum et Conciliorum sollicitudo quoad residentiam Episcoporum.

Ad universae Christianae Reipublicae statum, ad ecclesiasticarum legum custodiam et fidelium populorum salutem, tam magni refert singulos patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis praepositos, in ipsis ecclesiis vel dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut conciliaribus canonibus atque decretis, aut Apostolicae Sedis constitutionibus et sanctionibus, tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora canonica statuta praetereamus, nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 6, cap. 1, et sess. 23, cap. 1 de Reform.;* tum ea quae rec. mem. praedecessor noster Urbanus Papa VIII. praescripsit in sua Constitutione data apud S. Petrum die XII. decembris anni MDCXXXIV. quae incipit *Sancta Synodus,* et in qua praecedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII. leges et constitutiones retulit, confirmavit et ampliavit. Neque opus est recensere omnes encyclicas literas, quae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos de implendo huiusmodi residentiae onere identidem admonendos, ab hac Apostolica Sede mitti consueverunt; ut patet ex epistola iussu ven. servi Dei Innocentii Papae XI. praedecessoris quoque nostri scripta die V. februarii anni MDCLXXVIII., item ex alia die XXIV. decembris anni MDCCVII. a felic. record. Clemente Papa XI. ad suum et Apostolicae Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius regni praesules ad residendum in propriis ecclesiis et dioecesibus adigerentur; necnon ex eiusdem Clementis literis in forma Brevis datis die XXV. maii anni MDCCIX. ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum et dissensionum, quae tunc in eo regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque Dioeceses.

Quid hac in re praestiterit Sanctissimus Dominus Noster.

Neque porro nos hac in re apostolici officii nostri partes desiderari permisimus. Vix enim inscrutabili divinae providentiae consilio in hac suprema Ecclesiae universalis specula collocati fuimus, quum veterem praedecessorum nostrorum morem in usum revocantes, ad ven. fratres omnium per Orbem ecclesiarum Antistites apostolica scripta direximus, quibus inter caetera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis ecclesiis peculiari studio iis inculcare, et tam gravissima damna, quae ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum praesentia concreditis ipsis dioecesibus affert, ante oculos proponere non praetermisimus, ut videre est *in* § *4.* epistolae encyclicae die III. decembris anni MDCCXL. a nobis conscripta, quae in *Tom. I.* Bullarii nostri nuper vulgati

---

(1) Vide vol. I., pag. 161, Urb. VIII. *Sancta Synodus.*

num. II. impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto et quam acerbo animi nostri dolore nonnumquam acceperimus, ecclesiasticas regulas ab aliquo ex fratribus hac in parte violari et quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per literas, praesentes vero ipsa voce ad debitum residentiae officium revocare. Quin etiam laudabilibus praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, in nostra et Cancellariae Apostolicae regula, quae beneficia ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura nostrae dispositioni et collationi reservavimus, simul etiam eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis residentibus gratiam alternativae mensium, certis modo et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quandiu ipsi apud ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter residerent, de beneficiis huiusmodi ecclesiasticis, quae extra Romanam Curiam in februarii aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni apostolicae reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore pontificatus nostri duraturam concessimus; quo scilicet iidem Episcopi et maiorum ecclesiarum praesules, ampliorem potestatem in beneficiis praedictis conferendis sic obtinentes, hac etiam apostolicae nostrae liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem residentiam praedictam libentius obeundam adducerentur.

Absentiae causae et tempora a Concilio Trident. permissa.

Quoniam vero et certae quaedam causae adesse possunt et huiusmodi occasiones incidere, propter quas, praevio Romani Pontificis assensu et approbatione, liceat Episcopo e propria Ecclesia et Dioecesi per aliquod definitum tempus abesse; ea vero absentia, quae ad modicum tempus protrahitur, neminem desertae residentiae reum constituit; ideo et in conciliis et in apostolicis constitutionibus ad praecavendos abusus tam circa huiusmodi causarum et occasionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum spatia, providae statutae leges et regulae reperiuntur. Et quidem iustae ac legitimae absentiae causae a praefata Tridentina Synodo *citat. cap. 1, sess. 23,* non aliae agnitae fuerunt, quam christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia et evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas. Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem Sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt et statim sunt reversuri; omnibus ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis, ultra duos, aut tres ad summum menses, sive continuos, sive interruptos, extra proprias dioeceses commorari; eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item et Corporis Christi diebus, ab ecclesiis suis cathedralibus abessent, nisi forte episcopalia munia in aliis dioecesum suarum locis eos detinerent; eamque praeterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo Gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id *aequa ex causa fiat,* quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur.

Indultum Urbani VIII. a Benedicto XIII. ampliatur, pro Episcopis recens in Urbe promotis.

Praefatus autem praedecessor ad peculiares occurrentes casus descendens, Episcopis in Curia promotis unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum esse), quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII. praedecessore pariter nostro, Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit S. R. E. Cardinali suo et Romani Pontificis pro tempore in Urbe eiusque districtu Vicario, ut praefatum unius mensis terminum, iuxta casuum contingentiam, et causa cognita, ad alios quadraginta dies, et non ultra, prorogare posset.

Item pro visitantibus Limina Apostolorum,

Praeterea Episcopis ad sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus, supradictus Urbanus praedecessor indulsit, ut, ecclesiis citra montes et citra mare positis praesiderent, per quatuor; qui vero ultramarinis et ultramontanis ecclesiis praeessent, per septem menses continuos a residentia in suis respective sedibus facienda huiusmodi visitationis gratia, excusarentur.

Decreta ad praecavendos abusus.

Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea, quae in suis praefatis literis constituerat, minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a concilio indultam; hinc plures ortae quaestiones et varia condita sunt decreta, ab eodem Urbano eiusque successoribus approbata; cuiusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam praedictam coniungere, sive cum eo tem-

pore, quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum visitationem eisdem concessum fuit: neque fas esse absentiae tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est praedictos menses coniungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris insalubritatem, alicui Episcopo permittitur extra dioecesim degere; ne scilicet continuatis absentiae temporibus, vernos simul et aestivos menses, sive aestivos una cum autumnalibus, extra dioecesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, praedictam trium mensium vacationem intra cuiusque anni limites coerceri, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

Et Episcopis S. R. E. Cardinalibus.

Et quoniam Tridentina Synodus sub legibus de residentia huiusmodi ipsos etiam S. R. E. Cardinales nominatim comprehendit; praefatus Urbanus praedecessor, advertens nonnumquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui patriarchali, seu metropolitanae, aut episcopali ecclesiae praepositus, unum simul ex episcopalibus suburbicariis obtineret, constituit, ut huiusmodi Cardinales in primodictis ecclesiis, non autem apud episcopatus suburbicarios, residere tenerentur.

Denique tam in praedicto Concilio, quam in citata Urbani Constitutione, contra transgressores huiusmodi legum, quae ad residentiam pertinent, gravissimae poenae statutae fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit auditori causarum Curiae Camerae Apostolicae: verum biennio post totam huius materiae cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatae, quam compositam esse voluit ex tunc et pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, nec non eiusdem Pontificis Datario et Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac interpretationi et executioni decretorum praedicti Concilii Tridentini respective praepositorum. Et quidem praedicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, iustis ex causis, et cum consilio praedictorum praelatorum, concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis ecclesiis et dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani literis datis die prima ianuarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti distinctius praescribitur.

Congregatio super residentia ab eodem Urbano VIII. erecta.

Huius Congregationis Caput, seu praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum eiusdem secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a secretis; unde etiam nos ipsi, dum in minoribus constituti officio secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus secretarii alterius congregationis super residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quae sane Congregatio, ut ex illius secretariae regestis apparet, tam ipsius Urbani praedecessoris temporibus, quam aliis subsequentibus, non semel singulis annis adunari consuevit; id quod a san. mem. praedecessore pariter nostro Clemente Papa XI. in usum revocatum fuit et identidem peractum, nobismetipsis praefatum secretarii munus obeuntibus, confectisque a nobis et impressis foliis, ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Huius Congregationis praxis.

Ut autem Episcopi a suis ecclesiis vel dioecesibus licite abesse possint, quum praeter causam canonicam expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria; excepto casu praedictae trimestris absentiae a concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat, de aequitate causae iudicium facere; hinc est, quod quaecumque huius generis licentia olim indulgeretur, per speciale chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes huiusmodi licentias in unico folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur; quem sane morem a praedecessoribus secretariis invectum, nos quoque servavimus.

Quam olim intermissam Pontifex restaurare intendit.

Cum autem post absentiam duodecim annorum quorum duos apud Anconitanam, et decem apud Bononiensem Ecclesias regimini nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi et ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; congregationis praefatae sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari

comperimus; neque porro chirographa, aut folia signanda nobis oblata fuerunt; sed, facta nobis oretenus a praelato dictarum congregationum super executione et interpretatione concilii et super residentia Episcoporum secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a residentia postulabant, quam causarum, quibus huiusmodi petitiones innitebantur, relatione, nostroque desuper accepto responso; opportuna singulis decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario nostro, tamquam saepedictae Congregationis super residentia Episcoporum praefecto, signari consueverunt. Verum, quum nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam iudicaverimus, visum est nobis motu proprio et ex certa scientia, non solum pro debita, ut aiunt, actus solemnitate, sed etiam pro ipsius rei subsistentia et pro maturiori examine causarum, quae ad huiusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, edicere et constituere.

Canonica et pontificia statuta confirmat et innovat, contrariis non obstantibus

Primum itaque relata superius Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, *sess. 6, cap. 1, et sess. 23, cap. 1 de Reformat.*, laudatasque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII. et Urbani pariter VIII. constitutiones et ordinationes, nec non omnes et singulas, quas supra innuimus, resolutiones Apostolicae Sedis auctoritate editas, innovantes et tam decretorum quam constitutionum, ordinationum et resolutionum huiusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes et haberi volentes; illaque et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes et confirmantes; omnia et singula in ipsis contenta, ab iis, ad quos spectat et pro tempore in posterum spectabit, attendi, et in his omnibus, quae nostris hisce literis non adversentur, exactissime impleri et observari volumus, statuimus et in virtute sanctae obedientiae mandamus, atque praecipimus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, quae potius abusus et corruptelae dici debent, quibus, si forte adesse aut allegari contingat, motu ac scientia simili, ac de praedictae apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, derogamus, ac derogatum esse volumus et decernimus.

Item poenas in contravenientes latas.

Secundo loco et consequenter ad praemissa, adversus praedictarum legum et constitutionum transgressores, omnes et singulas poenas in eisdem decretis et constitutionibus latas et comminatas, auctoritate quoque nostra confirmamus et innovamus; amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento, seu iustis et rationabilibus causis cessantibus et absque expressa, ut praefertur, Apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerint; et amissionis alterius quartae partis fructuum, eodem modo incurrendae, ubi huiusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur; ut in praedicto Concilio Tridentino *sess. 6, cap. 1 de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam praevia declaratione, eosque erogandi in ecclesiarum fabricas, seu in substentationem pauperum ipsius loci, quacumque conventione seu compositione pro huiusmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *sess. 23, cap. 1,* praescribitur. Similiter impositam a praedicto Pio IV. praedecessore poenam amissionis facultatum testandi et disponendi, si quae transgressoribus huiusmodi competere dignoscantur; nec non inhabilitatis ad maiores dignitates et ecclesias obtinendas, quam praefatus quoque praedecessor Clem. VIII. indixit, per omnia confirmamus et innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus et singulis indultis et privilegiis, quae forsan ipsis, tamquam pontificio solio assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur: decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui praeter tres menses a concilio toleratos, absque legitima causa et expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias dioeceses commorantur; sed eos etiam, qui huiusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint; vel, ea semel rite recteque obtenta, praescriptos in eadem limites, ac praefinitum tempus praetergressi fuerint. Quod si nihilominus, aliqui, non minus canonica statuta, quam propositas huiusmodi poenas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare praesumpserint; volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, iuxta mentem eiusdem Concilii Tridentini, quod in

Addita poena privationis indultorum competentium assistentibus solio pontificio.

citato cap. 1, sess. 6, Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae sedis auctoritate in huiusmodi transgressores ad severiorem sacrorum canonum normam animadvertat, atque etiam ecclesiis ipsis de utilioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Congregationem super residentia, eiusque sessiones in usum reducit.

Tertio loco volumus et mandamus, ut praedictae Congregationis super residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII. institutae exercitium atque sessiones resumantur; confirmantes ipsius praefecturae munus dilecto filio nostro Ioanni Antonio tituli Sancti Martini in Montibus presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, moderno nostro in Urbe eiusque districtu in spiritualibus Vicario, eiusque in officio Vicariatus huiusmodi successoribus; sicut etiam officium secretarii eiusdem congregationis dilecto filio magistro Ioseph Alexandro Furietto, eiusque successoribus Congregationis Cardinalium Concilli Tridentini interpretum secretariis; eosdemque statuentes in huiusmodi congregatione nunc et deinceps pro tempore locum habere et suffragium ferre, quicumque ea officia et munera obtinent sive obtinebunt in posterum, quae in praecitatis Urbani praedecessoris literis designantur. Praeterea quum minime expediat huiusmodi congregationem promotore Fiscali carere, nos eum, qui in tribunali praedicto Cardinalis Vicarii Urbis Officium gerit promotoris fiscalis, eiusque in officio successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in praefata congregatione, cui ipsum, seu ipsos, cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si congregatio isthaec toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a dioecesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi et parvipendi posset; volumus, atque statuimus, eamdem tunc tantum cogendam habendamque esse, quum aut a nobis, sive a successoribus nostris Romanis Pontificibus, alicuius negotii cognitio ipsi remissa et delegata fuerit, aut, huiusmodi etiam remissione cessante, quoties de poenis superius constitutis, adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque, deliberandum fuerit; siquidem huiusmodi poenarum modus, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, ab eadem congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius secretarium nobis, seu successoribus nostris, relatione, approbataque congregationis resolutione, ad huiusmodi poenarum executionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria dioecesi ratione alicuius muneris sive officii, cuius ea dicatur natura esse, ut apostolicum indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; nos etenim huiusmodi indulta nemini umquam concedi debere decernimus, nisi praevio causarum examine in eadem Congregatione peragendo, nostraque et successorum nostrorum scientia et approbatione, et mediante expeditione literarum apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis supplicum libellorum secretario, aliisque secretariis quarumvis congregationum, quibus ea de re preces oblatae fuerint, ut illas in praedictam congregationem super residentia Episcoporum omnino remittant; simulque prohibemus nostro et successorum nostrorum pro tempore secretario Brevium, ne literarum apostolicarum super indultis huiusmodi exempla nobis aut successoribus nostris signanda, ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de apostolica approbatione, et assensu consequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

Eique deputat promotorem fiscalem.

Praescribit occasiones, quibus adunari debeat.

Folia, cum expressione indultorum, quae conceduntur ad Pontificis signaturam deferri mandat.

Quarto loco statuimus, ut folia superius enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur indulta commorandi extra dioecesim, una cum causis ab ipsis adductis atque probatis, et spatio temporis ad quod huiusmodi indulta conceduntur; quae quidem folia a Romano Pontifice subscripta, in tabulario praedictae congregationis, ut alias, asservari praecipimus. Quod tamen intelligi volumus non de iis indultis, quae per apostolicas literas in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus; sed de alterius generis indultis, de quibus infra dicendum erit, quaeque, post pontificium assensum a secretario requisitum et obtentum, expediri debebunt per decreta a praedicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam praefatae congregationis praefecto, subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente signatura Pon-

tificis super praedictis foliis, in quibus singulorum indultorum tenores et causae a secretario descriptae erunt; quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a nobis ipsis, dum huiusmodi secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

Singulis ab-[...]trae causis [...]certona re-[...]scripta comparat.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod, ad obtinenda indulta commorandi extra dioecesim, infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent: nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti seu controversiae, in qua ecclesiae, aut cleri sui, vel etiam propriae familiae, res agatur, quaeque in Romana Curia introducta sit vel alia in Urbe, in qua resideant maiora tribunalia, quorum ea de re iudicium esse debeat; aut corporalis aegritudo, qua correptus fuerit Episcopus, dum extra dioecesim, conciliaribus mensibus utens, morabatur, itaut ad eamdem dioecesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa dioecesi contracta, ad quam depellendam medici putent necessarium fore, Episcopum aerem et solum aliquantisper mutare, aut denique malignitas aeris in dioecesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat: et quoniam nec ulla ex praemissis causis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest, et nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad huiusmodi approbationem rite recteque procedere; necessarium nobis visum est infrascriptas regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari mandamus, atque praecipimus.

An, et quatenus permittendum Episcopo, ut a dioecesi absit causa litis.

Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a dioecesi sibi concredita, ut iudiciali controversiae, quae alibi vertitur, per se ipsum intersit; exprimere debebit in precibus tum locum, sive Urbem, in qua huiusmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipsam oratoris ecclesiam, seu clerum vel potius ad ipsius familiam. Et quidem si ad familiam pertineat, absque eo quod secretarius Congregationis Pontificem aut Cardinalem praefectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a conciliis indultis. Quod si eis iam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si vero de eius ecclesiae vel cleri rebus agatur, exponi debebunt tum status litis eiusdemque gravitas, tum causae, propter quas necessaria creditur in loco iudicii oratoris praesentia; tum etiam declarandum, an mensibus conciliaribus usus fuerit. Et quidem, si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in huiusmodi causam impendant. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit (qua in re nec dolus nec fraus intercesserit, et alioquin ipsius instantia iusta videatur), tantum illi temporis, et non amplius, ad commorandum extra dioecesim tribuatur, quantum iudicatum fuerit necessarium esse ad causae defensores, advocatos et iudices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque dioeceses complurium annorum spatio pastorum praesentia carerent.

Quid ratione infirmitatis extra dioecesim contractae.

Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra dioecesim contractae dum vacatione a concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam dioecesim sibi prohiberi; exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium medici iuramento firmatum exhibere. Atque, ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adiecta quoque clausula *si tamdiu infirmitas duraverit*.

Quid ad convalescendum ex morbo in dioecesi contracto.

Ab iis autem, qui huiusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos in suis ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui iureiurando testetur, utile ac necessarium oratori esse, ut in aliam regionem, atque aerem, per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum, an scilicet orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a concilio permissa usus fuerit: si enim id nondum fecerit et tempus a concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat: at, si praedictos conciliares menses, remoto omni dolo et fraude, iam extra dioecesim transegerit, tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius va-

letudinem vere necessarium esse prudenter iudicabitur.

Quid ratione aeris insalubris.

Qui tandem licentiam commorandi extra dioecesim postulabit propter malignitatem aeris, quem in sua dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat. Et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit regionis aer: item an eadem coeli temperies totam comprehendat dioecesim, itaut nullus intra eius tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremo an conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a concilio permissi numerandi erunt: si autem huiusmodi concilii indulgentia iam usus fuerit, frustra novum indultum praedicta de causa ab Apostolica Sede postulabit; sibique imputare debebit, quod, quum sciret certo anni tempore in sua dioecesi aerem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae indultis, quae ratione aeris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adiici volumus: ***Dummodo intra dioecesim aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit, et in quo Episcopus commorari possit.***

Quid pro celebrandis conciliis, assembleis, diaetis etc.

Sane praedictus Urbanus praedecessor non praetermisit eorum Antistitum causam considerare, qui provincialibus conciliis, vel congregationibus, seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut Reipublicae officiis, quae ipsorum episcopatibus, ecclesiisque adiuncta sunt, ad certum tempus extra dioecesim occupari solent, ac debent; et his quidem in praecitata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo eiusmodi concilia, congregationes et assembleae peragentur, exercitiumque muneris, seu officii publici eorum ecclesiis adiuncti, actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad ecclesias sibi commissas sese conferrent; cuius concessionis aequitatem nos quoque agnoscentes, eamdem approbamus et confirmamus. Sed, quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis qui a residentiae suae loco discedunt pro processuum in causis Beatificationum aut Canonizationum compilatione, apostolica auctoritate ipsis delegata; necesse est aliquid a nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

Quid pro construendis processibus apostolicis in causis canonizationum.

Expediuntur a Congregatione sacrorum Rituum literae, quas vocant remissoriales et compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti processus auctoritate apostolica conficiantur; eaeque diriguntur tribus Episcopis, aut superioribus praelatis, cum clausula, ut *duo ad minus procedant.* Cumque in huiusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo processus construitur; fere contingit, e tribus, ad quos literae sunt directae, unum dumtaxat a residentia avocari. Ubi itaque aliquis Episcopus titularis ecclesiae in partibus infidelium constitutae haberi possit, volumus eum in praefatis literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres omnino Antistites in propriis ecclesiis residentes ad huiusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque praecipimus, ut literae a praedicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt dioecesi, in qua apostolicus processus conficiendus erit. Quoniam vero de re agitur, quae duabus tribusve hebdomadibus perfici nequeat, sed quae plurium saepe mensium, aut etiam annorum, operam requirit; volumus, ut Episcopi, qui eiusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a dioecesi, causam absentiae exprimendo, petere et impetrare non omittant, sub poenis adversus eos constitutis, qui absque causa extra dioecesim commorantur. In huiusmodi autem licentiis concedendis, statuimus, ut conciliares menses semper comprehendantur, et, praeter eos, triginta dumtaxat dies, si opus fuerit, adiiciantur; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est, et, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

De praemissorum observantia præceptum.

Haec sunt, quae salubriter in Domino statuenda iudicavimus, quaeque pro regula et norma in posterum haberi volumus, ut a venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gravissimum, quod ipsis incumbit, residentiae officium exacte impleatur. Itaque dilecto filio moderno praefatae Congregationis super eadem residentia secretario, eiusque successoribus in perpetuum, iniungimus et in virtute sanctae obedientiae, sub poenis contra inobedientes mandatis apostolicis in re gravi, praecipimus, atque iubemus, ut supplices libellos pro parte quorumcumque An-

tistitum sibi oblatos, in quibus ea, quae supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superius pariter indicata, non sint adiuncta nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant. In decretis autem, quae post pontificium assensum ab ipsis secretariis in consueta audientia reportatum, a Cardinali eiusdem congregationis praefecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non praetermittant; illud etiam expresse cavendo, ut quae concedentur indulta, a die datae ipsorum decretorum decurrere intelligantur.

De onere denunciandi non residentes.

Denique venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de residentia leges adamussim observent, sed etiam memores sint decreti a Sacra Tridentina Synodo editi *sess. 6, cap. 1, de Reformatione,* quo iubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigilare, et non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Nostris quoque et Apostolicae Sedis Nuntiis hoc idem demandamus et iniungimus; ubi intra ipsorum nuntiaturae districtum aliquis Episcopus seu superior praelatus existat, qui canonicas leges hac in parte violare dignoscatur.

Specialis commissio Nuntio Apostolico Neapoli commoranti iniuncta.

Et quia nobis relatum est, nullibi frequentius praedictas leges ab Episcopis violari, quam in proximo Neapolitano Regno (neque vero id mirum in tanto eorumdem numero), volumus, atque statuimus, ut in indultis absentiae, quae pro Episcopis praedicti regni in posterum expediri contingat, ad caeteras clausulas superius praescriptas, haec etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris et momenti habeatur. Nos siquidem praedicto Nuntio earumdem praesentium tenore committimus, ut huiusmodi licentias in acta sui tribunalis referri faciat, itemque de causis, propter quas concessae fuerint, inquirat, ac tempus in iis praefinitum observet, ad hoc scilicet, ut et per eum resciri possit, si quid obreptum, aut subreptum fuerit in precibus; et ipsum latere nequeat, si quis praescriptos sibi limites transgrediatur, sive absque necessario Apostolicae Sedis indulto, extra tempora a concilio permissa, longe ab ecclesia et a dioecesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut nobis pariter relatum fuit, dioeceses suas deserunt et, non quidem in Urbem Regni principem, ubi apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt, eiusdem Regni civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat; iniungimus eidem Nuntio, ut per officiales suos, atque ministros, quos in omnibus dioecesibus retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicumque a propriis dioecesibus recedunt: ut et ii, qui obtentis licentiis abutuntur, et multo magis ii, qui proprio marte se gerere praesumunt (quum vel absque praevia licentia, praeter tempus a concilio indultum, a suis dioecesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, huiusmodi licentiam, statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere et impetrare non curant), severiorum sacrorum canonum et apostolicarum sanctionum censurae subiiciantur.

S. R. E. Cardinales praemissis legibus expresse comprehenduntur.

Caeterum intendimus sub praesentium literarum nostrarum ordinatione et dispositione etiam ipsos venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praedictis ex concessione et dispensatione apostolica nunc praesunt et in futurum praeerunt, comprehendi ac comprehensos esse et fore.

Litterarum firmitati consulitur.

Praesentes quoque literas, omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, et praesertim eiusdem S. R. E. Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et causa, etiam necessario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis iuris, facti vel gratiae remedium impetrari nullo unquam tempore posse; sed semper perpetuoque valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, perinde ac si in consistorio nostro secreto et de eorumdem fratrum nostrorum con-

Sublato etc. irritum etc.

silio et unanimi consensu emanassent. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, nec non praedictae S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, praedictamque Congregationem super residentia deputatam, et quoscumque alios quavis auctoritate et potestate fungentes nunc et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi et definiendi facultate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogationes.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in universalibus, generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis vel edendis, nec non, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque, etiam iuratis consuetudinibus, etiam diuturnis et immemorabilibus, dictarum respective ecclesiarum, nec non licentiis, privilegiis et indultis etiam apostolicis, eisdem ecclesiis, earumque praesulibus quomodolibet hactenus concessis, omnibusque et singulis aliis, quae praedictus Urbanus suarum literarum firmitati et executioni voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Publicationis vis, et exemplorum auctoritas.

Ut autem eaedem praesentes, et in eis contenta quaecumque, ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis illorum ignorantiam praetendere possit; volumus, quod eaedem praesentes per aliquem, seu aliquos ex cursoribus nostris, ad valvas Basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae et in Acie Campi Florae de Urbe publicentur, et earum copiae ibidem affigantur, et affixae relinquantur, quae sic publicae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, arctent et afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatae et notificatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud ubique locorum, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum ordinationum, constitutionum, derogationum, praeceptorum, statutorum et decretorum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVI., tertio nonas septembris, pontificatus nostri anno VII.

LXXXIV.

Suas literas adversus confessarios exquirentes a poenitentibus complicum nomina confirmat et ad omnes ubique locorum extendit (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Abusus in administrando poenitentiae Sacramento inductus

Ad eradicandum pravum zizanii semen, quob ab adversario generis humani in Agro Dominico sparsum, per Lusitaniae primum regiones pullulare compertum fuerat, ubi nimirum apud nonnullos confessarios, in administrando Sacramento Poenitentiae, perversa quaedam et absurda praxis, ecclesiasticis regulis contraria, eidemque sacramento iniuriosa, et ad avertendos fideles ab ipsius salutifero usu quammaxime tendens, introduci coeperat; pro imposito nobis vigilandi debito, apostolicas in forma Brevis literas direximus venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, per Portugalliae et Algarbiorum regna atque ditiones constitutis, quas deinde per alias nostras sub plumbo expeditas literas, nuper, quarto nimirum nonas elapsi mensis iunii, confirmavimus et innovavimus, adiectis nonnullis ordinationibus et declarationibus, quas ad meritas poenas tam delinquentibus, quam contrarium tenentibus, sive docentibus, irrogandas, et ad rectum adversus eos procedendi ordinem in praedictis Regnis et ditionibus servandum, opportune expedire in Domino iudicavimus.

Aliis literis SSmi Dni Nostri damnatus fuit.

Earum autem literarum, quas ad huiusmodi erroris et abusus reprobationem primum edidimus, hic tenor erat:

---

(1) Vide supra *Suprema animarum — Ubi primum.*

Sequitur integer tenor literarum Sanctissimi Domini Nostri supra relat.

Dictarum literarum confirmatio necessaria.

Quoniam vero nullam Pastoralis vigilantiae cautelam superfluam esse ducimus, ubi de fidelium animarum pernicie, deque subvertenda sanae doctrinae integritate et recta sacramentorum administratione periculum subesse dubitetur; neque vero ignoramus, alibi quoque auditas esse poenitentium querelas de importunis nonnullorum confessariorum perquisitionibus, pro investigandis complicum nominibus aliisque notitiis, iuxta praxim in praeinsertis nostris apostolicis literis relatam atque damnatam; erroneas vero quorumdam doctorum hac de re opiniones vel pravas aliorum recte opinantium interpretationes et applicationes, in eisdem literis enunciatas, aliquibus arridere; nec satis eliminatas reputari per ipsas praemissas literas, quas, utpote ad Lusitaniae Regnorum atque ditionum opportunitatem accommodatas, et pro iisdem solummodo emanatas, generalis definitionis et legis vim auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negatum fuit. Ideo nos, motu proprio, atque ex certa scientia, huius nostrae generalis sanctionis tenore, ac de apostolicae potestatis nostrae plenitudine, easdem praeinsertas literas iterum confirmantes et roborantes, decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum ac temporum, apostolica auctoritate reprobatam atque damnatam esse, et censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in praefato nostro Brevi contentam docere, scribere aut loqui, eamque impugnare, aut perverse interpretari vel ipsi actu contraire; sub poenis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica reiectas et condemnatas; et respective adversus contrafacientes mandatis apostolicis et ecclesiasticis sanctionibus statutis atque praescriptis.

Unde praesentibus confirmantur, et ad omnes ubique locorum extenduntur.

Clausulae pro generali et perpetua literarum observantia.

Decernentes easdem praeinsertas, nec non praesentes nostras apostolicas literas, nullo, ex capite, colore, aut praetextu, de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed semper firmas, validas et efficaces existere et perpetuo fore, atque omnes ubique terrarum cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, et tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum Regulares, quocumque privilegio munitos, aliosque etiam speciali mentione dignos, afficere et arctare, ac suos ubique plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat, seu pro tempore spectabit, exacte et inviolabiliter observari debere.

Derogationes.

Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, et contra haereticam pravitatem generales Inquisitores, Legatos quoque de latere et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosque quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis apostolicis et in universalibus sive provincialibus aut synodalibus conciliis editis generalibus sive specialibus constitutionibus et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis cuicumque personae, sive Ordini, Instituto, Societati et Congregationi, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibuslibet clausulis, atque decretis, etiam motu et apostolicae potestatis plenitudine similibus, in contrarium forsan concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores praedictos pro sufficienter et de verbo ad verbum expressis et insertis, formasque huiusmodi pro plene et exacte observatis habentes, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

De effectu publicationis, et exemplorum auctoritate.

Ut autem eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur et ne aliquis illorum ignorantiam praetendere possit, volumus easdem per aliquem seu aliquos ex cursoribus nostris ad valvas Basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae, aliisque consuetis Urbis locis publicari, earumque copias ibidem affigi et affixas relinqui; quae sic publicatae et affixae, omnes et singulos, quos

concernunt, arctent et afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatae et notificatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio et extra illud, ubique locorum, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, reprobationis, condemnationis, prohibitionis, sanctionis, et voluntatis infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXLVI., quarto kalendas octobris, pontificatus nostri anno VII.

LXXXV.

De divisione disponit territorii Episcopatus Fluminis Ianuarii in Brasilia, et nova erectione Episcopatuum Mariannensis et Sancti Pauli; nec non praelaturarum Goiasiensis et Cuiabaensis etiam in Brasilia (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

MOTU PROPRIO ETC.

Prooemium. Candor lucis aeternae, et Imago Bonitatis Divinae, Unigenitus Dei Filius Iesus Christus Dominus Noster, illuminans mirabiliter de excelso sancto suo usque ad longinquum Orbem terrarum suscitavit in corde charissimi in Christo filii nostri Ioannis hoc nomine Quinti Portugalliae et Algarbiorum Regis illustris spiritum sapientiae et intellectus, ad manifestandum gentibus magnalia supernae virtutis suae, ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus conspector saeculorum, et ad confortandum habentes mysterium Fidei, illosque dirigendum ad viam salutis ambulantes in lenitate Nominis sui.

Sollicitudo Regis Portugalliae, ut eius subditi in America Episcopum vicinum habeant. Hoc sane spiritu ductus Ioannes Rex praefatus mentis suae aciem convertit ad partes Americae dominio suo in temporalibus subiectas, prospiciensque in provincia Brasiliensi Fluminis Ianuarii dioecesim, benedicente Domino, per manus evangelizantium nomen sanctum eius a primaeva sui episcopatus fundatione eo longitudinis protentam, ut a remotioribus illius locis preces et querelae populorum ad Antistitis auditum, anno nisi transacto, pervenire nequeant; hinc timendum, ne qui fuerunt aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino, ambulent vigilantes, ut filii lucis, et per bona opera certam suam vocationem et electionem facientes; sed rursus abalienati sint in confusionem, et facti abominabiles, unde illud prophetae inducatur super eos: ***Adducti sunt quasi Grex: Affligentur, quia non est eis Pastor,*** nisi ille, ***qui delicta non visitabit, dispersum non quaeret, et contritum non sanabit, et id, quod fiat, non enutriet:*** Nobis propterea per dilectum filium Emmanuelem Pereyra de Sampaio Commendatorem Militiae Domini nostri Iesu Christi regiis Lusitaniae negotiis apud nos et Sanctam Sedem praepositum nuper exponi fecit, quod, si amplissima dioecesis huiusmodi in unum Fluminis Ianuarii iam existentem pro uno, et in alium in Sancti Pauli pro alio, ac in reliquum Episcopatus in Mariannae Civitatibus dictae dioecesis, ut infra, erigendos, pro reliquo Episcopis et Pastoribus; nec non in unam super Goiasiensi pro uno, ac in alteram praelaturas similiter, ut infra, erigendas super Cuiabaensi territoriis eiusdem dioecesis pro altero praelatis divideretur, qui populos suae curae respective commissos vel de potestate tenebrarum eriperent, perducentes eos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni; vel transcensis fidei rudimentis erudirent ipsos in operibus iustitiae, ea, quae sursum sunt, quaerendo, et ea, quae sursum sunt, sapiendo; ex hoc profecto tot incommodis praefatis, tantis animarum periculis et spirituali earumdem profectui opportune consultum foret.

Petitio a dicto Rege Pontifici facta super divisione Episcopatus Fluminis Ianuarii.

Sensus Pontificis. Haec ut percepimus, primum manus nostras levavimus ad eumdem Unigenitum Dei Filium, cuius vices, licet immeriti, gerimus in terris, gratias enixe agentes de tam ferventi praefati Ioannis Regis charissimi filii nostri, filii vere in Christo

---

(1) Ex Bull. Pont. de Prop. Fide.

charissimi, spiritu sibi caelitus effuso: inde ad pastoralem solicitudinem nostram respicientes, votis eiusdem Ioannis regis catholica pietate dignis nobis superius expositis propensius ac celeriter annuimus.

Qui dioecesim Fluminis Ianuarii in quinque dividit partes.

Quare in praemissis, ut praefertur, providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac gloriosae eius Genitricis Mariae, totiusque curiae coelestis honorem, et ipsius Fidei Catholicae exaltationem dictam dioecesim Fluminis Ianuarii in quinque partes dividimus.

Unam antiquo episcopatui relinquit.

Ac unam antiquo episcopatui Fluminis Ianuarii relinquimus, quae ab infrascripta dioecesi Sancti Pauli versus Austrum per limites praefecturarum saecularium Fluminis Ianuarii, et Sancti Pauli usque ad fluvium Paraibam separetur; inde per istummet fluvium usque ad cataractam maiorem, qua per montes ad campestria Goaitacasim dicta erumpit; a loco vero Cataractae praefatae per summos eorumdem montium vertices a Mariannensi dioecesi infrascripta disterminata remaneat, donec archiepiscopatus Sancti Salvatoris territorium attingat, cum quo idem servet confinium dictus episcopatus Fluminis Ianuarii, quod hactenus habuit.

Assignat secundam episcopatui Sancti Pauli.

Ac aliam episcopatui Sancti Pauli, cuius cum alia Fluminis Ianuarii usque ad Paraibam supra indicati sunt limites, quaeque ex illo fluvio usque ad alium magnum, sive Paranaensem nuncupatum a dioecesi Mariannensi infrascripta per terminos inter praefecturas Sancti Pauli et Fluminis Ianuarii, ac Aurifodinarum generalium constitutos distinguatur; inde per ipsum fluvium magnum, quaecumque ditionem Portugalliae Regis interfluit, a praelatura Goiasiensi, ut infra, erigenda disiungatur.

Tertiam episcopatui Mariannensi.

Ac aliam episcopatui Mariannensi, quae ab aliis episcopatibus Fluminis Ianuarii et Sancti Pauli, ut supra, divisa de caetero a praelatura Goiasiensi, ut infra, erigenda per terminos praefecturarum saecularium Sancti Pauli et Aurifodinarum generalium separata remaneat, ac erga praefatum archiepiscopatum Sancti Salvatoris, et episcopatum Pernambucensem antiquos praefati episcopatus Fluminis Ianuarii limites retineat.

Quartam Praelaturae Goiasiensi.

Ac aliam praelaturae Goiasiensi, quae a praefatis episcopatibus Sancti Pauli et Mariannensi, ut supra, divisa eisdem circumsepta limitibus erga Pernambucensem, Maragnonensem et Paraensem episcopatus remaneat, quos nunc habeat praefata dioecesis Fluminis Ianuarii.

Et quintam Praelaturae Cuiabaensi.

Ac reliquam praefatae dioecesis Fluminis Ianuarii divisae huiusmodi partes praelaturae Cuiabaensi, ut infra, respective erigendis, quae a praefata praelatura Goiasiensi per terminos inter audientiam, vulgo *Ouvidoria*, Cuiabaensem et duas alias Goiasiensem et Sancti Pauli constitutos separata remaneat, respective assignamus.

Nova erectio dictorum duorum episcopatuum, et ecclesiarum cathedralium.

Illisque sic divisis et assignatis in earum secunda civitatem Sancti Pauli cum suo in unum Sancti Pauli, et in earum tertia civitatem Mariannensem cum suo respective territoriis praefatis in alterum episcopatum Mariannensem respective nuncupandos, ac in praefata civitate Sancti Pauli parochialem ecclesiam eiusdem Sancti Pauli in cathedralem ecclesiam sub invocatione Assumptionis Beatae Mariae et Sancti Pauli, pro uno Sancti Pauli; et in dicta civitate Mariannensi parochialem ecclesiam Beatae Mariae de Carmelo nuncupata, relicta denominatione huiusmodi, in cathedralem pariter ecclesiam sub invocatione eiusdem Assumptionis Sanctissimae Virginis pro altero Episcopis Mariannensi respective nuncupandis, qui illis respective praesint, ac eas ad formam cathedralium ecclesiarum redigi respective faciant, nec non in eis archidiaconatum post pontificalem maiorem et archipresbyteratum secundam, et cantoratum tertiam, et thesauriatum quartam dignitates, necnon decem canonicatus, totidemque praebendas, inter quas theologalis et poenitentiaria nuncupatae praebendae respective existant, cum opportuno et competenti cappellanorum aliorumque ministrorum numero, quas et quos in unaquaque earum praefatus Ioannes Rex ex suis regiis redditibus congrue respective fundare destinat; nec non in eis et dictis civitatibus Sancti Pauli et Mariannensi, et earumdem ecclesiarum dioecesibus alia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, quae inibi divino cultui et dictarum ecclesiastici cleri decori sibi respective videbuntur convenire, de praefati Ioannis, et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum Regis consilio et assensu, ac praevia earum et eorum congrua respective dotatione, quamprimum fieri poterit, respective erigant et instituant; necnon episcopalem iurisdictionem, auctoritatem et potestatem exercere, omniaque, et singula, quae ordinis, quae-

que iurisdictionis et cuiuslibet alterius muneris episcopalis sunt, et quae alii tam in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis, quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis ecclesiis, civitatibus et dioecesibus de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet ex privilegiis, gratiis, et indultis, ac dispensationibus apostolicis, quaecumque fuerint, etiam per literas apostolicas eis desuper nominatim et in specie concessas auctoritate et facultate suffulti, facere, et quibus uti solent et possunt, pariformiter aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia, perinde ac sibi quoque nominatim et in specie concessa et expressa respective fuissent, etiamsi talia sint, quae specialem notam et mentionem requirant, et sub generali concessione non veniant, in suis respective dioecesibus Sancti Pauli et Mariannensi facere, gerere et exercere libere et licite possint et debeant; ac pro tempore existenti Archiepiscopo Sancti Salvatoris iure Metropolitano, prout ante divisionem et assignationem praefatas Fluminis Ianuarii existebat, respective subsint, cum sede, mensa, aliisque insigniis episcopalibus, necnon praeeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus et gratiis spiritualibus et temporalibus, personalibus, realibus et mixtis, quibus caeterae cathedrales ecclesiae regnorum et dominiorum praefatorum similiter de iure vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu indulto apostolico vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de simili potestatis plenitudine, apostolica auctoritate praefata perpetuo respective erigimus et instituimus.

Assignatio civitatis et dioecesis. Ac eisdem sic respective erectis ecclesiis Sancti Pauli videlicet, civitatem Sancti Pauli pro civitate, et alia oppida, castra, villas et territoria quocumque nomine nuncupata, quae in secunda parte divisa praefata et eidem episcopatui Sancti Pauli assignata, ut praefertur, continentur, pro dioecesi; Mariannensi vero civitatem Mariannensem pro civitate, et alia oppida, castra, villas et territoria quocumque nomine pariter nuncupata, quae in tertia parte divisa praefata et eidem episcopatui Mariannensi assignata, ut praefertur, continentur pro dioecesi; nec non ecclesiasticas pro respective clero et saeculares personas in civitatibus et dioecesibus huiusmodi pro tempore respective degentes pro respective populo, de potestate et auctoritate similibus etiam perpetuo concedimus et assignamus.

Subiectio cleri et populi. Ac civitatem, clerum et populum Sancti Pauli Episcopo Sancti Pauli; civitatem vero, clerum et populum Mariannensem Episcopo Mariannensi quoad episcopalem ordinariam et Archiepiscopo Sancti Salvatoris pro tempore existenti praefato quoad metropoliticam iurisdictionem et superioritatem de potestatis plenitudine pari etiam perpetuo subiicimus.

Applicatio redituum. Nec non Sancti Pauli et Mariannensi Mensis episcopalibus huiusmodi pro earum respective dote redditus annuos quingentorum septuaginta unius ducatorum auri de camera per ipsum Ioannem Regem assignandos, quam quidem summam idem Ioannes Rex de suis, et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum Regum, huiusmodi bonis gratiose et irrevocabiliter ad hunc effectum donavit et obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit, ex tunc, prout ex ea die et ex nunc, postquam assignati fuerint, ut praefertur, similiter perpetuo applicamus et appropriamus.

Iuspatronatus favore dicti Regis. Et insuper Ioanni Regi et pro tempore existentibus Portugalliae et Algarbiorum Regibus praefatis iuspatronatus et praesentandi personas idoneas ad dictas ecclesias Sancti Pauli et Mariannensem videlicet nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici infra annum, ob locorum distantiam, tam hac prima vice, quam quoties illas deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem praefatum in Sancti Pauli et in Mariannensis ecclesiarum huiusmodi respective Episcopos et Pastores ad praesentationem praefatam, et non alias respective praeficiendas. Ad maiorem vero post pontificalem, ac alias dignitates, canonicatus, praebendas, nec non beneficia, ut praefertur, respective erigenda, cum de Ioannis Regis et pro tempore existentium Regum praefatorum pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primaeva erectione, quam ex tunc deinceps, quoties illa, quibusvis modis et ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eamdem vacare contigerit, Episcopo Sancti Pauli et Episcopo Mariannensi pro tempore respective existentibus infra terminum a iure praefixum similiter per eos ad praesentationem praefati Ioannis Regis et pro tempore existentium Portugalliae et Algarbiorum Regum in ipsis

dignitatibus, canonicatibus et praebendis ac beneficiis instituendas, eadem auctoritate etiam perpetuo reservamus et concedimus; decernentes iuspatronatus et praesentandi huiusmodi Ioanni et pro tempore existentibus Regibus praefatis ex meris fundationibus et dotationibus competere; illique etiam per Sedem eamdem, etiam consistorialiter, quacumque ratione derogari non posse, nec derogatum censeri, nisi ipsius Ioannis et pro tempore existentium Regum praefatorum ad id expressus accedat assensus; et si aliter quovis modo derogetur, derogationes huiusmodi cum inde secutis nullius roboris, efficaciae et momenti fore.

Erectio dictarum duarum praelaturarum.

Quartam vero et quintam partes divisas praefatas et, ut praefertur, praelaturis Goiasiensi et Cuiabaensi et, ut infra erigendis respective assignatas cum illorum respective territoriis, oppidis, villis, locis, nec non clero, populo et personis, ac monasteriis, ecclesiis, collegiis et piis locis, ac beneficiis ecclesiasticis saecularibus et quorumvis ordinum regularibus ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate, correctione, visitatione et potestate pro tempore existentis Episcopi Fluminis Ianuarii, eiusque vicariorum, et officialium, ac solutione quorumcumque iurium eidem Episcopo et dilectis filiis capitulo ecclesiae Fluminis Ianuarii per clerum, populum, ac personas territoriorum Goiasiensis et Cuiabaensis huiusmodi ratione subiectionis, superioritatis, iurisdictionis, aut visitationis etiam dioecesis respective facienda, ita quod de caetero praefatus Episcopus Fluminis Ianuarii aliquam iurisdictionem spiritualem in oppida, terminos, villas et loca, ac clerum et populum, personas, monasteria, ecclesias et loca pia, nec non beneficia ecclesiastica in quarta et quinta partibus divisis et assignatis praefatis, respective existentia exercere, nec eadem beneficia, quae antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut alias disponere, vel fructus, redditus et proventus, iura, obventiones, et emolumenta per eum in quarta et quinta partibus divisis et assignatis praefatis, illarumque respective terminis, territoriis, oppidis, villis et locis praefatis percipi solita de caetero percipere nullatenus possit, dicta auctoritate, ac de potestatis plenitudine pari etiam perpetuo eximimus et totaliter liberamus.

Qualitates et iurisdictio praelatorum.

Illasque sic exemptas et totaliter liberatas, quartam videlicet in unam Goiasiensem pro uno Goiasiensi et quintam in alteram praelaturas nullius dioecesis Cuiabaensem nuncupandas pro altero praesbytero saecularibus, vel cuiusvis Ordinis Regularibus Praelatis Cuiabaensi nuncupandis in Theologia, seu Decretis graduatis, vel alias praevio examine, seu iudicio Ordinarii sui, seu Ordinarii loci, in quo ipsos respective existere pro tempore contigerit, habilibus et idoneis ad alios docendum approbatis, ac per ipsum Ioannem et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum Regem perpetuis futuris temporibus etiam hac prima vice libere, nullius ad hoc requisito consensu, etiam ad tempus sibi benevisum deputandis et constituendis, qui deputationum et constitutionum huiusmodi vigore absque alia Romani Pontificis, seu praefati Archiepiscopi Sancti Salvatoris, aut cuiusvis alterius approbationis, confirmatione, licentia, vel consensu, curam, regimen et administrationem Goiasiensis et Cuiabaensis territoriorum praefatorum, ac cleri et populi tam christiani, quam gentilis, nec non oppidorum, terrarum et locorum in eorumdem territoriorum limitibus, terminis et locis praefatis respective consistentium respective habere, et inibi respective praedicare et praedicari facere, gentilesque praefatos ad orthodoxae fidei cultum convertere procurare et conversis in eadem fide ministrare et confirmare, atque Baptismi gratiam et Confirmationis Sacramentum impendere, et tam illis sic conversis, quam omnibus aliis fidelibus in territoriis huiusmodi, eorumque respective oppidis, terris, villis, locis et limitibus praefatis pro tempore degentibus et ad ea declinantibus sacramenta ecclesiastica et alia spiritualia munera, non tamen ea quae sunt ordinis ministrare et administrari etiam facere et procurare.

Ac quaecumque beneficia ecclesiastica in quarta et quinta partibus divisis, assignatis, exemptis, et liberatis praefatis respective existentia et quae antea ad ipsius Episcopi Fluminis Ianuarii collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, respective conferre, et de illis disponere, ac in eis instituere; calices, campanas, vestimenta, corporalia, et alia paramenta et ornamenta consecrare et benedicere, ecclesias, coemeteria et loca ecclesiastica sanguinis vel seminis effusione, seu alias quomodolibet pol-

luta seu profanata, aqua per ipsos benedicta reconciliare, ipsasque ecclesias et loca sub territoriis Goiasiensi et Cuiabaensi praefatis comprehensa et illorum personas respective visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus, delicta et disciplinam tam in capite, quam in membris inquirere, nec non evangelicae et apostolicae doctrinae, sacrorum canonum et generalium conciliorum decretis et institutis inhaerendo, ubi ea quacumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverint, respective reformare, mutare, corrigere, punire, ac etiam de novo condere.

Nec non beneficiales matrimonialesque, et quascumque alias causas ecclesiasticas et civiles ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes motas et inchoatas, ac interim movendas, cum earum incidentibus, emeregentibus et connexis audire, decidere et, prout iuris fuerit, terminare, seu causas ipsas, alii vel aliis idoneis, modo et forma praefatis cum simili vel limitata potestate pariter audiendas et terminandas delegare.

Ac denique plenam, meram et omnimodam spiritualem et ecclesiasticam, ac ordinariam iurisdictionem tam in foro interiori, quam in exteriori, non tamen in his, quae sunt ordinis, ut praefertur, habere, et eam, ac omnia, et singula alia, quae pro tempore existens Episcopus Fluminis Ianuarii in territorio huiusmodi hactenus habere, gerere, et exercere debuit, potuit et consuevit, similiter et pariformiter, nullaque prorsus differentia, exceptis tamen iis, quae, ut praefertur, sunt ordinis, prout divini cultus augmento, ac ipsorum respectivo cleri et populi animarum saluti expedire cognoverint, respective gerere, facere et exequi; ac pro eorum decenti habitu subtanam cum mantellecta nigri coloris deferre et gestare libere et licite respective possint et valeant; cum omnibus et singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, iurisdictionibus, praeeminentiis, favoribus, gratiis, et indultis, quibus pro tempore existens Vicarius et Administrator in spiritualibus provinciae, seu districtus insulae de Mocambique similiter ordinariam, ut praefertur, iurisdictionem inibi habens, utitur, potitur et gaudet, ac uti, potiri et gaudere potest et poterit quomodolibet in futurum; assignata per dictum Ioannem Regem annua summa biscentum vigintiocto ducatorum auri de camera et iuliorum decem monetae Romanae ex aerario regio cuilibet praelatorum huiusmodi pro tempore existenti pro congrua ipsorum sustentatione respective persolvenda, de potestatis plenitudine pari similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Clausulae.

Decernentes praesentes et desuper conficiendas literas apostolicas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis legitima, iuridica, etiam ex eo quod sedis episcopalis Fluminis Ianuarii ad praesens vacet et proprio pastore et defensore destituta existat, ipsiusque capitulum et canonici, seu quicumque alii cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae in praemissis, et circa ea quomodolibet et ex quavis causa, ratione et actione vel occasione ius vel interesse habentes, aut habere praetendentes illis non consenserint, aut ad id vocati et auditi, et causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis eorumve aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa etiam in corpore iuris clausa, occasione, aliave causa, etiam quantumvis iusta, rationabili, legitima, iuridica, pia, privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari aut ad terminos iuris reduci vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu simili, concesso, aut

impetrato vel emanato uti, seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes et desuper conficiendas literas apostolicas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, et Sedem Apostolicam praefatam etiam Motu simili, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, pro tempore factis, et concessis, ac faciendis et concedendis comprehendi, sed tamquam ad fidei catholicae propagationem et spiritualem animarum profectum tendentes semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse et fore.

Aliter iudicari prohibetur. Sicque et non alias in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, ac alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativa et privilegio, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque iudicio, et in quacumque instantia iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogat contrariis. Non obstantibus Lateranensis Concilii ab ecclesiis membra distingui et dividi prohibentis, ac nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo et dismembrationibus committendis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Fluminis Ianuarii etiam iuramento roboratis statutis, ac fundatione, erectione et institutione, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem ecclesiae Fluminis Ianuarii, illiusque praesuli pro tempore existenti, capitulo et canonicis, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie etiam Motu simili, ac etiam consistorialiter, vel alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium validissimum effectum hac vice dumtaxat, latissime et plenissime, ac sufficienter, nec non specialiter et expresse motu simili derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio P.

Et de divisione, assignatione, erectione, institutione, subiectione, applicatione, appropriatione, reservatione, concessione, decreto, exemptione, liberatione, derogatione, aliisque praemissis, ut supra, in literis latissime extendendis, et quod praemissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in literis cum clausula perpetuo et ad perpetuam rei memoriam separatim, et quoad praelaturas praefatas per Breve nostrum, seu officium minoris gratiae etiam separatim expediendas. Volumus autem, ac statuimus et ordinamus, quod respective clerus et populus, aliique incolae et habitatores sub praelaturis Goiasiensi et Cuiabaensi per praesentes erectis huiusmodi comprehensi in his, quae sunt ordinis ad praefatum Archiepiscopum Sancti Salvatoris, habitis tamen a suis respective praelaturis Goiasiensi et Cuiabaensi huiusmodi ad id literis dimissorialibus, recurrere teneantur: quandoque praelati Goiasiensis et Cuiabaensis praefati ratione personarum suarum dumtaxat visitationi, correctioni, Decreta Pontificis.

et superioritati, ac iurisdictioni praefati Archiepiscopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint, et a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus, et quarum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat per ipsos praelatos, aut eorum officiales, pro tempore latis, appellationes ad eumdem Archiepiscopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi, et fine debito, prout iuris fuerit, terminari possint. Praeterea etiam volumus, quod taxa praefatae ecclesiae Fluminis Ianuarii, quae in libris Camerae nostrae Apostolicae in florenis centum sexdecim cum duobus tertiis descripta existit, fixa et firma remaneat; quodque taxa tam ecclesiae Sancti Pauli, quam ecclesiae Mariannensis erectarum huiusmodi unaquaeque in similibus florenis centum sexdecim cum duobus tertiis in eisdem libris describatur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, VIII. idus decembris MDCCXLVI., pontificatus nostri anno VI.

LXXXVI.

Privilegia alumnis Collegii Ap. Sinensium a praedecessoribus concessa confirmat et extendit ad alumnos ex Turcarum ditionibus (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium. Seminaria et Collegia cum orthodoxae fidei et catholicae religionis incremento, ac praesidio instituta eo maiori apostolicae benignitatis et providentiae studio adaugere nos in sacrosancti apostolatus specula meritis licet imparibus constitutos decet, quo maiorem in dies inde orthodoxis populis in via mandatorum Dei per christianae pietatis et sanae doctrinae exempla dirigendis afferri utilitatem non sine maxima animi nostri laetitia experimur. Quamobrem oblatam nobis quamcumque ad eadem Seminaria et Collegia amplificanda et provehenda opportunam occasionem libenter arripere gestimus et omnes apostolicae auctoritatis nostrae partes conferre satagimus.

Memorat privilegia a praedecess. elargita alumnis Sinarum et Indiarum. § 1. Quoniam autem sicut pro parte dilecti filii Ianuarii Fatigati praesbyteri, ac moderni superioris congregationis et collegii sub invocatione Sacrae Familiae Iesu Christi extra muros Civitatis Neapolitan. nobis expositum fuit, quod alias fel. rec. Clemens PP. XII. praedecessor noster, postquam per quasdam suas in simili forma Brevis die VII. aprilis MDCCXXXII. institutum congregationis et collegii huiusmodi approbaverat, regulasque confirmaverat per alias suas itidem in pari forma Brevis die XIV. martii MDCCXXXVIII. expeditas literas de tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio privilegia a rec. itidem mem. Urbano PP. VIII. praedecessore quoque nostro alumnis et convictoribus Congregationis de Propaganda Fide concessa, et in quibusdam eiusdem Urbani praedecessoris literis contenta, ad tunc et pro tempore existentes collegiales collegii Sacrae Familiae Iesu Christi Civitatis Neapolitan. Sinenses, et ad eos qui ex Regionibus Indiarum advenerint, extendit, atque eisdem concessit, ut ipsi absque literis dimissorialibus suorum Ordinariorum et etiam sine titulo beneficii ecclesiastici, sed ad titulum tantum missionis a quocumque quem maluerint catholico Antistite ad quatuor Minores etiam unico festivo vel feriato, necnon etiam ad sacros et Presbyteratus Ordines tribus Dominicis, seu aliis festivis et continuis, vel interpolatis diebus etiam extra Tempora ad id a Iure statuta, et non servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi antequam de uno ad alium ordinem promoverentur in primo quoque suscepto ordine se minime exercuissent, aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non fuerint, dummodo tamen essent aetatis legitimae, nec eis aliud canonicum obstaret impedimentum, et haberent literas testimoniales rectorum, aut eorum, apud quos educarentur et instruerentur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, ita tamen ut quotiescumque contingeret aliquos ex iisdem Sinensibus et Indis ad Ordines promoveri debere, antequam e Collegio dimitterentur, dictus pro tempore existens superior, si Sedes Archiepiscopalis Neapolitan. esset plena teneretur eos dirigere cum attestationibus de illorum

(1) Ex Tab. eiusdem collegii.

baptismate, vita, moribus, et in scientiis profectu ad pro tempore itidem existentem Archiepiscopum Neapolitan., quatenus vero idem Archiepiscopus quacumque ex causa illorum ordinationem peragere non valeret, liberum esset dicto pro tempore existenti collegii praedicti superiori illos ad quemcumque catholicum Antistitem gratiam et communionem supradictae Sedis habentem pro ordinibus suscipiendis dirigere, servata in reliquis praedictarum memorati praedecessoris literarum forma et dispositione, et alias prout in eiusdem Clementis praedecessoris literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus uberius continetur. Et subinde nos monasterium Abbatiam nuncupatam Sancti Petri de Eboli Salernitan. dioecesis collegio huiusmodi auctoritate apostolica perpetuo univimus et incorporavimus, reservatis super illius fructibus, reditibus, et proventibus una seu pluribus pensionibus annuis usque ad summam quingentorum ducatorum monetae Regni Neapolis pro persona seu personis per nos seu dominum Pontificem pro tempore existentem nominanda, seu nominandis, quam quidem pensionem annuam anno MDCCXLIX. auctoritate apostolica ad favorem dicti Collegii delevimus, hoc tamen adiecto onere, ut a dicto Collegio praeter memoratos Chinenses et Indos octo pueri in provinciis dominio Turcarum ingeniti in collegiales semper reciperentur et admitterentur, et admitti ac recipi deberent, ac proinde ipse Ianuarius superior indultum huiusmodi ad favorem dictorum Sinensium et Indorum concessum ad collegiales in dominio Turcarum ingenitos per nos extendi et ampliari plurimum desiderat, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ea confirmat, ampliat atque ad alumnos in provinciis dominio Turcarum subiectis ingenitos extendit.

§ 2. Nos igitur ipsum Ianuarium superiorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auditis consilio et sententia venerabilis fratris nostri Iosephi Episcopi Praenestin. S.R.E. praesbyteri Cardinalis Spinelli nunc temporis dictae Congregationis Praefecto, et ven. fratris Nicolai Archiepiscopi Rhodien. eiusdem congregationis secretarii indulta et privilegia a memorato Clemente praedecessore Sinensibus et Indis collegialibus collegii huiusmodi suscipiendi praesertim minores, et sacros Ordines extra tempora absque literis dimissorialibus ad titulum missionis concessa ad caeteros collegiales memorati collegii Sacrae Familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitan. in provinciis dominio Turcarum subiectis ingenitos in dicto Collegio pro tempore existentes, auctoritate apostolica tenore praesentium servata, in omnibus et per omnia, forma et dispositione dictarum literarum Clementis predecessoris extendimus et ampliamus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Clemens praedecessor voluit in suis literis praefatis non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. decembris MDCCXLVI., pontif. nostri anno VI.

LXXXVII.

Iure in Synodo Zamosciae Ruthenorum sancito utens Pontifex committit Nuntio Apostolico Poloniae, ut, eveniente Metropolitani Ruthenorum morte, administratorem Metropolitanae Ecclesiae interim constituat (1).

Venerabili fratri A. Archiepiscopo Nicaeae Nuntio Apostolico in regno Poloniae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae ad ecclesiarum istarum partium utilitatem conferre possunt, apostolicae sollicitudinis et pastoralis caritatis officia nullà debent nobis cunctatione retardari.

Cum nominatio personae idoneae, quae eveniente vacatione metropolitanae ecclesiae Ruthenorum, curam et administrationem dictae ecclesiae gerat, ad nos et hanc

(1) Ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide.

S. Sedem iuxta Synodum Zamosciae anno MDCCXX. (1) habitam legitime spectet, ne interea, usque ad electionem novi Archiepiscopi, iura ipsius ecclesiae, aut ecclesiasticae disciplinae rationes, salusque animarum detrimentum capiant, nos praemissis, quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, ac de ven. fratris Floriani Archiepiscopi Rutheni Phocensis fide, prudentiâ, caritate, vigilantiâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, ipsumque Florianum Archiepiscopum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus ut, eveniente vacatione metropolitanae ecclesiae Ruthenorum, eumdem Florianum Archiepiscopum in administrationem ecclesiae huiusmodi, usque ad electionem ac confirmationem novi Metropolitae ab hac S. Sede faciendam, auctoritate apostolicâ depules et constituas, illique administrationem huiusmodi demandes, tum in spiritualibus tum in temporalibus; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI. ian. MDCCXLVII., pontificatus nostri anno VII.

LXXXVIII.

Confirmatis iuris dispositionibus de clausura monialium, de receptione mulierum in monasteriis disponit (2).

Venerabili fratri Iosepho Mariae Episcopo Portugalliensi,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Leges super clausura a Pontifice latae enunciantur.

Per binas alias nostras in simili forma brevis literas, quarum unae quidem datae fuerunt die I. mensis iunii anno MDCCXLI. incipientes: *Cum sacrarum Virginum:* alterae vero die III. mensis ianuarii anno MDCCXLII. itidem incipientes: *Salutare in catholica Ecclesia institutum* (3): ea op-

(1) Vide Clem. XI. *Verbis exprimere,* Ben. XIII. *Apostolatus officium,* et Innoc. X. *Alias a felicis recordationis.*

(2) Ex Bull. huius Pont. ed. rom.

(3) Primam ex citatis literis ap., quae reprobat abusum inter moniales Portugalliae et Algarbiae invectum, quoad exitum extra claustra, utpote de re particulari agentem non referimus; secundam vero transcribimus ad ius universale regularium pertinentem, quod etiam in locis missionum est observandum, cum ipsa de clausura monialium agat, confirmet circa eam ecclesiasticas sanctiones et revocet extraordinarias facultates circa ingressum et regressum monialium.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Exacta monialium clausura semper in ecclesia servata fuit.

Salutare in catholica ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custoditum, ut flos ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sacrae virgines, quarum, quo sublimior gloria est, maior et cura est, intra monasteriorum septa et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quam post Tridentinae Synodi decreta, Romani Pontifices praedecessores nostri tot sanctissimis legibus, et initis apostolicae providentiae caritatisque consiliis communire et confirmare studuerunt, ut, quae se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne, quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno praemio destinatum.

Relaxatio huius disciplinae ab aliquibus invecta.

§ 1. Quoniam autem, etsi providas huiusmodi sanctiones, constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinae observantia custodirentur, satis esse scimus, ut virgines ea, quae caelestis earumdem sponsi Iesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctae et corpore et spiritu; longa tamen experientia edocti, et assiduis venerabilium fratrum aliarum ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas apostolicae auctoritatis providentiaeque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium, aut praetendentium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet, sive a iure, sive ab homine concessam vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi, sive alii, ingredi clausuram monialium, aut ipsae moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi, et extra clausuram huiusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentia sensim invectis, opportune occurratur.

Pontifex confirmat praedecessorum constitutiones.

§ 2. Hinc est, quod nos, pro suprema omnium Christifidelium procuratione imbecillitati nostrae in universalis Orthodoxae Ecclesiae regimine divinitus imposita, opportunum abusibus huiusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes; auctoritate apostolica, tenore praesentium, omnes et singulas constitutiones a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta, super clausura monialium editas renovamus et confirmamus, necnon imposterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in constitutionibus eorumdem praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, et decretis Concilii Tridentini praefati contentis, inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus, atque mandamus.

portuna adhibere curavimus apostolicae providentiae supremaeque auctoritatis nostrae remedia, quae ad instaurandam regularem quoad clausuram monialium ob-

---

Adimit et revocat facultates dispensandi quaslibet concessas.

§ 3. Praeterea motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, earumdem praesentium tenore, omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia ac iurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, sive singulis sive eorumdem Cardinalium congregationibus, etiam de latere Legatis, sive, qui provinciis et legationibus status nostri ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quod ad carissimos in Christo filios nostros, Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum vel electum, Reges et Reginas illustres, aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum antistites, tamen tamquam Apostolicae huius Sanctae Sedis Legatis de latere alias nuncupati et habiti sunt, et fortasse habentur, aut haberi et esse praetendunt, et imposterum habendi sunt; sive ordinarii, sive extraordinarii nostri, et eiusdem Apostolicae Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem et Reges, ac summas potestates Nuntii, sive inter-Nuntii resident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus superioribus, quibus tamquam Ordinariis, et ordinaria iurisdictione utentibus, monialium monasteria subiecta et addicta sunt, in casibus tamen necessariis, et servatis aliis de iure servandis, et non aliter omnino), ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore et praetextu, per quascumque apostolicas, sive in simili forma brevis, sive sub plumbo expeditas, literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas, super huiusmodi ingressu, revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus: necnon a datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari.

Salva auctoritate Ordinariorum.

Usum facultatum huiusmodi sub censuris interdicit, et irritum decernit.

§ 4. Ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali mentione dignorum, quacumque facultate huiusmodi, sive pro se sive pro aliis, temere uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione, poenas et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus, praeterquam a nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursum esse; licentiamque huiusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi, ac poenas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse, statuimus, decernimus ac declaramus.

Clausulae praeservativae, et de perpetuo praesentium vigore.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, existant, seu alia specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, causaeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quomodolibet, etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari: sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et Sedis praedictae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Sublata cuilibet secus iudicandi et interpretandi facultate.

Derogationes amplissimae.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque constitutionibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis praedictis, aliisque, quibuslibet personis, etiam quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita, observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum auctoritas.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. ianuarii MDCCXLII., pontificatus nostri anno II.

servantiam, a primaeva disciplina per praedecessores nostros Romanos Pontifices, et Sacros Canones confirmata sensim dilabentem, satis esse in Domino duximus. Quoniam autem non sine gravissimo animi nostri angore accepimus novas artes, ac nova inventa, etsi antiqua sint, ac toties proscripta, sub variis exquisitisque causis et rationibus in dies excogitari, quae non solum per praescriptas leges prohibentur, sed quamplurimis etiam inordinationibus et offendiculis aditum patefaciunt: ac primum quidem eo pervenit famularum ad monialium ministerium in monasteria admittendarum abusus, ut indultum, quod ab Apostolica hac Sancta Sede sub tot salutaribus conditionibus concedi solet, etsi pro prima vice servatis iisdem conditionibus executioni demandetur, deinceps tamen quoties admissam famulam aut e monasterio egredi, aut viam universae carnis ingredi contingat, toties, nulla indulti huiusmodi habita ratione, ad libitum monialium, sine alia antistitum Ordinariorum locorum, ad quos spectat, scientia et licentia, sed de superiorum regularium eorumdem monasteriorum dumtaxat aliquando consensu, aliae atque aliae in monasterium inducantur famulae, de quarum moribus, fama, vitiis, ac virtutibus nulla praecesserit legitima cognitio; unde fit, ut sub famularum nomine ac praetextu, foeminae quaecumque in clausuras, non sine clausurae violatione, admittantur: illud praeterea in more positum esse dolentes audivimus, ostia nimirum monasteriorum, quae semper clausa esse, nec nisi ad necessaria eorumdem monasteriorum commoda recludi debent, ita assidue patefieri, ut moniales et quaecumque aliae in monasteriis degentes virgines, in propatulo sedentes, sive stantes, cum quibusvis utriusque sexus hominibus illic accedentibus indiscriminatim colloqui et iocari etiam, non erubescant, ut saepe quamlibet foeminam in quacumque aetate constitutam sive consanguineam, sive affinem, sive tamquam famulam cuiuslibet earumdem monialium in ipsam clausuram accersant; et quamvis ipsae moniales impellant, sponte tamen ingressam deinde asserant; nec religioni ducant censuras ac poenas canonicas, quibus eapropter obnoxiae fiunt. Nos sane, qui pro imposita nobis divinitus suprema apostolicae servitutis procuratione saluberrime occurrere debemus hisce abusibus et inordinationibus, et si abusus et inordinationes

Novi abusus ad eumdem delati.

Apostolica et conciliaria statuta innovantur.

huiusmodi in ista fraternitatis tuae dioecesi neque umquam irrepsisse, neque umquam irrepturas esse in Domino confidimus; fraternitati tamen tuae notum esse volumus, quod nos non solum omnes et singulas constitutiones tam ab iisdem praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, quam a nobis ipsis super clausura monialium editas, verum etiam omnia et singula decreta tam a Concilio Tridentino, quam a Congregationibus venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super eadem clausura, et admissione, et receptione educandarum puellarum, et famularum, sive quarumcumque foeminarum promulgata, quatenus opus sit, tenore praesentium auctoritate apostolica confirmamus, et sub poenis etiam per easdem constitutiones et decreta contra inobedientes inflictis, servari mandamus ac praecipimus. Insuper tenore et auctoritate paribus statuimus ac declaramus, admissionem receptionemque quarumcumque foeminarum, sive puellarum educandarum, sive famularum in monasteria, quacumque ex causa, sine legitima authenticaque eiusdem Apostolicae Sedis licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda, et praevio examine super moribus, fama, habilitate et necessitate ipsarum educandarum puellarum, vel famularum, per antistites locorum Ordinarios tantummodo, et non alios quoscumque superiores toties itidem, quoties necessitas postulaverit, habendo, non obstante quacumque consuetudine etiam longi temporis, fieri non debere. Quod si secus factum, ac fieri in posterum contingat, statuimus pariter ac declaramus, tam moniales, et quascumque in monasteriis degentes, quae foeminas quascumque in eadem monasteria quomodocumque admiserint receperintque, quam ipsas foeminas admissas et receptas, canonicis censuris et poenis obstrictas esse ac fore, a quibus easdem moniales et foeminas huiusmodi eiusdem tuae dioecesis, si fortasse hac in parte deliquisse contigerit, de praeterito tantum absolvendi facultatem fraternitati tuae, cum facultate etiam alios subdelegandi, tribuimus et impertimur. Caeterum fraternitati tuae iniungimus ac praecipimus, ut omnium et singularum ordinationum per laudatum Concilium Tridentinum et apostolicas constitutiones et dictarum congregationum decreta, super clausula monialium et delegata antistitibus locorum Ordinariis visitatione tam interna

Praescribitur ordo servandus pro ingressu mulierum in monasteria, sub poenis etc

quam externa, praescriptarum memor, easdem ordinationes sub poenis desuper inflictis debitae executioni mandare satagas et studeas, nec non mandari facias, cures et adnitaris. Interim, ad prosperi successus auspicium, tibi, venerabilis frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. ianuarii MDCCXLVII., pontif. nostri anno VII.

LXXXIX.

Confirmatis, iuxta modum, privilegiis Regularium, quibus a quolibet catholico Antistite ordinari valeant, confirmat dispositiones Gregor. XIII., Sixti V., Clem. VIII. et Innoc. XIII. (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Impositi nobis licet immerentibus apostolici ministerii ratio postulat, ut, ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem, non modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a praedecessoribus nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudentur effectibus, novis et invincibilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

Vetus controversia de ordinatione regularium.

Sane, quae olim de ordinationibus regularium controversia viguit, an scilicet regulares a quocumque catholico Antistite indistincte ordinari possent, an vero id iuris privative pertineret ad Episcopum illius dioecesis, intra quam sita est religiosa domus, quam regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et declarationibus iamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi locorum ordinarii iura sua fundantes in generalibus canonum statutis, et in ipsis exemptionum privilegiis, quae regularibus indulta sunt, aiebant, ipsorum ordinationes, utpote Dioecesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum originis, quam regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad Episcopos ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis, ac loci, in quo ipsi Ordinarii commorantur. Contra vero regulares, apostolicis privilegiis innixi, quae certis ordinibus recentius elargita ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant Sacros Ordines a quocumque catholico Antistite, iuxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

Rationes pro Episcopis dioecesanis.

Item pro regularibus.

Privilegia regularium a Gregorio XIII. redacta ad terminos iuris.

Verum, quum felicis recordationis praedecessor noster Gregorius Papa XIII. per suam apostolicam constitutionem, quae incipit *In tanta rerum,* datam apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae MDLXXIII. kalendis martii, iustis gravibusque de causis, alteram constitutionem sui nostrique pariter praedecessoris S. Pii Papae V., cuius initium est, *Etsi Mendicantium,* ad iuris communis Sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset; eodem quoque anno in causa monachorum Ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis dioecesum, in quibus eorum monasteria respective sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum legitur *Lib. I.* Decretorum Congregationis Concilii *pag. 75, a terg. Dub. An nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cuius Dioecesi sunt, pro Ordinibus conferendis ab Episcopo alterius Dioecesis: Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Sacrae Congregationis Concilii, declaravit, obligari.*

Decretum eiusdem de ordinationibus,

Quod a Sixto V. confirmatur et declaratur,

Contigit autem, sub illius successore Sixto Papa V. eamdem quaestionem retractari, instante universo ordine fratrum Praedicatorum. Qua de re idem praedecessor, post maturum causae totius examen in praefata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere Superioribus Regularibus literas dimissoriales concedere suis respective subditis, ad Ordines suscipiendos; sed eas tamen Dioecesano dumtaxat Episcopo di-

---

(1) Vide instructionem S. Cong. de P. F. *De titulo ordinationis,* et responsa eiusdem Cong. ad *Dubia proposita a quodam Ep. S. Cong. de P. F. circa sacerdotes qui ordinati sunt titulo Missionis.*

rectas, nec alteri umquam, nisi quum forte is a dioecesi abfuerit, aut quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur *Lib. IV.* praedictorum decretorum *pag. 108 Sanctissimus Dominus Noster Xistus V., ex sententia Congregationis, respondit, Regulares posse concedere Dimissorias ad Episcopum Dioecesanum, eoque absente, vel etiam praesente, et ordinationem non tenente, ad quemcumque; dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

Tum etiam latius a Clemente VIII.

Demum a sanctae memoriae praedecessore quoque nostro Clemente Papa VIII., ad huiusmodi controversias perpetuo extinguendas, sequens decretum editum fuit: *De mandato Sanctiss. Domini Nostri Clementis Divina Providentia Papae VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de caetero observent, et observari faciant ea, quae in Decreto Sacrae Congregationis Concilii Tridentini continentur, cuius tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit, et, si Dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et demum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Dioecesanus vel abfuturus vel nullas esset habiturus Ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo Dioecesano absente vel ordinationes non habente, literae Dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae Dioecesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii, et dignitatis, seu administrationis, ac vocis activae et passivae privationis, ac alias arbitrio eiusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem etc. Datum Romae die* XV. *mensis martii* MDXCVI.

Controversiae utrinque renovantur.

Hoc emanato pontificio decreto, eoque tam claris verbis concepto, iure sperandum videbatur huius generis lites non amplius aditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contendere coeperunt, necessarias esse regularibus dimissorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo possent ab Episcopis aliorum locorum ad Sacros Ordines promoveri; ex altera vero regulares, obtendentes, in praefato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse apostolicis privilegiis, quae eorum ordinibus, sive directe sive per communicationem, indulta fuerant, ut scilicet a quocumque catholico Antistite ordinari possent, huiusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

Dimissoriae Ordinariorum originis a regularibus non requirendae.

Verum, quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die XXVIII. februarii anni MDCLIV., ut notatum reperitur *Libro XIX.* ipsius Decretorum *pag. 316.* ita rescripsit: *Regulares volentes se promovere ad Ordines, non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis, sed sufficere ut observent formam praescriptam in Decreto san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die XVII. Martii anni MDCLXXIV., Decretorum *Libro XXVIII. pag. 261 et sequentibus.*

De privilegiis regularium iudicum sub Innocentio XIII.

Quod vero spectat ad regulares; quum eorum praesumptum ius, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum S. R. E. Cardinalium a felicis recordationis praedecessore nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui nos in minoribus tunc existentes nostram qualemcumque operam, pro demandato nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset; cumquè ad huiusmodi quaestionem definiendam, id potissimum visum esset in iure statuendum, an ad effectum eximendi Regulares a praefati Decreti Clementini observantia sufficeret, quod privilegia suscipiendi Ordines a quocumque ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo huiusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat; an vero oporteret eadem concessa fuisse post ipsum Clementis praedecessoris decretum: Ac praeterea an huiusmodi privilegia aeque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur; ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt; idem Innocentius praedecessor, audito praefatae congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod huiusmodi privi-

Quaestionis nodus.

An eodem Innocentio solvitur.

legia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino Decreto posteriora non sint; dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicationem privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis apostolicis literis, incipientibus *Apostolici ministerii,* die XXX. maii anni MDCCXXIII. datis, ac deinde confirmatis a sanctae memoriae praedecessore pariter nostro Benedicto Papa XIII. per alias similes literas datas die XXIII. septembris anni MDCCXXIV., quarum initium est *In supremo,* aperte declaravit, his verbis: *Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino Decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a piae memoriae Clemente VIII. praedecessore etiam nostro confirmatum die XV. martii MDXCVI., quo sancitur, ad Episcopum Dioecesanum literas Dimissorias pro eorumdem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo Dioecesanus a Dioecesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendi expressa fieri debeat mentio vel de praedicta Episcopi Dioecesani absentia vel de ulla alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus: exceptis tamen, quoad praedicta, regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus.*

Particula ipsius literarum.

Transgressiones ex legum ignorantia et prava interpretatione.

Porro, si aliqui vigilias laboresque suos, non tam in extricandis inutilibus quaestionibus, vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent; ac, nisi aliquibus arbitrium pro lege, praeiudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione, suus cuique sensus pro auctoritate esset; nec olim nobis in nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus contigisset, ut regularis quidam ex ea urbe repente digressus, suique superioris dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus ordinem susciperet, nullaque interiecta mora Bononiam ad primum sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur. Quam tamen intolerandam audaciam nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam, servata pastorali mansuetudine, vindicare non praetermisimus, ut videre est in Monito Pastorali a nobis tunc edito *inter impress. Monit. 3, Lib. 11.* Neque rursus, ex quo ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum fratrum nostrorum querelae ad apostolatum nostrum delatae fuissent; qui nimirum, non sine magno animi nostri dolore, apud nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum ecclesiasticarum legum, atque poenalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini Decreti distincte legitur *incurrat;* non autem, quod falso nonnemo asseruit, *incurrent*), dum scilicet superiores regulares, qui subditis suis non ad praescriptum eiusdem decreti dimissorias literas concedunt, suorum officiorum, ac dignitatum, et vocis activae atque passivae amissione multantur, ordinati vero, suspensionis poenam, atque etiam, si in suscepto ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint, complures regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi Dioecesani, cuius hac in re iurisdictionem aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniunt, qui, vel nullo vel admodum levi praemisso examine, ordines ipsis impertiatur; quoties huiusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi decreta delinquunt. Ea siquidem *sess. 23, cap. 12, de Reformatione,* sic statuit: *Regulares quoque, nec in minori aetate, nec sine diligenti Episcopi examine, ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.*

Poenae, quas inobedientes incurrunt.

Nos autem consueta Sedis Apostolicae clementia uti volentes, libenter abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco regularibus, de quorum excessibus in hoc

rerum genere graves Episcoporum querimoniae ad nos delatae fuerunt. Quaecumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris iudicii inquisitione liberamus; quin immo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive superiores regulares, sive regulares ad ordines promotos, sive Antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibuscumque innodati forsan existant, auctoritatis nostrae plenitudine, ac de apostolica benignitate, tenore praesentium absolvimus et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacumque irregularitate per eos forsan, causa et occasione praemissis quomodolibet contracta, ad omnes etiam sacros et presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De caetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac matura deliberatione praemissa, edicimus atque statuimus.

Pontifex absolvit transgressores quoad praeterita.

Quaecumque nimirum hac in re a praefatis praedecessoribus nostris Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII. et Innocentio XIII., in supra citatis ipsorum literis seu decretis, statuta, mandata, definita, atque sancita fuerunt, ea omnia et singula, motu, scientia et potestatis plenitudine praefatis, earumdem praesentium serie confirmamus, roboramus, et innovamus; atque ab omnibus, ad quos spectat, seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et iubemus; transgressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis, aliisque per apostolicas constitutiones et per sacros canones latis atque statutis, cum effectu subiacere, easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus; superiores nimirum regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII. praedecessor constituit et sanxit; regulares autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint, et Antistites eos promoventes, canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, nec non adversus Episcopos, alienos subditos indebite ordinantes, in iure canonico et in constitutionibus apostolicis statutae habentur.

Confirmat relatas sanctiones, sub poenis, ibidem et in iure statutis.

Praeterea volumus atque decernimus, ut superiorum regularium dimissoriae, quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus Dioecesanus extra dioecesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii, aut secretarii eiusdem Episcopi Dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui quum privilegio gaudeant suscipiendi ordines extra tempora, existimarunt Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut si, quandocumque ipsis placuisset ad ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, iam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis Antistes regularem virum, in sua dioecesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus literis contentus, sine adiuncta praefata attestatione in forma probanti, ad ordines promovere praesumpserit; decernimus et declaramus hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

Mandat in posterum exhiberi documenta super requisitis in decreto Clementis VIII.

Episcopi non arctantur privilegiis regularium de ordinibus suscipiendis extra tempora.

Quemadmodum vero eorum ordinum regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico Antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant; dummodo huiusmodi privilegia post Tridentinum Concilium, et ipsis ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem, concessa fuerint; ita porro omnia similia privilegia, quae aliis ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore, nulla et irrita, omnique vigore ac robore, ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus: Decernentes huiusmodi privilegia nequaquam post Conci-

Privilegia suscipiendi ordines a quocumque, an et quibus suffragentur.

lium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel, quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, huiusmodi confirmationes *in forma specifica* cum literali veteris indulti insertione, eiusque expressa innovatione, factae dignoscantur; ac declarantes, alterius generis confirmationes, quae *in forma communi* nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, iuxta praemissa, pleno iure competere dignoscuntur, ut non sine iusta causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsius utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem; quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius Episcopi dioecesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt; idque se facere aiunt, ut iurium suorum indemnitati consulant; quasi vero apostolica privilegia, nonnisi cum aperto Episcopi Dioecesani contemptu, suarum vim et robur habitura forent.

Quid observandum in eorum usu.

Adhortatio Pontificis ad sinceram animorum coniunctionem.

Denique tam venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, quam dilectos filios omnium regularium ordinum professores, quam maximo possumus apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei nostri, et per caritatem Sancti Spiritus, hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in caeteris omnibus, soliciti sint unitatem spiritus, et sincerae dilectionis concordiam servare. Meminerint regulares, quo loco Spiritus Sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a Sacrosancta Oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita, inculcatum fuit, per haec verba: ***Eosdem insuper fratres in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et nostra ac Apostolicae Sedis reverentia, congruo honore et congruenti observantia venerentur.*** Neque obliviscantur Episcopi, Regulares viros ipsis datos esse adiutores in dominicae vineae cultura; subdit enim eadem sancta Synodus: ***Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordiae Dei nostri requirimus, ut fratres ipsos affectu benevolo prosequentes caritative tractent, ac benigne foveant etc., et tamquam in agro Dominico cooperatores, eorumque laborum participes, prompta benignitate recipiant:*** Demum et Episcopi et Regulares simul animum advertant ad id, quod ibidem subiicitur: ***Una est regularium et saecularium, praelatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et propterea decet eos, qui eiusdem sunt corporis, unius etiam esse voluntatis.***

Et mutuam deferentiam.

Haec profecto christianae veritatis et caritatis documenta quum utrimque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim regulares conqueri poterunt, quod, recusantibus Episcopis sacram ordinationem administrare, praeterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod superiores regulares, ad eludendam decreti Clementis observantiam, advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos Ordines, falsis de causis ad pristinum monasterium reverti iubeant; siquidem regulares huiusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros Ecclesiarum Antistites observantiae contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

Clausulae praeservativae.

Praesentes vero nostras literas et in eis statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis, existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque cause, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica et privilegiata, causa, colore, praetextu, et capite, etiam in cor-

pore iuris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali, defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam Motu pari, et de apostolicae potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

Aliter iudicari prohibetur.

Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et Apostolicae Sedis praedictae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis plenissime derogatur.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut literis apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, Ordinibus etiam Militantibus, Congregationibus, Societatibus et Institutis, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis; etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis et irritantibus, in genere vel in specie, etiam motu simili et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi praesentis constitutionis in Urbe, tribuitur vis personalis intimationis omnibus facta.

Volumus insuper et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat; ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiae Sancti Ioannis in Laterano et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiae Generalis Innocentianae in Monte Citatorio et in Acie Campi Florae, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, ad quos spectat, seu spectabit in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Transumptis fidem praestari sancitur.

Utque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVII., III. kalendas martii, pont. nostri an. VII.

XC.

Declarat et decernit iudaeum ad fidem conversum posse suum infantem vel impuberem religioni christianae initiandum offerre, licet mater iudaea dissentiat; idipsum dicendum de matre, dissentiente marito iudaeo (1).

Venerabili fratri Archiepiscopo Tarsen. Vicesgerenti,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Casus trium infantium iudaeorum nuper Romae, invitis parentibus, baptizatorum refertur.

§ 1. Postremo mense superioris anni cum de more ad nos accessisses, retulissesque Antonium quemdam Vivianum in Hebraeorum vico domum Perlae Misani Hebreae ingressum esse, ibique cum tres eius filias, quibuscum puer dumtaxat aderat, earum frater, annos natus duodecim, invenisset, eam, quae nonum annum agebat, baptismate abluisse, sacramenti verbis rite eodem tempore pronunciatis, quo caput aqua lustravit, idemque deinceps cum reliquis duabus sororibus primae adhuc aetatulae peregisse, marem autem non baptizasse, quod aquam sibi deesse viderit. Tunc nobis quoque significavisti, quid ad mulctandam Viviani audaciam statueras, quidque de puellis sacro Baptismate initiatis statuere in animo habebas: id porro a nobis omnino probatum fuit.

Casus huiusmodi quum accidunt, statim novi sermones et opiniones excitantur.

§ 2. Sed quoniam facta huiusmodi frequenter Romae et alibi audiuntur; quotiescumque vero id accidit, multae hic statim opiniones, maximeque diversae, perinde quod tunc id primo evenerit, excitantur, quod sane inde oritur, quia bene multi temere obloquuntur, cum hac de re scriptos neque expenderent libros, neque noverint; alii vero, qui scriptores legerunt, cum eosdem non semel videant sibi invicem adversantes, non satis ingenii et facultatis habent ad iudicandum quis eorum prudenter senserit, quis vero secus; alii demum aut nunquam tribunalium iudicata cognoverunt, aut eorum certe non reminiscuntur; ideo operae pretium existimavimus epistolam hanc scribere, eamdemque typis impressam in lucem edere, quae si tibi usui non erit, quia probe iam nosti omnia, quae hic continentur, non parum opinor iis fortasse proderit, qui in eodem Vicesgerentis munere tibi succedent, vel aliis extra Romam degentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad Vicesgerentem Romae spectat, huiusmodi casibus providere, aut non omnino diversis, aut huic plane similibus, qui novissime in Urbe accidit, quique, ut vulgo dicitur, *dat causam Edicto*.

Ideo Pontifex literam super hoc instructionem et methodum, edere statuit.

Divisio materiae in duas partes. Prima Hebræorum infantium. Secunda Hebraeorum adultis.

§ 3. Atque ut omnis, quoad fieri potest, confusio evitetur, materiam duximus in duas partes distribuendam. In prima enim de Hebraeorum infantium: in secunda de adultorum baptismate disseremus. Prima autem pars multifariam dividitur. Primo enim expendetur, utrum invitis parentibus, ac reluctantibus, hebraei infantes baptizari licite possint: Secundo, si hoc nefas esse dixerimus an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed etiam liceat, planeque deceat: Tertio, baptismum hebraeis infantibus tunc impertitum, cum fas non sit, ratum ne, an vero irritum haberi debeat: Quarto, quid sit faciendum, quum infantes hebraei afferuntur, ut baptizentur, aut compertum sit eos iam fuisse sacro baptismate initiatos; demum quomodo probari possit, eosdem aquis salutaribus iam lustratos fuisse.

Subdivisio primae.

Primum: An dissentientibus parentibus infantes baptizari possint.

§ 4. De primo primae partis capite si sermo sit, utrum nempe dissentientibus parentibus hebraei infantes baptizari possint, aperte asserimus, hoc iam a Sancto Thoma tribus in locis definitum fuisse, nempe in *quolibet. 2, art. 7, in 2 - 2, in quaest. 10, art. 12,* ubi ad examen revocans quaestionem in quodlibetis propositam: *Utrum pueri iudaeorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi,* ita respondet: *Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda etc. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod iudaeorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici Principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt Sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi:*

---

(1) Vide infra epist. *Probe te meminisse arbitramur,* et epist. encyclicam *A quo primum,* constitutionemque *Singulari nobis consolationi.*

et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut, praeter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam, iudaeorum filii, invitis parentibus baptizentur. Transitum deinde facit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque ita ait *in 3 par., quaest. 68, art. 10: Respondeo dicendum; quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent etc. Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quandiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam et de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum; et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes; et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur.*

§ 5. Scotus *in quarto sententiarum, distinct. 4, quaest. 9, num. 2,* et *in quaestionibus relatis ad quaest. 2,* censuit laudabiliter posse Principem imperare, ut, invitis etiam parentibus, hebraeorum atque infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem infantes a parentibus occidantur. Habet sectatores haec sententia suos non solum in scholis, verum etiam apud auctores recentiores in saecularibus negotiis apprime versatos, quos inter recensendus est *Loysa in notis ad concilium decimumseptimum Toletanum, pag. 761, tom. 2, collect. Concil. Hispan. clar. mem. Cardinalis Aguirre.* Praevaluit tamen in Tribunalibus S. Thomae sententia, ut testatur Cardinalis Albizi *de inconstantia in fide, cap. 11, num. 32,* atque inter theologos canonumque peritos vulgatior est, quorum nomina recensentur a Cardinali Santorio in Rituali Sacramentorum, ut videre licet *pag. 209 et seqq.,* in quo Rituali complures viri doctrina illustres multum laboris atque operae insumpserunt, quos inter Cardinalis Bellarminus.

§ 6. Ut colligi potest ex nuper allatis S. Thomae verbis, sententiae ipse suae praecipuum statuit in Ecclesiae consuetudine fundamentum; quod si, ad gravissimi huius argumenti vim labefactandam, Matathiae aliorumque exemplum proponeretur, qui nimirum, ut legitur *in lib. 1. Machabaeorum, cap. 2, Circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel;* quod quidem invitis eorum parentibus evenit, respondet Liranus, solos hebraeorum filios circumcisos fuisse, cuius sententiam sequutus est Verhost *de lib. Machabaeorum, pag. 88.* Concedit Scotus in hebraeorum filios hoc gestum esse, sed ulterius procedens addit, quod, si hoc pariter in Ethnicorum liberos factum esset, Matathias erravisset. Scriptoris haec sunt verba *in 4 sent., dist. 5, quaest. unic., art. 10, §. Quod si historiam: Respondetur, eos, qui iudaeis parentibus erant prognati, iure poterat vi circumcidere; si quos autem inter eos circumcidit gentilium, fecit zelo fidei, sed tamen non secundum scientiam.* At enimvero cum in divinis literis nulla occurrat distinctio inter hebraeorum et infidelium filios, illa sane responsio videtur certior ac probabilior, Matathiam nempe, quotquot invenit pueros, circumcidisse; cumque idem vir esset virtute egregius et sanctitate clarus, id iure gessisse optimo, cum illi infantes lege belli captivi essent sui, quos propterea, merito quidem vel invitis parentibus circumcidi iussit, quemadmodum multa cum laude Christiani solent Turcarum filios in bello captos sacrosancto baptismate initiare. Sapienter ita disserit Suarez *in 3 parte S. Thomae, tom. 3, quaest. 68, art. 10, disput. 25, sess. 4, § Secundo est certum.* Cornelius a Lapide *lib. 1 Machab., cap. 2, vers. 46.*

II. An aliquo casu id liceat.

§ 7. Hoc igitur posito, quod nefas sit hebraeorum infantes, reluctante parentum arbitrio, baptizare, nunc iuxta ordinem initio propositum descendere iam oportet alteram partem; an videlicet contingere umquam possit occasio aliqua, in qua id liceat et conveniat. Ex his quidem casibus unum modo exposuimus, cum Matathiae exemplum consideravimus. Sed quum eiusmodi eventus nostris hisce temporibus contingere nusquam possint, cum neque hebraeorum quisquam contra christianos stipendia mereatur, neque talis eorum conditio sit, ut bellum indicere christianis valeant, rem fore opportuniorem ducimus, si sermo hic noster de frequentibus tantum casibus habeatur, in iisdemque si prudens, si certa methodus proponatur, cuius etiam hoc loco addatur non inutilis aliqua declaratio.

Casus practi-

§ 8. Duo, ut plurimum, casus evenire

...in quibus liceat infantes baptizare.

solent: cum christianorum aliquis hebraeorum infantes invenit in extremo mortis discrimine constitutos; alter autem, quum iidem infantuli crudeliter a parentibus proiecti destitutique inveniuntur. Cum id eveniat, ut ab aliquo christiano hebraeorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem Deoque gratam is certe efficiet, qui salutem puero aqua lustrali praebeat immortalem. Inter caetera Congregationis Sancti Officii decreta unum extat, latum postridie Kalend. novembris ann. MDCLXXVIII. cuius verba haec sunt: *Cum filius hebraeorum consignatus fuisset nutrici christianae in deficientia nutricum hebraearum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus et Sacra Congregatio declaravit, praedictum puerum fuisse licite baptizatum.* Cum quo convenit alterum emanatum die XVIII. februarii anno MDCCV. quaestioni respondens felic. mem. Praesulis Caroli Maigrot; illud autem est huiusmodi: *An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus: Eminentissimi, audito voto DD. Consultorum, dixerunt, non licere, nisi in articulo mortis.* Gobat *in theologia experimentali, tractatu 2, cas. 11, a. 329,* maxime commendat Virum Religiosum de Societate Iesu, qui cum vi quasi coactus Mahumetani domum ingressus esset, veluti medicus, eius puellam morti proximam invisurus, eam caute baptizavit, quin id pater cognoverit; quae quidem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad coelum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eamdem sententiam Suarez *in tertiam partem S. Thomae, disput. 78, quaest. 25, art. 3,* § *Ex his autem.* Becanus *de sacrament. Baptismi, cap. 19, quaest. 7, n. 7,* Hurtadus *de sacr. Bapt. disp. 3, diss. 3,* Azorius *part. 1, lib. 8, c. 25, q. 10,* Castrus Palaus *tract. 19, disp. unic. de Bapt., punct. 9, num. 16,* Paschal., *de viribus patriae potestatis, part. 1, num. 11,* Barbosa *in Canon. Iudaeorum 28, q. 1, n. 3.* Ad hanc rem praeclare facit epistola Sancti Francisci Xaverii *p. 67,* Romae typis edita, in qua confirmans patrem Franciscum Henricum, quod quereretur paucos a se infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, sic scribit: *Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos per Baptismum coelo parturiendo.* Nam certum est, Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitae agentibus, quos pater Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat. *At memento, te octo mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis.*

De infantibus expositis.

§ 9. Si item eveniret, ut puer aliquis hebraeus proiectus esset, atque a parentibus derelictus, communis omnium sententia est, pluribus quoque confirmata iudiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam repetentibusque parentibus, ut recte docent Azorius *Inst. Moral. par. 1, lib. 8, cap. 25, quaest. 5,* Ricciul. *Lucubrat. lib. 2, cap. 32, num. 30,* Clericatus *de Iurisdictione, discord. 17, num. 12,* Sessa *de Iudaeis, cap. 51, num. 110 et sequent.* At hebraeorum parentes patriam se in filios habere potestatem contendunt, nec plane iniuria. Compertum est patriam potestatem neque ad ius divinum positivum, neque ad ius naturale, neque ad ius gentium pertinere, sed iuris, ut aiunt, *humani Romani* esse; cum autem Civitate Romana Antoninus Imperator omnes Imperio Romano subiectos donaverit, iuxta ea, quae leguntur *in l. in Orbe Romano,* quaeque in aliis exemplaribus incipiunt *in Urbe Roma ff. de statu hominum,* et hebraei Imperio Romano tunc essent subditi, hoc ipsis argumentum suppeditat pro patria in filios potestate. Sic disserit *Abbas in cap. cit. ex literis, n. 3, de convers. Infid.: Iudaeus habet filium in potestate; et est ratio, quia iudaei contrahunt iustas nuptias, sunt sub Romano Imperio, et sic gaudent legibus Imperialibus.* Sed itidem plane constat praedictam patriam potestatem tunc certe amitti, cum filius derelinquitur proiiciturque, iuxta responsum Gregorii IX. *cap. 1, de Infantibus et languidis expositis,* cuius haec sunt verba: *Si a patre, sive ab alio, sciente ipso, aut ratum habente, (relegato pietatis officio), infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus.*

§ 10. Animadvertendum tamen est, eum infantem non inter proiectos expositosque adnumerandum, quem sine patre, sine matre, nullo comite, aut per urbem, aut extra hebraeorum vicum temere vagantem inveneris; sed quem in loco publico solum, derelictum, abiectum, atque omni cura et spe destitutum offenderis, is absque dubio proiectus, is sane expositus censendus est.

§ 11. Benigna haec interpretatio nonnullis improbanda videtur; neque enim

ignoramus, apud auctores multas hac de re sententias valde huic nostrae dissimiles inveniri, quae eo potissimum innituntur, quod hebraei, quamvis non iure belli, christianorum tamen mancipia sunt. Itaque cum servitutem serviant, tametsi sententiam admittant, eorum infantes sine parentum consensu baptizari non posse, non decere tamen subtiliores addere limitationes. Multa de hac re habet Antonius Francus in *additionibus in Abb. cap. Ex literis, lit. B. de conversione Infid.* Nostri autem instituti non est in hanc epistolam omnes congerere limitationes, explicationesque regulae; non enim tractatum, sed simplicem tantum methodum hic proponimus quoad casus et eventus passim obvios ac frequentes. Sanctus Thomas in locis praefatis docet, hebraeos in servitute quidem apud christianos esse, non vero poenali libertatique contraria, sed civili, quae licet in abiectissimo gradu constituat, non eum tamen praestat, quem altera dominatum: quod item in rem nostram sapienter a Suarez consideratur *in 3 par. S. Thomae, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sess. 4,* § *Dico secundo,* et a Sylvio *in 3 part. S. Thom., tom. 4, quaest. 68, art. 10, concl. 7.*

§ 12. San. mem. Pius V. praedecessor noster *in sua Constit. 80,* omnes hebraeos ab omni ecclesiastica ditione, exceptis Romae et Anconae Civitatibus, eliminavit. Sixtus V. iisdem concessit omnia ditionis ecclesiasticae loca, dummodo septa maenibus essent, habitanda. Sed Pontifex Clemens VIII. rem in antiquum statum restituit; Romae tamen, Anconaeque, Avenionem adiunxit, ut videri potest *in eius Constit. 19.* Cum vero Apostolica Sedes Urbini Ferrariaeque ducatus recepisset, non eiecti fuere iudaei ab iis urbibus, oppidisque, ubi antea per duces iis licuerat commorari. At si quis peteret, qua de causa non habraeis negatum fuerit, nec negetur, in pontificia ditione ac Romae etiam libere permanere, is quidem quaestiones adeat theologicas Piette, qui *part. V.* usitata ingenii sui sagacitate quaestionem agitat, an infantes hebraeorum possint invitis parentibus baptizari, tum id affirmantes (quorum et sententiam ipse amplecti videtur) hac interrogatione provocat *pag. 335. Cur ergo Romae Ecclesia Filios Iudaeorum non baptizat, baptizatosque a parentibus non avellit, ne in odio Christi, multiplicique impietate enutriantur?* Hanc deinde responsionem subiungit: ***Respondeo et peto vicissim ego: Cur infensissimos illos Christi hostes ipse Christi Vicarius Pontifex Romanus in sua Civitate tolerat? Cur eos inde non amandat? sicut ergo suas habet rationes, gentem illam Deo abominabilem, Christoque infensissimam tolerandi, ita et rationes habet, quare infantes eorum, ipsis invitis, non baptizet, nec ab eis avellat.*** Et inter caetera, quibus nititur, argumenta, unum extat S. Augustini *lib. 18, de Civitate Dei, c. 46,* in quo exponit Deum non eos extinguere penitus voluisse, sed tantum disperdere ac dissipare, ut quocumque pergerent, sacras literas ferentes, id boni Ecclesiae parerent, ut suorum codicum testimonio, Christi vaticinia vel invito animo ubique terrarum disseminarent. *Ideo parum fuit,* (verba sunt Augustini) *ut diceret: Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam; nisi etiam adderet: Disperge eos; quoniam si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodo terra, non ubique essent, profecto Ecclesia, quae ubique est, eos prophetiarum, quae de Christo praemissae sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*

§ 13. Hoc vero obiter attigimus, non contendentes veram causam constituere, cur hebraeis liceat et Romae et in aliquibus pontificiae ditionis urbibus moram facere; id enim ad rem propositam satis est quod si hebraei servitutem christianis serviunt, ea quidem non poenalis est, sed civilis, ac si Romae aliisque de Pontificiis Urbibus commorantur, id potissimum Summorum Pontificum indulgentiae acceptum referunt; ex quo quidem colligere aperte licet, non id ab iis expetendum esse, quod iure non potest exigi; tum etiam eorum ad Christum conversionem, atque infantium baptismum, moderate, religiose, pie procurandum esse, sine ulla vi aut iniuria; quoniam quidquid iniustitiam sapit, christianorum indignum est; contumelia vero omnis asylo ipsis concesso penitus adversatur. S. Gregorius Pontifex ad Paschasium Episcopum Neapolitanum scribens, eum admonet, ut humaniter et mansuete in hebraeos se gerat, qui tunc eam civitatem incolebant. *Agendum est ergo, ut potius ratione et mansuetudine provocati sequi nos velint non fugere, ut eos ex eorum codicibus ostendentes, quae dicimus, ad sinum Matris Ecclesiae Deo possimus auxiliante convertere.* Et quoniam Pa-

schasius quasdam iis celebritates iampridem concessas interdixerat, haec subiungit: ***Itaque fraternitas tua eos monitis, prout poterit, Deo adiuvante, ad convertendum accedat, et de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat; sed omnes festivitates feriasque suas, sicut hactenus tam ipsi, quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi, celebrandique licentiam.*** Et quae in eadem epistola decernebantur, pertinere quoque vult ad omnes Episcopos, in quorum dioecesibus hebraei commorabantur: ***Item universis Episcopis per Galliam et Europam et Germaniam constitutis.*** Haec autem epistola recensetur ***in Canon. Qui sincera, dist. 45.***

Declarationes circa casus praemissos.

§ **14.** Postquam casus magis obvios exposuimus, in quibus nostra haec regula prohibet, hebraeorum infantes, invitis parentibus, baptizari; aliquas insuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum haec prima est: si parentes desint, infantes vero alicuius hebraei tutelae commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit. Sic Azorius ***Institut. Moral. part. 1, lib. 8, cap. 25, quaest. 9,*** Thomas a Iesu ***de Convers. gent., pag. 212,*** Sessa ***de Iud., cap. 25, num. 30;*** alios praeterea auctores eadem sentire non ignoramus, a quibus recensendis brevitatis gratia supersedemus.

§ **15.** Secunda est, si pater christianae militiae nomen daret, iuberetque, infantem filium baptizari, eum quidem vel matre hebraea dissentiente baptizandum esse, quum filius non sub matris sed sub patris potestate sit habendus, iuxta textum ***in lege Nulla ff. de suis et legitimis haeredibus, et in § foeminae, Instit. tit de adoptionibus,*** quod quidem ad verbum statuit Gregorius IX. in sua decretali ad Argentinae Episcopum scripta, et relata ***in cap. Ex literis, de conversione infidelium.***

§ **16.** Tertia est, quamvis mater filios sui iuris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedat, et infantem offerat baptizandum, tametsi pater hebraeus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse. Ita cum caeteris Azorius verba facit ***in loco praefato quaest. 3: Ubi de communi fidei bono agitur, nulla habenda est ratio patriae potestatis, quam leges, et iura Romana sanxerunt; et propterea mater fidelis, quamvis ei ius civile patriam potestatem non tribuat, ius habet ad baptismum filium offerendi.*** Huic quidem sententiae favet praedicta decretalis Gregorii IX., in qua licet loquatur de potestate in eo casu, quem, explicabat, patris nempe christiani filius aquis lustralibus offerentis, matre hebraea perperam discrepante: statuit tamen sententiae suae in favorem fidei fundamentum: ***In favorem maxime fidei christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum:*** favor autem fidei in utroque casu valere plurimum iure debet.

§ **17.** Quarta est, quod si pro certo habeatur, parentum voluntatem esse infantium baptismati necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus, ut observatur ***in l. iusta interpretatione 201, ubi Glossa in verb. avus ff. de verb. signif.*** cum eo quod amplius legi potest ***in discept. 977, n. 4, Gratiani:*** hinc necessario sequitur; ut, si avus paternus catholicam fidem amplexus sit, ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, quamvis mortuo iam patre, mater hebraea repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus. Martinus Navarrus, vir sacrorum Canonum doctrina excellens, cum hic Romae casus huiusmodi evenisset, plus valere contendebat matris dissensum, ut videre licet in eius ***cons. 4, lib. 3, de conversione infidelium.*** Contra eum scripsit Praesul Rutilius Benzoni: Pontifex autem Gregorius XIII. pro avo sententiam tulit, ut ipse refert in suo *Speculo Episcoporum* ***lib. 1, q. 9, dub. 1*** ubi testatur, hebraeo infanti baptismum se contulisse. Quamobrem in fine Consilii Navarri haec leguntur: ***Advertendum autem, contra hanc opinionem latam sententiam, infantemque traditum fuisse Avo Christiano et demum baptizatum, perseverareque adhuc in fide.*** Huiusce facti Marchinus etiam testis ***de Bello Divino, part. 1, cap. 2.*** Non desunt alia iudicata, quorum vi avus ad fidem conversus praeferri debet, non solum si mater, sed etiam si pater dissentiat, et quamvis ambo pariter protestentur, sese filii baptismati non assentiri, ut videri potest in ***cit. disc. 977 Gratiani,*** cum praeter favorem religionis, qui maximi habendus est, argumenti loco etiam esse debeat ***Text. in Can. Patrem. 32, q. 3,*** ubi in neptis nuptiis, avi sententia patris iudicio anteponitur, cum avus liber, pater autem servus existit. ***Patrem puellae ecclesiae nostrae***

famulum, avum vero eius liberis ortum constat esse natalibus, et ideo avi magis electionem de coniunctione neptis quam patris eius, cuius nullo modo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic ista nupsisse probatur, hanc constat legitime esse copulatam.

§ 18. Fictitia res non est, quod aliquando pater hebraeus se velle catholicam religionem amplecti praedicet, ac se ipsum, filiosque infantes baptizandos offerat, postmodum vero sui se consilii poeniteat, abnuatque filium baptizari. Id Mantuae evenit, ubi hebraeus quidam non modo cum viro perhonorificum dignitatis gradum tenente, sed ipso etiam cum duce id rei gessit. Duos habebat infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem, cumque deinceps ad Christi fidem accedere recusasset, ducisque spem frustratus esset, res ad examen deducta est in Congregatione Sancti Officii, ac Pontifex *die* XXIV. *septembris anni* MDCXCIX. statuit, ea fieri, quae sequuntur: *Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter quinquennis, baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum, et filia duodecim, collocentur in domo Cathecumenorum, si ea Mantuae adsit, sin minus apud piam, honestamque personam, ad effectum explorandi ipsorum voluntatem eosque instruendi. Uxoris quoque in loco a filiis separato exploretur voluntas. Patrem vero et maritum respective, qui a proposito suscipiendae fidei christianae recessit, non esse cogendum, sed contra eum posse procedi, prout de iure.* Idem ferme accidit Augustae Taurinorum, ubi cum hebraeus quidam religionem catholicam amplecti nollet, postquam id se facturum promiserat, cumque instaret filiola, quam baptizandam obtulerat, ideoque a matre hebraea iam ablatam christianae nutrici lactandam dederat, in potestatem rediret suam; Congregationis Sancti Officii auctoritate Romae sancitum fuit, ut puellula christianos penes esset, et ad sacrum regenerationis fontem elevaretur, quod videri potest apud Sessam *cap. 51, num. 98.* Hoc autem prudenter statutum est, ne scilicet parentes hebraei, quibuscum summa aequitate apud christianos agitur, eo imprudentiae deveniant, ut et nos et Ecclesiam audeant irridere.

De infidelibus, qui baptismum recipiunt ob bonum aliquod temporale.

§ 19. Sunt quoque aliqui infideles, suos infantes christianis offerre soliti, ut aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur: sed id faciunt indigna quadam superstitione ducti, quod nempe baptismi beneficio existimant, eosdem a malignis spiritibus, a foetore aut morbo aliquo liberandos. Sanctus Augustinus *in epistola ad Bonifacium Episcopum, tom. 2, typis Patrum S. Mauri, n. 4,* de hac re ita disserit: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, et verba sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.* Mens quippe non infantem baptismo offerentis, sed baptizantis est serio consideranda: *At non parentum, sed ministrorum mens est spectanda, hi enim si bona et recta mente voluerunt exequi, quod ecclesia postulat, omnino baptismum valide contulerunt.* Verba sunt Arcudii *lib. de concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis, lib. 1, cap. 12.*

§ 20. Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno MCXLVIII. sub Patriarcha Luca, de qua Synodo sermonem habet Balsamon *super Canone 84 Trullano.* Agareni quidam Synodo adfuerunt, qui ut baptismum reciperent, invitati, illico responderunt, sese iam pridem sacro baptismate initiatos; nam id in more suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos ad Sacerdotes Catholicos deferri solitos, ac baptizari: *non tamen admissi fuerunt; audierat enim* (praedictus scilicet Patriarcha) *quod baptismus, quem infideles a christianis petunt, non bona affectione, et orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis, fore, ut sui liberi ab doemone vexentur, et tamquam canes male oleant, nisi baptismum christianum assequantur.* Verba sunt Balsamonis e graeco idiomate in latinum versa a Card. Baronio *in annalibus ad annum praedictum* MCXLVIII. unde significari videtur, illius Concilii Patres baptismum ratum ac validum nequaquam existimasse.

§ 21. Cum ad theologos canonumque peritos huius quaestionis examen transisset, varii casus propositi, ac discussi fue-

runt. Infideles aliqui, cum hoc sibi in animum induxissent, baptismi gratia infantes suos a morbis, daemonumque vexationibus liberatum iri, eo dementiae adducti sunt, ut mortem quoque minitati sint catholicis sacerdotibus, qui, utpote eorum pravae mentis conscii, baptismum eorumdem liberis constantissime denegabant. *Navarrus in suo cons. 5 de tit. Bapt.* respondit, pueros iam rationis compotes in casu eiusmodi a baptismi fontibus repellendos, infantes vero omnino admittendos esse, qui adhuc rationis expertes sint. Alii vero perperam sentiunt, omnibus conferri baptismum posse, mors ut evitetur, dum materia solum, non autem forma adhibeatur. At huic sententiae refragatur Congregatio Sancti Officii coram Pontifice habita die VI. septembris MDCXXV. *Sacra Congregatio Universalis Inquisitionis habita coram Sanctissimo, relatis literis Episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et Lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia baptismus est ianua Sacramentorum, ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.* Hoc decretum typis editum extat in *Verricello de apostolicis missionibus tit. 5 ad verb. baptismus, quaest. 219.* Neque hoc loco praetermittendum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas die II. martii MDCLXXIX. esse huiusmodi: *Urgens metus gravis est iusta causa sacramentorum administrationem simulandi.*

Conferri nequit baptismus, quum adest periculum perversionis.

§ 22. Si tamen mortis discrimen absit, omnibus haec opinio insedisse videtur, baptismum conferre nefas esse, cum dubitari prudenter possit, id futurum, ut baptizatus tractu temporis a catholica religione desciscat; quod quidem experientia docet plerumque iis infantibus evenire, qui a parentibus infidelibus oblati, ut ab infirmitate aliqua baptismo liberentur, postea vero in eorum educationem ac potestatem revertuntur. Hoc idem comprobat suffragio suo Castrus Palaus *tom. 4 suorum operum Moralium, tract. 19, disput. unic. punct. 6, num. 11,* Cardinalis Albizi *de inconst. in fid., c. 33, num. 47,* Verricellus *de Apostolicis Missionibus titul. 6, quaest. 113, num. 8.* Hinc vero id sequitur, quod si baptizatus infans non ad parentes infideles rediret, sed christiano cuipiam committeretur, is baptizari deberet, etiamsi non a parentibus oblatus esset, ut catholicus evaderet, verum ut ab aegritudine ac morbo aliquo servaretur. Apposite ita concludit Azorius *institut. moral., par. 1, lib. 8, c. 25, quaest. 6: Ex quo perspicuum est, eiusmodi infantes iure donari et ablui baptismo posse, quoties commoda occasio obtulerit a patrio eos iure et potestate liberandi.*

§ 23. Negari profecto nequit grave perversionis periculum in hac materia rem esse maximi momenti. Episcopus Quebec alias significavit, barbarorum aliquot, etiamsi christianae militiae adscriptos, nullum religionis specimen exhibere; hoc enim habent in more positum, ut statim ac filius nascitur, eum christianis offerant baptizandum; is vero ubi adolevit, a religionis nostrae sanctimonia abhorret, parentum scilicet exemplo edoctus. Quare non sine causa praedictus Episcopus postulavit, iis ne infantibus sacramentum esset baptismatis conferendum? Huic petitioni diligenter expensae in Congregatione Sancti Officii habita die III. maii MDCCIII. responsum fuit, baptismum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri. Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui gravissime aegrotantes vita periclitarentur: *Non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi; secluso tamen mortis imminentis periculo.* Licere autem, si filii quidem barbarorum sint, sed iam Christi militum, dum tamen, aut a viris apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis parentibus, de Sanctae Religionis praeceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint: *Licere vero, si sint filii barbarorum baptizatorum; curandum tamen per Missionarios, ac per ipsosmet eorum parentes, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se vel ab aliis instruantur, praesertim in illis regionibus, si non praevideatur in promptu adfuturos Ministros Evangelicos, qui in hoc parentum commode supplere possint defectum.* In Servia audivimus pauperculas esse christianas mulieres invito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quae cum filium pariunt, eum sacerdotibus offerre solent, ut baptizetur. Idcirco postulatum fuit, qui debeant in casu huiusmodi

sese gerere sacerdotes. De hac re decretum habetur in nostro Bullario *num. 89, § 8, num. 339,* ubi apparet, conferendum esse baptismum, si constet, mortem oblato puero imminere: *istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent.* Si nullum adsit vitae periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligenter omnes expendere circumstantias et praesertim, *vel eos in evangelicae legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab eiusmodi matribus fraudatos, mahometani patris impietatem secuturos esse.* Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, aequum bonumque existiment, praedictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de christiana religione sedulo edocenda.

§ 24. Non certe ignoramus, accidisse, ut pater aliquis hebraeus Romae, aut alibi infantem obtulerit sacris Baptismi aquis tingendum, non quod eum cuperet christianum fieri, sed morbo aliquo liberari. Hoc si umquam eveniat, S. Augustini sententia, nempe pravam parentum intentionem baptismati non obesse rite collato, prae oculis habita; et coniunctim communi opinione considerata, in hoc casu baptismum minime negandum esse, dum nullum sit periculum perversionis, quod sane est maximum, si baptizatus in infidelium potestatem sit rediturus: prudentum certe iudicio rite lustrari deberet infans et christianis tradi, ut probe educatus, aetate et sapientia coram Deo proficeret; hoc autem si diligenter fieret, ut semper post baptismi sacramentum decet, nullum esset periculum perversionis; quod vitari non potest, si patri hebraeo filius restituatur; atque hoc pacto omnis etiam difficultas tolleretur, quae saepissime in causa fuit, cur responsio categorica missionariis negata sit enixe postulantibus, liceret-ne baptismum conferre infidelium infantibus sacro fonte oblatis, non pietatis, non religionis causa, sed rerum temporalium caducarumque cupiditate. *Vid. Card. Albizi citat. cap. 33 de Inconstant. in fide, n. 47.*

§ 25. Satis abunde diximus non solum de primo huius partis capite, utrum nempe, invitis parentibus, hebraei infantuli baptizari possint: verum etiam de secundo, an casus umquam contingat aliquis, in quo id aeque licitum sit ac decorum: ad tertium nunc accedimus, baptismum videlicet hebraeis infantibus impertitum, cum fas non sit, ratumne, an vero irritum haberi debeat.

III. An baptismum etiam in casibus non licitis collatum validum sit.

§ 26. Nulla de hac re inter S. Thomam et Scotum dissensio est, cum non in eam sententiam disputaverint, utrum baptismus hebraeis infantibus sine parentum consensu conferri valide possit, verum an licite; ut prudenter animadvertit Cardinalis Lauria egregius Scotista *in tom. 1, lib. 4 sententiarum, disp. 14, art. 5, num. 58. Et nota, quod sermo non est de posse valido, quia si baptizarentur, certum est remanere baptizatos; sed de posse licito, idest, an licite fiat, si baptizentur.* Durandus *in 4 sent., dist. 4, quaest. 7, art. 13,* contendens irritum baptismum esse sine consensu saltem interpretativo illius, qui baptizatur, ideo si hoc sacramentum hebraeorum, aut infidelium filiis, invitis parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat; ea ratione ductus, quod infantulis non alia, quam parentum voluntas sit, quae si desideretur, omnis deest voluntas, cuius necessitas est sane maxima, baptisma ut validum habeatur. Verum haec Durandi opinio singularis numquam aut plausum aut existimationem nacta est; quod revera constet baptismum esse ratum ac validum, quotiescumque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat. Quamobrem Durandi sententiam, Suarez falsam, Caietanus a ratione alienissimam esse affirmant. Praefati argumenti, validitatem baptismi collati sine consensu patris contra Durandum comprobantis, Silvius auctor est, doctissimus S. Thomae sectator *in 4 tom., in 3 part. S. Thomae, quaest. 68, art. 10. Si filiis quorumcumque infidelium conferatur baptismus, erit validus etiamsi parentes sint inviti, quia subiectum est capax et Minister cum debita intentione adhibet ei materiam et formam. Nihil autem aliud requiritur, ut baptisma parvulorum teneat; nam intentio parentum est impertinens.* Et Frassen eximius Scotista *tom. 10 sui Scoti Academici, tr. 10, disput. 1, art. 2, quaest. 3,* Durandi sententiam refellens et eiusdem argumento, hoc est, in baptismo infantium voluntatem deesse, si parentum vel offerentium voluntas desit, respondens admonet, Ecclesiae

voluntatem semper inesse: *Quid si nullus offerat, sed solus minister baptizet? Recte intelligitur respondere tota mater ecclesia, quae in Sanctis est, quia tota omnes, tota singulos parit per voluntatem ministri, suo et Christi nomine baptizantis.* Quae quidem responsio S. Augustino auctoritatem debet, qui in memorata epistola ad Bonifacium sic scribit: *offeruntur ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum sancta et individua caritate ad communionem Sancti Spiritus adiuvantur. Tota ergo mater ecclesia, quae in Sanctis est, pueros gestat et offert, quia tota omnes, tota singulos offert.*

§ 27. Argumentis per se clarissimis, tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere supervacaneum ducimus: quaedam vero congregationum responsa in medium proferre nullo modo non possumus, inter quae primo loco afferemus illud Congregationis Sancti Officii habita die XXX. martii MDCXXXVIII.: *Circa baptismum datum parvulae puellae annorum trium circiter filiae hebraeorum a Faustina christiana, invitis parentibus, Eminentissimi Domini censuerunt, parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma et intentione; baptismum probari unico teste; et quamvis filii hebraeorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere Baptismum et characterem imprimi et filiam baptizatam penes christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios hebraeorum baptizare, quia licet finis sit bonus, media non sunt licita, praesertim stante Bulla Iulii III.; imponere poenam mille ducatorum, et suspensionem baptizantibus filios hebraeorum invitis parentibus.* Ante hanc resolutionem alia extat *die* III. *martii* MDCXXXIII., cuius haec sunt verba: *Quaeritur, an infantulus filius iudaei a nutrice christiana baptizatus inscio patre hebraeo, sit vere baptizatus et huiusmodi baptismate teneatur, et apud quem debeat infantulus educari? Respondetur infantulum esse vere baptizatum, Baptismumque esse validum, eumdemque educandum penes christianos, a quibus instruatur, et cum pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad perseverantiam in fide catholica, eidemque providendum a patre, si habeat in bonis, sin minus, in necessariis ad minus ad sustentationem.* Conveniunt aliae quoque eiusdem congregationis resolutiones, quarum altera emanavit die XXIII. decembris MDCXCVIII., altera die VIII. martii MDCCVIII., et a Leone *in suo Thesauro Fori ecclesiastici par. 4, cap. 4, num. 8,* alia huic similis producitur in Congregatione Concilii habita in causa Fossani, quae tamen cum registris conferri non potuit.

§ 28. Nihil aliud nunc restat, ut primae parti finis imponatur, quam exponere, quid sit faciendum, cum infantes hebraei aut baptizandi offerantur, aut compertum sit, eos iam fuisse sacro baptismate initiatos; demum quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus fuisse rite lustratos; quae postrema sunt huius primae partis capita, et quorum explicationem paucis expedimus. **IV. Quid faciendum, quando infantes hebraei baptizandi exponuntur, vel fuisse baptizatos notitia habetur.**

§ 29. Nihil hoc cum iis infantibus nobiscum est, qui vel ad sacrum fontem ab iis feruntur, quibus id faciendi ius esse constat, vel qui iuxta sacrarum legum vim, invitis, licet, reluctantibusque parentibus, sunt baptizandi, ut ante demonstravimus; de his, inquam, infantibus nullus hic sermo est, quoniam patet, omnino esse ad sacrosanctum regenerationis lavacrum elevandos. Ad eos itaque spectat hic sermo noster, qui baptismo neque a parentibus, neque ab aliis qui ius in eos habeant, offeruntur, sed ab aliquo nullam habente auctoritatem. De iis praeterea agitur, quorum casus non comprehenduntur sub ea dispositione, quae sinit baptismum conferri, etiamsi maiorum consensus desit: hoc quidem in casu baptizari non debent, sed ad illos remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitime constituti. Quod si iam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt, aut ab hebraeis parentibus recuperandi tradendique Christifidelibus, ut ab illis pie sancteque informentur; hic enim baptismi licet illiciti, tamen veri, validique, effectus est. Ex quibusdam paulo ante citatis resolutionibus hoc eruitur, quibus accedit Concilii Toletani quarti textus expositus *in Can. Iudaeor., dist. 26, q. 1: Iudaeorum filios, vel filias, ne parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut*

monasteriis, aut christianis viris aut mulieribus Deum timentibus, ut sub conversatione cultum fidei discant, atque in melius instituti tam in moribus, quam in fide proficiant. Si autem postquam adoleverint, suo ipsi infortunio catholicam fidem desererent et hebraeorum ritibus adhaererent, contra eosdem legibus utendum esset, ut contra haereticos, juxta decretalem Bonifacii VIII. *in Cap. Contra, de haereticis, in sexto: Contra christianos, qui ad ritum transierint vel redierint iudaeorum, etiamsi huiusmodi redeuntes, dum erant infantes etc. baptizati fuerunt, erit tamquam contra haereticos, si fuerint de hoc confessi, aut per christianos, seu iudaeos convicti etc. procedendum.*

§ 30. Dura nonnullis haec sententia visa est, qui eamdem ut minus asperam facerent, existimarunt fas esse, puerulos Iudaeis parentibus restituere, dummodo ipsius parentes cautione aut fideiussione data, ingenue spondeant, ab se filios, vix cum ad convenientem aetatem pervenerint, christifidelibus restituendos, nec quidquam contra fidem catholicam edocendos. Ita opinatus est Calderinus *in suo Consil. 3 de Iudaeis,* quem sequutus est Graffius *in suis decis. cas. conscien., part. 2, lib. 2, c. 23, n. 23.* Verum haec Calderini sententia a caeteris omnibus erroris insimulata fuit, ut Afflict. *decis. n. 13.* Sperel. *decis. 1, n. 42* Sessa *de Iudaeis, cap. 55* et *n. 64.* Piton. *Discept. eccles., p. 4, discept. 146, dub. 3* et *num. 33.* Card. Albizi *de Inconst. in fide, cap. 11, num. 33. Et vere scio in hac Sacra Congregatione,* loquitur de Congregatione S. Officii, *sententiam Calderini uti erroneam fuisse reiectam.*

v. Quomodo probetur baptismum collatum fuisse infanti.

§ 31. In quibusdam praefatis resolutionibus innuitur, cum, qui hebraeorum filios sine parentum consensu baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, poena mulctandum esse; baptismum autem unius testimonio comprobari. Ut primae parti huius nostrae instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quam praedictarum resolutionum iudicium confirmare; et quidquid in eisdem continetur, nostra quoque sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam rectamque non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus est; et ea quicumque facit, quae Ecclesia fieri vetat, pro iudicis prudentia mulctari debet, poena scilicet aut mitiori, vel severiori, iuxta circumstantias. Additur etiam, qui infantes hebraeorum liberos baptizare solent, eos plerumque aut laicos, aut mulieres esse; quod neutris liceat, nisi necessitas interfuerit, ut videri potest *in Can. ad limina 30, quaest. 2, in Can. Sanctum, in Can. in necessitate de Consecr. dist. 4, in Conc. Flor. Armen. instruct. In casu autem necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest.* Hoc etiam in trigesimo octavo Concilii Illiberitani Canone statutum est, *peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate.* Et quamvis Petavius *in not. ad Sanctum Epiph. pag. 341* miretur, concilium, etiamsi necessitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere; *ergo ne a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?* Mendoza tamen et Albaspineus aiunt, in Canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plures adsint rei conficiendae magis idonei, quod catholicus ethnico, laicus autem non bigamus iure sit bigamo anteponendus. Iam vero baptismati comprobando unius sufficere testimonium, vetus Iurisperitorum axioma est; ut videtur in Glossa *Cap. Nuper, ad verbum: nisi iuratus, de testibus et attestationibus. Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit praeiudicium alicui; puta utrum aliquis sit baptizatus, vel utrum esset ecclesia consecrata et ubi quis vult probare se egisse poenitentiam per confessorem suum. Et in Can. placuit, in verbo: testentur, de Consecrat. dist. 4. Creditur ergo testimonio unius in baptismo et in consecratione ecclesiae.* Hoc tamen intelligendum est, dummodo testi aut mari, aut foeminae, fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens baptismum hebraeo infantulo ministrasse, non rem modo ab se gestam, sed etiam poena dignissimam suo ipse testimonio confirmaret. In S. Spiritus Xenodochium, proiectorum perfugium, feruntur non raro infantes chartam collo suspensam praeseferentes, in qua scriptum legitur iam baptismum eidem collatum esse. Cum adhuc in minoribus a secretis Sac. Congregationis Concilii munere fungebamur, Sancti Spiritus parochus interrogavit, quid sibi agendum esset in huius-

modi casibus? Proposita quaestio fuit in Congregatione *die* XVIII. *decem.* MDCCXXIII., *ut declarat Thesaurus resolut. tom. 2, p. 412, die autem* XV. *ianuarii* MDCCXXIV. ita rescriptum fuit: Si non lateret, qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto praestari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse, ac ne baptismo quidem initiandum *sub conditione,* ut aperte liquet *in tom. 3 praefati Thesauri, pag. 2.*

Secunda pars. § 32. Haec sunt, quae breviter exponenda censuimus quoad primam partem ad hebraeorum infantes unice pertinentem. Itaque ad secundam descendimus, sermonem de hebraeis adultis, ac ratione pollentibus habituri. Atque, ut ordine utamur et claritate, disseremus primo de iis, qui ultro baptismum petunt, tum de iis, qui iam baptizati ad ecclesiam se conferunt. Verum in primis constituendum est, quaenam plerumque ea aetas sit, in qua hebraeus sponte baptismum expetens, non infans, sed sui compos censendus est, et quodammodo adultus, atque hac quidem in re duos Iurisperitos, licet haud indoctos, cavere necesse est; Nattam scilicet *in consil. 454, lib. 2,* et Bursat. *in consil. 231, lib. 3,* quibus in casu, de quo agitur, necessaria videtur duodecim annorum aetas; id autem perperam quibusdam decretis probant aeque antiquis, ac antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus accuratusque praesul Sperellus *in sua decis. 1, num. 32, et duobus seqq.,* ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus, praeclara quaedam in unum collegit Cardinalis Albizi *de inconst. in fide, cap. 11, num. 39,* Ricciul. *in tract. de personis extra gremium ecclesiae, lib. 2, cap. 33, num. 3,* Zasius *in tract. de Iudaeis quaest. 2,* Clericat. *de iurisdiction. disc. 18, num. 25,* Sessa *de Iudaeis cit. cap. 43,* quibus addimus Congregationis Concilii resolutionem, quae extat *lib. 16 Decretorum pag. 233 a tergo* in quadam causa Vilnae, die XVI. iulii MDCXXXIX.: *Sacra Congregatio Concilii respondit filios iudaeorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad aetatem legitimam: et tunc, si ipsi consentiant. Aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio.* Animadvertere opus est illud *regulariter,* nam indicat oportere praesidem ecclesiasticum etiam atque etiam considerare, quisnam sit baptismi petitor, cum possit contingere, ut is, etiam non completo septennio, sufficienti sit praeditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter disserit Sotus *in 4 sentent., dist. 5, quaest. unic., art. 10, dub. 2: Certissima regula est, quod si citra illam aetatem certe constet, puerum fidei catechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari, et quemadmodum fit professio christianae legis, baptizandum est, quoniam aetas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; lex autem divina baptismi neutiquam ab humana dependet.*

De baptismo iudaeorum adultorum.

Quando adulti dici possit.

§ 33. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur, et baptismum implorantis capacitas anceps ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui iuxta tritum illud axioma, in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem baptismum ad hebraeos et ad patrem potissimum, si supersit, necessario remittendum. Cavendum est, inquam, ne quis arbitretur sententiam eiusmodi approbandam, et axioma, cuius dumtaxat est ratio habenda in causa aequali: nulla vero aequalitas intercedit hebraeos inter atque christifideles, ac multo minus inter patrem et filium; quum alter patriae potestatis iacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret; aerumnae alter gravissimae provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, cuius periculum certe subiret, regressus ad infidelium curam, ac sub patriam potestatem. Quare in supradictis casibus sacramentum est differendum, sed, hoc qui postulat, retinendus, ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

§ 34. *Suarez in 3 part. S. Thomae, tom. 3, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sect. 3 ad fin.* sic scribit: *Ad cognoscendum autem, an pervenerit parvulus ad eum statum et facultatem usus rationis, utendum est signis et coniecturis ex experientia desumptis, et hominis prudentis arbitrio iudicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam, et aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest et debet commodior occasio et maior cognitio.* Magni huius Theologi auctoritas quidquid supra diximus mirifice probat, baptismum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum; adultum vero id temporis a christifidelibus detinendum procul a genitoribus, ex his, quae subiungimus

aperte patet. *Cardinalis de Lugo lib. 5, respons. moral. ad dub. 4,* hoc Romae accidisse narrat aetate sua: *Contigit Romae, ut parvula quaedam puella casu inveniretur longe ab hebraeorum domibus, quae, interrogata de suis parentibus, respondit, se parentes habere hebraeos et velle fieri christianam. Conducta ergo ad catechumenorum domum, parens petiit, filiam sibi restitui, quae adhuc sui iuris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione.* Consilium expetitum est sapientissimi Cardinalis, qui postquam diligenter puellam examinasset, dubitavit, an perfecto rationis usu praeditam iudicaret: *Consultus ergo tunc fui, et examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui, nec etiam sufficientem, negare, sed mansi dubius.* Cum puella septennium adhuc non complevisset, dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis usu, baptismum protrahendum esse respondit, et puellam interea apud catechumenos detinendam: *Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat et de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti eius voluntate; interim tamen non debere, nec posse restitui, sed custodiae causa retinendam in eadem catechumenorum domo.* Atque ita gestum est, ac puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine praedicti Dubii IV. *Non erat controversia, an puella baptizanda esset, sed an patri reddenda, in dubio de usu rationis sufficienti; in quo dubio de facto reddita non fuit; sed in loco tuto deposita, donec suo tempore et explorata iam eius voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.*

§ 35. Species facti, quam modo exposuimus, de puella est, quae septennium nondum expleverat; si autem illud superasset et non constaret de perfecto rationis usu, non ideo hebraeis parentibus reddenda esset, sed christianorum curae mandanda. Etenim idem argumentum et ad puellam detinendam, et ad baptismum protrahendum in utroque casu valeat necesse est, auctore Sessa, *de Iud. cap. 54, num. 8 et seq.: Ego vero adhaerendum puto sententiae Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debet, sive septennium compleverit, sive non etc. modo non urgeat periculum mortis etc. Erit tamen eo casu a parentibus segregandus, et in domo catechumenorum, vel penes honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum, ne a parentibus subvertatur.* Et ante Sessam id docuerat Sotus loco cit. *Quid vero quando res esset aliquo modo dubia, nempe si bonae essent coniecturae et indicia, puerum annum agentem octavum intelligere quid vellet profiteri, baptismumque peteret? esset baptizandus, ac subinde ab eorum educatione subtrahendus.*

§ 36. Tempore constituto, in quo hebraeus rationis compos prudenter consendus est, statuto etiam quid sit agendum, cum baptismi petitor, an sit idoneus, dubitatur: de iis iam disseremus, qui aut ab adolescentia, aut aetate etiam maturiori baptismum postulant. Quoad hanc aetatem, parentum consensum necessarium omnino non esse, auctor est Sanctus Thomas *in praef. loco id est in 2, 2, quaest. 10, art. 12,* quo in loco disputans de baptismo filiorum hebraeorum, dissentientibus parentibus, sic scribit: *Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, iam incipit esse suus, et potest quantum ad ea, quae sunt iuris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem, non coactione, sed persuasione, et potest etiam invitis parentibus consentire fidei, et baptizari, non autem, antequam habeat usum rationis.* Eadem vero repetit in *3 part., quaest. 68, art. 10. Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea, quae sunt iuris divini, vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere sicut et matrimonium contrahere; et ideo tales licite moneri possunt, et induci ad suscipiendum baptismum.* Quae quidem cum iis conveniunt, quae scripta reliquit idem *Doctor Angelicus in quodlib. 2, art. 7.* De iis adultis, qui baptismum petierunt.

§ 37. S. Thomae doctrina de modo, quo hebraei iam rationis compotes ad fidem catholicam amplectendam inducendi sunt, omnino congruit cum Sancti Gregorii sententia *in Can. Qui sincera, dist. 45,* cuius haec sunt verba: *Qui sincera intentione extraneos a christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum*

ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis, quam Dei causas probatur attendere. Accedit Concilii Toletani IV. auctoritas *in Can. de Iudaeis, dist. 45. De iudaeis autem praecipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, miseretur; et quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante se gratia Dei propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* Idem sentit Clemens III. in sua Decretali, cuius hoc est exordium: *Sicut iudaei sub tit. de Iud. et Saracen. Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes iudaeos ad baptismum venire compellat: Si quis autem ad christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, christianus absque calumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

§ 38. Nec plane obest huic sententiae auctoritas Adriani Pontificis, qui baptismum a Carolo Magno Saxonibus vi collatum, ut fertur, comprobavit, cum infidelium ratio aeque ac hebraeorum habenda sit, iuxta S. Thomae sententiam *in 2, 2, quaest. 10, art. 8,* ubi sic scribit: *Infideles quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles et Iudaei, et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant etc. alii vero sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt, et eam profitentur, sicut haeretici et quicumque apostatae: et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, et teneant, quod semel susceperunt.* Nullius quoque momenti sunt, quae gesta fuerunt a Sisebuto Hispaniarum Rege, quem Concilium IV. Toletanum *cap. Maiores, de baptismo,* principem religiosissimum compellavit, propterea quod vi, ac minis hebraeos ad baptismum impulerit, cuius vestigiis institerunt Rex Ægaea, Ferdinandus atque Isabella, ut videre licet in Mariana novissimae editionis *ann.* MDCCXXXIII., *tom. 1, pag. 202, et in tom. 3, pag. 184 et 211.*

§ 39. Placet hic vero nonnulla breviter adnotare: ac primo: Pontifex Adrianus gratulatus est quidem Carolo Magno, quod Saxones iussisset ad baptismum accedere; in eius tamen epistola typis impressa *in tom. 2 Concil. antiqu. Galliae, pag. 112,* quod unum extat facti eiusmodi monumentum, in eius, inquam, epistola ne leviter quidem commemoratur modus, quo fuerant Saxones baptizati; deinde, iidem Saxones fidem Imperatori dederant, sua se sponte ad baptismum venturos, quum armis superati, et praelio victi se Carolo tradiderunt: *Spoponderunt se esse christianos, et se sub ditione domini Caroli Regis et Francorum subdiderunt:* ut narrat Annalium scriptor Loisselianus *tom. 6 Annal. ecclesiastic. Galliae patris le Cointe pag. 110.* Tertio, Rex Sisebutus non ubique fuit, neque ab omnibus commendatus; quapropter Rex Sisenandus imperavit, ut nulla vis in posterum adhiberetur, quod Mariana testatur *tom. 1, pag. 207, Iudaeos amplius ad religionis christianae professionem cogere nefas esto.* Quarto, religiosissimi nomen Sisebutus, non scientiae merito, sed pietatis causa, est consequutus, *propter zelum, quem habebat, licet is non esset secundum scientiam,* ut notat *Silvius in 2, 2, S. Thomae, quaestio 10, art. 8, concl. 4, § Ad hoc tamen.* Quinto in Hispania per eam aetatem ecclesiastica disciplina nimis remissa erat; ideoque Episcopi non ausi sunt Regum voluntati adversari, uti animadvertit Natalis Alexander in sua *Theologia dogmatica et morali, De sacr. bapt., lib. 2, c. 7, proposit. 7 ad fin. Mores illos in Hispaniarum Ecclesiis viguisse negari non potest, Episcopi ecclesiasticam disciplinam ad nutum Regum suorum flectentibus; sed saniorem fuisse, ut et antiquiorem, disciplinam de Iudaeis ad fidem christianam per baptismum non cogendis, perspicuum est.* Demum principum gesta legem praescribere privatis nequeunt, cum fas sit regibus infideles devictos, captivosque suos vi ad baptismum impellere, edictoque sancire, ut illud accipere si recusent, a regno eliminentur; id autem regibus licet non sine causa: metuunt enim, ne ipsi aliquando ad rebellionem deficiant, aut alios ad infidelitatem perducere moliantur. Quamobrem S. Augustinus in epistola ad Vincentium, quae nunc XCIII. est, olim XLVIII. postquam suam sententiam semper fuisse ait: *Neminem ad unitatem Christi esse*

cogendum; hoc ad rem nostram addit: *Legum terror, quibus promulgandis Reges serviunt divino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant... gratias Domino, qui vincula nostra disrupit, et nos ad pacis vinculum transtulit.*

§ 40. Hebraeis igitur, ut baptismum accipiant, vim facere nefas est; quare si quis hebraeorum, expleto iam septennio, catholicam religionem amplecti cupiat, aut si non dubia sed certa significatio detur, hebraeum aliquem praedictae aetatis baptismum petere, in hoc casu tum index, qui hoc admonet, est retinendus, tum sacramenti petitor ex hebraeorum vico avocandus, christianisque tradendus est, ut interrogetur, qua potissimum de causa velit ab hebraeorum institutionibus ad Christi cultum accedere; diligenter demum instrui debet, ut paulo post edocebimus. Hac autem adhibita diligentia, si forte incapax inveniretur, iterum absque dubio Iudaeis tradendus esset. *Et memini,* verba sunt Cardinalis Albizi *de inconst. in fid., cap. 11 sub n. 38, a congregatione consultorum sancti officii revocatum fuisse ad examen puerum quemdam hebraeum, qui supponebatur petiisse baptismum, et ad domum catechumenorum redactus fuerat; qui tamen adeo hebetis ingenii visus fuit, ut, etiamsi explevisset septennium, nihilominus patri hebraeo restitutus fuit.*

§ 41. Si contingat, ut hebraeorum aliquis aetate adultus baptismum cupiat; is quidem est retinendus, aut e vico evocandus, dum eius optimam voluntatem quispiam fide dignus attestatur. Magna hic vero diligentia opus est, experientia edocente, hebraeas seu mulieres, seu puellas frequenter ad baptismum confugere, non religionis sed matrimonii causa, quod nimirum christianum aliquem depereant: mares autem christianae fidei desiderium affectare, quod matrimonii iam contracti laqueos declinare cupiunt, et uxorem hebraeam relinquere, aut quod aere alieno gravati sunt, ac solvendo impares. Atque utinam in praesentiarum non eveniret, quod Stephanus Tornacensis scripsit in epist. XXXII. *Raro accidit, ut de plebis circumcisae duritia in novam ecclesiae renatus infantiam, fideliter aliquis conversetur.* Hanc vocem *raro* ita interpretamur, ut non negemus persaepe hebraeos ad veram fidem divinitus evocatos, ea fecisse omnia, quae bonos viros, et utiles christianos decent. Eorum Elenchum vide apud Possevinum, et Thomam a Iesu, *de convers. gent., lib. 9, par. 2, cap. 1, pag. 635.* Praeviam institutionem multum ad hanc rem conferre fatendum est. Sapientes instructiones pro missionariis Romae in lucem editae an. MDCXCIX., pag. 187 haec habent: *Enimvero comprobatum est experientia, christianos peiores non inveniri, quam qui ante competentem instructionem ad baptismum admissi sunt; quippe qua facilitate Christo nomen dederunt; eadem ut plurimum nuntium ei remittunt etc. quodque miserabilibus est, deteriores multo sunt, quam ante baptismum, et correctionis omnino impatientes.* Concilium Tridentinum *sess. 6, cap. 6* indicat, quae adulto, ad baptismum cum spirituali utilitate accipiendum, sunt necessaria. Catechismus Romanus *parte 2 de baptismo* moram et tarditatem in hoc negotio inculcat cum mortis discrimen abesse videatur. *Dilatio aliquas videtur utilitates afferre, primum enim quantum ab ecclesia providendum est, ne quis ad hoc sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qua ad baptismum accedunt, magis exploratur, atque perspicitur; deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, et christianae vitae institutionibus erudiuntur perfectius.* Quoad ea, quae ante baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium, seu quaestio ab Episcopo Quebec Sancti Officii Congregationi proposita, definita III. maii an. MDCCIII. *Utrum, antequam adulto conferatur baptisma, minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ei praescriptum fuerit? Respondetur, non sufficere promissionem; sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.*

De illis, qui extra infantilem aetatem baptizati sunt absque eo, quod ipsi baptisma petierint.

§ 42. Hactenus verba fecimus de hebraeis adultis ultro baptismum petentibus; modo, finis ut epistolae imponatur, de iis sermonem instituemus, quibus, infantium aetate expleta, nec ipsis quidem petentibus baptismus impertitur, ut re ipsa contigit in Viviani facto; unde oblata nobis huius epistolae conscribendae occasio fuit. Is enim praeter infantes, filiam annorum novem

baptismate consecravit, idem cum filio iam duodenni facturus; nisi aquam deficere comperisset. Eos itaque et retinere oportet, et diligenter inquirere, a quo baptizati sint; an debita forma et materia adhibita; tum etiam oportet eos instruere et docere supplendo quidquid antea non factum fuit, ac fieri omnino debuit. Neque vero haec satis sunt, sed nonnulla insuper observari necessario debent.

Intentio baptizati an requiratur, quando est extra infantilem aetatem

§ 43. Non raro fit, ut puer adhuc rationis impos in rebus momenti maximi cogatur alienae inservire voluntati, quod solebat olim ex veteri disciplina frequenter usuvenire. Quos enim ab infantia parentes ad monasterium miserant, ii toto vitae spatio solitudinem colere tenebantur, quamquam ubi adolevissent, sese palam profiterentur ab instituto eiusmodi abhorrere. *Vide can. audistis 20, quaest. 1.* Atque adultus alienae obnoxius voluntati, nisi sponte sua obligari nequit: quare, quum baptismo catholicae religionis observantia coniuncta sit, hinc sane oritur, hoc sacramentum non esse validum in adulto palam ac libere dissentiente. Sanctus Thomas *3 part. ad quaest. 68, art. 7,* quaerit: *Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi?* Et quibusdam more suo propositis argumentis intentionem non esse necessariam probantibus, ita quaestionem solvit: ***Respondeo dicendum, quod per baptismum aliquis moritur veteri vitae peccati, et incipit quamdam vitae novitatem etc. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitae, requiritur, secundum Augustinum, in habente usum liberi arbitrii voluntas, quas eum veteris vitae poeniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitae novitatem, cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti; et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, seu intentio suscipiendi sacramentum.*** Glossa canonica ***in can. Solet,*** ad verbum ***implorandum, de Consecratione, dist. 4,*** intentionis necessitatem in adulto, qui baptizatur, non requirit, sed baptizantis tantummodo satis esse affirmat. ***Si baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit Sacramentum; sed si non intendit baptizare, licet verba proferat, non est baptizatus.*** Sed iuxta Sotum ***in 4 sent., dist. 5, quaest. unic., art. 7,*** § ***His igitur,*** supradicta Glossa, sicut et alia ***in cap. Maiores, de baptismo, tum contra veritatem, tum etiam contra textus ipsos aperte pugnant.*** Ratio vero, qua Glossa innititur, nempe baptizatum patientis partes agere in Sacramento, intentionem autem quoad agentem, minime quoad patientem necessario requiri, ratio, inquam, eiusmodi refellitur a Sancto Thoma *loc. cit.* in responsione ad primum argumentum: ***Ergo dicendum, quod in iustificatione, quae fit per baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria: et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.*** Quidquid Sanctus Doctor in summa de hac voluntatis necessitate scribit, iam antea declaraverat ***in 4 sentent., dist. 6, quaest. 1, art. 6, quaestiuncul. 3.***

§ 44. Cum ergo voluntatis sive intentionis in adulto, quoad baptismum, necessitas certa sit, is debet ideo interrogari, quo esset animo, aut voluntate, cum ab se non postulatum acciperet Sacramentum; fieri enim potuit, ut in ipso actu intentionem habuerit accipiendi baptismum, aut quoddam veluti lavacrum in ecclesia solitum frequentari, aut ut profanam quamlibet lavacri speciem. Nihil prohibet, quo minus ante baptismum intentio fuerit illius, ut lavacrum est Ecclesiae proprium, accipiendi, ea deinde intentione in ipso actu caruerit, cum lustraretur. Contingere item potuit, ut animo, ac voluntate extiterit sacramento contraria, licet modestam vultus ac corporis totius compositionem in accipiendo baptismate praeseferret. Nihil demum impedimento est, quin ipsa rei novitate perculsus, nulla omnino voluntate, nec assentiendi scilicet, nec abnuendi fuerit; et fieri etiam potest, ut animo prorsus a sacris mysteriis alieno, vel voluntate coacta et repugnante baptismum acceperit.

§ 45. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi, non quodcumque lavacrum, sed unice Ecclesiae proprium ac peculiare, baptismum esse validum dubitari non potest. Ita Est. ***lib. 4 sent., dist. 4,*** § ***10: In his enim ad veritatem baptismi, sive ad characteris susceptionem omnino necessaria est intentio suscipiendi Sacramentum, non tamen ut est lotio quaedam in genere, sed ut talis, qualem frequentat Ecclesia.***

§ 46. Verum si quis baptismum accipiens praesenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis suscipiendae lotionis, qualis in Ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, ad-

huc moraliter perseveret. Nam ubi nulla praecesserit retractatio, et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum Sacramentum. Hic casus ad eos spectat, qui ante furorem vel somnum, baptismum petunt, accipiunt vero, dum aut insania vexantur, aut somno indulgent, et hoc genus hominum valide baptizatum dicitur *in Conc. III. Carthagin., cap. 34.* Non secus accidit S. Augustini amico, qui febris ardore delirans, *baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus,* ut habetur *in lib. 4 Confess., cap. 4.* Is enim cum adhuc inter catechumenos versaretur, propositum absque dubio habuerat baptizandi. Ad hanc rem animadversione dignissima verba sunt Innocentii III. *cap. Maiores, ad § Verum, de baptismo,* ubi haec leguntur: *Dormientes autem et amentes, si priusquam in amentiam inciderent aut dormirent, in contradictione persistiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt Sacramenti, secus autem, si prius catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi.*

§ 47. Qui vultu, atque oculis, ac toto corpore ad modestiam composito, voluntate tamen alienissima, ad hoc sacramentum veniat, is aditum aperit ad controversiam non parvi momenti. Quidquid sit de opinione Catherini, qui sustinet, conferenti exteriorem sufficere compositionem, etiam si non id animo proponat facere, quod Ecclesia solet, de qua opinione multa alibi diximus in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae, ad part. 4, sect. 2, num. 76 et seqq.* haec, inquam, opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente baptismum. Propositio autem ab Alexandro VIII. damnata, obiici Catherino solita, conferentem respicit, non accipientem: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptismi observat, intus vero et in corde suo resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

§ 48. Quotiescumque sacra haec mysteria suscipiuntur indifferenti prorsus animo ac proposito, neutra scilicet voluntate, Cardinalis Caietanus *art. 7 in Summa S. Thomae, 3 part., quaest. 58,* admissa in recipiente intentionis necessitate, docet, intentionem non *per se,* ut scholae loquuntur, sed *per accidens,* necessariam esse, ut nimirum contraria voluntas, si adfuisset, sublata penitus intelligatur. Itaque si quis nec abnuens, nec assentiens, neutra videlicet voluntate, baptizaretur, censendus esset baptismum valide suscepisse. At enim Sotus *4 sent., dist. 5, q. unic., art. 7* Caietano vehementissime adversatur, et ea quidem felicitate, ut plurimos habeat sententiae suae theologos assertores. Silvius *tom. 4, in 3 part. S. Thomae, q. 68, art. 7,* postquam rem prolixe discussit, ita concludit: *Ex iam dictis certum est, non sufficere, quod quis neque sit volens, neque sit nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi sacramentum.* Valentia *tom. 4 suorum comment. Theolog., disp. 4, q. 3, punct. 2,* Caietano valere iusso, adhaeret Soto: *Quod si neuter prorsus aliquis esset, id est qui neque vellet, neque nollet suscipere, putavit Caietanus, si sic baptizaretur, fore baptismum validum, sed admodum false id putavit, ut multis argumentis probat Sotus.* Consulendus quoque est Cardinalis Lauria *lib. 4 sent., tom. 1, disp. 11, q. 2, num. 22 et seqq.* Caietanus fulcire studet sententiam suam auctoritate Decretalis Innocentii III., de qua mox sermo erit, *in cap. Maiores, de baptismo,* ubi leguntur haec verba: *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem:* ubi sentire videtur, baptismo satis esse, recipienti voluntatem non inesse contrariam. At enim vero animadvertatur necesse est, Pontificem Innocentium respondere quaestioni, utrum amentes baptizari absque consensu possint, ac decernere hoc licere, eorum si consensus adfuerit furori praevius, secus vero, si nullus dementiam consensus praecesserit ac voluntas. Itaque Pontificis postea asserentis sacramento imprimi characterem, *quando non invenit obicem contrariae voluntatis,* nemo non videt, hanc mentem esse, baptismatis haberi effectum, quando quis vel in actu assensum praebeat, vel iam ante praebuerit. Quod si Pontifex ea in sententia fuisset, suscipiendo baptismati satis esse voluntatem non obsistentem, utique non decrevisset, ut revera statuit, in amentibus voluntatem necessario requiri antecedentem.

§ 49. Demum si baptismus violenter, atque animo palam contrario suscipiatur, supradictus Pontifex Innocentius III. *eadem in Decretali Maiores, de Baptismo,* distinctione utendum iudicat. Etenim eos, qui minis ac terrore correpti violentiae

cedunt, baptismum, ut sibi consulant, suscipientes, ab iis distinguit, quibus, vi etiam illata, contradicentibus palam et reluctantibus, hoc sacramentum per vim confertur. Decernit autem in primo casu, non in secundo, baptismatis imprimi characterem: ***Is, qui terroribus atque suppliciis vehementer attrahitur; ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum etc. ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire; sicut nec ille notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans, thurificare Idolis cogitur violenter.*** Distinctio eiusmodi occurrit quoque in Glossa Canonica ***in Can. de Iudaeis, ad verbum, Coacti sunt, dist. 45, in cap. Maiores § Item quaeritur, ad verbum, conditionaliter, de baptismo, et in cap. Contra christianos, ad verbum, absolute, de haereticis, in sexto.***

Quid servandum, si quis post baptismum negat intentionem sufficientem habuisse.

§ 50. Examen porro si haberi debeat de adulti proposito, aut voluntate, cum baptismum accepit, is profecto est ante caeteros audiendus, et interrogandus; cavendum tamen, ne inconsulto fides eidem illico habeatur, ubi responderit, se baptizatum non libere, sed invito. Fieri enim potest (nec casus sane hic metaphysicus est) ut ipse in actu intentionem habuerit sufficientem, diabolicis deinde stimulis incitatus et victus, ad vomitum rediturus mendacium proferat et de intentione interrogatus nigrum pro albo, ut inquiunt, repraesentet. Qui in foro, in Curia, in Republica versatus est, non ignorat, et saepe alias contigisse, et frequenter usuvenire, ut sacris Ordinibus initiati, ac vitam regularem professi, enixe postulent contractis a vinculis solutionem, dictitantes nimirum, et nonnunquam iureiurando affirmantes, sese illo tempore, aut nullam penitus intentionem, aut omnino contrariam habuisse. In hoc rerum statu quid solet consilii capere iudex cautus et prudens? Clamores aspernatur, respuit iusiurandum, nisi hoc idem comprobent adiuncta plurima, et circumstantiae antecedentes, concomitantes et subsequentes, et eae quidem momenti sint ineluctabilis et inconcussi. Hac profecto ratione, hoc examine, hac diligentia opus est, ubi adultus post baptismum aut intentionem sibi fuisse pernegat, aut non idoneam, minimeque sufficientem, extitisse contendit.

§ 51. Quod si nulla sit reliqua dubitatio, planeque constet hac luce clarius, adulto baptismum accipienti nullam prorsus fuisse voluntatem aut intentionem, nil restat aliud, quam eumdem et hortari et admonere, ut rite id faciat, quod iam irrito fecit, et suscipiat *absolute* ac libere sacramentum; ac, si obstinate repugnet, tum nihil aliud superest, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit, nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens adfuerit necne, adultus tum retinendus, baptizandusque *sub conditione:* S. Thomas *3 par., q. 68, art. 7;* ubi, ut antea diximus, in baptizato intentionis necessitatem probans, hoc sibi obiectum proponit secundo loco: *Cum de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere, se denuo baptizari, propter intentionis defectum. Non videtur ergo, quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat sacramentum:* atque ita respondet: ***Dicendum ergo, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus; si tamen hoc non constaret, esset dicendum. Si non es baptizatus, ego te baptizo.***

§ 52. Demum quotiescumque aliqua ex parte de collato baptismate dubitetur aut in facto aut in iure; cum ex facto articulus iuris oriatur, de quo nihil adhuc certi Ecclesia statuit. Theologorum autem scriptorumque sententiae divisae sunt, hebraeus iam lustratus non remitti, sed retineri debet et baptizari *sub conditione,* iuxta regulam Alexandri III. *in cap. De quibus, sub tit. De baptismo: De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed, si nondum baptizatus es, ego baptizo te.* Hi porro ita baptizati teneantur omnino fidem catholicam observare, eorum instar, qui minis ac terrore adducti, suscipiendo baptismati assensum libere praebuerunt: vide *cit. cap. Maiores § Verum, de baptismo: Et ipse tamquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est tamen ad observationem fidei christianae.* Et prolixius *in can. De iudaeis, ad dist. 45,* ubi sic legitur: ***Oportet, ut fidem, quam etiam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides, quam susceperunt, vilis et contemptibilis habeatur.***

Alia dubia circa hanc materiam solvuntur.

§ 53. Statutum hic nobis fuerat, epistolam terminare; sed deinceps audivimus operae pretium esse, quasdam quaestiones solvere huc spectantes, quarum usus haud infrequens esse solet. Tenemur itaque huic epistolae additamentum nectere, et opportunius hoc fore existimamus, quam opus iam perfectum retexere, aut fasciolas, ut dici solet, ac frustula infarcire.

I. In casu denuntiationis aliquem christianum effici optare, quibus testibus fides praestari debeat.

§ 54. Superius, hoc est *n. 40,* e vico evocandum tradendumque christianis diximus, eum, qui nuncio haud dubio, sed certo et indubitato delatus est, et dedisse, et adhuc exhibere indicia desiderii, quo flagrat, suscipiendi baptismatis. Hoc praemisso, in praesentia quaeritur, quandonam eiusmodi denuntiatio tuta, minimeque dubia habenda sit? Cum non de adulto ad salutis fontem ultro se conferente, sed de eo nunc sermo sit, quem alii significant baptismum votis omnibus exoptare, iam patet non posse quaestionem solvi, nisi decernatur, cuiusmodi et quot esse testes debeant eorum, ut denunciatio incerta, non anceps, sed fide dignissima existimetur.

§ 55. Regula generalis, quam te non ignorare compertum habemus, aperte iubet non unius testimonio haberi fidem. Haec vero iure divino innititur, *in ore* scilicet, *duorum, vel trium, stabit omne verbum.* Concordat ius pontificium *in cap. Veniens 10 et cap. Licet universis 23 De testibus,* et Ius civile *in leg. Iurisiurandi c. De testibus.* Aliquae porro sunt huius regulae limitationes, quarum unam paulo ante produximus, nimirum collationem baptismi unius testimonio probari: praeter hanc, si quis alias undetriginta legere cupiat, speculatorem adeat *tit. De testibus n. 6.* Nobis in praesentiarum satis erit earum unam memoravisse, rem nempe aliquam unico etiam teste probari, dum is tamen fultus haud dubiis indiciis fuerit, et claris oppido coniecturis: *ita Farinaccius De test. q. 63, cap. 1, n. 35. Pac. Iordan. elucubr. lib. 14, tit. 18, num. 66; Panimoll. decis. 23, annot. 5, num. 18.* Quoad testium conditionem, usus invaluit, tam in iudiciis canonicis, quam civilibus, admitti mulierum testimonia, ut apud Tiraquell. *De legib. connub. leg. 9, n. 64 et seqq.* Farinac. *De test. q. 59 per tot. Pac. Iordan. loc. cit. n. 529.* Pirhing. *titul. De test. num. 66 et 69.* Anaclet. *Ad eumdem tit. n. 84.* Sperell. *decis. 81, n. 45.* Quid hactenus dictum est, probatum suis, ut inquiunt, a principiis videre qui cupiat, suffragium perlegat admodum elaboratum, et XIX. iulii MDCCIX. typis editum a bo. mem. Praesule Frosini Pisarum Archiepiscopo in quadam controversia, quae ipsi cum illius civitatis hebraeis intercessit.

§ 56. Ut ergo regulae hae generales in quaestione proposita locum habeant, cavendum est, ne inconsulto ac temere quidquam fiat, si testes hebraeum aliquem serio baptismum petere significaverint. Ac in primis videndum, num index, sive mas, sive foemina fuerit, certae sit probitatis ac notae fidei; deinde examinari debet, et admoneri de gravitate iurisiurandi; tum eius examen est describendum, cui et index ipse subscribat necesse est. Si duo inter se testes concordent quoad locum, tempus et occasionem, in qua hebraeus suscipiendi baptismatis voluntatem aperuit, tunc prudentis erit praesidis, hebraeum ad catechumenos evocare, eumdemque ibi ad dies duodecim detinere, ut non minus rei veritas, quam voluntatis constantia cognoscatur. At cum rem denuntiant, aut duo testes singulares aut unus tantummodo, sed fide dignus et omnem citra dubitationem idoneus, et multo magis si adminiculis suffultus, tunc habito, ut diximus, testium, vel testis examine, non oportebit, hebraeum ad catechumenos ducere, sed iudex catholicus, qui Romae est Vicesgerens pro tempore, eius voluntatem extra vicum, vel domi suae, vel in templo aliquo semel atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut hebraei consilio clare perspecto et cognito, eum tuto iubeat, aut ad vicum remitti, aut catechumenis recenseri.

§ 57. Neque id vero recens inventum est, sed decretum a congregatione Sancti Officii anno MDCCXXVII., cum adhuc in minoribus eadem in congregatione consultoris munere fungeremur; itemque hoc postea confirmavit per literas apostolicas die XIV. februarii anni praedicti Benedictus Papa XIII. fel. rec., cuius in nos beneficentia haud parva fuit: eius decreti verba talia sunt: *Feria 4 die* VII. februarii MDCCXXVII. *In congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram eminentissimis et reverendissimis dominis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, in tota republica christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apostolica specialiter deputatis: Cum plures*

exortae sint controversiae super intelligentia et executione decreti ab hac sacra congregatione editi die VII. *iulii* MDCXLI. *quoad hebraeos utriusque sexus denuntiatos de eorum animi declaratione suscipiendi baptismum; eminentissimi et reverendissimi domini Cardinales Generales Inquisitores praedicti dictum decretum declarando, et, quatenus opus sit, reformando, in posterum illud sequenti modo exequi mandarunt et decreverunt: nempe quod testes, qui hebraeos denuntiabunt, sive mares, sive foeminas de declaratione animi suscipiendi baptismum, per notarium, iuxta interrogatoria generalia ab R. P. D. Vicesgerente praescribenda, cum speciali monitione relevantiae iuramenti, in scriptis coram eodem R. P. D. Vicesgerente, et eo impedito, coram eius auditore, examinentur; qui etiam examen praefatum subscribere debeant; et, quatenus duo testes sint de loco, tempore et occasione contestes, tunc denuntiati ad domum catechumenorum duci, et collocari in loco separato, ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate, et constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendi baptismum explorentur. Si autem testes erunt singulares, vel unus adesset testis idoneus et fide dignus, tunc denuntiati, non statim post denunciationem, et testium examen ducendi erunt ad domum catechumenorum, sed per R. P. D. Vicesgerentem extra ghettum, vel in eius domo, vel in aliqua ecclesia, vel alio loco sibi bene viso, et intra tempus necessarium et opportunum, iuxta facti speciem et circumstantias, pro arbitrio et prudentia dicti R. P. D. Vicesgerentis, eorum voluntas exploranda erit.*

II. De uxoribus et sponsis oblatis a maritis, qui christiani efficiuntur.

§ 58. Hanc alia quaestio sequitur ad sponsas pertinens, atque coniuges hebraeorum, qui viri iam christiani, aut sponsi opera fidei catholicae offeruntur. Nulla iudaeorum querela est, quod a viris, aut sponsis christifidelibus sponsae, aut coniuges ad lavacrum sanctissimum offerantur; non enim nesciunt vel ipsi hebraei, nullam hac invitamenti, vel adhortationis specie violentiam includi, ita ut si mulier baptismum respuat, matrimonium in iudaismo contractum omnino solvatur, teste Apostolo *1 ad Corinth. c. 7,* et iuxta *Decretalem, Quinto, De divortiis,* quae quidem matrimonii solutio fit statim ac iudaeus ecclesiae gremio admissus transit ad alias nuptias, ut a nobis longa disceptatione probatum est, cum in congregatione Concilii a secretis essemus, in quadam causa Florentina proposita XXVII. *iulii* MDCCXXVI., ut videre licet *in tom. 3 Thesauri resol. pag. 346 et pag. 350 et seqq., ac tom. 4, pag. 30 et seq.* Quando infidelis ad Christum conversus transitum facit ad alias nuptias, an eadem sit libertas coniugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio est. Sententiam negativam sustinet Pontius *De matrim., lib. 7, cap. 48, num. 25.* Affirmative adhaeret Sanchez *De matrimon. lib. 7, disp. 77, n. 6.* Utramque probabilem Diana existimat *in edit. coordinata de matrim., tom. 2, resol. 122, tract. 6.*

§ 59. Illud quoque hebraeis est probe cognitum, coniugem viro esse obnoxiam, eiusdemque in potestate constitutam, quod legunt *Geneseos c. 3 Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Ipsis praeterea compertum est sponsalia plurimum a matrimonio differre, cum haec non sint aliud, quam futuri promissio matrimonii, ut *in Can. Nostrates 30, quaest. 1, et in leg. 1 ff. de spons.,* quod et colligitur ex historia Iacobi, *Genes. c. 29,* qui servitutem servire Labano debuit ad statum tempus, ut uxorem duceret promissam sibi Rachelem. Non id audeat Hebraeorum quispiam inficias ire, iuxta eorum mores, per sponsalia ius quoddam sponso, et auctoritatem in sponsam dari forsan etiam maiorem illa, quam christifidelis habet in christianam mulierem sibi desponsatam. Nam iure pontificio gravis est reus culpae, non adulterii, qui aliena cum sponsa turpi consortio coniugatur, ut nos alibi demonstravimus in *nostra notificatione V., tom. 3, pag. 65, edit. Bonon.* At apud hebraeos, ex veteri instituto qui rem, aliena cum sponsa habuerit, non impudicus dicitur, sed adulter, ut *post Seldenum lib. 2. Uxor hebr. cap. 1,* animadvertit Calmet *in sua dissert. De connubiis hebr.* et adhuc in praesens apud hebraeos scelus, quo de nunc agimus, est capitale, ut observat Cardinalis de Luca *De matrim. in discur. 9, n. 15,* quem habuit de quorumdam Iudaeorum Romae connubio. Igitur quemadmodum cum ad fidem accedunt, qui potestatem in filios aut filias habent, eorum oblationem Ecclesiae libere ac iure faciunt; ita vir, aut sponsus Christi legem amplexus iure optimo oblationem facit suae vel uxoris aut sponsae, in quam ius a legibus, et auctoritatem sibi concessam habet. Facta

haec vero oblatio nec sane potest, nec omnino debet a christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiae, nullique studio, ut christiana veritas iam viro aut sponso cognita, uxori quoque aut sponsae lucem afferat, ac salutem, eo vel maxime quod Romani Pontifices licet iudaeis vim fieri quoad religionem severe prohibeant, palam tamen significant, nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas hebdomadas iis publice evangelium annuntiari, eosdemque iubent sacris hisce concionibus interesse, ut apparet *in constit. 1 Nicolai III. et constit. 106 Gregorii XIII.*

§ 60. Verum, quamquam hebraei de uxorum sponsarumque oblatione nec conquerantur, nec conqueri possint; queruntur tamen, ut primum hebraeorum aliquis ad fidem profectus aut profecturus, suam offert Ecclesiae sponsam, quod haec illico evocatur, domumque catechumenorum transfertur, ubi quadraginta dierum spatio detinetur. Clamant in casu eiusmodi nimiam christianos incertis vocibus habere fidem, et imprudenter agere, priusquam ullis probationibus demonstratum fuerit, sponsalia rite ac valide contracta fuisse. Hinc dictitant damna, turbationesque oriri plurimas, cum non semel evenerit, ut hebraeus infima de plebe aliquis, mulieris aut virginis amore flagrans et divitis et honestae, desperans vero eam in iudaismo ducere uxorem posse, id consilii ceperit, contracta nempe sponsalia falso, ac temere venditare, illustrem ut ad thalamum perveniret.

§ 61. Magnus ille praedecessor noster S. Gregorius. laudabili semper methodo, et incorrupta iustitia in Hebraeorum negotiis usus est. Consule *eius epist. 25, lib. 8, indict. 1, ultimae edit.,* Victori Episcopo Panormitano datam: *Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet ut fraternitas vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis quidquid hac re decretum est custodire debeat, ac servare, ut nec ipsa aliquid iniustum facere, nec illi pati praeiudicium videantur.* Sed admonet eodem tempore, ut facta diligenter accurateque perpendantur, ad veritatem rei a iudaeis propositae cognoscendam; ut colligitur ex alia eius epistola ad Fantinum Panormi defensorem missam, quae *55 est, lib. 9, indict. 2,* ubi legitur, *ne forte in eorum sola voluntate versari praeiudicium videretur.* A S. Gregorio edocti, ne ullam his de sponsalibus diligentiam praetermisisse videremur, Seldenum, Bustorfium, Leonem Modena, et alios scriptores consulendos adiudicavimus. Decreta quoque percurrimus, quae alias in casibus huiusce generis congregatione Sancti Officii emanarunt. Sed auctorum lectio praedictorum, quam nobis utilis extitisse exornandae dissertationi pro aliqua ex academiis ecclesiasticis, quae coram nobis singulis hebdomadis haberi solent, tam plane inutilis ac supervacanea fuit certo ac tuto decernendo sistemati, quod maximopere optabamus. Ex praedictis decretis, quorum principium est ab anno MDCCXXV., licet illud intelligatur, quod si sponsus hebraeus iam christianus sponsae adhuc Iudaeae oblationem fecit, hanc inter catechumenos ad quadraginta dies detentam fuisse; nullo tamen modo cognosci potuit, an, et qua ratione sponsalia probata fuerint, itemque, an eorum probatio solius sponsi, vel plurium testimonio inniteretur; an demum quodlibet mutuae sponsionis genus existimatum fuerit verus ac legitimus sponsaliorum contractus.

§ 62. Doctor Paulus Mediceus in suo tractatu de hebraeorum ritibus ac institutis, quorum ipse peritissimus erat, quippe qui e Mosaica ad christianam legem transierat, *cap. 27,* de sponsalibus agit et matrimonio iudaeorum, et id, ut paucis dicam, ostendit, in hoc instituto non admodum a christifidelibus differre hebraeos. Nam hanc apud eos consuetudinem esse testatur, ut scriptura conficiatur, in qua parentum alteruter filiam suam aut puellam, aut viduam promittit sponso, hic autem eam se ducturum pollicetur. Tempus quoque decerni solitum, in quo nuptiae celebrentur. Contractui demum subscribere tum sponsus, tum duo praeterea testes de more debent. Sed, quia hebraei eorum, qui Christi fidem amplexi sunt, dictis ac testimonio aegre acquiescunt, ideo nos veritatis apprime cupidi, cuidam familiari nostro iurisperito mandavimus, ut convocaret in unum iudaeos aliquot, quorum unus iampridem nobis, cum adhuc Anconae ecclesiam gubernaremus, est probe cognitus et in mosaicis ritibus egregie versatus. Ex eo autem conventu ea, quae sequuntur, evicta sunt.

§ 63. Primo, semper sponsalia contrahi inter virum et parentes mulieris, aut inter virum et mulieris propinquos, si pa-

rentes mulieri desint: mulierem sponsalia non contrahere pudoris causa et honestatis, imo contractum, qui hebraice dicitur תנאים *Tenaim,* foeminae plerumque ignotum esse, quae postea explicite praebet assensum suum in solemni nuptiarum celebratione hebraice nuncupata קדושים *Kidduscim.*

§ 64. Secundo, sponsalibus hac ratione contractis obligari utramque partem; cum autem consensum parentes tantum mulieris, aut consanguinei praebuerint, non vero foemina, ideo hanc, si dissentiat, minime cogi posse et dissentientem non contractum frangere, sed peccare graviter iuxta hebraeos, debitam nempe obedientiam parentibus aut maioribus denegando.

§ 65. Tertio, contractum dici obligatorium et absolutum, cum a viro, ac foeminae parentibus sponsio facta est, ac descripta, nec non testibus confirmata aut duobus, aut pluribus. Hic contractus Romae describi solet notarii opera, alibi a iudaeis hebraice.

§ 66. Additur, contractum dici pariter absolutum, cum pars utraque, vel privatim vel coram Rabbino sponsionem firmant iureiurando, coram duobus aut pluribus testibus et sponsionem insuper describi iubent. Quod si vel absque scripto, et testimoniis, aut coram testibus tantum sine iureiurando sponsio facta fuerit, tunc neque obligationem inducit, nec contractum perficit sponsaliorum, ita ut pars utraque libera omnino sit; at si de sponsione constet et de iuramento per testes, tunc recedere licet utrique parti, dummodo praeviam a Rabbino impetrent absolutionem a iuramento.

§ 67. Haec hebraeorum ex conventu collecta sunt. Hinc vero deducitur, duobus tantummodo supradictis modis contracta sponsalia inter iudaeos haberi valida atque obligatoria. Mutuae igitur viri ac mulieris sponsiones, epistolis, aut schedulis expressae nihil ad effectum, de quo quaeritur, valent; ac multo minus munera, vestes et nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod sponsio uno vel altero ex supradictis modis facta fuerit, si copula sequatur ante *Kidduscim*, seu matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi, sed commissi sceleris poena, et ut crimen admissum luatur.

§ 68. Si de sponsaliorum validitate, aut invaliditate, itemque de obligatione, aut contra, deberet iudicium fieri, res autem inter hebraeum et hebraeam intercederet, aequum esset sententiam ferre legibus consentaneam et consuetudinibus hebraeorum; communis enim, et probata opinio est, in iudiciis huiusmodi oportere non iuri Pontificio vel civili, sed legi, et Mosaicae consuetudini adhaerere. Marquard. *de Iudaeis part. 2, cap. 4;* Ricciul. *de iure person. lib. 2, cap. 18, n. 7;* Sessa *de Iudaeis cap. 33, num. 6;* Card. de Luca *de Matrimonio discurs. 15, num. 3.* In praesens vero res in disceptationem venit ad hebraeam pertinens et ad hebraeum iam Christo servientem aut inservire optantem: negotium nempe agitur sane maximum, quod ad christianam summopere pertinet religionem. Consilio igitur prudenti admodum opus est ac salutari. Nos autem re diu ac multum considerata, hoc, quod sequitur, opportune decernendum existimavimus.

§ 69. Quotiescumque sponsus hebraeus christianae religioni nomen dare statuerit et Evangelio sponsam offerat, tuum erit, eum prudenter interrogare, vel, ut ab aliis interrogetur, imperare, quomodo sponsalia probentur, neque enim decet eius affirmationi unice habere fidem. Editas sponsaliorum probationes tuum pariter munus erit examinare, aut alicui prudenti viro examinandas tradere. Argumenta sponsalibus comprobandis idonea erunt, si tanti esse ponderis et momenti videbuntur, ut contracta inter catholicos sponsalia iisdem rationibus evinci aperte ac tuto valeant. Apud christianos scriptura non opus est, cuius defectu testium auctoritate suppleri solet, adhibitis etiam censuris, cum quis post canonicas admonitiones sponsionem vel sine iuramento factam implere negat. Sponsaliorum itaque probationes si tales fuerint, ut modo diximus, antiqua tibi methodus, quae usui erat ante an. MDCCXXV., adhibenda est; e vico scilicet evocanda mulier, et semel atque iterum, aut quamdiu opportunum duxeris, eius voluntas in templo aliquo, aut alibi exploranda, ac demum aut innata in pervicacia atque errore relinquenda, si resipiscere nolit, aut inter cathecumenos retinenda est, ut instruatur, si conversionis certa spes aliqua oboriatur.

§ 70. Cum aut sponsus, aut alius quilibet fide dignus eiusmodi argumenta proferat, quibus plane constet, sponsalia ita, ut supra diximus, contracta fuisse, nempe apud ipsos hebraeos valida atque obligatoria; ad te spectabit, sponsam illico inter

catechumenos collocare, ubi tamdiu versabitur, quamdiu necesse erit, dummodo quadraginta dierum spatium non superetur; infra enim hos limites procedere absque dubio putamus supradicta decreta quae initium habent ab anno MDCCXXV.

§ 71. Inter Cassiodori epistolas Regis Theodorici nomine exaratas, septima supra trigesimam ad hebraeos Mediolanenses transmissa fuit, in qua iis significatur, hoc decretum fuisse, quod nimirum *nullus ecclesiasticus, quae Synagogae vestrae iura competunt, violentia intercedente pervadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat, sed ut religionis cultu, ita et actuum sint conversatione discreti.* Et hoc idem nos hactenus facere procuravimus. Eadem praeterea epistola admonentur iudaei, ne ingrati sint, christianorum aequitate temere abutentes: *Hac tamen moderatione principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad praefatae ecclesiae ius, vel religiosas personas caeteras, legibus pertinere constiterit, inciviliter attrectare tentetis.* Et id quoque nos addere non praetermittimus. Experimento enim didicimus, cum hebraeus palam declarat, christianorum se velle institutis, ac legibus obtemperare, a Synagoga, si eius voluntatem nequeat immutare, rationem, aut potius fraudem excogitare de more aliquam, celare scilicet, aut alio mittere eum; qui a bono proposito deterreri non potest. Cum vero sponsus christiano se nomini devovere statuit, statim id Synagoga efficit, ut sponsa pervicaci aliquo cum hebraeo matrimonii vinculo copuletur, aut ut omnes illico evanescant sponsaliorum rationes probationesque. Hi porro eventus cum metaphysicos non esse scias, ideo severitatis erit ac vigilantiae tuae, remediis ac poenis etiam, si opus fuerit, hebraeorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur, ac rerum perturbatio tollatur. Haec sunt, quae nostra hac epistola explicanda duximus, quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXVIII. februarii MDCCXLVII., pontificatus nostri anno VII.

XCI.

Sub poena nullitatis sententiae, praescribit ordinem servandum in iudiciis super nullitate professionis regularis utriusque sexus (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Si datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quae ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere ac violare non licet; multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, nosque praesertim, utpote sacrarum legum custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quae divino et ecclesiastico iure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem et observantiam asserere. Eam ob rem iam usque ab anno Incarntionis dominicae MDCCXLI. pontificatus nostri II., apostolicas literas dedimus, incipientes: *Dei miseratione,* in Bullario nostro deinde editas *Tom. I., num. 33,* quibus certum praescripsimus ordinem, in tribunalibus ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti et definiri deberent causae, in quibus de nullitate alicuius matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate iudicium postulari aut fieri prohiberemus; sed, ut in hoc gravissimo iudicii genere, in quo de sacro connubiorum foedere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque iudices, non sine certissima cognitione omnium, quae ad rem maxime conducunt, huiusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile, sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. (Methodus a Sanctitate Sua praescripta in causis matrimonialibus.) Cuius quidem constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; quum ex eo tempore, neque tot causae super praetensa matrimoniorum nullitate in tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super matrimonio rato, et non consummato: dum scilicet ante omnium oculos propositae sunt difficultates paulo quidem maiores, sed omnino iustae, quae, ex novo ordine a nobis statuto, cuilibet superandae

---

(1) Ex Bull. huius Pontificis edit. Romae.

se offerent, antequam optatum finem assequatur.

Ex eisdem rationibus statuit novum ordinem praescribere pro iudiciis super nullitate professionem regular.

Quemadmodum itaque pro matrimoniis carnalibus a nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de religiosis videlicet utriusque sexus regularium professionibus, pari ratione statuere decrevimus: nimirum certam normam ac methodum tradere, quam observare debeant iudices ecclesiastici, quoties iudicia super nullitate professionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apostolica approbato factarum, coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui iustis de causis huiusmodi actiones intentare velint, ac postulent, professionem a se factam ex capite nullitatis, irritam declarari; sed, ut ipsi iudices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne umquam, ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte, valida solemnium votorum professione emissa, Religioso Ordini, cui nomen dedit, re ipsa maneat adstrictus. Qua ex methodo a nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut et rariores in posterum in tribunalibus futurae sint causae super praetensa professionum nullitate; et qui deinceps huiusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, et consequenter a religione discesserint, non amplius anxia, aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad nos, aut ad officium Poenitentiariae nostrae Apostolicae, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato (ut moris est) in precibus nomine, fatentes sententiam super professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto iudice, vel per mendacia in facti expositione adhibita vel per corruptos testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia et dispensatione apostolica, facultas manendi in saeculo ipsis indulgeatur.

Reclamatio adversus professionem intra quinquennium quatenus admittatur ex decreto Concilii Tridentini.

Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factae professionis, de illius nullitate actionem promovent, et eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum sacrae Tridentinae Synodi, *sess. 25 de Regular. cap. 19,* in haec verba: *Quicumque Regularis praetendat, se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo et Ordinario.* In quo sane decreto licet in litera virorum regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam foeminae religionem professae comprehenduntur; quum ex regulis iuris, masculinum genus etiam foemininum includat, ubi una eademque causa pro foeminis aeque ac pro masculis militat. Quamvis autem decreti verba satis clara sint, variae tamen quaestiones circa eorum sensum ac vim excitatae fuerunt.

Quod decretum etiam moniales comprehendit.

Et procedit aeque in casu actionis intentatae ex parte religionis.

Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de regulari professo, qui suam professionem nullam fuisse contendat: *Quicumque regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse religionem etc.,* nihil vero expresse statuatur de ipsa religione, cuius aliquando interest alicuius alumni sui professionem irritam declarari; ut si quis, exempli causa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adiecta declaratione, quod, eo forsan existente et non patefacto, ipsius admissio a religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in huiusmodi casu solus superior regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset causa coram regulari superiore simul et Ordinario loci. Super quo Congregatio S. R. E. Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini Interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, causas huiusmodi super nullitate professionis, tam a regulari professo, quam a religione, intra quinquennium in iudicium deductas et a superiore regulari, et ab Ordinario loci simul cognoscendas esse.

Quinquennium computatur a die professionis, etiam in casu metus permanentis, et impedimenti ad reclamandum.

Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus professionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die professionis;* cumque potior atque communior causa, quae pro nullitate professionis adduci solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quaesitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die professionis emissae, an vero a die, quo professus liberam reclamandi

facultatem habere coepit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissae professionis esse computandum.

Actio intentata intra quinquennium, licet deserta, tamen iudicatur ab Ordinario et a superiore regulari.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quaestio, an scilicet praedicti Ordinarius et superior regularis cognoscere possint causas nullitatis professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe professus intra illius decursum reclamaverit, sed iudicium prosequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram praefatis Iudicibus a Concilio memoratis agendam esse causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra praescriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

Regularis superior ad effectum etc. intelligitur superior localis de tempore motae litis.

De ipsis autem iudicibus pro huiusmodi causarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba, *coram superiore suo et Ordinario;* complures similiter motae sunt quaestiones, quae maiori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt. Et primo quaesitum fuit, quisnam censendus esset superior regularis in casu et ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet provinciae rector, an generalis ordinis moderator; Congregatio autem eiusdem Concilii Interpres definivit esse superiorem localem, nimirum abbatem, vel guardianum, sive priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum praepositum, seu rectorem illius monasterii, aut coenobii, in quo reclamans professionem emisit; eum nempe, qui huiusmodi monasterii, aut Coenobii regimen exercet, quo tempore causa super nullitate professionis in iudicium deducitur.

Item pro monialibus, nisi immediate subsint Ordinario.

Quaesitum item fuit, quisnam monialium proprius superior dicendus sit ad effectum iudicandi una cum Ordinario de earum professionis nullitate. Responsum fuit, quod si agatur de monialibus Ordinario loci immediate subiectis, tunc, quum nullus sit earum superior regularis, solus Ordinarius iudicat de professione reclamantium intra quinquennium: Si vero Moniales Regularium regimini subsint, tunc huiusmodi causae iudicandae sunt ab Ordinario loci simul, et a superiore regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem a confessario regulari monialium.

Superior Regularis abstinere nequit a iudicio.

Potest tamen alteri suas vices delegare.

Dubitatum est etiam, utrum superior regularis ius suum cedere possit Ordinario loci, eique permittere, ut in huiusmodi causis solus procedat et iudicet; id autem praedicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen superiori regulari, ut si iudicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel regularem, vel etiam ecclesiasiasticum saecularem iuris canonici peritum, qui una cum Ordinario iudicis partes exerceat.

Dissentientibus inter se iudicibus, causa devolvitur ad Sedem Apostolicam.

Denique quaesitum fuit, si forte Ordinarii et superioris regularis iudicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis praevalere debeant. At in hoc casu responsum fuit, causam ipsam ad Apostolicae Sedis iudicium devolutam censeri.

Ad eamdem Sedem privative pertinent causae professionum emis. extra coenobia pro novitiatu assignata.

Quum vero inter capita nullitatis professionem regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis professionem emiserit in coenobio ad novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. praedecessor noster Clemens Papa VIII. decreta de regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si religio intra idem quinquennium postulaverit alicuius professionem ex huiusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII. altero praedecessore nostro, iustis gravibusque de causis, ac de consilio praefatae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die v. ianuarii anni MDCXXXVI., incipien. *Ad occurrendum,* quo statutum fuit, huiusmodi causas ad eamdem Congregationem privative pertinere. Haec sunt potiora in hoc genere decreta ex regestis praelaudatae Congregationis excerpta, quae licet alias a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus apostolica auctoritate non semel approbata fuerint, et confirmata; nos tamen eadem, praesentium literarum tenore, atque auctoritate simili, novo approbationis et confirmationis nostrae robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariae executioni demandari praecipimus.

Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia causarum, quae intra quinquennium a die professionis emissae adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut et ea indicemus, quae de ordine ac methodo in huiusmodi iudiciis servanda, a maioribus sapienter constituta sunt; tum ea proferamus, quae nos ipsi opportune addenda censuimus, quaeque pari auctoritate, ac praesentium literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus

et mandamus. Iam de ipsa huiusmodi causarum introductione notum est decretum eiusdem Concilii Tridentini *cit. Sess. 25, cap. 19 de Regular., ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur et tamquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae religionis iuvetur.* Ex quo sequitur, regularem postulantem iudicium fieri de suae professionis nullitate, ab ipso iudicii limine repelli, nisi constet eum in religionis suae claustris morari et habitum regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

Apostatae repelluntur a limine iudicii, nisi ad religionem redierint etc.

Iudicium initi debet rigorosis probationibus, et processibus iudicialibus.

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud superiores regulares, Ordinariosque locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, iudicia sua fundare in extraiudicialibus attestationibus, quantumvis iuramento firmatis, quae *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de caetero usurpari prohibemus; volentes, atque districte mandantes, ut ad adstruendas probationes in huiusmodi causis necessarias, verus et iudicialis processus omnino conficiatur: in quo et articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus professionem agit; et interrogatoria dentur ab ea parte, quae stat pro ipsius professionis validitate; et testes tam super articulis, quam iuxta huiusmodi interrogatoria examinentur; utque, hac forma non servata, processus ipse, et sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corruere censeantur, salva etiam dispositione iuris communis, quoad alia nullitatis capita, si quae forte in ipsa processus compilatione intervenerint.

Citari debent defensores monasterii, et omnes interesse habentes.

Sub eadem poena nullitatis, decernimus, atque statuimus, ut in hoc iudicio citari et audiri debeant tum defensores monasterii, seu coenobii, in quo professus vota religiosa suscepit, tum ipsius professi consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui indicati erunt tamquam auctores, aut complices metus eidem incussi, ut votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata constitutione nostra, quae incipit *Dei miseratione,* decrevimus, ut in singulis dioecesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cuius officium esset in causis matrimonialibus in iudicio stare pro validitate matrimonii; ita nunc omnibus et singulis locorum Ordinariis committimus, et mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus praeditam in suis respective dioecesibus eligant, cui *defensori professionum* munus imponant; utque huic omnia demandata, iniuncta, et respective applicata esse censeantur, quaecumque nos in praecitatis literis de matrimonii defensore statuimus; nos enim eadem omnia, praesentium tenore, ad huiusmodi professionum defensores, expresse extendimus, et respective applicamus, et quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro defensore professionis in praesentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione causae occurrentibus, eidem praestandum esse iudex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a professo renunciata fuerunt bona in religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si professus nihil renunciandum habuerit, ipsa religio, quatenus ex illis sit, quae temporalia bona possident, ad huiusmodi solutiones teneatur: si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis de quo agitur, quidquam possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis praedictis literis nostris de matrimonii defensore statuimus.

Defensor professionis ex officio deputandus.

Cuius expensis operam praestare debeat.

Lata demum sententia a superiore regulari et ab Ordinario loci, si ea pro validitate professionis pronunciata fuerit, neque professus appellationem interponat, causam finitam esse non dubitatur. Si vero professus ad iudicem secundae instantiae appellaverit, vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit; in omnibus hisce iudiciis volumus similiter defensorem professionis ex officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata constitutione decrevimus, defensorem matrimonii, in secunda et ulteriori instantia, iudicio semper adesse. Ac sicuti praeterea statuimus, huiusmodi defensoris partes esse, a sententia iudicis primae instantiae pro matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiae iudicem provocare; et formam prosequendi iudicium in ulterioribus huiusmodi instantiis praescripsimus; ita porro volumus, ut defensor professionis a sententia in prima instantia pro nullitate professionis edita appellare omnino debeat, atque in secunda, seu ulteriori huiusmodi

Defensoris partes eaedem in ulterioribus instantiis.

A prima sententia pro nullitate data semper appellari debet.

Unicae sententiae pro nullitate professionis prolata executio suspenditur.

causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quae pro causis matrimonialibus in eadem constitutione mandavimus.

Quemadmodum denique legitimas poenas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam sententiam pro prioris matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera vota transire, nisi duae saltem sententiae conformes pro nullitate prioris matrimonii emanaverint; ita, si quis in Ordine Regulari professus, post unicam sententiam, favore nullitatis professionis pronunciatam, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione, e claustris exire, a religione discedere, quodque magis est, habitum regularem abiicere praesumpserit; volumus, atque statuimus, omnibus eum poenis atque censuris a sacris canonibus et a constitutionibus apostolicis contra apostatas latis atque sancitis, subiacere et obnoxium esse; decernentes pariter, in huiusmodi causis de professionis nullitate, liberum professo non esse a religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit sententias conformes, quibus ab eo emissa professio nulla et irrita declarata fuerit.

In secunda et ulteriori instantia causae devolvantur ad quos de iure.

Et primae quidem instantiae iudices super validitate professionum, quae intra quinquenium iudicialiter impugnantur, ut supra dictum est, superior regularis, simulque Ordinarius loci esse debent. Si vero eaedem causae in secunda aut ulteriori instantia sint discutiendae, statuimus, inhaerentes antiquis quibusdam saepedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum decretis, (quae pariter tenore praesentium approbamus et confirmamus) ut causae huiusmodi ad eos iudices devolvantur, ad quos de iure aliae omnes causae ecclesiasticae, post sententiam Ordinarii, in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque iudices, sicuti Ordinarius in prima instantia una cum superiore regulari processit, sic et ipsi procedere et iudicare debeant una cum superiore regulari, non quidem illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii eiusdem ordinis in eorum civitate aut dioecesi existentis, vel, eo non extante, cum superiore vicinioris monasterii eiusdem pariter ordinis, seu cum alia persona ecclesiastica, cui, iuxta praemissa, superior ille ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit.

Alter regularis superior ad iudicandum assumendus.

Non tamen quando causa cognoscitur apud Sedem Apostolicam.

Si autem huiusmodi causae in secunda aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, et a praedicta Congregatione Concilii, sive ab altera super consultationibus Episcoporum et Regularium, aut denique ab auditorio Rotae, ut respective assolet, discutiendae fuerint; nullus erit locus ad iudicandum superiori regulari; qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, quum ab eadem congregatione Concilii, iuxta relatum superius Urbani praedecessoris decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas professionis ex eo capite impugnatae, quod facta fuisse asseratur in monasterio aut coenobio religiosis tyronibus instituendis minime addicto.

Hactenus de iudiciis super nullitate professionis, quae intra quinquennium a die ipsius professionis emissae introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quaecumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere, et observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis, nostri et Romani Pontificis pro tempore in Urbe eiusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis; quoties huiusmodi causas intra idem quinquennium in ipsius tribunali ordinario iudicandas esse contingat. Iam vero videndum est de eiusdem generis causis; quae, post elapsum quinquennium huiusmodi, in iudicium adducuntur.

Praemissa locum habent etiam in tribunali reverendiss. Cardinalis Vicarii urbis.

Post quinquennium omnis instantia adversus professionem olim reiecta.

Porro quum Sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissa professione transactos, omnem aditum ad reclamandum professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata: *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis;* adeo inhaerendum huiusmodi sanctionis literae duxerunt maiores nostri, ut sub piae mem. praedecessore nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius causae introductionem super nullitate professionis, elapso quinquennio, admittendam esse; etiamsi professio per vim et metum facta diceretur, atque probari vellet, huiusmodi vim et metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba decreti die v. martii anni MDXCVIII. editi, quae habentur *decretorum Congregationis Concilii Tom. 9, fol. 55,* haec sunt: *Gregorius XIII. ex sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim et metum se re-*

ligionem professos praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim et metum semper durasse.

Inductum postea remedium restitutionis in integrum.

At vero, procedentibus temporibus, non sine iustis gravibusque causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiae pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii.*

A sola Apostolica Sede concedendum.

De quibus tamen iudicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative pertinuit, sive ex parte professi sive ex parte religionis instantiae huiusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum, extraordinarium in iure vocatur, cuius concedendi facultas iudicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex compluribus in eamdem sententiam decretis eiusdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quae recensita fuerunt in decreto edito die XXIV. septembris anni MDCCXL.

Eius concessio tamen iudicibus inferioribus aliquando delegata.

in causa *Sicula restitutionis in integrum,* quod a Nobismetipsis die XXVIII. eiusdem mensis et anni approbatum et confirmatum fuit, quodque iterum praesentium tenore approbamus et confirmamus; reservato nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, iure concedendi Ordinariis et superioribus localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super professionis validitate aut nullitate deveniant; ut non semel ex Apostolicae Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

Antiqua praxis concedendi restitutiones in integrum.

Huius autem iudicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quae in praesenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu fumo, ut aiunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur; nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus professionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram iudicibus competentibus actionem promovere possent; pro cuius iudicii instructione deinceps a superiore regulari et ab Ordinario loci legitimus conficiebabur processus, atque sententia super validitate aut nullitate ferebatur. Quae sane methodus si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret nos eorum praecipue, quae ad huiusmodi iudicium consequentia sunt, rationem habere; ac providere, ne unius tantum sententiae vigore professiones regulares dissolverentur.

Ea nunc non conceditur, nisi praevio processu et examine causarum.

Sed alius hodierno tempore est, ordo, qui in praefatis congregationibus, seu tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, observatur; nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario loci et superiori regulari, ut processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum idque non minus accurate ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate aut nullitate professionis.

Sententiae iudicum ordinariorum plerumque conformes sunt iudicio super restitutione in integrum.

Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario et superiori locali committitur, ut sententiam proferant super controversa professionis validitate. Sed quamvis in huismodi commissionibus plena ipsis relinquatur facultas iudicandi sive pro validitate, sive pro nullitate professionis, prout ipsis iustum visum fuerit; usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint, quam diligenti et gravi iudicio apud Sedem Apostolicam discussae fuerint causae, propter quas restitutio in integrum concessa fuit; viso dumtaxat huiusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

Accuratum huiusmodi examen causarum restitutionis in integrum ad Romanae Curiae iudices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipsis in posterum observari volumus ac iubemus;

Defensor professionis assistere debet tam confectioni processuum de causis restitutionis in integrum,

hoc tamen addito, ut in commissionibus, quae diriguntur superioribus regularibus et Ordinariis locorum pro conficiendis processibus, iisdem, sub poena nullitatis actuum, iniungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu defensoris professionis; ad quem nimirum pertinebit interrogatoria dare, iuxta quae examinari debebunt testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime praestare.

Quam examini causarum apud Sanctam Sedem.

Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in praefatis Cardinalium Congregationibus, Concilii Tridentini interpretationi et Episcoporum ac Regularium consultationibus praepositis, quam in au-

ditorio Rotae, aut in quacumque congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis poena, defensor professionis, ab eo, qui tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper et in omnibus actibus in iudicio stare debeat; neque solum in prima huiusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus; quatenus reclamans in prima reiectus, ad novam audientiam admittatur.

Examen huiusmodi duplex requiritur, antequam Ordinarius et superior procedere valeant.

Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquem sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causae examine, auditoque semper defensore professionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera constitutione nostra, praesentis initio allegata, de causis super nullitate matrimonii constituimus; nos enim praesentium tenore decernimus, ac sub poenis adversus apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicae resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentae, e religiosis claustris migrare, multoque minus habitum regularem deponere audeat, seu praesumat: quum ad praedictas poenas declinandas, et altera resolutio super restitutione in integrum priori consentanea, et sententia super nullitate professionis a superiore regulari et ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant: nec nisi huiusmodi sententiam a praedictis iudicibus, praeviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum, legitime latam, iudicium absolutum censeri queat.

Quamdiu reclamans in religione manere debeat.

Praemissorum observantia iniungitur omnibus ad quos pertinet.

Quae omnia si ita observabuntur, ut a nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet ac pertinebit in posterum, sedulo observanda et implenda a nobis praescribuntur, et enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futurae sint instantiae et contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die professionis emissae, vel etiam eo elapso, susceptum religiosae vitae institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a superioribus quoque regularium Ordinum in novitiorum admissionibus ea observabuntur, quae et in eorum Constitutionibus et in decretis felicis recordationis Clementis Papae VIII. praedecessoris nostri statuta sunt, quaeque omnia ab ipsis plenissime observari et impleri, nos pariter ipsis praecipimus ac iubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum praebebunt, ut admittantur ad professionem tyrones, sive qui aetatem quidem a Concilio praescriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quae a constitutionibus Ordinis statuta, sive illi, qui licet annum novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in eo manere deberent, iuxta praescriptum suarum peculiarium constitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi superiores haud se interponent, neque curabunt, ut professi ante legitimam aetatem ad Ordines sacros promoveantur. Quaecumque enim sive in sacris canonibus aut pontificiis constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa praemissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, et ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quae, ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas umquam dispensationes in praemissis concedere consuevit, nisi praevio assensu, aut etiam accedentibus precibus superiorum regularium; quibus nempe aequum et necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quae petuntur. Illud autem nullo modo ferri aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium, sive post eius decursum, superiores ipsi contradictores se se non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur, ex falsa nimirum opinione, quod religiosorum virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili monacho, utilis fortasse clericus saecularis existere possit. Nunquam enim licitum est iustitiam deserere, aut prodere, quae iubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem, et natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum professo, ipsa quoque religio intervenit.

Ac superioribus regularibus observantia canonum constitutionum et regularum.

Utque religionis, et professionis defensionem non deserant.

Ad praedictum finem praeterea quam maxime proderit, si et ecclesiastici Praesules et iudices debitas officii sui partes explere non praetermittant. Ecclesiarum quidem Praesules, si anathemati subiectos declarabunt omnes et singulos, cuiuscumque qualitatis, conditionis et dignitatis fue-

Episcopi procedant contra inferentes vim et metum.

rint, qui virgines, aut viduas, seu alias quascumque mulieres invitas, praeterquam in casibus in iure expressis, coegerint ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem; iuxta sanctionem sacrae Tridentinae Synodi *Sess. xxv. Cap. 18 de Regular.*, ubi etiam pares censurae statuuntur adversus eos, qui in huiusmodi factis consilium, auxilium vel favorem dederit; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam religionem et ad vota profitenda, iustis gravibusque poenis afficient.

Iudices omnia expendant ad formam iuris.

Iudices vero, si, falso ante omnia deposito praeiudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur; ad exactam iustitiae lancem expendent et numerum et qualitatem testium, qui ad comprobandam nullitatem professionis inducuntur; et vim maiorem minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quae in hoc toto rerum genere ab auctoribus considerari solent.

Itaque praedictis omnibus et singulis gravissime denunciamus discricteque praecipimus, ut in cunctis, quae ad eorum officia pertinent, a iustitiae tramite et a praescriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant, ac meminerint omnium, quaecumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud divinum Iudicem, tum apud homines reddendam fore.

De variis quaestionibus in hac materia occurrentibus examen instituetur.

Nos vero, si Deo placuerit valetudinem nobis cum vita servare, non parum operae conferre intendimus, quo planius atque facilius de causis huius generis ab ipsis in posterum iudicari valeat. Siquidem nobis propositum est cum consilio selectorum virorum in theologica et canonica facultate praestantium, nonnullas quaestiones accurate examinare ac dirimere, quae variis scriptorum opinionibus iactatae, et varias species induentes, iuxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites atque solicitos detinere solent iudicantium animos; ut nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum, pro munere secretarii praefatae congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, huiusmodi causas ad regulam iuris exigendas prae manibus haberemus. Eiusmodi sunt, exempli causa, quaestiones: Utrum professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex quibus huiusmodi convalidatio seu ratificatio inducatur; et quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio sacrorum Ordinum *ad titulum religiosae paupertatis*. Praeterea, si quis forte ante legitimam aetatem ignorans professionem emiserit, et in ea ignorantia per plures annos in religione permanserit, seque valide professum existimans, ea omnia, quae professorum sunt, una cum sociis praestiterit, an hic deinde intelligens, qua aetate vota emiserit, non obstantibus actibus veri professi a se gestis, adhuc, praefatae ignorantiae praesidio, actionem habeat ad reclamandum adversus professionem a se factam; an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item, an professus, qui in professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum, occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet religio ipsum cum huiusmodi defectu aut impedimento forsan occultato, admittere non intendebat; an, inquam, talis professus, qui religioni dolum struxit, eiusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suae professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam iudici nullitatem professionis, quod reclamantes professi asserere saepe non dubitant, se in proferendis religiosis votis mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Haec omnia, aliaque similia in huiusmodi iudiciis frequenter occurrentia et in utramque partem hactenus disputata, tum nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adiuvante, explanare deliberavimus.

Clausulae pro perpetua praesentium firmitate.

Interim praesentes literas, cum omnibus et singulis in ipsis decretis atque statutis, firmas, validas et efficaces existere, ac perpetuo fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari volumus et decernimus. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, praedictasque S. R. E. Cardinalium

congregationes generales et particulares, aliosque eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et definiri debere; ac nullum, irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Non obstantibus, tam causarum forsan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem causas, in quibuscumque statibus et terminis de praesenti reperiantur, iuxta superius praescripta omnino tractari, iudicari et definiri debere expresse decernimus; quam nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, decretis quoque et resolutionibus a praefatis Cardinalium congregationibus, sive ab auditorio Rotae praedicto, aut aliis quibuscumque iudicibus et tribunalibus, alias forsan, et aliter factis, conditis et emanatis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis, exemptionibus, et indultis, etiam in corpore iuris clausis et literis apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militaribus, congregationibus, societatibus et institutis, etiam Societatis Iesu et Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis et irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat et ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Publicationi praesentis constitutionis in urbe tribuitur vis personalis intimationis omnibus factae. Volumus insuper, et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiae S. Ioannis in Laterano, et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae, curiaeque generalis innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Transumptis fidem praestari sancitur. Utque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, voluntatis, mandatorum, statutorum, decretorum, derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, quarto nonas martii, pontificatus nostri an. VII.

XCII.

Episcopis et Vicariis Ap. facultatem concedit impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria Christifidelibus in mortis articulo, etiam per alios ab ipsis subdelegandos (1).

(1) Ex Bull. huius Pont. edit. Romae.

BENEDICTUS PP. XIV.

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exorditur ab ecclesiae pia cura erga moribundos fideles,

Pia mater catholica ecclesia, de aeterna filiorum suorum salute in primis sollicita, quum hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam praetermisit omnibus eos subsidiis pro huiusmodi temporis necessitate opportunis iuvare atque instruere, tam iis nimirum, quibus opus esset ad aeterna praecavenda supplicia, quam quae apta et salubria forent ad evitandas poenas temporibus definitas, quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpae aeternaeque poenae reatu, in purgatorio igne luendas manere non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul et recenti ecclesiae disciplina, graviorum quorumdam criminum absolutio Romano dumtaxat Pontifici in universo christiano orbe, aliorum autem singulis ecclesiarum praesulibus in eorum dioecesibus, reservata fuerit; attamen, adveniente unicuique fidelium supremo migrationis die, omnes huiusmodi absolutionum reservationes cessare, et cuilibet sacerdoti liberam et plenam facultatem esse, quemcumque poenitentem a quibuscumque peccatis et criminibus, nec non ecclesiasticis sententiis atque censuris absolvendi, provide declaratum fuit. Praeterea, quum in ecclesia immensus et inaestimabilis existat thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus passionis et mortis Domini Nostri Iesu Christi, ac praeterea ex meritis et satisfactionibus gloriosae Virginis Genitricis Dei Mariae, omniumque sanctorum et electorum, cuius thesauri dispensationem Salvator noster Beato Petro Apostolorum Principi, eiusque in perpetuum successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt praedecessores nostri Romani Pontifices, ut illius divitias in moribundos fideles large diffunderent et maxima omnium amplitudine, quae indulgentia plenaria nuncupatur, cuiusque impertiendae ius in Apostolica Sede unice residet, ipsis potissimum applicarent: quam quidem in rem Episcopis per ecclesias constitutis vices suas cum opportunis facultatibus delegarunt; ne ullus in orbe terrarum angulus esset, ubi catholicae religionis professoribus huiusmodi adiumenti copia deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum salutis causa in discrimen adducitur.

Ut et a peccatis absolvantur.

Et promeritas poenas evadant.

Forma indultorum pro largitione indulgentiae plenariae in articulo mortis, Episcopis concedi solet.

§ 1. Hactenus huiusmodi facultas Episcopis concedi consuevit, Pontificis nomine et auctoritate, per privatas epistolas ipsius Secretarii Brevium secretorum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cuiusque Episcopi, et pro spirituali utilitate ipsius subditorum ad se delata, rescribere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem indulgeri *ad triennium proximum;* hac tamen lege, ut ipse ea uteretur, nimirum benedictionem impertiret, et indulgentiam plenariam aegrotis, in mortis articulo constitutis largiretur *per se ipsum immediate,* vel quatenus Episcopum suffraganeum haberet, *per Dominum suffraganeum suum;* nec, nisi necessitate cogente, et quidem nocturno tempore, alium sacerdotem in singulis peculiaribus casibus subdelegare posset: *Ubi vero praecisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui sacerdoti pio, per dominationem vestram qualibet vice eligendo etc. communicare valeat.* Quo vero ad moniales, ordinarii earum confessarii opera in eum finem uteretur.

Eorum ampliatio alias expetita fuit.

Hanc porro facultatem, prout in huiusmodi literis concedebatur, ecclesiarum pastores iamdudum iudicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solum ob breve triennii spatium ipsi praefinitum; verum etiam quia, propter relatas leges circa illius usum praescriptas, ab huiusmodi indulgentiae plenariae beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subiectos, praesertim vero eos, quos extra ipsorum residentiae locum et in remotis dioecesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiae Vicariorum Capitularium et Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam praelatorum inferiorum territorium separatum habentium, cum activa in clerum et populum iurisdictione, qui eamdem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt. Quibus de rebus actum fuit die XXII. novembris MDCCX. in Congregatione S. R. E. Cardinalium indulgentiis et sacris Reliquiis praeposita, cuius consultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

Congregatio Concilii in eumdem sensum devenit.

Cum vero deinceps alterum quoque munus secretarii Congregationis decretorum Concilii Tridentini interpretis nobis in minoribus pariter degentibus demandatum

fuisset; instante Episcopo Mazariae tunc existente, duo dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet, an, stante dispositione praemissarum epistolarum secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda monialibus benedictione, et indulgentia plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum confessarii opera uteretur, licitum sit Episcopo monasterii claustra ingredi, ut huiusmodi pium opus per se ipsum adimpleat; alterum vero, quatenus id Episcopo permittatur, an, et a quibus comitatus monasterium ingredi debeat; super quibus, perpenso folio a nobis pro huiusmodi quaestionum elucidatione de more exarato, die x. maii anni MDCCXXVII. responsum fuit, ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam benedictionem moniali in mortis articulo constitutae monasterium intrare. Ad secundum: Episcopo ad hunc effectum intra monasterii septa se conferenti comites esse debere confessarium ordinarium ipsius monasterii, aliumque sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: *Et ad dominum secretarium cum eminentissimo secretario Brevium;* quibus nimirum verbis nobis demandatum fuit, ut cum bonae memoriae Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum praedecessoris nostri Benedicti Papae XIII. secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis epistolis contentarum, quarum formulam a nobis in folio tunc eidem congregationi, ut praefertur, exhibito, integre insertam, ipsa Congregatio paulo arctioribus conclusam limitibus iudicavit.

Pontificis experientia in episcopalis officii administratione.

§ 2. Neque porro omisimus iniunctum nobis onus agendi cum praefato Cardinali Brevium secretario quamprimum implere; verum, quum paulo post ab eodem Benedicto praedecessore in collegium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium cooptati, ad regendam episcopalem anconitanam ecclesiam nos contulerimus, ex qua biennio post ad metropolitanam bononiensem translati fuimus, non licuit nobis negotium istud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro anconitano, quam pro bononiensi populo, huiusmodi facultatem indulgentiae plenariae moribundis fidelibus impertiendae ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, iuxta consuetam formam, ac superius enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissemus; ipso statim usu, et propria experientia, in eas incidimus difficultates, quae at anno MDCCX. ut praefertur, in Congregatione sacris Reliquiis et Indulgentiis praeposita, a nobis tamquam consultore propositae fuerant; quaeque deinceps anno MDCCXXVII. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum a nobis etiam, pro secretarii munere, expositae, causam dederunt memoratae consultationi cum Secretario Brevium introducendae. Etenim tum in anconitanae, tum vero in amplioris bononiensis ecclesiae regimine, animadvertimus, ob interdictam nobis huiusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque dioecesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere: et quidem cum irreparabili damno, deficientibus per dioecesim collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis praedecessore nostro Alexandro Papa VII. per literas die XV. ianuarii anni MDCLVI. datas, et perpetuo valituras, indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis benedictionem cum indulgentia plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus caenobiis regularium, quibus, pro confratribus piarum quarumdam societatum ab eorum ordinibus institutarum, similia indulta et privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad incolas ipsius civitatis, si quidem haec, ut Bononia est, frequenti populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in praefata epistola tribuatur, quam in casu praecisae necessitatis cum nocturno tempore coniuncto, cum magno animi nostri dolore experti sumus paternae huiusmodi caritatis actus erga dilectos in Christo filios nostros, non ea assiduitate, qua cupiebamus, per nos ipsos praestari posse. Nam praeterquam quod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a civitate abesse, ut iuxta praescriptum sacrae Tridentinae Synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplae dioecesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, et sacramentum confirmationis visitatis plebibus ministrando, lustraremus; iam in ipsa civitate degentes, nullam fere diurni temporis horam vel a divinis rebus vel a pastoralis officii occupationibus vacuam habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc ministrorum relationibus, nunc congregationum consultatio-

Episcopalis vitae assidua occupatio.

nibus operam dare oportebat; recurrentibus autem ordinationum temporibus, vel evenientibus ecclesiarum parochialium vacationibus, aut cessantibus confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas iisdem concedere consuevimus, examina atque concursus sine nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis episcopalis vitae conditiones ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscet, maiorum civitatum Episcopos fere redactos esse ad huiusmodi benedictionis et indulgentiae beneficium aliquibus dumtaxat personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, et quidem instantibus, et postulantibus, exhibendum; pauperibus autem, et humilioribus, ob praeclusam sibi, extra necessitatis et noctis tempora, subdelegandi facultatem, vix unquam succurrere posse.

Obiectum adversus frequentes concessiones indulgentiae plenariae in articulo mortis diluitur.

§ 3. Quod si satis momenti et auctoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, plenariam scilicet indulgentiam in mortis articulo concedendam non esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam merita extitissent; ea nimirum de causa, quod quum pro huiusmodi indulgentiae consequutione vel nullum omnino opus iniungi, vel nonnisi morientis statui et viribus accommodatum imponi possit, praeterea dumtaxat in Ecclesiam merita, cum extrema praesenti necessitate coniuncta, locum supplere possint aliorum operum, quae caeteroquin ad plenariam indulgentiam adipiscendam praescribi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a nobis innovando statueretur. Verum praedecessorum nostrorum hac in re agendi ratio, relatae opinioni contraria dignoscitur. Ut enim multas praetereamus concessiones indulgentiae plenariae morientibus fidelibus indistincte applicandae; quaenam porro, et quam magna in Ecclesiam promerita fuisse dicemus eorum, qui quatuor ab hinc saeculis, pestifera lue per Angliam grassante, ex hac vita decedebant? quibus tamen omnibus, dummodo sacramentaliter confessi, et sacra Communione refecti fuissent, praedecessores nostri Clemens Papa VI. et Gregorius Papa XI. benedictionem cum indulgentia plenaria per legatos suos impertiri non recusarunt. Sed et ipsa Congregatio Indulgentiis, et sacris Reliquiis praeposita iam usque ab an. MDCLXXV. die XIII. aprilis, re diligenter perpensa, censuit, indulgentiae plenariae largitionem in eos etiam, qui singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excellerent, recte et utiliter conferri atque diffundi.

Pontificis benignitas veteribus et recentibus exemplis innititur.

§ 4. Quapropter apostolicae caritatis nostrae viscera dilatantes, et tam veteribus, quam recentioribus ecclesiasticae benignitatis exemplis inhaerentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiae saeculi in epistola Sancti Cypriani, quae in novis editionibus impressa est *num. XII.;* qua scilicet, in eorum gratiam, qui libellos martyrum obtinuerant, et in mortis periculo versabantur; quum ipse aestivis ardoribus praepediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset; permittit ut id, vice sua, a quocumque presbytero, aut etiam Diacono, praestari queat. Novissimis vero temporibus, ex secunda mediolanensi provinciali synodo constat, a felicis recordationis praedecessore nostro Gregorio Papa XIII., omnibus Episcopis illius provinciae concessum fuisse, non solum ut ipsi benedictionem cum indulgentia plenaria moribundis fidelibus impertiri, sed etiam, ut aliis huiusmodi facultatem libere subdelegare possent; his igitur, aliisque exemplis, nec non rationibus superius relatis permoti, hac nostra perpetuo valitura constitutione novas in hac materia regulas praefinire, quodque olim, ut praemisimus, de alterius sententia deliberandum nobis fuerat, nunc demun de concessa nobis apostolicae potestatis plenitudine absolvere ac perficere constituimus.

Indulta ad triennium concessa confirmantur et ampliantur ad vitam seu etc.

§ 5. Itaque primum volumus atque decernimus, ut quae facultates impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, ven. fratr. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis nunc existentibus a nobis vel a praedecessoribus nostris ad hunc diem concessae reperiuntur, licet illae in consuetis epistolis secretarii Brevium ad triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indultae fuerint, nihilominus praesentis nostrae constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum ecclesiarum atque dioecesum regimen obtinebunt, quarum favore et intuitu easdem facultates a nobis et ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus huiusmodi; motu proprio et auctoritate praefata, atque earumdem praesentium literarum serie, extendimus, et prorogamus.

Adiecta facultate subdelegandi in civita-

Utque praeterea unusquisque ex Antistitibus praefatis, unum aut plures pios sa-

tibus et dioecesibus, etiam de die.

cerdotes sive saeculares, sive regulares, prout necessarium fore iudicabunt, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis huiusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, benedictionem huiusmodi cum indulgentiae plenariae applicatione christifidelibus in praefato articulo constitutis impertiantur, aliosque similiter per dioecesim saeculares, aut regulares sacerdotes, quotquot pro numero animarum in dioecesibus existentium necessarios iudicaverint, ad praedictum effectum deputare et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos et subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio et prudentia subrogare valeant; iisdem motu, potestate et tenore, concedimus et indulgemus.

Ampliora indulta in posterum concedentur, per literas apostolicas.

Si vero aliquem ex Antistitibus nunc per ecclesias constitutis, et praefata facultate gaudentibus, ad aliarum ecclesiarum regimen apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetae literae secretarii Brevium ad hunc diem expeditae non fuerint; ac denique quum novi Episcopi catholicis gregibus in posterum praeficientur; volumus atque statuimus, ut singulis eorum huiusmodi facultatem a nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, apostolicae literae in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus praedicta facultas ipsis concedatur, non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel ecclesiae regimen obtinebunt; adiecta etiam facultate subdelegandi tam pro civitate, quam pro dioecesi, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore coniuncti, sed in omnibus et per omnia ad normam eorum, quae pro Episcopis nunc existentibus, et indulto huiusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Etiam favere praelatorum inferiorum iurisdictionem habentium.

§ 6. Insuper pro praelatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate nullius, et activa in clerum et populum iurisdictione; quamvis praedecessores nostri hanc de praeterito consuetudinem non habuerint; nihilominus de apostolica liberalitate, ac simili motu et tenore concedimus et indulgemus, ut, si ab ipsis huiusmodi facultas petita fuerit, similes literae in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, iuxta eamdem formam, mutatis mutandis, quam pro Episcopis constituimus; ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra; dummodo ipsi praelati hanc gratiam postulantes, apostolicis literis nostris anno Incarnationis Dominicae MDCCXL. nono kalend. decembris datis, quarum initium est: *Quod Sancta*, (1) impressis in Bullario nostro *Tom. 1, num. 7*, obtemperaverint, nimirum sacra Apostolorum Limina praescriptis temporibus visitaverint, et relationem status ecclesiarum sibi subiectarum Apostolicae Sedi exhibuerint, vel, quatenus praelationis honorem de novo accipiant, debitum iuramentum in memorata Constitutione praescriptum antea praestiterint.

Indulta non expirant morte Pontificis.

Dum autem huiusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus et ampliavimus, ut praefertur; caeteris vero tam Episcopis, quam praelatis inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta forma et amplitudine concedendam fore decrevimus; sequitur, ut huiusmodi indulta nequaquam morte concedentis expirent; quum iurisdictio delegata in iis, quae non iustitiam sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iisdem Episcopis et praelatis permittimus, ut huiusmodi facultatem, pro incolarum civitatum, locorum atque dioecesum opportunitate et necessitate, uni vel pluribus sacerdotibus in posterum subdelegare valeant; statuimus atque decernimus, huiusmodi subdelegationes, per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare; sed potestatem ipsis tributam perseverare usque ad superventum novi praesulis, cuius arbitrio relinquimus, eosdem in huiusmodi officio confirmare, vel ab eo removere. Atque ita quicumque antistes memoratam facultatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae successorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo, seu praelato, a quo eadem facultas in sua dioecesi aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo vicariorum capitularium aut apostolicorum regimine; quum subdelegatorum auctoritas semper manere debeat, quamdiu vel Episcopus ipse, aut praelatus, vel illius successor eamdem ipsis non ademerit.

Nec subdelegationes per cessum aut decessum subdelegantis.

§ 7. Hac igitur ratione animarum saluti

(1) Vide supra pag. 7 huius vol.

consulentes, quantum nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi plenariam pontificiam indulgentiam Ecclesiae filiis in mortis articulo constitutis, ampliare et faciliorem reddere curavimus. Permissaque venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis, ecclesiarum Episcopis et praesulibus, facultate alios sacerdotes ad hunc effectum, tam in civitatibus, quam in dioecesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus et sollicitudinibus per nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae caritatis officio, per se ipsos adeundi miseros aegrotos plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos; sed ut eorum pietatem opportune iuvaremus, ne, dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium huiusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus), meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores et potentes huius saeculi, sed erga pauperes quoque et abiectae sortis homines praestandum esse. Qua de re utiliter legi poterit praedecessoris nostri S. Gregorii Magni Homilia XXVIII. in Evangelia *ad Cap. IV.* Ioannis. ***Erat quidem Regulus, cuius infirmabatur Capharnaum,*** in qua mirabilem atque coelestem observat amantissimi Redemptoris nostri Iesu Christi agendi rationem, qui ad invisendum aegrotantem Reguli filium invitatus ire abnuit, ad Centurionis servum nec invitatus iturum se profitetur. ***Quid est quod Regulus rogat, ut ad eius filium veniat, et tamen venire recusat; ad servum vero Centurionis non invitatur et tamen se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per corporalem praesentiam non dignatur adesse; Centurionis servo non dedignatur occurrere.***

Monitum ad Episcopos ut ad aegrotos personaliter accedant.

Monita salutaria fidelibus inculcanda.

§ 8. Ut autem indulgentiae fructus a fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut populus in sacris concionibus et catechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiae Dei, quam in baptismo acceperunt, ingrati, per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti, quantumvis aeterna supplicia in Poenitentiae Sacramento condonata fuerint, nihilominus temporalis plerumque poena divinae iustitiae exsolvenda superest, cuius remissio obtinenda est non solum per satisfactiones a sacerdote confessario in ipso poenitentiae sacramento pro mensura delicti impositas, aut per christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per ieiunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitae exercitia. Alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiae benignitate fidelibus suppeditata, paulatim in pravae libertatis et licentiae fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternae poenae, per sacramentalem absolutionem, tum temporalis per indulgentiae pontificiae applicationem, in exitu vitae impetranda; neque cogitantibus quam incertum sit omnibus non solum qua hora et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Praepostera aeque ac periculosa antiquis Ecclesiae temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitae ipsius sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum e vita discessuri essent, per salutare lavacrum, ab omni culpa, et tam ab aeterna, quam a temporali poena soluti, ad caeleste regnum recta transferrentur, contra quos extant gravissimae obiurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL. et Sancti Ioannis Chrysostomi in Homilia I. super Acta. Sed et Ecclesia Catholica pravam huiusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo baptismum susceperant si convaluissent, a sacris ordinibus et ab officiis ecclesiasticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Religionis actus moribundis fidelibus insinuandi.

§ 9. Et quoniam sacerdotibus, qui fideles in extremo agone laborantes pie adiuvant, vel Ecclesiae sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum iniungit, ut si aegrotus indulgentiam plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeant, ex his autem, qui ad huiusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelae usum retinent, alii vero loquendi facultatem amiserunt, licet antea sincerae contritionis indicia dederint, eamque, adhuc ratione utentes, identidem

dare non desinant; Ideo, quo certius praedicti omnes indulgentiae fructum consequi valeant, praefatis sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum caritatis affectus; praesertim vero ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim praecipue opus in huiusmodi articulo constitutis imponimus et iniungimus, quo se ad plenariae indulgentiae fructum consequendum praeparent atque disponant. Qua in re auctor nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui *in Libro XIII. de Civit. Dei c. VI.* postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis poenam, ibi quoque asseruit et confirmavit; haec ad rem nostram apposite subdit: ***Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando, auget meritum patientiae, non aufert vocabulum poenae. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors poena nascentis; tamen, si proprietate iustitiaque pendatur, fit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.***

Praesertim acceptio mortis, tamquam opus pro indulgentia iniunctum.

Formula impertiendae benedictionis a Pontifice constituitur.

§ 10. Pro impertienda vero benedictione fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis plenaria indulgentia, quum nulla certa formula olim praescripta foret, sanctae memoriae praedecessor noster Benedictus PP. XIII. an. Domini MDCCXXVI. pias quasdam preces et orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit; quarum exemplo, in his, quae opportuna iudicavimus inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quae in hac nostra constitutione, praescripta sunt, magis congruentem confecimus et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus; mandantes, hoc ipsum inculcari et iniungi in apostolicis literis, quae deinceps pro concessione praedictae facultatis indulgentiae plenariae moribundis impertiendae, ut praemisimus expediendae erunt.

Clausulae et derogationes.

§ 11. Ac decernentes, ipsas praesentes literas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus perpetuo sortiri et obtinere, atque iis ad quos spectat seu spectabit in futurum, plenissime suffragari: Non obstantibus apostolicis et in generalibus, seu provincialibus, aut synodalibus conciliis editis generalibus, seu specialibus constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, etiam Congregationum S. R. E. Cardinalium, decretis et resolutionibus etiam apostolica auctoritate approbatis, roboratis et pluries confirmatis; usibus quoque, stilibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Quibus omnibus et singulis, ad praemissorum effectum, motu, scientia et potestate praefatis amplissime derogamus, aliisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis.

§ 12. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Tenor formulae supra enunciatae.

§ 13. Formula igitur, quam pro impertienda benedictione, et plenaria indulgentia moribundis fidelibus applicanda, ut praefertur, in posterum adhibendam esse praescripsimus, talis est:

MODUS
A SS. D. N. BENEDICTO PAPA XIV.
APPROBATUS

Pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur; ad impertiendam benedictionem in articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

Benedictio in articulo mortis cum soleat impertiri post Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae unctionis illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant; seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi postea linguae, caeterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impoenitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda.

Habens praedictam facultatem, ingrediendo cubiculum, ubi iacet infirmus, dicat: Pax huic domui etc., *ac deinde aegrotum, cubiculum, et circumstantes aspergat aqua benedicta, dicendo antiphonam* Asperges etc.

Quod si aegrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat, atque hortetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactae vitae expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut ex divinae munificentiae largitate eam poenarum remissionem et vitam sit consecuturus aeternam. Postea dicat:

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit Coelum, et Terram.

Antiphona.

Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui (*vel* ancillae tuae) neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (*vel* ancillam tuam, *et sic deinceps*).

℟. Deus meus sperantem in Te.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., *vel* famulam tuam, quem *vel* quam tibi vera Fides, et Spes christiana commendant. Visita eum, *vel* eam, in salutari tuo, et per Unigeniti Tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem et veniam clementer indulge, ut eius anima in hora exitus sui Te Iudicem propitiatum inveniat, et in Sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Tunc dicto ab uno ex Clericis adstantibus, Confiteor etc. *Sacerdos dicat* Misereatur etc. *deinde.*

Dominus Noster Iesus Christus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti; et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris etc.

Per sacrosancta humanae reparationis Mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat et ad gaudia sempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te Omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendae, neque praemissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, prorogationis, ampliationis et concessionis, mandatorum, statutorum, decretorum, ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Sanctio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXLVII., nonis aprilis, pontificatus nostri anno VII.

XCIII.

Erigit publicam universitatem studii generalis in collegio Societatis Iesu civitatis Sancti Dominici insulae Hispaniolae (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

In supereminenti Apostolicae Sedis specula, meritis licet imparibus, disponente Domino constituti, et intra mentis nostrae Prooemium.

---

(1) Ex Bull. Pont. edit. Main., p. 263.

arcana revolventes, quantum ex literarum studiis catholica fides augeatur, divini numinis cultus protendatur, veritas agnoscatur ac iustitia colatur, ad ea, propter quae literarum studia huiusmodi ubilibet excitentur, ac etiam humiles personae eis incumbere desiderantes, id efficere possint, libenter intendimus, et in iis nostrae sollicitudinis partes propensius impertimur, prout pia christifidelium, praesertim regali dignitate fulgentium accedentium vota exposcunt, nosque, locorum qualitate pensata, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio facta Pontifici a procuratore Societatis Iesu in urbe.

Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus de Lata presbyter Societatis Iesu in alma urbe nostra pro provinciarum Hispaniarum et Indiarum regnis procurator, quod alias, nempe die XXIII. septembris anni MDCCI. clar. mem. Philippus, dum vixit, earumdem Hispaniarum Rex, ad religionem literarumque scientias promovendas provehendasque, licentiam concessit, ut in civitate Sancti Dominici insulae Hispaniolae unum collegium eiusdem Societatis ex bonis et rebus ad hunc effectum a tunc in humanis agente Hieronymo de Quesada relictis erigi posset, ac insuper mandavit, ut huiusmodi collegio, sic ut praefertur, de novo erigendo domus assignaretur ac redditus applicarentur, ad aliud collegium et domum studiorum iamdudum, nempe anno MDLVIII. in dicta civitate a quondam Hernando de Jorgon fundatum, quod in publicam studiorum generalium universitatem, ad instar alterius publicae studiorum generalium huiusmodi universitatis civitatis Salamantinae, erectum fuerat, spectantes, ac insuper declaravit, quod collegium sic erigendum ad sustinendas cathedras et onera, iuxta redditus a memorato Hernando relictos assignatosque, obligatum esset, et remaneret; quoniam nonnullis ex causis sperari nequibat casus, ut in secundodicto collegio morarentur collegae, magistri, nec adesset discipulorum copia, prout dictus Hernandus fundator optaverat.

Philippus V. Rex an. MDCCI. mandaverat erectionem collegii Societatis Iesu.

Cum applicatione bonorum, et rerum alterius universitatis studiorum.

Et alia anno MDCCXLV. disposuit pro dicti collegii erectione.

Ac successive, et de anno MDCCXLV. dictus Philippus Rex iniunxit, quod secundodictum collegium, cum ruinam minaretur, ac ob defectum capitalium necessariae reparationes minime peragendae essent, demoliretur, eaque occasione omnes redditus, a praedicto Hernando huiusmodi collegio relictos, cum eisdem oneribus et gravaminibus per ipsum Hernandum iniunctis, primodicto collegio de novo applicavit ac demum imposuit, ut laudabilis memorati Hernandi tamquam de fundatore et benefactore memoria, in principalioribus collegii primodicti huiusmodi actibus literariis quoque haberetur. Pro praemissorum vero observantia, collegiique primodicti progressu, iudicem conservatorem cum privativa iurisdictione cognoscendi omnia negotia, recuperatione bonorum, reddituum, et rerum alias secundodicto collegio assignatorum, quae in primodictum collegium translata remanebant, concernentia, elegit et deputavit.

Lis orta fuit cum conventu Ordinis Praedicatorum super facultate conferendi gradus.

Vix tamen a memorato Philippo Rege primodictum collegium erectum fuerat, quaedam lis, seu verius quaestionis materia, in tribunali regiae audientiae dictae civitatis Sancti Dominici inter dilectos filios tunc existentes primodicti collegii rectorem ex una, et priorem conventus eiusdem Sancti Dominici fratrum Ordinum Praedicatorum ex altera partibus, introducta remansit, super privativa facultate conferendi gradus in scientiis, quae docebantur: et pro parte dicti rectoris adducebantur, in primodictum collegium translatum fuisse aliud secundodictum a dicto Hernando fundatum, quod anno MDLVIII. in publicam studii generalis universitatem erectum fuerat; pro altera vero dicti prioris parte, nuda possessio privilegii conferendi gradus allegabatur.

Rationes utriusque partis.

Resolutio capta.

In huius causae progressu, manutentio in possessione, seu quasi possessione privilegii praedicti eidem priori et conventui de facili data fuit, sed coactus dictus prior ad adhibendum titulum seu documentum concessionis huiusmodi privilegii, quoddam sumptum de alio sumpto quarumdam literarum fel. record. Pauli Papae III. praedecessoris nostri, vel sub plumbo, vel in simili forma brevis expeditarum, quibus idem conventus in publicam studii generalis universitatem erectus declarabatur, produxit: ob defectum tamen originalis dictarum literarum, et quia de concessione huiusmodi facultatis et erectionis, nullum in regestis Regii Concilii Indiarum, prout moris est, monumentum reperitur, sumptum huiusmodi adulterinum ac supposititium habitum fuit.

Procurator societatis institit saltem pro facultate cumulativa conferendi gradus.

Postmodum, pro parte dicti collegii, dilectus etiam filius Petrus Ignatius Altamirano eiusdem societatis professor, ac indicarum provinciarum praedictarum procurator, institit, quod quatenus privativa fa-

cultas ipsi collegio minime competeret, saltem cumulativa non impugnaretur; sed ob novas a priore et conventu praedictis factas oppositiones, non sine gravamine, lis et causa huiusmodi per plures annos, et ad usque annum MDCCXLIII. in suspenso remansit; interea temporis cum novae rationes probationesque a rectore et collegio praedictis pararentur, ad hoc ut causa huiusmodi absolveretur, dilectus etiam filius Thomas Ripoll magister generalis Ordinis Praedicatorum, cui praemissa non latebant, et proposita a dicto procuratore primodicti collegii probabat, ad dirimendas lites inter partes huiusmodi ortas, procuratoribus memorati conventus mandavit, ut supersederent, et propositionem pro parte dictorum rectoris et primodicti collegii factam amplecterentur.

Magister generalis Ordinis Praedicat. propositionem a rectore collegii factam amplecti mandavit.

Supplicatur Regi Hispaniarum pro eius regio adsensu.

Hisce praehabitis, procurator primodicti collegii charissimo in Christo filio nostro Ferdinando earumdem Hispaniarum Regi catholico supplicavit, quatenus instantiae assentiri dignaretur, commissaque ab eodem Ferdinando Rege cuidam eius ministro plenae fiduciae et litteraturae praedito, quaestionis seu litis huiusmodi cognitione; post cognitionem huiusmodi, relationemque eidem Ferdinando Regi factam, ipse Ferdinandus Rex die XVII. februarii proxime praeteriti suum edidit decretum; in quo, facta prius de omnibus praemissis actis et gestis mentione, primodictum collegium in publicam studii generalis universitatem cum eisdem facultatibus et privilegiis, quibus secundodictum collegium a dicto Hernando, sicut praemittitur, fundatum, gaudebat et fruebatur, erexit; et ad huiusmodi effectum mandavit, quod gradus quicumque inibi studentibus conferri possent, cum onere sustinendi cathedras, iuxta redditus, qui ex secundo dicto collegio illi fuerunt adiudicati, et adiectione aliarum cathedrarum, quatenus rectori primodicti collegii propriis expensis illas adiicere placuerit; iniungens eidem iudici conservatori a praedicto Philippo Rege deputato, ut praemissa omnia adimpleri facere, et in singulis actibus publicis de dicto Hernando tanquam fundatore et benefactore memoriam haberi, et decrevit gradus in huiusmodi primodicto collegio in singulis scientiis et facultatibus susceptos, eamdem vim et praerogativam habere, quas habent illi in quacumque universitate suscepti, et illorum virtute, officia et dignitates illis correspondentia conferre posse. Pro eo vero, quod ad dictum conventum attinet, circa eius continuationem in praetensa facultate, de qua legitime et valide, ut praefertur, non docebatur, dictus Ferdinandus Rex attendens supplitionem dicti Petri Ignatii procuratoris pro bono pacis promovendae factam, amplecti etiam erectionem universitatis in dicto conventu, erectionem quoque huiusmodi una eademque die concessit, itaut una et altera universitates gradus quoscumque in eis respective studentibus conferre possint, ad instar universitatum, quibus tam ordo fratrum Praedicatorum, quam Societas Iesu huiusmodi, in civitatibus de Manila Sanctae Fidei, et Quitensi gaudent: ac pro suae voluntatis executione, dilectis quoque filiis consilio Indiarum mandavit, quod super hisce actus quicumque in iudicio habiti delerentur, nec amplius ulla instantia admitti deberet, perpetuumque silentium in praemissis imposuit, et alias, prout in eiusdem Ferdinandi Regis decreto manu propria subscripto, et die XXVI. maii proxime elapso expedito, cuius tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Qui instantiae annuit cum opportunis ordinationibus.

Petitio dicti procuratoris de Urbe.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Iosephus procurator, quo praemissa firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, collegiumque huiusmodi in supradicta Sancti Dominici civitate erectum fundatumque, in pubblicam studiorum generalium universitatem per nos erigi et institui summopere desideret.

Pontifex regium decretum confirmat.

Hos, qui Societatem huiusmodi, cuius alumni et professores uberes literarum et pietatis in publicum fructus producere pergunt, paternis complectimur affectibus, ipsius Iosephi procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ipsumque Iosephum procuratorem a quibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradictum decretum a memorato Ferdinando Rege, sicut praemittitur, factum, edictum, subscriptum et publicatum, cum omnibus et singulis in eo

contentis, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus et sanamus.

Et quatenus opus sit, dictum collegium in publicam universitatem studiorum erigit.

Ipsumque collegium Societatis Iesu in dicta civitate Sancti Dominici insulae Hispaniolae, ut praefertur, erectum et institutum, ubi scholae nunc habentur, seu forsan in ampliorem formam constituentur, in publicam studiorum generalium universitatem, in qua dictae societatis alumni et professores, grammaticam, rethoricam, logicam, physicam, et theologiam scholasticam et moralem, ac sacros canones, ac ius tum canonicum, nec non per lectores saeculares ius civile ac medicinam, aliarumque literarum studia profiteantur, et iuvenes quoscumque doceant, eadem auctoritate, tenore itidem praesentium, sine tamen quorumcumque praeiudicio, erigimus et instituimus, ipsumque collegium sic in publicam universitatem erectum et institutum, curae et regimini et administrationi dictae societatis, illiusque praepositi generalis pro tempore existentis, seu ab eo deputandi, praedicta auctoritate etiam perpetuo supponimus, ac submittimus.

Cum cumulativa privilegiorum aliarum universitatum.

Ac eidem collegio, illiusque rectori, magistris, lectoribus, scholasticis, aliisque praedictis universis et singulis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, praerogativis, honoribus et praeeminentiis huiusmodi publicis studiorum generalium universitatibus, illarumque pro tempore existentibus rectoribus, magistris, lectoribus, doctoribus, praeceptoribus, scholasticis, procuratoribus et aliis personis in genere vel in specie quomodolibet concessis non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, in omnibus et per omnia uti, potiri et gaudere: ac insuper rectori pro tempore existenti collegii huiusmodi, ut quoscumque ad illud accedentes, ac per debitum tempus studentes, si scientia et moribus idoneos esse repererit, in omnibus facultatibus, quae in dicto collegio, ut praefertur, docentur et leguntur, ad baccalaureatus etiam formati, licentiaturae, laureae ac doctoratus, nec non magisterii gradus, servata tamen in omnibus et per omnia forma decretorum Viennen. et Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, et alias laudabiles aliarum publicarum universitatum consuetudines, promovere, et ipsorum graduum insignia eis exhibere, usque ad dictos gradus; utque per rectorem huiusmodi collegii promoti, possint publice privatimque omnium aliarum publicarum studiorum generalium universitatum facultates praedictas interpretari et alios docere, de eis disputare, gradui seu gradibus huiusmodi convenientes actus exercere, nec non omnibus aliis privilegiis, favoribus, gratiis, praerogativis et indultis, quibus alii in aliis quibusvis universitatibus et alibi, iuxta illarum constitutiones et mores, ad gradus praedictos promoti, de iure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, et absque ulla prorsus differentia, uti, frui, potiri et gaudere in omnibus, et per omnia; perinde ac si gradus praedictos in publicis universitatibus praedictis, iuxta illarum mores et consuetudines, rite suscepissent.

Et facultate conferendi gradus quoscumque.

Praeposito generali Societatis Iesu tribuit facultatem condendi statuta.

Nec non moderno, et pro tempore existenti dictae societatis praeposito generali, ut per se, vel dicti collegii, et sic erectae universitatis rectorem, aut alium, vel alios deputandos, pro felici salubrique sic erectae universitatis directione, ac rectoris, magistrorum, lectorum et aliorum ministrorum, et officialium muneribus et functionibus, modoque, et forma docendi, et alias sua respective officia exercendi, et scholasticorum manutentione, quaecumque statuta et ordinationes, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus, et Concilii Tridentini praedicti decretis, ac constitutionibus apostolicis minime contraria, edere et promulgare, ac edita et promulgata, pro temporum, rerum et personarum qualitate, mutare, corrigere et reformare, seu ulla cassare vel abrogare, ac alia de novo condere, edere et publicare, et super illorum observatione poenas eius arbitrio imponere, ac impositas poenas executioni demandare, dictique collegii, ac sic erectae publicae universitatis huiusmodi doctores, magistros, lectores, scholasticos, procuratores, bidellos, aliosque ministros et officiales eligere, nominare, ac electos et nominatos amovere, electionesque factas confirmare libere et licite ac valide possint et valeant respective, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus.

Clausulae pro praemissorum firmitate

Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores. ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum collegii, civitatis et societatis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. septembris MDCCXLVII., pontificatus nostri anno VIII.

XCIV.

Confirmata constitutione In suprema, *decernit, iuxta decretalem Innocentii III.* Quanto de divortiis, *quod, si unus ex coniugibus hebraeis ad fidem convertatur, alterum interpellet tantum utrum converti vel cohabitare velit sine contumelia Creatoris; prohibet hebraeis ad fidem conversis,* libellum repudii *coniugi dare coram Rabino vel christiano notario* (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolici ministerii munus nobis licet immerentibus commissum assidue nos excitat atque impellit, ut sollicito studio ac vigili cura, abusus pravasque consuetudines, si quas in Ecclesia Dei, vel hominum infirmitate, vel malitia, certo novimus irrepsisse, pastoralis providentiae sollicitudine compescamus, congruisque adhibitis remediis, quo citius fieri potest, abolemus.

Iudaei ad fidem conversi, si habent uxorem in iudaismo, illam quandoque repudiant.

Nuper quidam nobis relatum est, certisque probationibus manifesto comprobatum, quod aliqui hebraeorum, qui ad christianam fidem conversi uxorem habent renuentem christianam veritatem amplecti, minime dubitant, posteaquam eiurata iudaica perfidia sacro lavacro abluti sunt et solemni professione se ad Christi fidem adstrinxerunt, reverti sacrilego ausu ad Iudaeorum castra seu vicum, vulgo *il Ghetto,* ibique rabbinico ritu, iudaicis superstitionibus, damnandisque observationibus, libellum repudii uxoribus concedere, vel etiam extra iudaeorum domicilium, coram notario testibusque christianis, eumdem libellum repudii uxoribus dare, ut liberam eis nubendi alteri viro potestatem faciant.

Repudium in veteri testamento permissum.

Moyses quidem in Deuteronomio *cap. 24* ita scriptum reliquit: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua.* Utrum vero haec dumtaxat indulgentia quaedam fuerit ad maius malum evitandum, adeout, qui daret acciperetque repudium, liber quidem a poena esset, non autem a culpa; an autem dispensatio potius esset a Deo concessa ob cordis hebraeorum duritiam, adeout qui libellum repudii mitteret, et quae missum reciperet, et a culpa et a poena exemptus foret, eisque minime vetitum esset ad aliud matrimonium valide ac licite contrahendum procedere, dissident inter se veteres recentioresque theologi, cum alii primam, alii alteram opinionem sequantur. Verum quidquid hac de re sit, illud certum est, quod Redemptor noster Iesus Christus Dei Filius interrogatus quid censeret de libello

(1) Vide supra pag. 212.

repudii, quem Moyses permiserat, respondit, ut legitur in evangelio apud Matth. *c. 19,* et apud Marc. *cap. 10; Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic: dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.* Sermonemque suum ita conclusit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Ex his autem verbis per legitimam consequentiam inferunt theologi, in praesentiarum non amplius licere hebraeis proprias uxores repudiare, neque per libellum repudii, matrimonii vinculum amplius dissolvi, eo quod Jesus Christus illud ad suum primaevum statum redegit, nempe ad indissolubilitatem, non lege nova condita, sed dumtaxat sublata veteri indulgentia, seu dispensatione super praedicta indissolubilitate concessa. Quae cum ita se habeant, etiamsi repudium toleretur inter hebraeos coniuges, qui ambo in eadem iudaica perfidia permanent, certe ferri ac tolerari nullo modo debet, ut hebraeus ad fidem conversus, et sacro baptismate ablutus, libellum repudii uxori, quae in hebraica pervicacia remanet, iudaico more ac ritu, concedat.

Sed in nova lege gratiae absolute vetitum.

Hinc Pontifex decernit, quod hebraeus conversus interpellet uxorem hebraeam.

Quamobrem, ut in posterum omnia debito ordine, et laudabili modo, ac ratione fiant; volumus ac decernimus, ut hebraeus ad fidem conversus, si uxorem hebraeam habet, eam more solito interpellet, an etiam ipsa converti et cohabitare velit sine contumelia Creatoris: renuente autem muliere, liberum ei erit aliud matrimonium contrahere, iuxta verba beati Apostoli Pauli *in epist. 1 ad Corinth. cap. 7: Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.* Ut bene iam ante animadvertit clar. me. praedecessor noster Innocentius III. in sua decretali, quae incipit: *Quanto de divortiis.*

Eaque renuente, possit contrahere cum christiana.

De theologorum quaestione, quando dissolvatur matrimonium infidelium ob conversionem unius e coniugibus.

Quaeritur a theologis et canonici iuris eo consultis, quando solvatur matrimonium contractum ab hebraeo cum hebraea, quae se convertere recusat; et quando conversus novum matrimonium cum muliere christiana, et quando hebraeus cum hebraea contrahere possit. Quod ad conversum attinet, quidam volunt, praecedens matrimonium dissolvi quoad vinculum, statim ac infidelis renuit fidem christianam amplecti, aut intra terminum, seu temporis spatium praefixum in interpellatione, quae illi facta est, nullum responsum praebet. Alii vero putant matrimonium solvi, quando conversus aliud matrimonium celebrat cum christiana: quae opinio in praesenti communior est inter theologos, et canonici iuris peritos, et in praxi eam sequitur congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum. De solutione autem vinculi matrimonialis, pro eo quod pertinet ad uxorem, quae in hebraica superstitione perseverat, aliqui censent, quod ea in poenam suae perfidiae semper illigata remaneat, neque aliud matrimonium contrahere valeat, donec et quousque maritus christianus factus vivit: alii vero putant, nullo modo eam matrimonium celebrare posse, si maritus conversus non adhuc ad alias nuptias transierit: ubi vero conversus matrimonium iniverit, permitti debere mulieri, ut idem facere possit, quia solutio matrimonii privilegium est concessum favore christianae fidei, quam ad Christum conversus amplectitur; et ideo recto affirmari posse, datum esse directe, et per se, fideli, indirecte vero, et per accidens infideli. Sed quidquid sit de huiusmodi controversiis, quae inter theologos et iuris canonici professores disceptantur; de quibus nihil nos definire intendimus, singulas illorum sententias eo loco, quo sunt relinquentes; cum nostra mens, et voluntas nequaquam sit aliquid nunc definire de matrimonio, quod a muliere hebraea contrahitur, posteaquam nolle se christianae fidei nomen dare declaravit: sed id solum motu proprio, ex certa scientia et plenitudine potestatis tenore praesentium volumus et intendimus, ac iubemus, ut cum aliquis hebraeorum christianam veritatem amplexus fuerit, non praetermittatur interpellatio mulieri more recepto facienda, an velit, nec ne, se ad Christum convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi causa, vel a nobis, vel a Romanis Pontificibus successoribus nostris, non censeatur huiusmodi interpellatio omittenda, ut videre licet in nostra constitutione: *In suprema,* data die XVI. ianuarii anno MDCCXLV., quae est CXVII. *in tom. I* nostri Bullarii; immo expresse vetamus, prohibemus, ac interdicimus, ne conversi quovis tempore, et quovis modo, sive in iudaeorum domicilio, nempe *Ghetto,* rabbinico ritu, sive extra, coram notario et testibus christianis, libel-

Circa quam nil Pontifex statuere intendit.

Sed solum statuit, ut supra.

lum repudii uxoribus, quae interpellatae recusant se convertere, aut, omissa vigore dispensationis eiusmodi interpellatione, quia ex probabili coniectura creditum est, minime se ad Christi fidem conversuras, dare, scribere, aut mittere audeant et possint.

Poenae contra delinquentes.

Et quoniam, ut plurimum contingit, ut leges debitam executionem non consequantur, nisi sanctio poenalis contra eas transgredientes accedat; hac nostra in perpetuum valitura constitutione, motu, scientia, ac potestate pari mandamus, ac praecipimus, ut omnia tribunalia, ac iudices competentes, habita notitia, aliquem ex hebraeis conversis, post susceptum baptismum, libellum repudii intra ipsum iudaeorum domicilium, rabbinicis superstitionibus adhibitis, uxori non conversae dedisse, statim in eum sine ulla cunctatione, tamquam in iudaizantem, solitis poenis animadvertant; et insuper contra ipsam iudaeorum universitatem in casu praedicto procedant manu regia mulctam ab ea exigentes centum scutorum aureorum, cuius tertia pars in praemium accusatori tribuatur, quod vero superest, concessum et addictum ipso iure per hanc nostram constitutionem intelligatur piae domui catechumenorum in illis civitatibus, in quibus ea reperitur: ubi autem huiusmodi catechumenorum domus non extat, remaneat liberae dispositioni Episcoporum et Ordinariorum, ut eam pecuniam pauperibus christianis pro eorum arbitrio et conscientia distribuant. Sin autem ad tribunalium seu iudicum competentium cognitionem pervenerit, quod conversus libellum repudii extra Iudaeorum domicilium, seu *Ghetto,* dederit coram notario et testibus christianis, pari modo eum tamquam iudaizantem debita poena afficiant, minori tamen, qua plecti debet, qui intra ipsum *Ghetto* rabbinicis superstitionibus libellum repudii scripserit. Item procedatur contra notarium christianum, et dictam hebraeorum universitatem, sine cuius scientia et procuratione huiusmodi damnabilia negotia non transiguntur, et pro rata parte mulctentur centum scutis aureis, exigendis, distribuendis, applicandisque, ut supra dictum est; tum etiam testes christiani poena arbitraria, etiam corporis afflictiva, pro prudenti iudicum arbitrio puniantur. Praeterea, etsi libellus repudii, iuxta hebraicum morem ac ritum, solum a marito uxori mittatur, non autem permissum sit uxori, ut illum marito praebeat, nihilominus, quia nobis compertum est, esse aliquos, qui existimant etiam a muliere marito dari posse, ut omni in futurum dubitationi ac quaestioni, quae exoriri posset, occurramus, hac nostra praesenti volumus, ac declaramus, ut omnia et singula, quae a nobis superius de marito ad fidem converso, remanente eius uxore in iudaica superstitione, disposita ac statuta sunt, etiam in casu uxoris ad Christum conversae, remanente marito in infidelitate, locum omnino habeant atque obtineant, et ab omnibus serventur et custodiantur.

Declarat, quod dictum est de marito erga uxorem, intelligendum esse etiam de uxore erga maritum.

Derogatio contrarior.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, dictis hebraeis, eorumve universitatibus, sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis, etiam saepius approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam alias pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores huiusmodi, nec non formas et decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis quoad reliqua in suo robore permansuris, ad effectum praemissorum, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Publicationem præsentium decernit.

Volumus autem praesentes literas ad valvas basilicae Principis Apostolorum de Urbe, in acie Campi Florae, atque in platea, quae iudaeorum nuncupatur, per cursores nostros publicari, earum exemplis inibi affixis et dimissis, ac post huiusmodi publicationem, et elapsum terminum superius praescriptum, cunctos et singulos, quos concernunt, perinde arctare atque afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatae fuissent, illarumque exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio, et extra illud haberi, quae ipsis praesentibus haberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae voluntatis, inhibitionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si

quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, decimosexto kalendas octobris, pontificatus nostri anno VIII.

XCV.

Collegium apostolicum pro Sinensibus Neapoli erectum liberat a pensione adnexa abatiae S. Petri de Embulo collegio unitae, onere tamen imposito alendi octo adolescentes ex Sinis et Indiis Orientalibus, et octo ex Epiro aliisque locis Turcarum ditioni subiectis (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Misericordia Dei miserentis sacri apostolatus ministerio, meritis licet imparibus, superna dispositione illius qui debilibus adauget vires, praesidentes libenter intendimus ad ea per quae collegia pro alumnis gentium et nationum in tenebris et in umbra infidelitatis sedentium christiana religione, literis, ecclesiastica disciplina, bonisque moribus imbuendis instituta et fundata eorumque incrementa promoventes, eaque illis favorabiliter concedimus, quae ipsorum collegiorum exigentiis et necessitatibus, ut novorum quoque onerum impositionem subire et congrue perferre valeant, fore conspicimus opportuna.

Abbatia S. Petri de Ebumbo iam collegio unita.

Dudum siquidem nos ad consulendum necessitatibus collegii Sacrae Iesu Familiae nuncupati in civitate neapolitana, pro pueris et adolescentibus sinensibus et indianis instituti et fundati, eidem collegio cura conventuque carens monasterium abbatiam nuncupatum S. Petri de Ebumbo, seu Eboli, Ordinis S. Benedicti salernitanae dioecesis, quod dilectus filius noster Marius, tunc unus ex causarum palatii nostri apostolici auditoribus, nunc vero tituli S. Priscae S. R. E. presbyter Cardinalis Millini nuncupatus, in commendam ad sui vitam ex concessione apostolica tunc obtinebat, prout ex simili concessione et dispensatione apostolicis adhuc obtinet de praesenti, quodque in similem commendam ex pari concessione apostolica ad vitam obtineri consuevit, ex tunc videlicet et cum primum monasterium praedictum, illius commenda huiusmodi ex persona dicti Marii nunc Cardinalis quovis modo cessante, vacare contigisset, cum annexis quibuscumque ac omnibus et singulis dicti monasterii bonis, rebus, proprietatibus, iuribus et pertinentiis, nec non quibusvis illius fructibus, redditibus, proventibus, obventionibus et emolumentis universis, donec tamen et quousque praefatum collegium in eadem civitate neapolitana extitisset, cum hoc tamen quod ipsum collegium et pro eo quondam tunc in humanis agens Matthaeus Ripa, tunc et dum viveret eiusdem collegii rector, reservationi, constitutioni et assignationi infrascriptae pensionis annuae tunc per nos reservandae consentire omnino teneretur, apostolica auctoritate univimus, anneximus et incorporavimus; ipsumque collegium ab annatarum, quindenniorum, communium minutorum, aliorumque iurium Camerae Nostrae Apostolicae, ac etiam venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, et dilectis etiam filiis Romanae Curiae et Cancellariae Nostrae Apostolicae officialibus, de annatis, quindenniis, communibus minutis et aliis iuribus huiusmodi quomodolibet participantibus, eorumque respective collegiis ratione unionis huiusmodi debitorum solutione et praestatione, dicta apostolica auctoritate exemimus et liberavimus, prout in nostris desuper confectis literis plenius continetur.

Pensio alias reservata.

Postmodum vero volentes dictam pensionem constituere, ut collegium praedictum illius onus tamdiu perferret, quamdiu memoratae unionis commodum sensisset et utilitatem, motu proprio et ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine super omnibus et singulis dicti monasterii fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, certis et incertis, ex tunc videlicet et cum primum unio praedicta suum sortita fuis-

(1) Ex originali servato in Tabulario Collegii. — Vide supra pag. 118 const. *In sacro principis*, et infra Clem. XIII. *Docendi omnes gentes, Quanta Ecclesia Dei*, et Pium VI. *Prae caeteris* etc.

set effectum, pensionem annuam quingentorum ducatorum monetae regni neapolitani pro persona seu personis per nos, seu romanum pontificem pro tempore existentem, quandocumque nominanda seu nominandis, eadem apostolica auctoritate reservavimus, constituimus et assignavimus, volentes et intendentes quod in eventum in quem pensio huiusmodi in toto vel in parte cessasset, vel alias quomodolibet extincta fuisset, ac quoties, durante unione praedicta, cessationis seu extinctionis huiusmodi casus evenisset, toties alii personae ecclesiasticae, seu aliis personis ecclesiasticis, alia pensio seu aliae pensiones cessatae vel extinctae similes, usque ad ratam cessatam vel extinctam huiusmodi a nobis, seu romano pontifice pro tempore existente, quousque unio praedicta perdurasset, de novo reservaretur aut reservarentur, prout in schedula motus proprii nostri desuper manu nostra signata etiam plenius continetur.

Cassatio pensionis.

Nunc vero unione praedicta effectum suum nondum, ut accepimus, sortita, praedictum collegium a quo uberiores in dies fructus promanaturos fore confidimus, praesertim si alumnorum numerus in eo adaugeatur, iique ex aliis etiam admittantur nationibus, ex illis praecipue quae missionariorum opera magis indigere videntur, amplioris gratiae favore prosequi volentes, ipsiusque rectorem, singulosque alios ministros et alumnos a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon gratiarum et schedulae nostrarum praedictarum respective tenores ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, pensionem praedictam, illiusque reservationem, constitutionem et assignationem huiusmodi, dicta apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, in perpetuum penitusque et omnino cassamus, extinguimus et annullamus, ac cassatam, extinctam et annullatam esse et fore, ac una cum dicti monasterii fructibus, redditibus et proventibus praedictis consolidatam remanere volumus et decernimus, eximentes pari modo et perpetuo liberantes praedictum collegium a solutione et praestatione annatarum, et quindenniorum communium, et aliorum iurium praedictorum, etiam quoad pensionem cassatam et extinctam praedictam, quatenus ratione cassationis et extinctionis huiusmodi ipsum collegium ad solutionem et praestationem praedictas teneri et obligatum existere ullo unquam tempore dici vel censeri posset.

Impositio onerum.

Volentes autem ut huiusmodi cassatio, extinctio et annullatio pensionis praedictae sacrarum missionum bono, immo orthodoxae religionis incremento et profectui cedat, collegio praedicto et congregationi similiter filiorum modernorum et pro tempore existentium superioris et presbyterorum saecularium eiusdem Sacrae Iesu Familiae, sub cuius congregationis gubernio, regimine, directione et administratione praedictum collegium reperitur, sequentia onera infrascriptasque leges et obligationes eis a Congregatione eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum proposita et propositasque, ac quae et quas praedicti moderni superior et presbyteri saeculares praedictae Congregationis eiusdem Sacrae Iesu Familiae capitulariter congregati, sub spe atque intuitu cassationis et extinctionis supradictae pensionis, eorum congregationis praedictae dictique collegii respective nomine, sicut similiter accepimus, iam sollemni actu acceptarunt, ac supportare et respective adimplere parati existunt, eadem apostolica auctoritate in perpetuum imponimus, praescribimus et iniungimus, nimirum:

Onerum specificatio.

Primo, quod dictum collegium ex nunc deinceps ex unione praedicta effectum suum minime sortita ad ipsius Congregationis de Propaganda Fide beneplacitum recipere et admittere debeat quatuor alumnos ex Valachia et Bulgaria ac Servia et Epyro, qui ad dictum collegium propriis expensis accedere teneantur. — Secundo, quod si ad dictum collegium advocentur alii alumni Sinenses et Indiani antequam unio praedicta suum effectum sortiatur, idem collegium expensas pro eorum accessu necessarias subire debeat. — Tertio, quod ubi primum unio praedicta effectum suum sortita fuerit, idem collegium augere debeat numerum alumnorum ex praedictis quatuor nationibus, vel ex aliis similibus Turcarum tyrannidi subiectis, usque ad octo, comprehensis quatuor praedictis ad nomi-

nationem dictae Congregationis de Propaganda Fide ex nunc recipiendis. — Quarto, quod alumni Sinenses et Indiani ad octo dumtaxat reducantur, ut ita integer numerus alumnorum, tam sinensium et indianorum quam aliarum praedictarum nationum turcicae tyrannidi subiectarum, ad sexdecim ascendat, qui omnes sumptibus dicti collegii alantur, sub gubernio, regimine et directione congregationis Sacrae Iesu Familiae praedictae. Si vero ullo unquam tempore contingat ex quacumque causa ut praedictus numerus alumnorum sinensium et indianorum in toto vel parte haberi nequeat, congruo tempore elapso, datisque commissionibus per ipsam Congregationem de Propaganda Fide suis procuratoribus, seu aliis ministris in illis partibus commorantibus, praestandi operam, auxilium et favorem pro expeditione alumnorum huiusmodi, quae quidem commissiones dari debeant ad requisitionem superiorum ipsius congregationis Sacrae Iesu Familiae praedictae, tunc et eo casu, eisdem deficientibus alumnis in toto vel in parte, substitui debeant totidem alumni ex conterminis provinciis, regnis et regionibus orientalibus asiaticis, ut supra, assumendi. — Quinto demum, quod expensae necessariae pro accessu et recessu praedictorum octo alumnorum sinensium et indianorum, aut ex aliis nationibus orientalibus asiaticis, ut praedicitur, assumendorum, fieri debeant a praedicto collegio. Item per dictum collegium fieri debeant expensae pro recessu dumtaxat, non autem pro accessu aliorum octo alumnorum dictarum quatuor nationum, aut aliarum Turcarum tyrannidi subiectarum, qui propriis expensis accedere teneantur.

Clausulae confirmatoriae.

Quocirca easdem praesentes nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel invalidari, aut ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus unquam posse, sed illas a collegio et congregatione Sacrae Iesu Familiae praedictis, ac ab omnibus et singulis aliis, quos illae concernunt et concernent, quomodolibet in futurum firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri debere. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici praedicti auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos et Sedis Apostolicae Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; et, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Clausulae derogatoriae.

Non obstantibus dicti collegii, quatenus in aliquo obstent, fundatione et erectione, necnon etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ultimisque testantium aut alias pie disponentium voluntatibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem congregationi Sacrae Iesu Familiae praedictae, illiusque ac aliis quibuslibet superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, omnibusque et singulis aliis quae in praedictis nostris literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, cassationis, extinctionis, annullationis, consolidationis, exemptionis, liberationis onerum, et legum impositionis, praescriptionis, iniunctionis decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, pridie nonas octobris, pontificatus nostri anno VIII.

XCVI.

S. Franciscum Xaverium constituit principaliorem Patronum Indiarum, quae numerantur a Capite Bonae Spei usque ad regna Sinarum et Iaponiae cum adiunctis provinciis et adiacentibus insulis, eiusque officium celebrandum prae-

cipit sub ritu duplici primae classis cum octava (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

S Franciscus Xaverius ab Indiarum gentibus praecipue honorandus.

Indiarum gentibus beati Francisci Xaverii Societatis Iesu, qui apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium apostolus unanimi totius christiani orbis consensu meruit appellari, praedicatione et miraculis, ex tot tamque dissitis regionibus catholicae Ecclesiae aggregatis, ut gloriosa eiusdem merita alacrius venerantes, et relicta sibi quoque praeclara virtutum exempla ardentius imitantes, praesentissimum illius in coelis apud mirabilem in sanctis suis Deum sibi patrocinium certo polliceri valeant, ipsum Sanctum Franciscum novis honorum incrementis colendum, novoque titulo in terris decorandum invocandumque proponimus atque mandamus.

Instantia Regis Portugalliae, et persecutio in Oriente desæviens eumdem patronum principaliorem Indiarum regionibus dandum suadent.

§ 1. Etsi autem pro singulari pietate, et incredibili erga res sacras, sacrosanctae religionis rationes, et sanctorum reverentiam zelo suo, carissimus in Christo filius noster Ioannes, Portugalliae et Algarbiorum Rex illustris, per dilectum filium Emmanuelem Pereira de Sampajo militiae Ie-

---

(1) Sequenti litera, ex Reg. Ep. anni VIII. deprompta, nunciat S. P. regi Lusitaniae suam satisfecisse petitionem de tali patrono, et Sinarum missiones commendat, exorta in Sinis persecutione, contra christifideles.

Carissimo in Christo filio nostro Ioanni Portugalliae et Algarbiorum regi illustri,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Inspecta ecclesiae persecutione in Sinis, Pontifex preces Regis ad illam sedandam laetanter excepit.

Etsi eximiis Maiestatis Tuae votis, quoad nobis integrum fuit, semper, et pro paterna, qua te prosequimur, caritate, et suprema, qua fungimur, apostolica auctoritate obsecundare studuimus, preces tamen, quas nuper dilectus filius Emmanuel Pereira de Sampajo, militiae Domini Nostri Iesu Christi commendator, regiis Portugalliae negotiis apud nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem praepositus, Maiestatis Tuae nomine nobis obtulit, non solum pontificia benignitate excepimus, sed ingenti etiam cum animi nostri voluptate ac laetitia ratas facere gestivimus. Tunc enim temporis nobis porrectae fuerunt, cum dolentes rescivimus, dilectos filios verbi Dei praecones et operarios in excolenda vinea Domini Sabaoth apud Sinas laborantes, oborta saevissimae persecutionis tempestate, ita dispersos fuisse, ut partim quidem Amacaum in exilium acti, partim vero vinculis fuerint mancipati, partim latibulis sese abdiderint, partim in alias provincias demum aufugerint.

S. Franciscum Xaverium Sinarum patronum, iuxta Regis vota, declarat.

Eapropter postulata tua tamquam felix futurae tranquillitatis auspicium complexi, Sanctum Franciscum Xaverium Societatis Iesu novum Indiarum Apostolum, novum praecipuumque illarum gentium patronum ac protectorem deinceps colendum invocandumque statim per alias nostras in simili forma brevis literas declaravimus, fore in Domino confidentes, ut ille quemadmodum in terris degens praedicatione et miraculis easdem gentes catholicae ecclesiae aggregare tamdiu nullis parcens laboribus, nulla refugiens vitae discrimina adnixus fuit, ita regnans in coelis potentissimo suo apud misericordiarum patrem et totius consolationis Deum patrocinio illas tueretur, atque in catholica fide confirmaret.

Fusis Deo precibus, Regem rogat, ut religionem christianam in illo imperio per suum ministrum tueatur.

Postquam autem supremum pastorum principem Iesum Christum, cuius vices plane immerentes gerimus, et in quo omnem nostrae apostolicae procurationis fiduciam repositam habemus, demississime obsecravimus, atque exoravimus, ut vineam suam in dispersionem gentium datam visitaret, opemque ferret salutarem, qua evangelicae praedicationis ministri in illam missi, in unum pariter congregati intermissum ministerium suum cum uberiori speratorum fructuum copia adimplere pergerent, paternos etiam gemitus et voces ad Maiestatem Tuam deferimus. Rex regum et Dominus dominantium non alia ratione Maiestati Tuae, praeter tot regna, decora, commoda ac bona tibi collata, tantam, maxime apud exteras nationes nostroque orbe dissitas, auctoritatem venerationemque conciliavit, quam ut, quemadmodum magna cum regii nominis, pietatis ac potentiae tuae laude hactenus reipsa praestitisti, ad afflictas catholicae religionis nationes in iisdem partibus opportune saluberrimeque sublevandas, provehendas, confirmandasque incumberes et adniterer is.

Transmittit exemplum literarum ad Imperatorem Tartariae missarum.

Porro laudatissimis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, ad illustrem potentissimum utriusque Tartariae et Sinarum imperatorem alias nostras in simili forma brevis literas damus, ut Apostolicam hanc Sanctam Sedem inter atque eumdem imperatorem iamdiu initam et muneribus utrinque missis saepe renovatam amicitiam, in mentem revocemus, si quo modo ad sacris operariis favendum allicere valeamus. Easdem sane nostras literas una cum ipsarum manuscripto exemplo his nostris alligamus, a Maiestate Tua vehementer exposcentes, ut illas ad regium Maiestatis Tuae in Sinis ministrum perferendis mandes, atque ipsi secundum incomparabilem tuam prudentiam iniungas, quo ille modo, ut res optatum successum habeat, sese gerere debeat; tua ne officia dumtaxat apud memoratum Sinarum imperatorem efficacissime interponenda, an ipsas insimul literas nostras eidem reddendas existimet.

De auxilio Regis certus, pluribus illum excitare omittit.

Vides igitur, carissime in Christo fili noster, pro tua sapientia, quam se largus aperit campus, et quam magna se tibi offert occasio non tam comparandae uberiorum apud omnes laudum segetis, quam promerendae apud bonorum omnium largitorem, iustumque remuneratorem amplioris in terris prosperitatis, et aeternae in coelis retributionis. Nos vero, qui praeclara de filiali tua erga nos observantia et singulari pro catholicae fidei propagatione et stabilitate zelo habemus testimonia hac in re luculentiora, quam nobis augurari possimus, regii animi zelique tui documenta nobis certo pollicentes, Maiestatem Tuam ad gravissimum huiusmodi negotium, in divini cultus incrementum ecclesiaeque utilitatem redundaturum, suaviter fortiterque conficiendum sponte tua propensissimam pluribus rogare et excitare omittimus, sed coelestis praesidii auspicium, nostraeque studiosae obstrictaeque voluntatis pignus apostolicam benedictionem Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

su Christi commendatorem, eiusdem Ioannis Regis negotiis apud nos et apostolicam supplicavit, ut tanti Indiarum apostoli cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, adaugere satagamus; ipsa tamen in Sinarum maxime regno in christifideles ibi degentes mota, atque in evangelicae praesertim praedicationis operarios saeviens persecutio, et piis laudati Iohannis Regis votis ac precibus paterna benignitate obsecundantes, id praestemus alacrius, vehementer urget et exstimulat.

Eo titulo colendus edicitur, cum officio duplici I. classis et octava.

§ 2. Itaque, ad maiorem Dei laudem, divinique cultus augmentum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, Sanctum Franciscum Xaverium patronum principaliorem ac protectorem Indiarum, quae numerantur a capite *Bonae Spei* dicto, usque ad regna Sinarum et Iaponiae, eisque adiunctarum provinciarum, et adiacentium insularum, cum omnibus et singulis praerogativis, quae, iuxta breviarii et missalis rubricas, sanctis patronis principalioribus et protectoribus competunt, habendum, invocandum et colendum esse statuimus, declaramus atque iubemus. Praeterea, ut imposterum solemnis tanti patroni memoria maiori, quam antea celebrabatur, pietate, ac debitis laudum praeconiis quotannis recolatur; volumus, et omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, auctoritate et tenore paribus indulgemus, atque mandamus, ut annua ipsius Sancti Francisci Xaverii dies sub ritu duplici primae classis cum octava peragatur.

De literarum perpetuo vigore.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

De exemplorum auctoritate.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XCVII.

Ritum praescribit pontificiae benedictionis, servandum a regularibus, quibus, a Sancta Sede est indulta facultas, ipsam, statutis diebus, impertiendi.

Deest inscriptio, quae cuilibet Superiori Generali dictorum Ordinum aptata fuit.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Summa pontificiae concessionis.

Exemplis praedecessorum nostrorum adducti, nonnullis familiis regularium permisimus, ut fideles, qui statis anni diebus ipsarum ecclesias inviserent et indictis pietatis operibus satisfacerent, Indulgentiam Plenariam consequerentur, utque monasterii praeses, vel alius Sacerdos a patre provinciali designandus, populo tunc temporis congregato, Summi Pontificis nomine, benedictionem impertiret.

Nullus ritus pro hac benedictione est praescriptus.

Nullus umquam ritus ad hanc rem peragendam praescriptus fuit; quae quidem extra Urbem solum contingit, cum Pontifex ipse Romae benedictionem populo elargiatur: etenim is ritus, qui Urbani VIII. praedecessoris nostri auctoritate probatus asseritur, atque post editos nonnullos Romanos Rituales typis impressus fuit, ad eam benedictionem, de qua verba facimus, minime pertinet; sed illam complectitur, quae, non pluries, non semel quolibet anno, sed aliqua urgente legitima causa, populis et agris tribui consuevit et pro qua certus Delegatus Apostolicus semper constituitur, qui Brevi Apostolico munitus, potestatem obtinet non solum benedicendi populo, sed illum quoque dissolvendi ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, interdicti, et a caeteris ecclesiasticis censuris ac poenis, si quas forte populus imprudens atque ignarus contraxerit,

Quamquam pro alia benedictione sit designatus.

etiamsi illae in Bulla *in Coena Domini* contineantur.

Forma, qua aliqui usi sunt, refertur.

Cum haec ita sint, tamen deprehendimus, quemdam ritum temere et inconsulto excogitatum esse pro supradicta prima benedictione pontificia invocativa, quae aut pluries aut semel datur quolibet anno. Quippe simplex Sacerdos in medio altaris collocatus, ministris circum adstantibus et sacris indumentis ornatis, trinam benedictionem populo impertit, et alia plura gerit, quae enumerare hoc loco supervacaneum existimamus.

Et quidem *benedictio super populum* solemnis est: eamque in quacumque Orbis terrae parte Romanus Pontifex elargiri potest: Episcopus autem in sua dioecesi et locis ipsius etiam exemptis: Archiepiscopus in sua provincia et locis eius exemptis, eamdem exercere valet potestatem. Id constat decreto Clementis V. in Viennensi Concilio, quod *in Clementina Archiepiscopo, de privilegiis,* recensetur. Porro abbatibus eiusdem benedictionis super populum tribuendae facultas conceditur in ecclesiis, quae ipsis plene subiiciuntur, modo tamen apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint: quo sane uti nequeunt, nisi postquam sacrum solemne, uti Vesperas in ecclesia peregerint: nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem privilegio declaretur, uti respondit Alexander IV. *in Cap. Abbates, de privilegiis, in sexto.*

Simplex sacerdos nequit populo benedicere.

Simplex ergo Sacerdos nequit benedictionem super populum elargiri, iuxta *Can. Ministrare 26, q. 6, benedictionem quoque super populum in ecclesia fundere, Presbytero penitus non licebit:* quod tamen eidem Sacerdoti modo permittitur, postquam divinum Missae Sacrificium absolvit. Dictum est, modo permitti: si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id Presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti nos ipsi certis documentis ostendimus *in nostro Tractatu de Sacrificio Missae sect. 1, num. 382,* qui primo Bononiae *anno* MDCCXL. typis editus fuit, ac *sect. 1, num. 391,* in eodem tractatu, qui deinde latine redditus publicam lucem iterum adspexit Patavii *an.* MDCCXLV.

Et solum potest in fine missae.

Licet olim contraria disciplina obtineret.

Etsi siquidem in usu semper fuerit, ut, re divina peracta, populus ab ecclesia benedictione dimitteretur, quemadmodum *in Can. Missas, de Consecratione, dist. 4* continetur; id tamen, non a Sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si praesens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero eius iussu praestabatur: quo sensu explicatur Decretalis *in Cap. Officium, de Officio Archipresbyteri,* ubi inter Archipresbyteralia muner arecensetur *benedictiones Presbyterales in ecclesia dare;* prout animadvertit Gonzalez *in idem Cap. Officium, n. 2,* idemque antea plane comprobaverat Saussy *in Panoplia Sacerdotali, pag. 558.*

Conc. Laudunen. hanc tribuit sacerdoti facultatem.

Quibus omnibus subsequens plurium saeculorum contraria praevaluit disciplina, quae Sacerdoti celebranti potestatem fecit benedictionem super populum in fine Missae effundendi, ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset *in Ritib. Laudunensis Ecclesiae par. 3, pag. 136, n. 9. At, cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat hodie, sine qua fas non est ab incepto sacro recedere, nec iure queat populus ante benedictionem ipsam egredi, ex praecitata Agatensi Synodo, quatenus integrae Missae non interesset quisquis praemature recederet; sequitur, facultatem cuilibet celebranti concessam esse, privatam illam benedictionem ad finem Missae populo ubique locorum impertire.* Idem inter Morales Scriptores commemorat Quartus *ad Rubricas Missalis p. 386, in dubiis conscientiae.*

Idem statuit textus qui allegatur.

In *Can. Ecce, dist. 95* haec leguntur: *Nemo hinc Episcoporum, invidia diabolicae tentationis inflatus, irascatur in templo, si presbyteri interdum exhortentur plebem, si in ecclesiis praedicent, si plebibus ut scriptum est, benedicant.* Si glossae fidem praestemus, illud *benedicere* declarat benedictionem, quae populo traditur a sacerdote, qui rem divinam perficit, nempe post ea verba: *Ite Missa est:* quam sane interpretationem nos minime respuimus, cum certum habeamus, eumdem textum Sancto Hieronymo non esse tribuendum: quod nonnulli falso putaverunt, quos merito redarguit Theophilus Raynaudus *Operum tom. 16, pag. 211;* sed incerto auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum benedictio in fine Missae inter benedictiones presbyterales iam haberetur, usque invaluisset, ut Sacerdos, peracto Missae sacrificio, populum benedictione *iure suo* dimittat, sive absit, sive intersit Episcopus: ea tamen statuta lege, ut, si intersit et in sua sit dioecesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem sacerdote praemittitur, si

Episcopus Missae intersit, sed extra suam dioecesim versetur, prout desumitur Rubricis Missalis *tit. de benedictione in fine Missae, et Evangelio Sancti Ioannis.*

Concluditur, quo tempore et loco possit sacerdos benedicere iure suo.

Cum iam perspectum sit, quo tempore et loco simplex Sacerdos populo possit *iure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam benedictionem super populum ab ipso impertiri licere, nisi *iure delegato.* Huius naturae est benedictio, de qua nunc agimus, quae per delegationem apostolicam cum unice concedatur, nostrum est omnino ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subiiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, sive mendicantes, sive non mendicantes, monasticos, vel clericorum regularium, quibus nos ipsi, vel praedecessores nostri, vel futuri Romani Pontifices, facultatem tribuendae populis benedictionis permiserint.

Hinc statuendus est ritus benedicendi, iure delegato.

Forma, quae praescribitur.

Admoneatur itaque populus de indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est ecclesia, de hora denique qua datur pontificia benedictio; et admonitio haec fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis: licet etenim id a praedecessore nostro Clemente Papa VIII. fuerit vetitum fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum et fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum, in communicatione indulgentiarum et orationum; uti habetur in eius constitutione, quae incipit *Cum ad uberes* § *5,* et in alia Constitutione *Decet Romanum Pontificem* § *6;* visum tamen nobis est, id esse hypothesi inapplicabile; cum, caeteris praetermissis praedicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, confratres, non autem populum universum, ut indulgentia et benedictio, de quibus agitur, complectatur.

Ritus atque actus benedicendi.

Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur apostolicae literae, seu decreta, quibus indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuncietur: populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur: post quae Sacerdos, nullis circumadstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus (ut in Rituali Romano praescribitur, cum agitur de benedictionibus, quae extra Missam presbyteris permittuntur) ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit coelum, et terram.*
℣. *Salvum fac populum tuum Domine.*
℟. *Et benedic haereditati tuae.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deinde stans, sequentem recitat Orationem.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi; dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulat, felicitatem et vitam consequuntur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.
℟. *Amen.*

Post quam ad cornu epistolae accedat, ut in actis Ecclesiae Mediolanensis *part. 4, benedicet in ecclesia ad altare, stans in cornu epistolae:* et stans in cornu epistolae, non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba.

Benedicat Vos Omnipotens Deus ✠ Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. ℟. *Amen.*

Trina benedictio non est danda.

Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non Sacerdoti: cumque nonnulli in fine Missae trinam usurpare coepissent, consuetudo Clementis VIII. auctoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hac mortali vita nuper defunctus *tom. I, pag. 243.* Id nos etiam advertimus *in nostro Tractatu de sacrificio Missae, sect. 1, locis supra indicatis.* In rubrica quoque Missalis haec habentur: *In Missa solemni celebrans eadem voce et modo, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit populo.* Insuper Caeremoniale Episcoporum trinam benedictionem ipsis solum tribuen-

dam decernit: quod eadem Missalis rubrica confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Caeremoniali habetur.* Postremo Alexander VII., decreto, quod *die* XXVII. *septembris* MDCLIX. edidit, tempora indicit ac recenset, quibus abbates usu pontificalium praediti, ritu solemni celebrantes, trinam benedictionem impertire possunt: quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt; quod nos ipsi indicavimus *nostra Institutione 14,* § *4, num. 19, tom. 2,* si Bononiensis editionis ratio habeatur, quae peracta fuit *anno* MDCCXXXV., sin autem easdem Institutiones in latinam linguam conversas, et Romae impressas *anno* MDCCXLVII. quis inspiciat, idem prorsus deprehendet *Institutione 34,* § *4 in fine pag. 147.* Quocirca non sine animi nostri voluptate epistolam legimus encyclicam Patris Generalis Coenobitarum Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, quibus in nostris apostolicis literis potestas facta est dandi in certis anni festivitatibus pontificiam benedictionem, in qua eosdem admonet, ut populo benedicant unico signo Crucis, more sacerdotali: quod ipsum si ab aliis etiam factum esset, querelae ad nos delatae non fuissent de usurpatis honoribus episcopalibus.

Praecipitur ne praemissa forma violetur.

Hac itaque epistola encyclica ritum statuimus ac declaramus, quo benedictio papalis in posterum tribuetur, eumque notum facimus Ordinum Regularium praesidibus, ut ipsum regularibus sibi subiectis observandum indicent. Equidem Alexander VII. praedecessor noster usum pontificalium abbatibus, quibus id privilegio convenit, accurate praescribens, ordinariis locorum facultatem concedit, ut, si quid contrarium abbates commisissent, ipsi tamquam Sedis Apostolicae Delegati rem cognoscerent et censuris etiam, si opus esset, omnem insolentiam compescerent. At nos aliam viam suscipiendam ducimus, praecipientes, ut de illis regularibus, qui praescriptum a nobis antea benedictionis ritum violaverint, nos statim certiores efficiant: tunc enim neque infensos invicem Episcopos et regulares reddemus, nec populis beneficium papalis benedictionis denegabimus; sed facultatem eiusdem benedictionis tribuendae parere recusantibus auferemus, eamdem largiemur aliis, qui iussa nostra facere non detrectabunt: qua in re futuros etiam Romanos Pontifices magnopere hortamur, ut idem exemplum sequantur. Postremo tibi et universo tuo Ordini benedictionem apostolicam impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. martii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XCVIII.

Declarat synodalem propositionem et commendationem pro novo Metropolita, quam Episcopi Rutheni regi Poloniae facere solent, regem non obstringere ad preces pro illo uno tantum instituendo Sedi Apostolicae deferendas (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ad dissidia, si qua in posterum emergere possent, opportune praecavenda, et ad omnia, procul amandatis partium studiis, rite sancteque componenda, supremas apostolicae nostrae providentiae auctoritatisque partes libenter conferimus, ut ubique gentium, iustitia et pace sese invicem osculantibus, catholica fides et ecclesiastica disciplina magis magisque confirmentur et augeantur.

Electio metropolitani a Ruthenis facta non est nisi dignioris praesentatio regi regni Poloniae, qui potest et alium commendare Pontifici.

Quoniam autem, venerabiles fratres, Antistites rutheni in florentissimo Poloniae regno, sicut accepimus, in ea possessione reperiuntur, ut post uniuscuiusque eiusdem ritus Metropolitani obitum in unum conveniant, et, meritis et virtutibus singulorum accuratissime expensis, unum eorum, quem ad defuncti Metropolitani vices obeundas magis idoneum in Domino existimaverint, proponendum, et illustri Poloniae regi pro tempore existenti commendandum statuant: hinc est quod nos auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, huiusmodi electionem Metropolitani ab ipsis ruthenis Antistitibus fieri solitam esse puram sinceramque propositionem eidem Poloniae regi pro tempore existenti faciendam de eo, quem iidem Antistites eligentes digniorem reputant; nec propterea laudatum quidem regem ita obstringi, ut supplices pro illo uno regiae maiestati proposito dumtaxat preces defe-

(1) Ex App. Bull. Pont. de Prop. Fide vol. II., pag. 135, coll. etc.

rat ad Romanum Pontificem pro tempore pariter existentem; sed liberum esse eidem regi, ut pro alio, quem ipse rex digniorem iudicaverit, supplicationes Romano Pontifici, ut praemittitur, porrigere possit et valeat.

Clausulae. Decernentes hanc nostram declarationem semper firmam, validam et efficacem existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, regique Poloniae pro tempore existenti in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, et Apostolicae Sedis Nuntios iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. aprilis MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

XCIX.

Firmat regulam Sedis Apostolicae de non concedendis dispensationibus matrimonialibus inter haereticos atque catholicos; enunciat quae sint conditiones requisitae in rarissimis, quae occurrant exceptionibus; Episcopos Poloniae docet quomodo se gerere debeant in hoc rerum genere.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Causa conscribendi hanc epistolam. Magnae nobis admirationis, nec minoris doloris causa fuit, quod ex fideli dignorum relatione certisque gravium virorum literis accepimus, falsam quamdam in isto Poloniae regno opinionem et famam invaluisse; quod scilicet ab hac Apostolica Sede, cui nos, licet immeriti, divina ordinatione praesidemus, aliquae dispensationes matrimoniales concessae et missae fuerint, et hactenus concedi et mitti soleant, quibus sublata sint impedimenta canonica matrimonio legitime aut valide ineundo obsistentia, licet contrahentium alter, vel etiam uterque, haereticam sectam aperte profiteatur. Quod quum nonnisi per iniuriam et intolerabilem calumniam excogitatum sit, atque disseminatum, apostolici ministerii nostri officio deesse nos arbitraremur, nisi vobis, venerabiles fratres, atque omnibus, ad quos hae literae nostrae perventurae sunt, testatum ac manifestum redderemus, quae sit in hoc rerum genere perpetua Apostolicae huius Sedis agendi regula et constans consuetudo; simulque vos omnes et singulos per istud Poloniae regnum, sua semper fide et religione commendatum, et ordinarios praesules constitutos, enixe admoneremus, et per misericordiam Dei obsecraremus, ut literas dispensationum matrimonialium, quae pro ipsius regni incolis ab hac Sede et Curia mittuntur, et ipsi attente legatis atque expendatis, et a vestris quique vicariis et officialibus accuratissime considerari iubeatis. Nos enim pro certo habemus, idque mox planum facturi sumus, si quid usquam in hac parte peccatum est, non id factum esse Apostolicae Sedis eiusque officialium culpa; verum aut Ordinariis locorum, aut eorum ministris, qui transmissas dispensationum literas nec legere, nec satis pensare curarunt, omnino tribuendam esse.

Quia videlicet falso assertum fuerat S. Sedem cum haereticis dispensare ad contrahendum matrimonium.

Idque falsum comprobatur.

Disciplina Ecclesiae Romanae circa matrimonia catholicorum in haereticis. Neque vero necesse habemus ea omnia in medium proferre, quibus luculenter demonstrari posset antiquitas eius disciplinae, qua semper Apostolica Sedes catholicorum in haereticis coniugia reprobavit. Sed aliqua dumtaxat afferre sat erit, quibus ostendamus, eamdem disciplinam ac regulam ad nostra usque tempora constanter servatam, apud nos et Apostolicam Sedem non minus integram vigere et religiose custodiri. Hoc est, quod de se ipso, suisque temporibus, testatus est felicis recordationis praedecessor noster Urbanus Papa VIII. in suis literis apostolicis datis die XXX. mensis decembris anni MDCXXIV. quae leguntur apud Cardinalem Albitium in libro, cui titulus *De inconstantia in fide, c. 37, n. 127,* ubi ita scribit: *Licet probe teneamus catholicorum cum haereticis matrimonia omnino fugienda esse, et quantum in nobis est, a Catholica Ecclesia procul arcere intendamus.* Nec minus aperte sententiam suam declaravit piae memoriae praedecessor pariter noster Clemens Papa XI. in literis die XXV. iunii anni MDCCVI. datis, et editis in collectione ipsius brevium et epistolarum Romae vul-

gata anno MDCCXXIV., ubi *p. 321* sic legitur: *Maioris momenti esse existimamus, Ecclesiae Dei, Apostolicae Sedis, praedecessorum nostrorum et sacrorum, a catholicorum cum haereticis coniugio abhorrentium, regulas, nisi id totius christianae reipublicae bonum exposcat, non transgredi,* et in aliis literis datis die XXIII. iulii anni MDCCVII. in eadem collectione relatis, *pag. 391. Ecclesia siquidem ab huiusmodi coniugiis, quae plurimum deformitatis, nec parum spiritualis periculi praeseferunt, abhorret.*

Pont. quoque haec matrimonia evitanda iniunxit.

Sed et nostrum hac de re iudicium satis patere arbitramur ex decretali rescripto auctoritate nostra edito, die IV. novembris anni MDCCXLI., et impresso *tomo I. bullarii nostri, n. XXXIV.,* § *3,* cuius verba sunt, quae sequuntur: *Dolens in primis quammaxime Sanctitas Sua, eos esse inter catholicos, qui insano amore turpiter dementari, ab hisce detestabilibus connubiis, quae Sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit, atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum Antistitum, qui severioribus propositis spiritualibus poenis, catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo se se haereticis coniungant, Episcopos omnes et Vicarios Apostolicos, parochos, missionarios et alios quoscumque Dei et Ecclesiae fideles ministros in iis partibus, Hollandiae videlicet, et Belgii, degentes, serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem adeundis, quantum possint, absterreant, easdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire satagant;* et quae paulo post subiecta sunt, ubi de iam contracto catholicae partis cum altera haeretica connubio haec habentur: *Id vero debere sibi potissime in animum inducere coniugem catholicum sive virum sive feminam, ut pro gravissimo scelere, quod admisit, poenitentiam agat, ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide aberrantem ad gremium Catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari; quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de caetero, ut mox dictum est, se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.*

Nec conceduntur dispensationes nisi cum clausula: Abiurata prius haeresi.

His autem veluti fundamentalibus Apostolicae Sedis regulis, eiusdem agendi ratio constanti usu recepta apprime respondet. Nam quoties ipsam adiri contingit, sive pro obtinenda simplici facultate contrahendi matrimonium inter personas, quarum altera haeresim profitetur; sive praeterea pro obtinenda simul dispensatione super aliquo gradu, aliove canonico impedimento, quod inter contrahentes intercedat; neque licentia, neque dispensatio conceditur, nisi hac expressa lege seu conditione adiecta, nimirum *abiurata prius haeresi.* Quin etiam recolendae memoriae praedecessor noster Innocentius Papa X. ulterius progrediens, iussit et cavit, ne dispensationes huiusmodi omnino concederentur, nisi per authentica documenta prius doctum esset, haereticam labem a contrahente heterodoxo eiuratam fuisse; quod testatum reliquit laudatus Cardinalis Albitius Congregationis Universalis Inquisitionis tunc temporis assessor, in supracitato tractatu *De inconstantia in fide, cap. 18, num. 44.* Praefatus vero praedecessor Clemens XI. in Congregatione Sancti Officii, coram se habita die XVI. iunii anni MDCCX., mandavit inhiberi per literas Archiepiscopo Mechliniensi, ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter contrahentem catholicum, et alterum haereticum celebrandis, nisi, abiuratio haeresis reipsa praecessisset; theologos autem, qui contra huiusmodi praxim opinati fuerant, acriter admonendos decrevit, quemadmodum memoriae prodidit bonae memoriae Vincentius huius Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Petra nuncupatus in suo commentario ad constitutionem XII. Ioannis XXII. ipsius operis *tom. 4, pag. 76, num. 14.*

Contraria exempla rarissima et cum gravi causa.

Quod si nonnulla eveniantur exempla Romanorum Pontificum, qui aut licentiam contrahendi matrimonium, aut etiam dispensationem super impedimento aliquo concesserunt, non adiecta conditione de abiuranda prius haeresi; rarissimas primum omnium dicimus huiusmodi concessiones fuisse, et quidem plerasque earum pro matrimoniis inter supremos principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa, eaque ad publicum bonum pertinente, factas fuisse; insuper adiectas semper fuisse opportunas cautelas, tum ne coniux catholicus ab haeretico perverti posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; tum etiam, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio

Cautelae in hisce casibus adhibitae.

procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Deinde vero facile est agnoscere, in istiusmodi concessionum genere nullum errandi locum executoribus suppetere, nisi ipsi aliqua in re scienter, et data opera, officio deesse velint. Denique ex hactenus dictis aperte constat, in omnibus casibus quibus facultates aut dispensationes ab Apostolica Sede petantur pro matrimoniis a catholico viro aut muliere, cum haeretica femina aut viro contrahendis; eamdem Apostolicam Sedem, ut supra diximus, huiusmodi matrimonia, nisi haeresis abiuratio praecedat, et semper improbasse ac damnasse, et nunc quoque abominari ac detestari.

In casibus dubiis, non solum certus executor designatur.

Quoties vero dispensationes ex aliqua probabili causa petunt pro matrimoniis, quae quidem inter haereticos sunt contrahenda, sed id nequaquam in precibus palam exponitur; quum nequeant Apostolicae Sedis ministri atque officiales hoc divinando rescire; ad obstruenda obloquentium et calumniantium ora, hoc innuisse sufficeret, quod nulla conceditur dispensatio, quae alicui certo executori directa non sit, cui nimirum in mandatis datur, ut de omnium expositorum veritate cognoscat, et dispensationem ipsam servatis servandis effectum sortiri faciat; cumque huic ignorare non liceat, matrimonia catholicorum cum haereticis ab Apostolica Sede improbari et damnari, facile vero cognoscere valeat haeresis vitium, quo contrahentium alter inficitur, et de quo nulla habetur mentio in literis dispensationis, eidem Apostolicae Sedi occultatum fuisse; ad eius officium pertinet huiusmodi literarum exequutionem suspendere, eiusque suspensionis causam Romano Pontifici, eiusve officialibus, ea, qua decet, reverentia per literas aperire; quemadmodum praedecessor quondam noster Alexander Papa III., Ravennae Archiepiscopo faciendum praescripsit in suis literis, quae ad perpetuum vigorem in decretalium codicem relatae sunt *cap. Si quando de Rescriptis;* ubi sic legitur: *Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.*

Qui concedentis mentem ignorare nequit.

Sed ulterius apponitur conditio, dummodo orthodoxae fidei cultores sint etc.

Verum non hic sistit Apostolicae Sedis, eiusque officialium circumspectio. Si enim dispensatio, quae pro removendo alicuius matrimonii canonico impedimento ex aliqua rationabili causa petitur, ad eiusmodi regiones pertinere dignoscatur, in quibus catholici cum haereticis mixti habitant; nec aliunde certo constet utrumque postulantem, seu eorum alterum, catholicae religionis professorem existere: praefati officiales Pontificis mentem probe callentes, postulantem utrumque catholicum esse semper praesumunt; ideoque eorum preces in libello (*Supplicationem* appellant) Pontificis manum obsignando his verbis exponunt: *Cupiunt oratores praefati, qui orthodoxae fidei cultores vere existunt, et sub obedientia S. R. E. vivunt, vivereque et mori intendunt etc.,* quibus consonant alia verba, quae in parte conditionali ad maiorem cautelam apponuntur, nimirum: *Et dummodo oratores praefati orthodoxae fidei cultores vere existant, et sub obedientia S. R. E. vivant, vivereque et mori intendant.*

Eius conditionis lex non sine executoris culpa violatur.

Quibus praenotatis, iam id iure optimo quaerimus: quum literae dispensationum matrimonialium eiusmodi verbis conceptae, eoque tenore expeditae fuerint; si postmodum innotescat contrahentes haereticos esse, vel unum eorum catholicum alium vero haereticum, et nihilominus dispensatio executioni mandetur; cuius erit culpa, et quisnam dispensationis in indigno profusae iure accusari poterit? An is, qui bona fide, et opportunis cautelis adhibitis, adiectisque legitimis conditionibus, illam concessit; an vero is, qui, nulla conditionum huiusmodi ratione habita, aut nulla de contrahentibus disquisitione praemissa, dispensationem ipsam, contra concedentis voluntatem, indebitum effectum habere permisit?

Obiectum de declaratoria pro impubere refellitur.

At dicet aliquis, non omnes dispensationum literas istiusmodi clausulis munitas semper expediri; quum et in ipsum Poloniae regnum, paucis ab hinc annis, quaedam dispensatio ab urbe missa fuerit, quae nullam huius generis appositam conditionem praeseferebat. Huius facti speciem, quam nos animo praesentem retinemus, non abs re erit hic explanare. Dispensatio erat super aetate, favore cuiusdam puellae, quae sex mensibus minor erat duodennio, quod est in feminis legitimum aetatis tempus ad matrimonium ineundum. In eius autem concessione expositum fuit, quod *malitia ita supplebat aetatem, ut de iure matrimonium contrahere posset.* Quapro-

pter declaratoria haec potius dicenda erat, quam dispensatio; quum facultas contrahendi matrimonium ante praescriptum aetatis tempus, quoties malitia supplet aetatem, ab ipsa legum et canonum dispositione proveniat. Quin immo Episcopi ipsi, et Ordinarii locorum, iure suo pronunciare possunt super ea quaestione, quae facti est; an scilicet malitia, ut asseritur, aetatem suppleat; et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valeant; neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro maiori actus solemnitate; et *ne de contractus matrimonii huiusmodi validitate propter minorem aetatem haesitari contingat,* ut habet formula, quae in concipiendis literis declaratoriis super minori aetate adhiberi consuevit. Siquidem canonistae docent, cumulativum ius esse inter Apostolicam Sedem et iudices ordinarios, cognoscendi et pronunciandi de hac re, an scilicet malitia suppleat aetatem; privativum vero Apostolicae Sedis ius esse concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum coniugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem matrimonii, quemadmodum rationis usus requiritur de iure naturali et divino, ita actualis ad coniugalem copulam potentia requiritur de iure positivo canonico. Romanus autem Pontifex est supra ius canonicum; at quilibet Episcopus de iure inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit.

Clausulae appositae in dicta declaratoria.

Verum, omissa etiam quaestione hac, an licentia contrahendi matrimonium ante legitimum aetatis tempus, quando malitia supplet aetatem, dispensationis proprie dictae an potius declaratoriae vim habeat; adeoque utrum gratiae an iustitiae actibus accenseri debeat; videndum praeterea est, an in apostolicis literis super hac concessis, quamvis ea verba, eaeque conditiones minime legantur, quae in aliis dispensationibus apponi solent, alia tamen adsint aequipollentia verba, quorum vigore huiusmodi literarum executor deputatus (ubi contrahentium alterum, seu ambos, haeresis labe infectos esse, neque id concedenti narratum in precibus, nec alia via eidem compertum fuisse, cognoverit) ab earum exequutione abstinere se debeat. De hoc autem dubitari non poterit, si advertatur, quod postquam in huiusmodi literis executori demandatum fuit, ut *se de permissis diligenter informet,* ac videat, *an vere et legitime constet, in huiusmodi impubere malitiam supplere defectum aetatis;* eidem committitur, ut postulanti permittat, *dummodo nullum aliud ei obstet canonicum impedimentum, matrimonium cum aliquo viro nullo sibi iure prohibito, vel ex dispensatione apostolica permisso, servata forma Concilii Tridentini, contrahere;* quibus sane verbis executori ea lex indicitur, ut minime sinat huiusmodi impuberem dispensationis seu declaratoriae effectu gaudere; si exploratum habuerit, ipsi in animo esse detestabiles cum haeretico nuptias contrahere.

Valde interest S. Sedi, ut falsi rumores dissipentur.

Iam vero longius processit oratio nostra, quam nobis huius epistolae initio propositum fuerat; cuius rei tamen nos minime poenitet; nobis enim summopere cordi est, maximeque interest catholicae religionis et Sedis Apostolicae, ut factorum rerumque veritas non ignoretur; neque falsi rumores adversus Sacram Petri Cathedram disseminati fidem inveniant; si quae autem contra sacros canones ullibi inordinate geruntur, eorum culpa in immeritos nequaquam transferatur.

Hortatoria ad Ordinarios pro caute inspiciendis, et exequendis literis dispensationum.

Ut autem eo redeat epistolae nostrae finis, unde eadem initium desumpsit; tibi, venerabilis frater, caeterisque istius regni ordinariis praesulibus, iterum enixe commendamus, ut apostolicas dispensationum literas, quae vobis pro exequutione diriguntur, et a vestris respective officialibus, attente considerari iubeatis; neque etiam superfluum existimetis, si quid in ipsis abnorme, ac novi exempli adesse videatur, de earum veritate aut falsitate disquirere. Multa enim malitia hominum est super terram, nec nobis rescire datum est, usque quo pertingere valeat falsariorum audacia. Porro ad aures nostras pervenit, quemdam fuisse, qui, sublato gradus impedimento, haereticum virum cum muliere catholica matrimonio coniunxerit; cumque deinceps factum suum reprehendi comperisset, non dubitarit asserere, se hac in re apostolicae dispensationis, quam ab urbe accepisset, auctoritate munitum fuisse; quum vero ad producendas huiusmodi dispensationis literas provocaretur, eas numquam edere potuerit, quia eas reipsa nunquam acceperat. Verum nos, de inclyta Polonorum natione, quam paternae charitatis affectu complectimur, deque sacris istius regni praesulibus, quos omnes et singulos magno in honore habemus, favorabilius iudicantes, impro-

bum huiusmodi scelus nequaquam isthic admissum fuisse credimus. Tibi autem, venerabilis frater, gregique tibi commisso, Apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXIX. mensis iunii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII. (1).

C.

Expositis vicibus, quibus obnoxia fuit institutio Ioannis Victorii de Rubeis in ecclesia S. M. de Rosario et Febri in Monte Mario, decretum S. Cong. de P. F. confirmat de seminario missionariorum Ordinis Praedicatorum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

Ecclesiae catholicae regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad maiorem Dei gloriam ac religionis piorumque operum incrementum et propagationem, provide emanasse noscuntur, ut firma semper ac stabilia persistant, apostolici muniminis, cum id a nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus.

Testamentum Io. Victorii de Rubeis favore fratrum S. Petri de Pisis.

Alias siquidem, pro parte tunc existentium Vicarii generalis et fratrum congregationis Sancti Marci Florentin. provinciae Romanae Ordinis Praedicatorum, felicis record. Clementi Papae XI. praedecessori nostro exposito, quod dudum tunc in humanis agens Ioannes Victorius de Rubeis in suo, sub quo ab humanis decessit, die XXI. decembris ann. MDCXLVI. condito testamento, Ordinem fratrum Sancti Hieronymi congregationis Beati Petri de Pisis haeredem instituerat ac voluerat, ut extra portam angelicam almae urbis nostrae, in loco, qui ad crucem Montis Marii vocatur, in quo

Conditiones ipsis iniunctae.

quaedam ecclesia sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Rosario et Febri nuncupata, constructa reperiebatur, novus conventus secundo dicti Ordinis et Congregationis, ac mansiones ad usum illius fratrum, qui perfectioris vitae studio ducti sese illuc recipere voluissent, aedificarentur, dictique fratres in ecclesia huiusmodi divina officia celebrare deberent; ac declaraverat, tot ex dictis fratribus ibidem permanere debere, quot ex fructibus suae haereditatis, assignatis eorum cuilibet quotannis quinquaginta scutis monetae ab omni expensa in ecclesia praefata facienda liberis, ali potuissent; adiecta, inter alias, conditione (quia praevidebat, nonnisi sex fratres ex fructibus haereditatis huiusmodi in hoc novo conventu ali potuisse) quod praedicti fratres ea super re necessarias literas apostolicas derogatorias infra sex menses tunc decurrendos obtinere curarent: et in eventum, quo illas minime obtinuissent,

Substitutio favore presbyterorum saecularium.

sex presbyteros saeculares a se nominatos dicto Ordini substituerat cum eodem onere celebrationis divinorum officiorum, ac pari assignatione quinquaginta scutorum similium cuilibet ex dictis sex presbyteris saecularibus, quot ex huiusmodi fructibus ali potuissent, annuatim persolvendorum, et cum libera facultate, ut quilibet ex presbyteris praefatis successorem sibi in perpe-

Alia substitutio favore congregat. Assumptionis Beatae Mariae Virginis in domo professa Soc. Iesu.

tuum eligere valeret: ac demum tam dictis fratribus, quam presbyteris saecularibus in adimplemento alicuius conditionis, seu rerum ab ipso Ioanne Victorio testatore iniunctarum deficientibus, confratres pro tempore existentes congregationis sub titulo Assumptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae in domo professa de eadem urbe clericorum saecularium Societatis Iesu canonice erectae ad dictam suam haereditatem vocaverat, et alias, prout in dicto testamento uberius asserebatur contineri.

Ipsi vero fratres cum intra praefixum sibi tempus memoratas literas apostolicas non obtinuissent, dictique presbyteri saeculares se ad haereditatem, et ecclesiam huiusmodi admitti contenderent post dispendiosam duodecim annorum litem, eosdem presbyteros ad illam per concordiam admiserunt, facta anno MDCLVI. cuicumque suo praetenso iuri ad favorem eorumdem presbyterorum, illorumque successorum, plena renunciatione.

Lites exortae.

Porro subinde, nempe anno MDCLXXXVII., tres tunc existentes ecclesiae supradictae presbyteri caeteros suos collegas, uno dumtaxat dissentiente excepto, induxerant ad similem renunciationem faciendam in favorem congregationis Piorum Operariorum

---

(1) Vide inferius *Christina Mascasi.*

nuncupatorum civitatis Neapolitanae, qui, cum usque ad annum MDCXCIII. ecclesiam haereditatemque possedissent, agnoscentes deinde se eas minime legitime possidere, post diuturnam litem cum tunc existentibus confratribus praefatis agitatam, similiter per concordiam, ecclesiam et haereditatem huiusmodi dimittere coacti fuerunt; ideoque dicti confratres locum tandem successioni in dicta haereditate ad eorum favorem factum esse existimantes, litem etiam contra memoratos presbyteros saeculares, qui dicto anno MDCLXXXVII. ecclesiae et haereditatis praefatarum possessores fuerant, coram tunc existentibus cappellanis causarum palatii apostolici auditoribus moverunt: verum per primam decisionem anno MDCXCVI. ab eisdem cappellanis exclusi, motae liti huiusmodi ad favorem presbyterorum praefatorum, quorum plerique adhuc superstites existebant, pariter per concordiam renunciaverunt.

Demum etiam alia tunc existens congregatio sub invocatione Sancti Iosephi in ecclesia Sancti Pantaleonis ad Montes nuncupata de eadem Urbe instituta, cum anno MDCCIV. super tribus dubiis litem praetensi iuris ad eiusmodi ecclesiam et haereditatem contra tunc in humanis agentes Hieronymum Berti et Ioannem Masserotti presbyteros saeculares illarum possessores, in Congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium et Romanae Curiae praelatorum, super negotiis Visitationis Apostolicae ecclesiarum et locorum piorum de Urbe, praefata auctoritate apostolica instituta, similiter movisset, die VIII. maii eiusdem anni omnium votis super singulis dictorum dubiorum penitus exclusa remansit, nec umquam novam audientiam, pluries licet petitam, obtinuit; quinimo sententia tunc existentis generalis causarum Curiae Camerae Apostolicae auditoris super executione decretorum dictae congregationis Cardinalium et praelatorum ad favorem memoratorum Hieronymi et Ioannis presbyterorum possessorum emanavit.

Cessio presbyterorum saecularium favore PP. Praedicatorum congregationis S. Marci.

Et in eadem expositione subiuncto, quod propter praedictas aliasque dispendiosas lites ac temporum calamitates malamque dictae haereditatis administrationem, tempore praesertim defunctorum illius possessorum presbyterorum saecularium, Ecclesia praefata, eiusque facies et quatuor cappellae operis omnino rustici reperiebantur, illiusque Tholus et Hypetrum imbribus pervia celeri reparatione indigebant, nec non murus corruerat, aliusque similis et quidem scaphus grandior, et alia aedificia ruinae proxima erant, quodque magis dolendum erat, annui dictae haereditatis redditus eatenus ad medietatem diminuti existebant, itaut, cum antea sex presbyteri ex dictis redditibus alerentur, tunc tres tantum de hac reliqua illorum medietate, licet alius presbyter partem etiam in ea praetenderet, participarent, adeoque ibi cultus divinus iuxta piam dicti Ioannis Victorii testatoris mentem adimpletus minime fuisset, nec, attento praesertim, quod tunc unus tantum presbyter ibidem resideret, adimpleri posse videretur; ac propterea dicti Hieronymus et Ioannes, duo tunc ex dictis tribus eiusmodi ecclesiae et haereditatis possessoribus presbyteris, habito alias, de ipsius Clementis praedecessoris licentia, super hoc cum Vicario generali et fratribus primodictae congregationis tractatu, die XXII. augusti MDCCIX, dictam haereditatem cum omnibus illius redditibus et pertinentiis, reservato tamen sibi, quoad vixissent usu cellarum seu mansionum dictae ecclesiae annexarum, quibus tunc gaudebant, et dummodo ad id eiusdem Clementis praedecessoris et Sedis Apostolicae beneplacitum accessisset, ad favorem fratrum primodictae congregationis S. Marci, quantum ad eos spectabat, cesserunt et renuntiaverunt; ipsi vero exponentes, qui, ut asserebant, nullum in dicta urbe, seu prope illam, pro negotiis suis agendis hospitium et diversorium habebant, si dicta ecclesia cum illius redditibus et mansionibus sibi ac dictae eorum congregationi ab eodem Clemente praedecessore concederetur, praefato usu mansionum dictis Hieronymo et Ioanni, titulo hospitii, quoad vixissent, relicto, a die habitae possessionis loci, seu ecclesiae huiusmodi, omniumque illius pertinentiarum, tunc pariter in humanis agenti Francisco de Sanctis, qui una cum dictis Hieronymo et Ioanne tertius ecclesiae et haereditatis praefatae possessor presbyter existebat, et eatenus cessioni huiusmodi minime consenserat, quinquaginta scuta paria, quot scilicet dictus Ioannes Victorius testator singulis presbyteris, sicut praemittitur, assignaverat, illius vita naturali durante, ex praedictis redditibus annuatim solvere; ac etiam tunc in humanis itidem agenti Ioanni Baptistae Perotti, qui, uti quartus presbyter, ius etiam ad illos praetendebat (id, quod ipsi Clementi praedecessori, considerata praefata Ioannis

Victorii testatoris praedicti dispositione, iustum visum fuisset) ex eisdem redditibus quotannis ad eius pariter vitam praestare; rebusque ita compositis, duos in sacro presbyteratus ordine constitutos, et duos laicos fratres expresse professos primodicti Ordinis ad dictam ecclesiam mittere, ibique collocare; ac deinde conventum formalem, et seminarium religiosorum missionariorum usque ad numerum sex religiosorum huiusmodi, ad maiorem Dei gloriam divinique cultus incrementum et catholicae fidei propagationem, modo et tempore ipsis praescribendo, quantum in ipsis esset, adiuvante Domino, instituere paratos esse offerebant; sibique propterea in praemissis opportune ab eodem Clemente praedecessore provideri, et ut infra indulgeri summopere desiderabant.

Approbatio Clementis Papae VI. sub nonnullis conditionibus.

Idem Clemens praedecessor sacrarum missionum incrementum promovere volens, huiusmodi supplicationibus inclinatus, per quasdam suas in simili forma brevis die III. februarii anni MDCCX. expeditas literas, tunc existenti suo in eadem Urbe Vicario in spiritualibus generali, seu illius Vicesgerenti, commisit et mandavit, ut, veris existentibus narratis, et accedente consensu dictorum Hieronymi et Ioannis, nec non exhibita sibi valida et authentica illorum renunciatione cuicumque iuri, quod in dicta ecclesia illiusque aedificiis et redditibus, ac perceptione emolumentorum habere poterant, facultas illis dumtaxat habitandi in cellis praefatis (quatenus tamen tot aliae cellae superessent, in quibus infrascripti religiosi habitare possent) reservata, ut praefertur; non obstante praefatorum Francisci et Ioannis Baptistae, quibus ut infra provisum fuerat, dissensu, et quatenus ipsi ad praestandum consensum a se requisitum cum assignatione termini competentis, dissentirent, vel non consentirent; eamdem ecclesiam cum omnibus illius aedificiis, iuribus, pertinentiis et introitibus universis, praefatae congregationi Sancti Marci, quatenus tamen prius ad sex professores ipsius congregationis in sacro presbyteratus ordine constitutos, qui intra septa dictae ecclesiae degerent et ecclesiasticis functionibus ibi exercendis iuxta proprium institutum addicti essent, simulque dicti Ioannis Victorii testatoris voluntatem in ea parte, quae cultum ecclesiae et bonum spirituale christifidelium respiciebat, adimplerent, nec non ad munus missionariorum explendum et catholicam fidem propagandam idonei existerent, intra sexennium a die executionis gratiae computandum, ex dictae ecclesiae et propriis ipsius congregationis redditibus perpetuo sustentandos, in forma valida se obligaret; ita ut conventus, inibi ante dictis exennii lapsum erigendus, esset seminarium missionariorum, qui mandatis Congregationis tunc et pro tempore existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum semper obtemperare deberent.

Idem Pontifex seminarium missionariorum erigi mandat intra sexennium sub dependentia a Sacra Congregat. Propag. Fidei.

Interim vero, et statim ac literae praefatae executioni demandatae fuissent, unum laicum et tres fratres expresse professos in sacro presbyteratus ordine constitutos congregationis et Ordinis praefati, qui memorati Ioannis Victorii testatoris voluntati cultum ecclesiae et bonum spirituale christifidelium concernenti obsequi deberent, intra septa ecclesiae huiusmodi dicto sexennio durante ex eisdem redditibus etiam sustentare promitteret, auctoritate apostolica concederet et assignaret: quatenus vero primodicta fratrum praefatorum congregatio conditionibus praedictis intra tempus sibi, sicut praemittitur, a se praefigendum non pareret, eam quocumque iure, quod de huiusmodi gratia sibi acquisitum fuisse praetendere potuisset, perinde ac si illa concessa non fuisset, omnino carere dicta auctoritate declararet.

Poena caducitatis inflicta.

Porro congregationem fratrum huiusmodi ad quinquaginta scuta monetae dicto Francisco, quoad vixisset, vel aliter de aequivalenti rata, ei ab eodem Clemente praedecessore provisum fuisset, quotannis ex redditibus dictae ecclesiae, a die, quo possessionem bonorum eiusdem ecclesiae acquisivisset, et non antea, subministranda teneri, ac, pro subministratione praefata, bona ipsius ecclesiae ad illorum favorem obligata atque hypothecata remanere, eadem auctoritate decerneret.

Prorogationes dicti sexennii a Clem. XI. concessae.

Et subinde pro parte tunc pariter existentium fratrum primodictae congregationis denuo eidem Clementi praedecessori exposito, quod literae praefatae iuxta earum seriem et tenorem executioni demandatae fuerant: inter vero conditiones, seu leges in ipsis literis praescriptas eidem congregationi S. Marci, post absolutum sex annorum cursum, onus sustentandi sex fratres presbyteros ad munus missionariorum explendum idoneos cum esset iniunctum; et ipsi exponentes a die, quo ecclesiae praefatae illiusque bonorum possessionem ap-

prehenderant, ea, qua par fuisset, diligentia et studio, illa, quae multorum annorum spatio neglecta fuerant, nonnullas fabricae partes ruinam minantes nedum reparando, sed etiam alias habitationes pro necessaria eiusdem conventus commoditate augendo, et in bonum statum redigendo, ac insuper cum fabrica praefata ob terreni deficientiam et muri fracturam in totum collaberetur, quamdam ecclesiam exteriorem cum muris primariis nondum absolutam, quae commoditati amploque ingressui non solum in ecclesiam et conventum praefatos, sed etiam fulcimento totius fabricae superioris, quibus illi innitebantur, inservire valeret, confici; et interea, ne sustentatio pro dictis sex religiosis deficeret, terrenis culturam adhiberi, eaque meliorari, nec non alia denuo acquiri curassent; nec id pro sustentandis sex religiosis praefatis eatenus sufficiens esset; propterea terminum sex annorum huiusmodi sibi, sicut praemittitur, praefixum, qui brevi expiraturus erat, ad aliud sibi benevisum tempus prorogari plurimum desiderabant.

Idem Clemens praedecessor tunc etiam existenti in dicta urbe Vicesgerenti mandavit, ut exponentibus praefatis terminum sex annorum huiusmodi eis ad sustentandos sex religiosos ad huiusmodi munus missionariorum explendum et catholicam fidem propagandam idoneos praefixum, ut praefertur, ad alios quatuor annos a fine dictorum sex annorum computandos prorogaret.

Et successive pro parte fratrum memoratae congregationis Sancti Marci, eidem Clementi praedecessori itidem exposito, quod quadriennii huiusmodi finis imminebat, ipsi vero cellas et officinas pro magistrorum ac superiorum eorumdem missionariorum et laicorum seu conversorum commoditate necessarias in dicto conventu aedificare eatenus nequiverant, tametsi in id omne studium adhibuissent; praefatus Clemens praedecessor sex annos huiusmodi primum concessos, et deinde ad alios quatuor annos prorogatos, ut praefertur, ad aliud quadriennium a fine quatuor annorum prorogatorum numerandum prorogari iterum mandavit.

Aliae prorogationes concessae a Benedicto Papa XIII.

Ac postmodum pro parte eorumdem fratrum fel. record. Benedicto Papae XIII. praedecessori nostro exposito, quod, cum terminus quatuor annorum ultimo loco ab eodem Clemente praedecessore prorogatus iam expirasset, eaedem vero causae etiam tunc durarent, dictus Benedictus praedecessor tunc etiam in eadem Urbe Vicesgerenti, ut eisdem exponentibus sex annos praefatos ad sustentandos et retinendos sex religiosos ad munus missionariorum huiusmodi explendum catholicamque fidem propagandam idoneos, a supradicto Clemente praedecessore concessos, et successive bis ad quatuor annos pro qualibet vice prorogatos, ut praefertur, donec acquisivissent bona, quorum annui redditus sufficerent pro omnibus supradictis adimplendis, servata caeteroquin supradictarum Clementis praedecessoris literarum forma et dispositione, prorogaret pariter ac extenderet et ampliaret, et alias prout in memoratis Clementis et Benedicti praedecessorum literis, quarum omnium tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Fratres congregationis S. Marci paratos se exhibent literas Clementis Papae XI. exequi.

Cum autem, sicut pro parte venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum nobis nuper expositum fuit, quod propter supra expressas rationes aliasque difficultates, quae interea temporis intervenerunt, dispositio in primodictis eiusdem Clementis praedecessoris literis contenta adhuc executioni demandata minime fuerit; dilecti vero filii moderni vicarius generalis ac fratres primodictae congregationis, accedente etiam consensu magistri generalis Ordinis praefati, memoratas primo loco expeditas Clementis praedecessoris praefati literas in omnibus suis numeris, iuxta modum pro maiori literarum praefatarum faciliori executione a memorata Cardinalium Congregatione praescriptum, infra terminum praefinitum iuxta eiusdem Cardinalium Congregationis decretum die VII. augusti anni proxime praeteriti, referente dilecto filio nostro Prospero eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Diacono Cardinali Columna nuncupato, editum, cuius tenorem etiam praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur, literas praefatas debitae executioni demandari intendant, ac ad id paratos sese obtulerint; ac proinde Cardinales Congregationis huiusmodi nobis supplicaverint, ut vicario generali et fratribus praefatis in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Sac. Congregatio Prop. Fidei modum et terminum praefinit.

Nos igitur, vicarium generalem et fratres praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singula-

res personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, primodictas Clementis praedecessoris literas, nec non memoratae Congregationis Cardinalium decretum, cum omnibus et singulis in illis et illo contentis, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Pontifex Clementis XI. literas atque dictae congregationis decretum confirmat.

Qualitates alumnorum eligendorum.

Praeterea, ut missionariorum munus, quod vere apostolicum est, per viros undequaque idoneos omni cura et fervore, et cum animarum Christi Sanguine redemptarum fructu, exerceatur, dicta auctoritate volumus, praecipimus et mandamus, ut Vicarius generalis pro tempore existens primodictae congregationis Sancti Marci, sive, illo absente, is, qui eius vices pro tempore gerit, nonnisi alumnos professoresque dictae suae congregationis regulari disciplina, probitate morum, et religionis ac Dei gloriae zelo praeditos, et ad animarum salutem eximia charitate accensos eligat, quique philosophiae ac theologiae studia laudabiliter expleverint, aut saltem in morali theologia sint bene versati; utque validius labores missionum sustinere possint, non minores sint vigintiquinque annis, nec maiores trigintaquinque, ac robusta corporis valetudine gaudeant; illosque ex tota sua congregatione accersere curet; moneatque insuper locales conventuum congregationis huiusmodi superiores, aliosque, si opus fuerit, illius fratres, ne accedere volentes ullo modo retrahant, ac contra tales dissuadentes, maleque consulentes, comminetur poenas privationis vocis activae et passivae, aliasque arbitrio memoratae Cardinalium congregationis imponendas.

Alumnorum qualis esse debeat aetas.

Poena contra dissuadentes accedere ad seminarium.

Unde assumendi sint alumni.

Quod si vero non semper haberi possint ex dicta Sancti Marci congregatione sex professores ad munus huiusmodi explendum idonei, et praescriptis volitisque qualitatibus praediti; volumus itidem, ut, quoties id acciderit, assumantur ex alia dicti Ordinis congregatione Sanctae Sabinae, iisque similiter deficientibus, vocentur ex alia beati Iacobi Salamonii Venetiarum congregatione, ac denique ex universo fratrum praedictorum Ordine; ita tamen, ut quicumque professores cuiuscumque ex memoratis congregationibus et Ordine, dum in seminario praefato permanserint, sese conformare debeant quoad victum et habitum et quoad reliqua regularem disciplinam concernentia, usibus et observantiis praefatae congregationis Sancti Marci.

Exercitia spiritualia in ingressu a singulis peragenda.

In ipso ingressu in seminarium huiusmodi faciendo, singuli exercitia spiritualia peragant per decem aut octo dies, cum omne datum optimum et omne donum perfectum desursum sit descendens a Patre luminum: illisque absolutis, in manibus praefati Vicarii generalis aut, eo absente, alterius ab eo deputati et deputandi iuramentum iuxta infrascriptam formulam praestent, illudque, postquam sic praestitum fuerit, ad eamdem Cardinalium Congregationem transmittatur. Formula autem iuramenti haec est: *Ego frater N. professus in conventu N. congregationis S. Marci Florentiae Ordinis Praedicatorum iuro et promitto in manibus paternitatis vestrae N., sive superioris delegati, me ab hoc seminario non discessurum, neque discedere procuraturum mediate vel immediate per me vel interpositam personam, nisi ex legitima causa a paternitate vestra, vel a vestris successoribus canonice intrantibus, et non alias, admittenda. Insuper pro fidei catholicae propagandae causa, et salute infidelium procuranda, ad eum locum, provinciam seu regnum, sine aliqua repugnantia aut exceptione iturum, ad quem, seu quod, a vestra paternitate ero destinatus et missus. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia. Ego N. N. affirmo, ut supra, manu propria.*

Formula iuramenti ab ipsis praestandi.

Quamdiu debeant in seminario morari.

In seminario vero huiusmodi permaneant spatium trium annorum, et non ultra, quoad melius vocatio probetur, et plene in studiis apostolicaque disciplina instituantur, et in omnibus tam ipsi quam lectores subsint obedientiae superioris conventus huiusmodi et superiorum primodictae congregationis, sicuti caeteri fratres de familia. Lector in hoc seminario semper adsit, qui controversias fidei ac theologiam moralem doceat, isque non admittatur nisi praevio examine et confirmatione praefatae congregationis Cardinalium, eidemque iniungatur sedulitas et assiduitas in lectio-

Lectores et alumni subsint in omnibus superiori conventus.

nibus et repetitionibus, ac in exercitiis scholasticis.

Onus lectoris controversiarum, et quomodo id exercend.

Tres ad minus in hebdomada lectiones controversiarum, duas moralis, utiles pro missionibus, ad quas alumni huius seminarii sunt mittendi, et post vesperas earumdem habeat collationes, frequentibusque exercitiis studentes instituat.

Quando facultas concedenda, aut neganda, exeundi e conventu.

Prohibetur propterea aeque lectori ac studentibus, diebus lectionum, e conventu seu seminario huiusmodi egredi quacumque de causa, nisi expletis integre lectionibus et exercitiis ea die, qua fieri debebunt; et in hoc superior conventus diligenter incumbat; et si theses ea die habeantur, absolute egrediendi licentiam deneget.

Superiores corrigant negligentes.

A lectionibus, repetitionibus et exercitiis utriusque studii praefati nemo prorsus ex studentibus quocumque titulo aut colore eximatur, aut umquam permittatur abesse, et si quis neglexerit, a superiore corrigatur; idemque fiat, si aliquem negligentem in scribendis lectionibus aut dictis studiis desidiosum reperiat, et tam lector, quam superior conventus, de omnibus Vicarium generalem praefatum, vel, illo absente, eius delegatum, ac etiam supradictam Cardinalium congregationem certioret.

Senis quibuscumque mensibus theses habendae.

Senis deinde quibuscumque mensibus theses theologicae controversiarum et moralis habeantur, quibus superior conventus interesse teneatur, ad dignoscendum eos, qui proficiunt; et monere debeat praefatum Vicarium generalem, sive eius delegatum, de iis, qui fortasse huiusmodi studio minus vacaverint, ut valeat illis submotis alios subrogare.

Alumni turnatim explicent cathechismum.

Singulis porro dominicis, et aliis festivis de praecepto diebus, praefati studentes in ecclesia, vel in alio opportuno loco a superiore locali destinando, explicent cathechismum romanum, et unusquisque turnarie continuet per mensem, et ad hoc ut aptiores evadant tempore, quo in missionibus operam praestare debebunt.

Visitatio facienda per Vicarium generalem, vel per alium ab eo delegandum.

Vicarius insuper generalis praefatus, vel eo absente alius ab ipso delegandus, singulis saltem quatuor mensibus, studium seu seminarium istud visitet, et, si studentem aliquem minime proficientem invenerit, aliqua poenitentia ei iniuncta, eum amoveat, aliumque in amoti locum quamprimum subroget.

Item per secretarium sac. congregationis.

Ultra vero praefatam Vicarii generalis seu alterius ab eo delegati visitationem, secretarius itidem pro tempore existentis memoratae Cardinalium congregationis bis visitet in anno, absque superiorum regularium interventu, ut liberius queat statum et necessitates seminarii huiusmodi exponere, studentes examinare, et de eorum progressu certiorare.

Completo triennio, quo sint mittendi, si tunc non sit in promptu locus missionis.

Completo postmodum triennio, abeant studentes, quo a praefata Cardinalium Congregatione destinati fuerint; quod si nullus tunc temporis sit in promptu missionis locus, liceat Vicario generali eos ad alios sui instituti conventus transferre, certiorata prius ipsa Cardinalium Congregatione, ac curet, ut in iis conventibus collocentur, in quibus commodius studio controversiarum et moralis exerceri possint, quousque advenerit occasio missionis, ad quam ab eadem Cardinalium Congregatione erunt destinandi.

Interim vero se immunes esse non credant ab observantia regulari et officiorum servitio.

Poena contra inobedientes.

Quod si aliquis illorum ad destinatas missiones renueret, aut negligeret accedere, arbitrio memoratae Congregationis Cardinalium plectetur.

Nemo removendus a missione, inconsulta sac. Congregatione.

Nemo autem ab eisdem missionibus possit amoveri aut revocari, absque participatione eiusdem Congregationis Cardinalium. Ii vero, qui sacris missionibus per statutum tempus inservierint, et a praefata Cardinalium Congregatione ad propria remeandi facultatem obtinuerint, nulla prorsus exemptione, privilegio aut praeeminentia in propria Congregatione gaudere ac potiri praesumant, solum a Domino, qui est bonorum omnium largitor, mercedem recepturi.

Post reditum a missione nullo gaudeant privilegio.

Stricte tamen per praesentes iniungimus superioribus primodictae congregationis, ut in emeritos huiusmodi Christi fidei praecones omnem caritatem exerceant, cum plerumque assiduis laboribus consumpti, aegritudinibus aliisque corporis incommodis sint obnoxii.

Datur facultas vicario generali alia statuendi quo ad disciplinam regularem, et studia approbandi a sac. Congregatione.

Denique in iis omnibus conscientiam vicarii generalis pro tempore existentis dictae congregationis Sancti Marci oneratam volumus, eiusque arbitrio relinquimus alia statuendi (supradictis tamen firmis remanentibus) tum exactam disciplinam tum studiorum profectum concernentia, approbandaque ab ipsa Cardinalium Congregatione, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Approbatio et confirmatio.

Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fo-

re, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac superioribus et fratribus dictae congregationis plenissime suffragari, et ab illis ad quos spectat, et in futurum spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Obstantium derogatio. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Clemens praedecessor in primodictis suis literis praefatis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x. iulii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CI.

Confirmat indulgentias christifidelibus in Indiis concessis a praedecessoribus, et facultates presbyter. Soc. Iesu renovat ad viginti annos a fine ultimae concessionis.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Animarum saluti charitate intenti, supplicationibus dilecti filii Francisci Retz Societatis Iesu praepositi generalis nomine super hoc humiliter porrectis inclinati etc. *Reliqua vide in alia simili Clem. XI. vol. II., pag. 258.*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. iulii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

CII.

Firma remanente lege de unico confessario pro monialibus, ad conscientiae earum serenitatem obtinendam, de extraordinariis confessariis opportune decernit iuxta modum.

BENEDICTUS EPISCOPUS
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Pastoralis curae nobis impositae munus, hanc, inter alias, solicitudinem a nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione et angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiae tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam omnipotenti Deo servitutem alacri et prompta affectione exhibere. **Vigilantia Pontificis in procuranda conscientiarum serenitate.** Huiusmodi angoribus et afflictionibus confici passim constat religiosas mulieres in claustris degentes, quibus certus et unicus Sacramenti Poenitentiae minister a monasterii praelato ad tres ut minimum annos designari solet; **Praecipue in monialibus, quae certum habent confessarium.** cui si aliquando, prae pudore vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant, atque ideo confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere coniiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quae in Apostolicae Poenitentiariae officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus doctoris in decretis in eodem officio sustinuimus; tum etiam ex iis, quae in episcopalis Anconitanae primum, deinde in metropolitanae Bononiensis ecclesiae regimine, frequenti usu cognovimus; tum demum ex his, quae saepius ad nos in Petri cathedra octavum iam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum huiusmodi monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis nostris identidem subiicere coguntur, sive ex parte venerabilium fratrum nostrorum ecclesiarum Antistitum, qui nobis earumdem monialium in suis dioecesibus existentium calamitates, ex praeallegata causa ortas, aut viva voce aut per literas non semel repraesentarunt, ac super ea re apostolicae providentiae opem postularunt. **Ideo, firma remanente lege de unico confessario ordinario,** Hinc est, quod nos earum spiritualibus indigentiis per hanc nostram perpetuo valituram constitutionem opportune prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam et veteris disciplinae auctoritate roboratam legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universae earum communitatis excipiat, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessarium pro libito sibi deligere; **De extraordinariis opportunius decernit, ut infra.** sed hoc dumtaxat nobis propositum est constituere, ut, si quando generalis huiusmodi legis rigor, in peculiaribus casibus, non

sine animarum detrimento aut periculo servari posse videatur, in promptu sit opportunae dispensationis et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

Sententia D. Thomae Aquinatis pro concessione confessoris extraordinarii.

Sane iamdudum Sanctus Thomas Aquinas scholarum princeps, ecclesiae doctor, *in Supplemento tertiae Partis quaest. 8, art. 4 ad sextum,* sive *in quartum Sententiarum,* ex quo commentario desumptum est huiusmodi *Supplementum,* hoc superioribus monitum dedit, ut subditis suis, quibus certum et unicum confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri sacerdoti; propterea quod multi infirmi et imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui sacerdoti a superiore designato aperire. Iam vero sacrosancti Concilii Tridentini patres hanc legem districte sanxerunt, *Sess. 25, cap. 10, de Regular.*, ut Episcopi, aliique monasteriorum praelati, subiectis sibi monialibus confessarium extraordinarium, duabus aut tribus vicibus in singulos annos, exhibere debeant; per haec verba: *Praeter ordinarium autem confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis superioribus, bis aut ter in anno, offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de causa praescriptum fuit, quam quia satis constabat nonnullas aliquando moniales esse, quae nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario confessario confiteantur; adeo ut necesse omnino sit, alterius confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integre, rite, atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit magnus Ecclesiae Dei sacerdos Sanctus Carolus Borromaeus, qui praedicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum iuvit, eiusque executionem et observantiam in sua Mediolanensi civitate et provincia, non sine immensis laboribus et curis, invexit. Is enim hac de re decrevit: *Praeterea superiores, ex decreto Sacri Tridentini Concilii, quotannis idoneum confessorem extraordinarium monialibus sibi subiectis exhibeant, qui curent, ut universae confiteantur, ut quae huiusmodi indigent medicina, propter aliquem occultum animae morbum, neque ipsae eam postulare aut accipere ab usitato confessore umquam auderent, liberius mederi suis malis possint, ac diaboli laqueos evadere, una cum reliquis confessario novo sua peccata confitendo,* uti legere est *in Actis Ecclesiae Mediolanensis, impressis anno* MDXCIX. *pag. 53., in Editione autem Lugdunensi tom. 1, pag. 46.*

Decretum Concilii Tridentini ut deputentur bis, aut ter, in anno.

S. Carolus Borromaeus decreti executionem urget.

Deputatio confess. extraord. favorabilis monialibus.

Porro quicumque conciliaris decreti sensus penitus introspexerit, non modo salutarem illius providentiam facile agnoscet; sed et circumspectam eiusdem aequitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo iniungitur, ut, duabus tribusve vicibus infra annum, confessarium extraordinarium monialibus exhibeant; *bis aut ter in anno offeratur.* Huiusmodi autem confessarius iubetur earum omnium confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *Qui omnium confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus et singulis monialibus praecipitur, ut peccata sua extraordinario sacerdoti confiteatur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in monasterio degentibus, tam scilicet a superiorissa, caeterisque monialibus professis, atque novitiis, quam a saecularibus, quae vel educationis causa, vel alio titulo, in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario confessario singulae se sistant, sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem confessionem, ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si moniales aliquae extraordinarium confessarium adirent, aliae autem coram ipso non comparerent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur; et illae quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent; aliae vero ab huiusmodi necessitatibus et causis immunes iudicarentur. Quam agendi rationem communi doctorum calculo comprobatam, san. mem. Praedecessor noster Clemens Papa XI. edicto suo (quod est *XV. in secunda parte ipsius Bullarii*) inviolabiliter servari mandavit, eamdemque omnium dioecesium consuetudo recepit. Nec aliud nobis hac in re addendum superest, nisi ut venerabiles fratres nostros ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis claustralibus monialibus in praemisso decreto loquatur, nihilominus eamdem disciplinae formam observent, tam cum aliis monialibus, quae licet clausurae legibus minime adstrictae sint, in communitate tamen vi-

Quae solum tenentur singulae coram eo se consistere.

Pontifex extendi cupit eamdem regulam ad omnes mulierum communitates.

vunt; quam cum aliorum quarumcumque mulierum, aut puellarum coetibus seu conservatoriis, quoties tam illae, quam istae, unicum ordinarium poenitentiae ministrum a superioribus designatum habeant. Quaecumque enim circa moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque mulieribus, sive regularibus, sive saecularibus, in communitate aut collegio degentibus, locum habere possunt; ideoque pari providentia iisdemque remediis arceri aut emendari debent. Et nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi confessarios extraordinarios bis aut ter in anno singulis tam monialium non claustralium communitatibus, quam piis aliarum puellarum et mulierum coetibus et communitatibus, in nostra civitate et dioecesi Bononiensi induxerimus (qua de re extat Edictum nostrum *num. LVI.* inter Pastorales Institutiones italico primum sermone a nobis vulgatas, deindeque in latinum conversas); omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem nos inde evidenter collegisse.

Dubia quaedam circa Concilii decretum orta declarat.

Quum vero super relati conciliaris textus intelligentia nonnullae quaestiones alias excitatae, eademque iam pridem per opportuna Sedis Apostolicae decreta definitae fuerint; operae pretium ducimus huiusmodi definitiones ab omnibus, ad quos spectat, omnino tuendas atque servandas, his nostris apostolicis literis complecti, et auctoritatis quoque nostrae robore communitas, in praedictorum omnium notitiam deducere. Et primo quaesitum fuit, ad quem superiorem pertineat extraordinarium confessorem monialibus deputare, atque offerre. Sed facilis fuit responsio, quam nos quoque decreto nostro ratam habemus; huiusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet confessarii electio et deputatio; ideoque Episcopus, sive Ordinarius loci, qui monialibus sibi subiectis confessarium ordinarium dare consuevit, idem confessarium extraordinarium, bis aut ter in anno, ad normam Tridentinae sanctionis, eisdem offerre tenetur. Praelatus vero regularis, ad quem pertinet ordinarium confessarium subditis sibi monialibus, servata apostolicarum constitutionum forma, designare et constituere, ipse etiam eisdem extraordinarium confessarium, in vim praefati decreti et iuxta easdem constitutiones, duobus aut tribus per annum temporibus exhibere potest ac debet. Quae tamen ideo *regulariter* obtinere diximus; quia si Episcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo in hac re negligens esset, ut monialibus suis, bis terve in anno, extraordinarii confessarii copiam facere praetermitteret; obtendens, ut moris est, nullam hac de re monialibus ipsis solicitudinem aut curam esse; tunc volumus dilectum filium nostrum S. R. E. Cardinalem modernum et pro tempore existentem maiorem Poenitentiarium, statim ac pro parte monialium huiusmodi requisitus fuerit, ordinarii pastoris negligentiam supplere debere, eorumque monasterio extraordinarium confessarium, ex eorum tamen numero, qui ad excipiendas monialium confessiones ab ipso Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis et opportunis facultatibus, concedere et deputare. Quod si praelatus regularis eamdem Concilii legem de confessore extraordinario bis aut ter in anno monialibus sibi subiectis exhibendo, similiter implere neglexerit; tunc locus fiet decreto Congregationis S. R. E. Cardinalium ad ipsius concilii interpretationem et exequutionem auctoritate apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quaestionem ab Episcopo Vercellensi propositam *die* XXIII. *augusti anni* MDCXXXI. rescripsit, ut infra: *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi, an deputatio confessarii extraordinarii monialium regularibus subiectarum spectet ad Ordinarium loci: Sacra Congregatio censuit, ad Episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiae eorumdem regularium:* ut videre licet *decretorum Lib. XIV. pag. 493.* Nec aliter respondit quaestionibus ab Episcopis Belgii exhibitis, *die* VI. *aprilis an.* MDCXLVII., ut legitur *decretor. Lib. XVIII. pag. 397.* Quae quidem rescripta et decreta nos etiam, praesentium tenore, et apostolica auctoritate, in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus.

I. Ad quem pertineat confessarium extraordinarium monialibus offerre.

Ordinariorum negligentia suppleri debet a Card. maiori Poenitentiario;

Superiorum vero Regularium, ab Ordinariis locorum.

Quum autem Tridentina Synodus de universa quidem monialium communitate, ut supra, decreverit, sed nihil de singulis monialibus statuerit; ut patet legenti textum citati capitis X., utque etiam iam usque ab an. MDLXXV. iudicatum fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii interpretum, per subsequens rescriptum, quod extat *decretor. Lib. IV. p. 90. Sacra etc. censuit, extra ordinarium confessorem offerendum non alicui moniali singulariter, sed omnibus monialibus universe, ut omnium*

II. An monialibus concedendi sint confessarii peculiares extra ordinem.

confessiones audire debeat, in arbitrio tamen cuiusque monialis esse, ut confessario extraordinario velit confiteri; hinc ortum habuit alterum controversiae seu dubitationis caput; an scilicet, ubi iam universae communitati bis terve infra annum confessarii extraordinarii copia facta est, et nihilominus aliqua monialis confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an, inquam, huiusmodi petitioni sit indulgendum. Id autem primo loco quaesitum fuit, proposito casu monialis graviter aegrotantis, quae, in mortis periculo, pro spirituali consolatione postulet, alium sacerdotem, qui tunc non sit ordinarius monasterii confessor, suprema sibi ecclesiasticae pietatis officia et poenitentiae sacramenta ministrare. Huic annuendum facile esse, praedicta Congregatio pluries iudicavit, ut videre est ipsius *decret. Lib. XVIII. pag. 322 a tergo,* sub *die* VI. *aprilis anni* MDCXLVII. et eodem Libro *pag. 586 die* XXII. *februarii anni* MDCXLIX.; quae pariter decreta a nobis praesentium tenore approbantur et confirmantur; ut scilicet Episcopi subiectis sibi monialibus, in gravi infirmitate constitutis et id expetentibus, peculiarem confessarium concedere debeant; iidemque etiam idipsum praestent erga moniales regularibus praelatis subiectas, quum aliqua ex illis a suo superiore regulari huiusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de Cardinali maiore Poenitentiario, non ideo, quia nequeat is pro singulis monialibus idem facere, quod supra duximus eumdem pro toto monasterio facere posse; sed quia tunc, ob temporis angustias, interclusa praesumitur via recurrendi ad ipsius officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus et modus suppetat, ad eum pertinebit, eadem prorsus ratione peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universae religiosae communitati ab ipso consulendum esse.

Quid in casu gravis infirmitatis.

Quid in casu insuperabilis reluctantiae adversus confessorem ordinarium.

Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam monialibus, quae nec corpore infirmae, nec morti proximae, ordinario tamen ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est et sublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum confessiones peculiariter excipiat. Id vero, circa moniales Episcopo seu Ordinario loci subiectas, ab ipso Ordinario praestari debet. Quod autem ad illas pertinet, quae regularium regimini subsunt, ad regularem praelatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare confessarium ex approbatis ab Ordinario ad confessiones monialium; vel, si sacerdos ille, cui eiusmodi monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius monialis confessione et pro tot vicibus, quot expedire iudicabitur, eumdem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est) ut regularis superior ad concedendum huiusmodi confessarium extraordinarium moniali communem confessarium recusanti nullo pacto adduci possit, iam huic casui provisum est per decretum anno MDLXXIII. a praedicta Congregatione Concilii editum; et a fel. record. Gregorio Papa XIII. tunc apostolicum thronum obtinente approbatum et confirmatum, quod nunc iterum confirmationis nostrae auctoritate roboramus. Decreti verba relata, *Lib. 1 decretorum ipsius Congregationis pag. 66 a tergo,* haec sunt: *Monialis per aliquod tempus noluit confiteri confessariis regularibus. Dubitatum fuit, an Episcopus Regiensis posset dare dictae moniali confessorem alterius Ordinis regularem, vel saecularem, cui illa semel vel pluries confiteatur peccata sua et a quo absolvi possit. Sanctissimus Dominus noster, etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum Caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere confessarium alterius Ordinis vel saecularem.* Praeterea nihil obstat, quo minus ipsa monialis recursum habeat ad Cardinalem maiorem Poenitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem confessarii ex approbatis ad moniales, apud quem illa confiteatur.

Quid pro spirituali consolatione et profectu.

Quaesitum denique fuit de monialibus illis, quae neque aegrotant, neque recusant ordinarium poenitentiae ministrum a monasterii praelato pro universa communitate deputatum; verum, pro maiori animi sui quiete, atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones iam approbato. Qua de re non semel nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut regularibus monialium superioribus, agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant,

quod, quum moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario sacerdoti, qui universae communitati non semel eo anno iam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiae suae consuluisse: quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret; neque pergeret superiori molestiam afferre, ut peculiarem confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem obiicientibus, monialem huiusmodi ad Apostolicae Poenitentiariae officium facile recursum habituram, ibique haud aegre impetraturam id, quod ab ipsis superioribus ei denegatum fuisset, iterum constanter respondebant, extraordinarium huiusmodi confessarium, post impletam ab ipsis erga universum monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

Nimius praelatorum rigor improbatur.

At vero, neque tunc nobis arridebat, neque profecto nunc nobis placet, rigida haec agendi ratio. Persuasum enim habebamus, adeoque habemus, non solum integrae communitati, sed singulis etiam monialibus, indulgendum esse in iis rebus, quae iuste et rationabiliter petuntur, maxime quum illae ad earum conscientiae quietem et securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane huiusmodi postulationes aut temere exaudiri, aut sine causa reiici debere censemus; sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum monialis, quae confessarium extra ordinem petit, tum confessarii, qui ab ea requiritur; ut, utriusque diligenter inspectis, deliberari possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si enim monialis ex una parte nullum det adversae suspicioni locum, ex altera vero confessarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium, pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum huiusmodi praelatorum in renuendo propositum; nec intelligimus, cur post confessarium extraordinarium integrae communitati, iuxta legem Concilii Tridentini, oblatum, nulla omnino monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem confessarium, cuius consilio et opera, iustis fortasse de causis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille animarum rector S. Franciscus Salesius, cuius doctrinae summam ex illius operibus tum editis, tum manuscriptis, collectam, bon. mem. Ioannes Petrus le Camus Episcopus Bellecensis iusto volumine complexus est, cui titulum fecit: *Spiritus Sancti Francisci Salesii*. In huius compendio, quod ex gallico in italicum sermonem conversum Venetiis anno MDCCXLV. pro quarta vice typis editum est, *parte XVII. cap. 6,* aperte legitur, quod, quum Beatus Episcopus non ita intelligeret praemissum Concilii Tridentini decretum, ut vetitum existimaret, confessarium extraordinarium, pluribus etiam quam tribus vicibus in anno, religiosae communitati offerre; quae quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert *Diana in editione coordinata, Tom. 7, Tract. 1, resol. 348;* non solum solebat suis monialibus Visitationis Beatae Mariae Virginis quater in anno, videlicet in singulis hebdomadis Quatuor Temporum, confessarium extraordinarium deputare, verum etiam earum respectivis superioribus commendatum reliquit, ut singulis monialibus, quae non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo praeberent. Nec aliter se gerere consuevit ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Patavinus; is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Ioannes Clericatus in *Tractatu de Poenitentia, decis. 41, num. 7,* et patrum Tridentinorum decretum quoad omnia monialium monasteria in sua civitate et dioecesi existentia quotannis reipsa exequebatur, et nihilominus exorari se patiebatur a monialibus, quae aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se confessarium expeterent. Huiusmodi regulis et exemplis nostram quoque agendi rationem in spirituali monialium regimine conformare curavimus; maximumque utilitatis et quietis fructum nos inde percepisse cognovimus. Quapropter venerabiles fratres ecclesiarum Antistites, atque dilectos filios quarumcumque religiosarum mulierum rectores hortamur in Domino, et enixe monemus, ut eamdem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, et non adeo difficiles se praebeant peculiaribus extraordinarium confessarium aliquando expetentibus; quin potius, nisi aut monialis postulantis aut confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum iustis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod, etsi liberum sit cuilibet moniali Cardinalem maiorem Poenitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur; nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut

Cautelae adhibendae memorantur.

Francis. Salesius quater in anno indulgebat extraordinarium.

Nec excludebat casus peculiaris indigentiae monialium.

Eosdem sensus favebat Cardinalis Barbadicus.

Pontifex hortatur praelatos, ut iustis monialium petitionibus benigne intendant.

remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat: et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quae in officio Poenitentiariae Apostolicae fiunt, ab omni vel minima pecuniae solutione inviolabiliter sint immunes; non omnibus tamen monialibus facile est invenire, qui earum negotia in Urbe procurare velit et possit.

III. De qualitatibus confessarii extraordinarii.

Iam vero postrema superest quaestio, nimirum de qualitatibus confessarii extrordinarii, qui vel pro universa monialium communitate, vel pro aliqua moniali, peculiariter deputari debeat. Porro nullo umquam tempore dubitatum fuit, an in huiusmodi sacerdote aetatis maturitas, morum integritas, prudentiae lumen requiratur; quas quidem dotes in eo, qui ad huiusmodi munus adhibeatur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab Ordinario loci specialiter pro monialibus approbatus esse debeat, quum huiusmodi approbatio, ex apostolicarum constitutionum lege, omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis confessariis, qui monialibus, etiam regularibus subiectis, ab earum respective superioribus deputantur; sed etiam in iis, qui a Cardinali maiori Poenitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in nostra constitutione super illius facultatibus edita, quae est XCV. in Tomo I. Bullarii nostri, ubi paragrapho 54 eidem conceditur, ut vacante Sede *Monialibus confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confessiones eligendos*. Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet e clero saeculari, an vero e regulari, eligendus sit huiusmodi confessarius; tum inter regulares, an assumi possit ex quolibet ordine alias permisso, an vero semper deputari debeat ex ipso ordine praelati regularis, ad quem monasterii regimen spectat.

An semper deputari debeat ex eo Ordine, cuius est monasterii praelatus.

Quid de consuetudine.

Sane pro monialibus Episcopo immediate subiectis regula est, ut ordinarius earum confessor sit sacerdos saecularis. Extraordinarium vero ex Ordinibus regularibus saepissime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat; deficiente forsan per singulas dioeceses saecularium presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem praelati monialibus sibi subiectis confessarium ordinarium designant e suo ipsorum ordine; extraordinarium autem etiam ex alio ordine regulari deputare possunt, iuxta decretum a saepedicta Congregatione Concilii editum *die* XXVI. *septembris anni* MDXCV., ac relatum in *Libro 3 decretorum pag. 149 a tergo*, ubi sic legitur: *Sacra etc. respondit, Superiores regulares teneri offerre confessarium extraordinarium eiusdem ordinis; alterius vero ordinis posse quidem, sed non teneri*. Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum sacerdotem saecularem, aut diversi Ordinis regularem, vidimus a regulari praelato monialibus sibi subiectis extraordinarium confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut, in casu negligentiae superioris regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio confessarii extraordinarii etiam pro monialibus regularium regimini subiectis, nulla ipse lege tenetur ad huiusmodi confessarium eligendum ex eo ordine, cuius est monasterii praelatus; sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum presbyterum saecularem, aut alterius ordinis regularem, ad audiendas earum monialium confessiones deputare.

Regulares deputare possunt confessarios extraordinarios, etiam ex alio ordine vel saecularem.

Controversia sub Innocentio XIII. examinata in congregatione particulari.

At quum superioribus annis Apostolicae Sedi expositum fuisset, pluribus de causis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quam plane necessarium videri, ut monialium monasteria regularium regimini subiecta, semel saltem in anno confessarium extraordinarium diversi Ordinis regularem, aut e saeculari clero presbyterum haberent, huius rei examen, iubente fel. record. praedecessore nostro Innocentio Papa XIII., assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui nos tunc in minoribus constituti in secretarii munere operam praestabamus; quaeque, per annum et ultra, singulis hebdomadis cogebatur, ad discutienda et definienda complura ecclesiasticarum quaestionum capita, quae deinde inserta sunt in apostolicis literis ab eodem Innocentio praedecessore editis die XIII. maii anni MDCCXXIII. quarum initium est: *Apostolici Ministerii*, quae etiam a san. mem. praedecessore quoque nostro Benedicto Papa XIII. in forma specifica confirmatae fuerunt, per alias similes literas datas die XXIII. septembris anni MDCCXXIV.

Eius Congregationis scopus, Tridentini Concilii observantiam instaurare.

Cum autem negotia, quae in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingeret, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam catholicis orbis regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur; necessarium minime iudicatum fuit, aliquem velut in iudicium vocare, ad deducenda iura, si quae sibi adversus illa, quae decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem dissertationes, unicuique ex praefatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare; ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinae, quae in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut praefertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut regulares monasteriorum praelati, una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium confessarium monialibus sibi subiectis in annos singulos exhibere debent, aliquem saecularem, aut alterius ordinis regularem presbyterum, ad id deputare tenerentur, utque ipsis hac in re deficientibus liberum esset Episcopis, locorum Ordinariis eorum defectum supplere, et emendare.

Nihilominus in hoc casu admissi sunt regulares ad contradicendum.

Verum, quum regularibus innotuisset, a praedicta Congregatione conditum esse decretum eorum intentioni contrarium; utpote qui minime adstringi volebant ad huiusmodi annuam deputationem confessorum extraordinariorum e clero saeculari, vel ex aliis ordinibus; nonnullarum religionum procuratores generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas huiusmodi decreto obstare putabant: cumque id facile impetrassent, ac suam totiusque coetus regularium causam per eximios illius temporis in Romana Curia advocatos defendi curassent; sed nihilominus praedicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset, placuit praefato praedecessori Innocentio, antequam decretum huiusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque, exclusis illis in omnibus, qui, ex ipsius Pontificis deputatione, in praecedentibus sessionibus per annum integrum negotia discusserant, aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secreto fecerat conscriptarum allegationum exempla, nobis etiam adesse iussis, qui rationum momenta a priori congregatione prae oculis habita, si opus esset, exponere possemus; novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quaestio diligenter ac mature discussa fuit; ac demum, ipse Pontifex, de ipsius Congregationis consilio et assensu, super hac re decrevit, ut sequitur: *Cumque ex eodem Concilio Tridentino confessor extraordinarius bis aut ter, in anno offerri monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat; si in posterum superiores regulares, quoad monasteria ipsis subiecta, toties praedictum extraordinarium confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id minus elegerint sacerdotem aut saecularem aut regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus Episcopi, pro sui arbitrio et conscientia, deputationem huiusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut praetextu, a superioribus regularibus valeat impediri.*

Novae cautelae a Pontif. adhibitae.

Tenor resolutionis a Pontifice tunc editae.

Ea generalis est, et ubique observanda.

Perscriptum sane fuit huiusmodi decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam regionibus ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini: verum ipsius decreti vigor ad eas dumtaxat regiones minime restrictus fuit, quum ex animarum pericula, quae ex perpetua confessorum eiusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus monasteriis regularium regimini subiectis locum habere possint; et quaecumque adversus decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum statutis et ex constitutionibus monialium regularibus subiectarum, fuerint desumpta. Cumque iudicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare, quo minus ita decerneretur; sequitur, ut, quamvis eidem decreto causam dederint peculiarium quarumdam regionum necessitates Apostolicae Sedi eo tempore expositae, illud tamen generale sit, et universos per orbem regulares monasteriorum monialium praelatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus praedecessor Benedictus XIII. Innocentii literas in forma specifica confirmaret, nobis constat, illius mentem fuisse, ut huiusmodi decretum universalis et inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus ne ulla apud aliquos supersit dubitatio, nos ipsi, praesentium literarum vigore, ac motu proprio et certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ipsum relatum Innocentii praedecessoris decretum, statutum, mandatum, atque praeceptum, ad omnia per orbem ubique exi-

Pontifex eam expresse extendit ad omnia monasteria regularibus subiecta, cum praecepto etc.

stentia et regularium regimini subiecta monialium monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes et ampliantes; decernimus, atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono a Nativitate Domini decurrendo, regulares monasteriorum praelati teneantur bis aut ter, in anno confessarium extraordinarium universis monialibus in iis degentibus offerre; si vero ipsi forsan huiusmodi confessarii extraordinarii deputationes intra praescripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis regularem Sacerdotem ad hunc effectum deputaverint; itaut praefatae moniales semel saltem in anno confessarium extraordinarium e clero saeculari, aut ex alio Ordine regulari, non habeant, ad Episcopos dioecesanos, omni appellatione remota, devolvatur ius supplendi eorumdem praelatorum defectum (si nempe, pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse iudicaverint) per deputationem confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu, aut e clero saeculari, aut ex alio regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio, deligere possint, et valeant.

Commissio Card. Urbis Vicario pro praemissorum executione.

Quocirca dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali, moderno nostro et pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe eiusque districtu vicario in spiritualibus generali, earumdem praesentium tenore committimus et mandamus, ut haec nostra decreta atque statuta, tam in omnibus eiusdem almae Urbis monasteriis, quae regularium regimini subsunt, quam in aliis quibusque regularium, aut saecularium mulierum, aut puellarum domibus, seu collegiis, atque conservatoriis, quibus unicus ordinarius confessor a superioribus deputari solet, in omnibus et per omnia, iuxta earumdem literarum praescriptum, exactissime observari et adimpleri faciat; ne forte audiri contingat, quod eum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, apostolicas constitutiones Romae quidem ferri et publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

Item omnibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis.

Eamdem porro curam et solicitudinem iniungimus et demandamus venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis per omnes universi orbis ecclesias constitutis; quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis nostrae studium, tam in eorum rationabilibus querelis, iustisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse indicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo; sed veteres ut plurimum leges et regulas, vigili praedecessorum nostrorum providentia iampridem constitutas, in pristinum debitumque vigorem et usum revocando. Ita eosdem meminisse volumus, proprium zeli pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quae contra leges fiunt, inutiliter deplorando declament; sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem iam praestitutis; implorato etiam Apostolicae Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati et legum executioni, afferri contingat, omnesque diligentias et curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Durante confessarii extraordinarii munere ordinarii confessarii munus cesset.

Quoniam vero tam in superius allegato Clementis XI. edicto, quam in synodalibus plurium Episcoporum constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius confessor alicui communitati deputatus ministerio suo fungitur, ordinarius confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus praesumat per id temporis alicuius monialis, sive superiorissae, sive novitiae, sive conversae, neque demum alterius cuiuscumque personae intra septa monasterii, aut piae domus commorantis, sacramentalem confessionem audire; nos id quoque approbatione nostra roborantes et confirmantes, statuimus et mandamus, ut Episcopi quidem, si de monasteriis aut domibus eorum regimini subiectis agatur, regulares autem superiores, quod ad illas communitates attinet, quibus ipsi praesunt, pro huiusmodi legis implemento advigilent et contravenientes meritis poenis coerceant et afficiant.

Extraordinarius vero, expleto officio, se abstineat etiam ab accessu ad claustra.

Ac demum quibuscumque confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter vel peculiariter alicui personae in monasterio degenti, concessi ac deputati fuerint, districte inhibemus sub poenis adversus accedentes ad monasteria monialium et cum ipsis conversantes, praesertim regulares, a praedecessoribus nostris quandocumque statutis (quas etiam praesentium vigore confirmamus et innovamus), ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causae aut necessitatis

obtentu et colore, audeant aut praesumant.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

Decernentes, ipsas praesentes literas, atque omnia et singula in eis statuta atque praescripta, etiamsi quicumque in iisdem interesse habentes, seu habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, nec praemissis consenserint, aut alterius cuiuscumque generis defectu forsan adversus eas obiiciatur, semper et perpetuo valida et efficacia esse et fore, et ab omnibus, ad quos spectat, atque in futurum spectabit, inviolabiliter etiam perpetuo observari. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinalium Congregationes ordinarias, aut peculiariter deputatas, aliosque Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Vice Legatos et ApostolicaeSedis Nuncios, iudicari et definiri debere; sublata eis et eorum cuilibet, aliter iudicandi, definiendi, ac interpretandi facultate et auc toritate; atque irritum et inane decernentes, quidquid secus a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

Non obstantibus quibuscumque etiam apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quarumcumque ecclesiarum et Ordinum regularium, seu Congregationum, aut Societatum et Institutorum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliorumque Militarium Ordinum, seu monasteriorum virorum aut monialium, aliarumque piarum domuum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut literis apostolicis, cuilibet praemissorum, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, etiam hic de necessitate exprimendis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam irritantibus in genere vel in specie, et derogatoriarum derogatoriis, quomodolibet in contrarium concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, illis alias in suo robore permansuris, de apostolicae potestatis plenitudine derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis.

Volumus demum, ut earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCXLVIII., nonis augusti, pontificatus nostri an. VIII.

CIII.

Confirmat quae dixerat in lit. Magnae nobis; *et, exposita dispensatione a quodam Episcopo Poloniae concessa in matrimonio duorum haereticorum, eam Episcopum concedere nequivisse tradit.*

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater,

salutem et apostolicam benedictionem.

Prioris epistolae supra relatae num. LI. altera adiicitur, ob nuper cognitum rei statum.

Ad tuas manus pervenisse speramus epistolam nostram Encyclicam datam die XXIX. superioris mensis iunii, de dispensationibus, quas pro contrahendo matrimonio intra gradus iure prohibitos haereticis coniugibus concessisse, Apostolicae Sedis ministri falso insimulabantur. Attamen hanc aliam rursus ad te mittere cogimur; cum enim res, unde falsus ille rumor exortus est, in apertum educta sit, eamque omnibus notam fieri oporteat, ex nostris ad eam animadversionibus alii proficere, meliusque in posterum, quae agenda sunt, constituere poterunt.

Episcopus cum duobus haereticis dispensavit super gradibus prohibitis ad matrimonium contrahendum,

Episcopus quidem istius Poloniae Regni duobus lutheranis coniugibus, qui in secundo affinitatis gradu inter se coniuncti erant, contrahendi matrimonii facultatem dedit. Rogatus, quo iure id fecisset, an uti executor alicuius dispensationis, quae concessa fuisset vel a nostra Dataria, vel Poe-

nitentiaria, vel a Sanctae Inquisitionis Officio (namque hae viae sunt, quibus huiusmodi dispensationes a Sede Apostolica expediri consueverunt), nullas se accepisse ingenue fassus est; sed fecisse ea generali potestate respondit, quam sibi, ut Episcopo in remotis degenti, Sedes Apostolica elargita est; factumque suum excusavit more suae dioecesis, et praedecessorum suorum consuetudine. Addidit etiam, ad id faciendum adductum fuisse spe, quam ipsi dederunt coniuges, quamprimum ad fidem catholicam se conversuros; quod si intra debitum tempus minime adimplerent, se vi eos adigendi, cohabitatione prohibita, potestatem habere.

Vigore praetensae facultatis a Sancta Sede obtentae.

Dispensatio non a Sancta Sede, sed ab Episcopo irregulariter concessa.

Ut ab huiusmodi narrationis serie minime discedamus, in primis, id compertum est, e nostris tribunalibus dispensationem super impedimento affinitatis pro contrahendo matrimonio inter duos haereticos neutiquam emanasse. Episcopus est, qui concessit; affirmatque, fecisse vi generalis cuiusdam facultatis, quam Sedes Apostolica impertiri consuevit Episcopis, qui extra Europam, vel in remotis Europae partibus, constituti sunt.

Idque ab Episcopo factum fuit vigore generalis facultatis.

At quid dicendum esset, si facultas, de qua agitur, dispensandi in secundo gradu non comprehenderet matrimonia inter haereticos contrahenda? Et quidem res ita se habet; etenim facultates quae dantur Europae Episcopis, qui in dominio catholicorum principum positi sunt, in haec verba conceptae sunt: ***Dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantum cum pauperibus, in contrahendis; in contractis vero, cum haereticis conversis, etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.***

Tenor generalis facultatis refertur.

Dispensationis concessae nullitas ob non expressum, nec insertum, indultum.

Praetereundum ducimus, in dispensatione, de qua agimus et quae ab Episcopo concessa, et a nobis lecta est, nullibi ab ipso expressum fuisse, quod dispensationem impertiebatur ex vi apostolicae facultatis; hac enim declaratione omissa, actus nullus ac irritus efficitur; ut in earumdem facultatum formula aperte statuitur: ***Et in dispensationibus huiusmodi declaretur expresse, illas concedi tamquam a Sedis Apostolicae delegato: ad quem effectum etiam tenore huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint.*** Sed id solum sciscitabimur, ubinam contineatur facultas dispensandi in secundo gradu? Certe nobis respondebitur, in verbis illis paulo ante laudatis; ***etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum.*** Nos statim reponemus, ante ea verba haec alia occurrere: ***In contractis vero, cum haereticis conversis etc.*** Et ideo, cum facultates limitatae sint ad matrimonia contracta, non autem ad eos, qui se convertendi spem faciunt, sane unusquisque facili negotio, ictuque, uti dicitur, oculi, dignoscere poterit facultatis abusum in concessione dispensationis, quae, ut diximus, in causa fuit, cur sinister rumor et popularis obtrectatio adversus Apostolicae Sedis ministros suscitaretur.

Nullitas quoque adest ex defectu facultatis.

Ex eo, quod tolerantur haeretici, eorumque matrimonia, non infertur quod ipsis dispensationes sint concedendae.

Degunt quibusdam in locis istarum regionum catholici cum haereticis mixti; palam inter se matrimonia contrahunt; et nemo est, qui contrahentes corripiat, et puniat, aut illis adversetur. Hoc autem posito, qui fieri potest, ut hinc colligatur dispensationis concessio super aliquo impedimento in huiusmodi matrimoniis inter catholicum et haereticum, et multo magis inter duos haereticos, ut in specie, de qua agitur, contigit? Tolerat quidem in aliquibus locis Apostolica Sedes matrimonia inter catholicum et haereticam, vel haereticum et catholicam, cum nequeat impedire; et ecclesiastica quadam prudentia, ne maiora mala enascantur, dissimulat ac tacet. At, quod Apostolicae Sedis auctoritate gratiosa in hisce matrimoniis dispensatio super gradu aut alio impedimento concedatur, fieri nunquam potest, nisi praecedat haeresis abiuratio, iuxta eiusdem Sedis Apostolicae disciplinam a nobis in praecedenti epistola expositam et iuxta recensita concessae facultatis verba.

Quod est contra disciplinam et contra literas indultorum.

Exempla, si quae sint, damnanda, non imitanda.

Sed respondetur: Ab anterioribus Episcopis, qui easdem facultates iisdem verbis conscriptas habebant, quibus conceptae sunt illae, de quibus quaestio est, id peractum fuisse. Nos ignoramus, quid egerint Episcopi praedecessores; id solum nobis compertum est, quod, si dispensaverunt in matrimonio non contracto, sed contrahendo, in matrimonio inter duos adhuc in haeresi permanentes, perperam ac male egerunt, grave admiserunt peccatum, multorumque malorum reos se fecerunt; quia facultates eis concessas attento animo non considerarunt, ex quibus, veluti ex fonte, omnis delegata auctoritas dimanat.

Promissio abiurandi haeresim non suffragatur ad effectum.

At nobis reponitur: Quidquid factum est, ideo factum, quia coniuges suam conversionem polliciti sunt. Id autem, an verum sit, paulo post videbimus. Interea ponatur, revera coniuges id promisisse: quaeritur, cum facultas a Sede Apostolica concessa praescribat, ut dispensetur in secundo gradu cum haereticis iam conversis, quomodo Episcopus arbitratus sit, ea se uti posse in dispensando non cum haereticis iam conversis, sed cum iis, qui solummodo conversionem promiserant? cumque Sedes Apostolica huiusmodi dispensationes, nisi conversione iam facta, ut late in nostra prima epistola Encyclica demonstratum est, concedere non soleat; quaeritur iterum, quomodo eius delegatus in tantum ausum devenerit, ut cum iis, qui nudam promissionem se convertendi fecerant, dispensare non dubitaverit?

An Episcopus cogere possit haereticos ad abiurandum in locis, ubi tolerantur.

Additur demum: Si fidei datae coniuges haeretici defuerint, acriter punientur, eisque simul habitare interdicetur. Nos minime latet discrimen, quod inter infidelem et haereticum intercedit: primum quidem ad amplectendam fidem catholicam, ad quam se per baptismum minime obligavit, cogi non posse: e diverso haereticum, qui iam baptismum suscepit. At vero nobis ignotum est, an usu et consuetudine receptum sit, ut haeretici ad catholicam veritatem profitendam constringi possint in iis regionibus, in quibus a principibus permissum est, ut commixti cum catholicis vivant, eademque iuris aequabilitate et civili consuetudine fruantur. Sed, quidquid de hoc sit, illud necessarium esset ostendere, quibus argumentis ac probationibus haereticorum coniugum promissio demonstretur. In dispensatione enim haec verba leguntur: *ob spem, quod ad fidem orthodoxam convertentur:* spes autem a promissione omnino diversa et distincta est. Si quando autem de separatione, ob frustratam spem a coniugibus datam, agi vellet: cum res sit de matrimonio contracto, non inter unum haereticum et alterum catholicum, absque alio impedimento, quam illo religionis; sed de matrimonio inito inter duos haereticos in secundo affinitatis gradu coniunctos, locus non esset separationi tantum *quoad thorum,* sed etiam alteri *quoad vinculum;* quae iniungenda esset a dispensante, publica protestatione emissa, se nullo iure atque auctoritate dispensasse, ac proinde dispensationem irritam ac nullam fuisse.

De promissione non constat in casu etc.

Tam dispensatio, quam matrimonium, irrita declarantur.

Monentur Episcopi, ut facultatum indultarum tenores expendant.

In priori epistola nostra Encyclica scripta die XXIX. iunii admonuimus, ut ii, quibus executio dispensationum matrimonialium, quae in Urbe conceduntur, committitur, eas attente legant, et bene ac diligenter perpendant. Nunc autem eadem repetimus, et insuper addimus, ut legantur et considerentur etiam facultates, quae a Sede Apostolica conceduntur, priusquam aliquis illis utatur; cum minime deceat, ut aliorum culpa vel Sedi Apostolicae vel eius ministris vitio vertatur, et quod ab aliis peccatum est, crimini eis detur. Interea autem tibi, venerabilis frater, et christiano gregi tuae curae commisso, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. augusti MDCCXLVIII., pontif. nostri anno VIII.

CIV.

Privilegia Societatis Iesu quoad matrimonia in Sinis extendit ad omnes Ordinarios, iuxta modum, et ad XXV. *annos* (1).

Venerabilibus fratribus Ordinariis et Apostolicis in Regnis Sinarum, Tunchini, Siami, et Concincinae existentibus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium

Gravissima omnium ecclesiarum sollicitudo imbecillitati nostrae a Supremo Pastorum Principe Iesu Christo iniecta, qua de aeterna animarum salute diu noctuque afficimur, et immensa eiusdem Iesu Christi caritas, qui unus mediator Dei et hominum dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, urget nos, ut eas in remotissimis potissimum ab hac alma Urbe nostra regionibus, ubicumque res postulaverit, salutares apostolicae nostrae benignitatis et auctoritatis facultates libenter impertiamur, quibus muniti animarum pastores canonica impedimenta interdum in obeunda muneris sui procuratione sese aggerentia opportune removere valeant.

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

§ 1. Quemadmodum autem christifidelium multitudinem, benedicente misericordiarum patre et Deo totius consolationis, per apostolicos labores vestros in florentissimis istorum regnorum provinciis, in quibus ordinarii Antistites et Apostolici Vicarii ab Apostolica hac Sancta Sede constituti fuistis, in dies adaugeri et increscere ingenti cum pontificii animi nostri laetitia accepimus; ita probe edocti de omnibus ad pastorale ministerium vestrum pertinentibus, opus esse reputamus, ut vobis singulis eas quoque demus, et elargiamur facultates dispensandi cum neophytis Indiarum, aliorumque orientalium regnorum super matrimoniis intra quosvis a iure divino non prohibitos consanguinitatis vel affinitatis gradus etiam coniunctos contrahendis, seu iam etiam scienter contractis, quae iamdudum a fel. rec. Pio PP. IV. aliisque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac novissime a rec. mem. Clemente PP. XII. per suas in simili forma Brevis litteras provincialibus Societatis Iesu, et ab eis deputatis presbyteris memoratae Societatis Iesu attributae et concessae fuerunt. Itaque, aeternae saluti et spiritualibus necessitatibus animarum eorum populorum, qui ex gentilitatis tenebris, et erroribus ad veri luminis agnitionem, et christianae fidei veritatem conversi, atque ab hac Sancta Sede remotissimi, sacerdotali regimini vestro subiacent, pro pastoralis officii nostri cura prospectum esse cupientes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, vobis singulis et a vobis deputandis presbyteris et ministris cum neophytis uniuscuiusque vestrum iurisdictionis in quocumque seu quibusvis, non tamen in primo, consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis, seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in utroque foro gratis dispensandi; et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi; ac prolem inde susceptam legitimam decernendi; nec non cum eisdem neophytis in primo gradu etiam rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scientes contracto remanere, similiter valeant; in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis gratis etiam dispensandi; et eos, qui in primo affinitatis gradu huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in foro conscientiae tantum gratis similiter absolvendi, licentiam et facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 2. Praesentibus ad viginti quinque annos a die illarum datae computandos tantum duraturis, ac uno eodemque tempore expiraturis. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, quibusvis etiam iuramento confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae.

§ 5. Caeterum venerabiles fratres rogamus et in Domino hortamur, ut memores ministerii vestri, de quo districta aeterno iudici et animarum pastori Iesu Christo a vobis ratio reddenda est, satagatis illud in-

tegerrime adimplere, ut de profectu ovium fiant gaudia aeterna pastorum et repositam vestris apostolicis laboribus mercedem in coelis consequamini. Interim caelestis praesidii auspicem et nostrae erga vos studiosae voluntatis et indulgentiae pignus esse cupimus apostolicam benedictionem, quam vobis, venerabiles fratres, populisque vestrae curae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. novembris MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno IX.

CV.

Irritum matrimonium declarat inter Hebraeos et haereticos, propter impedimentum disparitatis cultus; *quapropter cum fidei nomen dederint, rursus esse matrimonii vinculo coniungendos decernit* (1).

Dilecto filio nostro Henrico Sanctae Mariae in Porticu S. R. E. Presbytero Cardinali Duci Eboracensi nuncupato,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Commendatur pietas serenissimi et eminentiss. Card. Ducis Eboracen.

Singulari nobis consolationi, et universis totius Urbis Ordinibus exemplo, est illa tua, quam assiduam cernimus et audimus, exercitatio in pietatis muneribus obeundis, iisque in primis, quae decent ordinem sacerdotalem, quo tute a nobis fuisti in privato sacello nostro initiatus. Iudaeum autem ad catholicam fidem accedere cupientem, cum sis propediem sacro Baptismatis lavacro expiaturus, mirifice hinc ostendis ea verba te semper in mente gerere, quae, iuxta Pontificale Romanum, in tui consecratione protulimus: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare.*

Dub.: An iudaeo baptizato, et muliere ab haeresi ad cathol. fidem conversa, renovari deberet inter eos matrimonium. Resolvitur: Affirmative.

§ 1. At exorta, uti accepimus, haec controversia est, utrum scilicet, cum hebraeus e secta protestantium uxorem duxerit, quae aut haeresim eiuravit, aut eiurandae parata est, utrum, inquam, initum antea matrimonium, post susceptum ab hebraeo baptisma, sit iterandum. Te igitur hac nostra epistola certiorem facimus, ambos, postquam catholicae fidei nomen dederint, per baptismum alter, altera per haeresis detestationem, rursus esse matrimonii vinculo coniungendos. Nam, quod ante inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur *disparitatis cultus:* In qua re declaranda, sermonem primo de viro, tum de muliere instituemus, diligenter investigantes, an eorum uterque, dum connubium iniit, illius esset impedimenti vinculo irretitus.

Leges canonicae de matrimonio virorum iudaeorum directe non afficiunt.

§ 2. Initium igitur a viro sumimus, ac breviter indicamus quidquid hac in re tum hebraica lege sancitum, tum principum decretis constitutum sit; omissis sacris Ecclesiae canonibus, cum nullo modo possint iis accommodari, qui numquam in eius sinum admissi sunt. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare?* Sic S. Paulus, epistola 1 ad Corinth. cap. 5, scripsit, cuius verba apte ab Urbano III. praedecessore nostro ad rem nostram accommodata sunt *cap. Gaudemus, de divortiis.*

Hebraeorum leges matrimonia cum alienigenis vetant.

§ 3. Deuteronomii cap. 7 cautum est, ne hebraeis liceret cum iis feminis, quarum religio non esset eadem, matrimonio copulari: *Non inibis cum eis foedus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia; filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et lib. 1 Esdrae cap. 10 habetur, Secheniam cum eodem Esdra publice conquestum de hebraeis esse, qui uxores duxerant infideles, ibique legitur consilium ab eo captum, quod his verbis exprimitur: *Vos transgressi estis, et duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel; et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum et facite placitum eius, et separamini a populis terrae, et ab uxoribus alienigenis.*

Certum vero non est lege Moysi inductum esse impedimentum dirimens.

§ 4. Verum non videtur his sacrarum literarum testimoniis adniti posse impedimentum *disparitatis cultus,* matrimonia dirimens hebraeorum cum mulieribus alienigenis. Primum quidem supradictus Deuteronomii locus *ad cap. 7* explicari commode de interdicto potest, quo illicita quidem sint huiusmodi matrimonia, non infecta, ac irrita. Hoc magis magisque confirmat, quod *lib. 3 Regum cap. 11* legitur, iam lata scilicet Deuteronomii lege, Salomonem plures uxores duxisse ex iis gentibus, cum quibus connubia habere prohi-

---

(1) Vide Const. *Nimiam licentiam — Matrimonia quae — Inter omnigenas.*

bitum hebraeis a Deo fuerat; quas quidem non concubinarum loco ab ipso habitas fuisse sacer textus indicat, cum septingentas Reginas a trecentis concubinis omnino distinguat. Accedit praeterea Sampsonis exemplum, qui Dalilam uxorem habuit ex gigantum progenie ortam. Et sexcenta alia praetermittimus, quorum vim ingenue fatetur celeberrimus Theologus Dominicus Sotus *in 4 sent., dist. 39, quaest. unic., art. 1,* licet is sentire videatur, illa Deuteronomii verba de impedimento agere non impediente, ut inquiunt, sed dirimente.

Saltem respectu omnium nationum extra terram Canaan.

§ 5. Deinde vero, etsi Soti sententia vera esset, tamen impedimentum dirimens non ad universos omnino populos pertineret, sed ad septem nationes tantum, idest Hethaeos, Gergezaeos, Amorrhaeos, Cananaeos, Pherezaeos, Hevaeos, Iebusaeos, quae scilicet Deuteron. *cap. 7* exprimuntur; id vero nullo pacto sufficit, ut impedimentum disparitatis cultus in hebraica lege inter hebraeos et mulieres alterius cultus et cuiuscunque nationis, stabiliatur; iuxta egregiam S. Thomae doctrinam, qui *in 4 sent., dist. 39, quaest. 1, art. 1. Ad primum* sic scripsit: ***Dicendum, quod in veteri lege de aliquibus infidelibus erat permissum, ut cum iis possent inire coniugia, et de aliquibus prohibitum, specialiter quidem erat prohibitum de infidelibus habitantibus in terra Canaan,*** qui memoratas paulo ante gentes comprehendunt. Quod vero praedicta lege Deuteronomii *ad cap. 7* dumtaxat tenerentur terrae Canaan habitatores, non autem coeteri, licet addicti diversae penitus religioni, id clare perspicitur ex Cap. 21 eiusdem Deuteronomii, ubi victoribus hebraeis conceditur, eam captivam uxorem ducere, cuius forma ipsis egregia videretur. ***Et videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, volueris que habere uxorem, dormies cum illa, et erit uxor tua:*** quod quidem et S. Thomas animadvertit, *loc. cit. in responsione ad secundum.*

Factum Esdrae intelligi potest de separatione quoad thorum.

§ 6. Cum autem Esdras filios Israel a mulieribus alienigenis separaverit, non illud hinc sequatur necesse est, quod is nimirum Deuteronomii caput septimum ita interpretatus sit, ut ob disparitatem cultus irrita infectaque matrimonia esse iusserit; quinimo illud in eam partem accipi potest, ut manente eodem matrimonii vinculo, separatio quoad thorum fieret; ita tamen ut iure polygamiae nubere liceret viris, nefas esset mulieribus de thalamo cogitare, donec, aut viri occumberent, aut ipsae ad iudaicam accederent religionem; ut sapienter animadvertit insignis Theologus Gulielmus Estius *lib. 4 sent., dist. 39, § 3, vers. Quod si dicas Esdram.* Id etiam S. Augustini auctoritate confirmatur, qui *in lib. de adulterinis coniugiis, cap. 18,* de matrimoniis ab Esdra separatis, tamquam de veris loquitur, licet non legitimis, utpote contractis Dei praecepto non suffragante.

Leges imperiales impedimenta, quibus matrimonium dirimatur, statuere non valent.

§ 7. Ex dictis liquet, incertum esse, ex Lege Mosaica, matrimonia hebraeorum inita cum mulieribus exteris, et religionis alienae, haberi irrita oportere. Neque hinc argui potest, eadem lege cautum fuisse, ut viri huiusmodi matrimonia ineuntes, ob disparitatem cultus, dirimenti teneantur impedimento. Idem quoque sentiendum de principum legibus arbitramur. Lex enim unica, quae ad hanc rem pertineat, Theodosii est, quae incipit, *Ne quis,* sub titulo Codicis *de Iudaeis,* cuius haec sunt verba: *Ne quis christianorum mulierem in matrimonium iudaeus accipiat, neque iudaeae christianus coniugium sortiatur; nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vice commissi huiusmodi crimen obtinebit.* Verum duae huc occurrunt difficultates: prima, quod haec lex utpote a laico principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet: *Leges illae quomodocumque intellectae, non possunt praescribere Ecclesiae.* Sic Estius cit. loco ad §. *Si quis obiiciat.* Gravior altera est. Nam Theodosii lege, hebraei cum christiana matrimonium, ob sceleris indignitatem, non quidem ut irritum, sed ut adulterium, severissime damnabatur. ***Leges autem Imperatoris dicendum est, dicta matrimonia ut adulteria punire, propter gravitatem peccati, non propter nullitatem matrimonii:*** Idem Estius.

Lex allegata poenam delicti statuit, at de validitate matrim. non loquitur.

De muliere quid inquirendum.

§ 8. Quamobrem si in matrimonio, de quo nunc agimus, impedimentum disparitatis cultus intercesserit, inspiciendum erit, an illi mulier obnoxia fuerit; quod ut cognoscatur, diligenter est perscrutandum, num Iure canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi ecclesiae catholicae consuetudine stabilitum; praeterea an mulier Protestantium haeresi infecta hac consuetudine teneatur. Nam si mulier cum foedus iniit, dirimenti hoc impedimento detinebatur, hoc satis est, ut matrimonium irritum habeatur, directe quoad mulierem, oblique quoad virum; licet hic superioris

Lex, aut consuetudo, si unam ex partibus efficit, contractum irritat etiam quoad aliam.

auctoritati, qui legem tulit, non sit obnoxius: eo ferme pacto, quo si princeps aliquis subditorum cum exteris commercium sustulisset, atque irrita declarasset, ea, si forte fierent, inania haberentur, licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum esset subditus legislatori.

In iure communi canonum impedimentum disparitatis cultus inter dirimentia non refertur.

§ 9. Nunc, ut proposuimus, an impedimentum illud disparitatis cultus iure canonico decretum fuerit, investigemus. Verum facilis est explicatio: Canones quippe a Gratiano collecti in *causa* xx., *quaest. 1*, revera fidelium cum infidelibus matrimonia prohibent, non ita tamen, ut eadem faciant irrita. Et quamquam facerent, tamen, quum canones illi conciliis provincialibus conditi fuerint, tantam vim obtinere minime possunt, ut iis universalis ecclesia obligetur; quamvis praedicti canones in Gratiani decreto locum habeant, et illud opus iussu Gregorii XIII. emendatum fuerit; ut in quibusdam nostris operibus iam in publicam lucem editis satis superque a nobis probatum est.

Illud tamen provenit ex generali ecclesiae catholicae consuetudine, quae vim legis habet.

§ 10. Sequitur modo, ut cum impedimentum illud iure canonico statutum non fuerit, perquiramus, an communi Ecclesiae catholicae consuetudine susceptum, atque firmatum inveniatur. Qua quidem in re, omnes sentiunt, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem iure sacrorum canonum, sed generali ecclesiae more, qui pluribus abhinc seculis viget, ac vim legis obtinet. Consulatur Cardinalis Bellarminus *tom. 3 controvers. de Sacram. Matrim., lib. 1, cap. 23, vers. Tertia propositio,* Estius *loc. cit.,* § *Si quis obiiciat,* et Natalis Alexander *in Theolog. dogmat. et moral., lib. 2 de Sacram. Matrimonii, art. 8,* § *Certum est,* recens Herminier *Tractatu de Sacramen., tom. 3, pag. 477.* Item etiam *tom. 3 conventuum ecclesiasticorum,* qui Parisiis habebantur, cum eiusdem ecclesiae Archiepiscopus esset Cardinalis de Noailles *lib. 1, convent. 1,* § *3,* ubi haec scripta sunt: *Omnes ferme theologi sentiunt, nunquam Ecclesiam matrimonia christianorum cum infidelibus aliquo canone vetuisse, quo ea declaret irrita; impedimentum vero, quod a religionis diversitate procedit, ab usu consuetudineque Ecclesiae vim legis habente statutum fuisse.*

Impedimentum disparitatis cultus locum habet inter baptizatum, et non baptizatum quemcumque.

§ 11. Restat denique expendendum, an mulier ex haeresi Protestantium, dum hebraeo nupsit, hac lege universali, ut diximus, Ecclesiae consuetudine inducta obligaretur, quae christianorum in ethnicis aut hebraeis matrimonia propter disparitatem cultus irrita esse iubet. Hac vero in quaestione non alio modo responderi posse arbitramur, nisi videlicet, eam fuisse id temporis obligatam. Hoc siquidem impedimentum non habet locum in matrimoniis eorum, qui haud sunt baptismate initiati, licet falsam ambo religionem sectentur: neque vim ullam habet in matrimoniis eorum, qui baptisma susceperunt, etsi alter catholicus, haereticus alter fuerit, quum plane constet, illicita illa quidem, sed rata esse. Illud autem vigere compertum est, in eorum coniugiis, quorum alter baptismi est particeps, expers omnino alter, quamvis adhuc catechumenus esset, atque ad catholicam fidem accedere statuisset. Id confirmatur textu *in Can. Cave 28, quaest. 1,* ubi haec habentur. *Si christiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sint Sacramento Baptismatis:* et praeter Sanctum Thomam *loc. cit. in responsione ad quintum,* et praeter Sotum *loco superius laudato* § *Hinc fit,* idem decernunt Pontas *in cas. 7 ad verbum impedimentum disparitatis cultus,* Iuvenin *de Sacram. diss. 10, quaest. 2,* § *2 vers. Quaeres utrum catechumeni,* Sanchez *de matrimonio, lib. 9, cap. 12, num. 66 et seq.,* Clericat. *de matrim., decis. 26, num. 3.* Cum vero haec communis Ecclesiae disciplina nunc vigeat, eique, ut innuimus, mulier protestantium erroribus addicta subiiciatur, necesse erit, ut matrimonii foedus, quod cum hebraeo iniit, cum hic baptismate ablutus minime fuerit, per impedimentum *disparitatis cultus* irritum infectumque habeatur.

Baptismus rite collatus ab haereticis validus est, et characterem imprimit.

§ 12. At obiicere quis forte posset, baptismum, de quo nunc agimus, non quidem a catholico, sed a ministro protestantium collatum fuisse; mulierem vero, utpote haeresi mancipatam, post susceptum baptisma, extra sinum ecclesiae catholicae fuisse, nec ideo eius legibus obligatam. Sed haec diluere facile possumus, si primo consideremus, quod apud omnes constat. Haereticus aliquem baptizando, si formam adhibeat et materiam legitimam, ut in muliere, de qua sermo est, peractum existimamus, is sacramenti charactere insignitur. Hac enim ratione, tamquam fundamento, et S. Augustinus et veteres patres innitebantur, ut Donatistas refellerent, qui contendebant, ab haereticis baptizatos rursus esse baptismate initiandos.

Baptizatus ab haeretico evenit membrum ecclesiae, et etiam in infantia habitum fidei recipit.

§ 13. Deinde id etiam compertum est, eum qui baptisma ab haeretico rite suscepit, illius vi ecclesiae catholicae membrum effici; privatus siquidem baptizantis error hac eum felicitate privare nequit, si sacramentum conferat in fide verae Ecclesiae, atque eius instituta servet in his, quae pertinet ad validitatem baptismi. Egregie hoc confirmat Suarez in sua fidei catholicae defensione contra errores sectae Anglicanae, *lib. 1, cap. 24,* ubi probat baptizatum Ecclesiae membrum fieri; hoc etiam addens, quod si haereticus, ut saepius accidit, infantem lustret impotem ad fidei actum eliciendum, hoc impedimento non est, quo minus ille habitum fidei cum baptismo accipiat.

Si baptizatus errori deinde adhaereat, caret beneficiis communionis Ecclesiae; sed ab Ecclesiae auctoritate non eximitur.

§ 14. Postremo exploratum habemus, ab haereticis baptizatos, si ad eam aetatem venerint, in qua bona a malis dispicere per se possint, atque erroribus baptizantis adhaereant, illos quidem ab Ecclesiae unitate repelli, iisque bonis orbari omnibus, quibus fruuntur in Ecclesia versantes; non tamen ab eius auctoritate, et legibus liberari; ut sapienter Gonzalez disserit *in Cap. Sicut, n. 12, de haereticis.*

Confirmatur exemplis.

§ 15. Hoc quidem in transfugis ac perduellibus observatum videmus, quos leges civiles a fidelium subditorum privilegiis omnino excludunt. Leges quoque ecclesiasticae privilegia clericalia iis clericis non concedunt, qui sacrorum canonum iussa negligunt. Nemo autem sentit, aut perduelles, aut clericos canonum violatores, suorum principum, aut praelatorum auctoritati non subiacere.

Ex praemissis infertur nullitas matrim. inter haereticam et iudaeum.

§ 16. Haec exempla, ni fallimur, pertinent ad quaestionem: ut enim illi, sic haeretici Ecclesiae subditi sunt, et legibus ecclesiasticis tenentur. Cum vero inter Ecclesiae leges illa quoque recenseatur, quae matrimonia illorum, quorum alter rite baptismum acceperit, secus alter, rata non habet; in nostra etiam quaestione statuendum erit, cum haeretica mulier baptismo initiata hebraeo nupsit, matrimonium illud pro irrito habendum esse. Consulatur Anacletus *lib. 4 Decretal., tit. 3 de clandestina desponsatione,* § *3, num. 142 et seq.,* qui praedictae sententiae inhaerens, matrimonia ab haereticis inita statuit esse invalida, si impedimentum dirimens ab Ecclesia sancitum, aut universali lege, aut communi consuetudine, quae vim legis obtinet, intercedat.

Obiectio ex admissa validitate matrimoniorum in Belgio contractorum, non servata forma Concilii Tridentini.

§ 17. At vero ne silentio aliquid dissimulemus, fatemur allatas rationes sufficere non potuisse, ut matrimonia, quae in Belgio, absente parocho catholico, aut inter haereticos, aut inter catholicos et haereticos contracta fuerant, rescinderentur, cum nosmetipsi decretum fecerimus die IV. novembris MDCCXLI., quo statuimus prima esse valida, secunda illicita, sed non irrita; quamvis Concilium Tridentinum impedimentum dirimens, pro iis matrimoniis statuerit, quae post eius promulgationem non coram parocho catholico, et duobus testibus contrahuntur. Nam ut ambiguitas omnis tollatur, ignorandum non est, in huius controversiae investigatione, quam an. MDCCXLI. explicavimus; nos ipsos et nostra et multorum, quos consuluimus, sententia existimasse, firmas certasque manere praedictas antea rationes; sed ad rem, de qua agebamus, minime aptas esse. Ex verissimis siquidem argumentis coniecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a nobis an. MDCCXLI. solutae occasionem dedere; ut commode colligi potest ex suffragiis Theologorum et Canonistarum, qui hac de re scripserunt, quae Romae in publicam lucem edita sunt in tomo unico foliorum Congregationis Concilii an. MDCCXLI. Quae quidem veritas superioribus fundamentis fulta non infirmatur, ut eo plane modo, quo Episcopus, si nolit aliquando corrigere, aut punire clericum, qui canonum sanctionibus non obtemperat, nec privilegiis fruitur; Episcopus, inquam, non dubitatur, quin alias, si velit, eum libere possit aut arguere, aut punire.

Respondetur, ex mente ipsius Concilii iudicatum fuisse, ea non comprehendi sub ipsius lege.

Dubitatur, an ex mente Ecclesiae praefata consuetudo comprehendat personas et regiones, de quibus agitur.

§ 18. At obiici adhuc posse cognoscimus, existimandum esse, Ecclesiam noluisse impedimento disparitatis cultus ea matrimonia subiicere, quae ab haereticis protestantibus cum hebraeis contracta sunt in iis praecipue regionibus, ubi illud, de quo sermo est, initum fuit; cum hoc impedimentum vim ex consuetudine obtineat, nullamque in illis matrimoniis, nec in illis regionibus consuetudinem huiusmodi vigere compertum sit.

Id iam dubitatum fuit de Sinensibus, et Iaponensibus recens conversis.

§ 19. Respondemus autem veterem hanc esse quaestionem, atque a Patre Lessio tum excitatam, cum primum Iaponenses et Sinenses a falsorum deorum cultu ad veri numinis religionem transierunt. Cum enim idem Lessius assereret, nullam apud eos huiusmodi esse consuetudinem, idcirco

matrimonia ibidem inter baptizatos et non baptizatos inita esse rata existimabat. Eadem controversia disceptata fuit ab illis, qui in Seminario Missionum Parisiis degunt. Perlegere etiam fas est dubium a Patre Lessio excitatum apud Verricellum *de missionibus, lib. 3 de legibus, quaest. 79, num. 1,* apud Dianam *in Edit. coordin. tom. 6, tract. 1, resolut. 13 sub* § *2,* apud Clericat. *decis. 26, num. 23.* Quod vero ab his, qui in Seminario Parisiis degunt, discussum est, legi potest in citato *conventu 1 de matrimonio,* cum ecclesiam illam regeret Cardinalis de Noailles, § 4. Verum controversiae finis cum constitutus deinde fuerit, decernendo, consuetudinem non susceptam posse id efficere, ut Sancta Sedes, cum coeperunt Sinenses, Iaponensesque catholicam fidem amplecti, Vicariis Apostolicis facultatem daret, qua super impedimento disparitatis cultus cum iis dispensarent, quemadmodum in praedicto § 4 indicatur, et quemadmodum factum legimus in documento, quod est inter Constitutiones Apostolicas ad missiones Sinarum et Tunkini spectantes, Parisiis editas ann. MDCLXXVI. *pag. 38,* et inter epistolas Card. d'Ossat Parisiis typis mandatas an. MDCXXVII. *ep. 311,* ubi refertur amplissima facultas missionariis a Gregorio XIII. concessa, ut novos christifideles provinciarum, insularumque Iaponiae impedimento illo solverent et liberarent: Cumque huiusmodi remissio, nisi lex obstet, non concedatur, satis superque id est, ut clarissime innotescat, nullius momenti esse, quod de consuetudine impedimenti disparitatis cultus non adhuc suscepta obiiciebatur; cum potissimum peculiaris asserta consuetudo universali contrariae consuetudini cedere debeat.

Peculiaris consuetudo quo ad istos, facilius cum iis dispensandum suasit.

Sed non ideo generalis consuetudinis vis enervata.

Concluditur iudaeo baptizato, et erroribus a muliere eiuratis, renovandum inter eos matrimonium.

§ 20. Quamobrem ad propositum redeuntes, compertum habeas, quod postquam mulier haeresim more solito in idoneo tribunali eiuraverit; tu vero, hebraeum sacro baptismate initiaveris, inter illos coram Parocho matrimonium erit iterandum, a Conc. Trident. praescripta forma servata; quum Baptismi sacramentum sit ianua caeterorum. Hic autem nos finem imponentes tibi, dilecte fili noster, tuaeque regiae domui, ex animo apostolicam benedictionem impertimur.

Dat. Rom., apud S. M. M., sub an. Piscat., die IX. feb. MDCCXLIX., pont. nostri an. IX.

CVI.

DECRETUM

Occasione decreti pontificii in causa martyrii servi Dei Andreae Bobola S. I. plura quoad ius in similibus causis servanda declarat (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Expositio.

Cum in Congregatione generali sacrorum Rituum habita coram nobis die XIII. maii currentis anni MDCCXLIX., ad quam de more accessimus, post sedulo ponderata suffragia consultorum ad nos in scriptis antecedenter trasmissa, propositum fuit sequens dubium: *An constet de martyrio, et causa martyrii, nec non de signis seu miraculis in casu, et ad effectum de quo agitur:* nec, ullum tunc a nobis fuit prolatum Decretum, etsi in eadem Congregatione auribus nostris exceperimus luculentas Reverendissimorum Cardinalium Sacr. Ritibus praepositorum super eodem dubio sententias, post imploratam divinam opem, adhibitasque secundas curas, decretum tandem hac die edimus tum pro accurata causae propositae discussione, tum pro regula consimilium aliarum causarum, quae iuxta morem Sanctae Sedis huc usque illibate servatum, diligentissime sunt pertractandae.

Quot processus apostolici requirantur ad probandum martyrium.

Primo itaque, cum in causa venerabilis servi Dei Andreae Bobola ignoretur, an ante processum super martyrio in specie praecesserit apostolicus processus super fama martyrii in genere, de eo enim nulla fit mentio in facto concordato, et ante processum apostolicum in specie procedere debeat alter processus apostolicus in genere, Congregationi sacrorum Rituum exhibendus, et in ea discutiendus una cum favorabili eiusdem Congregationis responso a Summo Pontifice approbando, sive agatur de causis confessorum, sive de causis martyrum, nisi Summus Pontifex a confectione dicti processus in genere benigne dispenset, quae dispensatio, etsi post Urbani VIII. decreta non consueverit indulgeri in causis confessorum, aliquando tamen concessa non raro est in causis martyrum, prout a no-

(1) Ex Tabulario S. C. de Prop. Fide. Confer. Const. *Sollicitudini nostrae.*

bis, inhaerendo praxi Congregationis, late ostensum fuit in nostro opere *De Canonizat. Sanctor., lib. 2, cap. 39, num. 3 et 4,* ut praesens causa ad ulteriora progredi possit, opus est, ut vel doceatur de iudicio super fama martyrii in genere, completo, vel de obtenta pontificia a praedicto iudicio dispensatione.

Non quaevis probatio sufficit.

Secundo, cum ex archivio Domus Professae Societatis Iesu hic in Urbe desumpta fuerit epistola patris tunc praepositi generalis pertinens ad mortem venerabilis servi Dei Andreae Bobola, in qua, etsi dicat se non dubitare de eius martyrio, patrem tamen provincialem, qui de predicta morte eum certiorem fecerat, admonet, ut accuratam transmittat relationem, tum de eius morte, tum etiam de morte Patris Simeonis Maffon, et hinc necessitas derivaverit nedum exhibendi litteram patris provincialis scriptam patri generali, sed etiam requisitam ab eodem patre generali accuratam relationem, quae praesumitur transmissa; et exhibitae quidem fuerint nonnullae praecedentes epistolae ad patrem generalem scriptae, et in quibus fit mentio mortis venerabilis servi Dei Andreae Bobola, sed cum non fuerit exhibita accurata relatio ab eodem patre generali demandata, praecipimus, ut novae fiant diligentiae in eodem Archivio pro ea reperienda, servatis servandis, omnibusque adimpletis, quae a nobis adimpleta sunt, dum in minoribus promotoris fidei munere fungebamur, in causa tunc venerabilis servi Dei, nunc Sancti Ioannis Francisci Regis Societatis Iesu presbyteri, in qua multa, quae postulatores latuerant, diligenter pervoluto archivio Domus professae inventa sunt, quae favorabili resolutioni dubii super virtutibus profuerunt, prout etiam a nobis fideliter expositum est in citato nostro opere *De Canonizat. Sanctor., lib. 3, cap. 6, num. 16.*

De martyrio debet constare *directe et plene.*

Tertio, cum in presenti causa venerabilis servi Dei Andreae Bobola totus Postulatorum conatus in eo fuerit ut favorabile reportarent responsum super martyrio, causaque martyrii dependenter a probationibus directis, et per testes de visu, adminiculum deinde recipientes a testibus de auditu, in quo verum themate tutum sperabant progressum ad solemnem beatificationem ope duorum tantumodo miraculorum a Deo intercesione sui servi, uti asserebatur, patratorum, inhaerentes, concordibus suffragiis Reverendissimorum Cardinalium et aliquorum etiam Consultorum, decernimus, non constare de martyrio, et causa martyrii per directas probationes, per testes videlicet de visu, contestes idoneos et aptos, iuxta congregationis praxim, et Sedis Apostolicae institutum, a nobis expositum in citato nostro opere *De Canonizat. Sanctor., lib. 3, cap. 5, num. 11 et num. 13.*

Admitti possunt probationes *subsidiariae*, sed cum quatuor miraculis.

Quarto, cum deficientibus probationibus directis, causa haec ulteriorem progressum habere valeat dependenter a probationibus subsidiariis, quae in genere suo perfectae sint, dummodo tamen ad beatificationem procedatur, non binis tantum, sed quatuor intervenientibus miraculis, iuxta generale decretum a nobis editum die XXIII. aprilis MDCCXLI. relatum in citato nostro opere *De Canonizat. Sanctor., lib. 3, cap. 3 sub num. 25* editionis Patavinae, qua utimur, postulatoribus causae venerabilis servi Dei Andreae Bobola libenter indulgemus, ut in generali Congregatione sacrorum Rituum iterum proponere possint dubium de martyrio, et causa martyrii, et de signis, et miraculis, et sic causam prosequi per viam subsidiariae probationis in ea parte, quae martyrium et causam respicit martyrii, servata tamen quoad examen et numerum miraculorum et signorum, forma mox citati decreti editi ut diximus die XXIII. aprilis MDCCXLI.

Quae servanda sint in conficiendo *facto concordato.*

Quinto, cum ante propositionem causarum Beatificationis et Canonizationis in Congregatione generali sacrorum Rituum coram summo Pontifice factum, quod dicitur Concordatum, edatur a Cardinali causae relatore, in quo totius causae iuridica series exponenda est ut ictu oculi videatur, an aliquid fuerit omissum, antiquum morem a nobis semper retentum, dum officio fidei promotoris in minoribus fungebamur, renovantes decernimus, non aliter ad editionem facti concordati esse in posterum procedendum, quam extractis in authentica forma ex Regestis Congregationis Sacrorum Rituum, omnibus et singulis decretis in causa, de qua agendum est, editis, item eorum tantummodo tenorem esse inserendum in factum concordatum, nec ad eius editionem esse procedendum, nisi fuerit approbatum etiam a fidei promotore, uti praesefert nomen facti concordati, concordati videlicet inter Cardinalem relatorem et fidei promotorem.

Quae animadvertere debeat fidei promotor.

Sexto, cum a nobis quoque animadversum sit, scribentes in causis Beatificationum et Canonizationum saepe saepius pro

sui comprobatione assumpti, praeteritarum causarum, iam resolutarum exemplis uti desumptis ex animadversionibus fidei promotorum, nulla facta mentione responsionum, quae a postulatoribus datae sunt et a sacra Congregatione approbatae, ex qua profecto re multa absurda derivare possunt, demandamus fidei promotori pro tempore, ut serio veritatem advertens, voce et, quatenus opus sit, scripto, certiores faciat tum consultores, tum Cardinales de abusu, quatenus adsit, exemplorum, quae scribentes quandoque desumunt a praeteritis causis Beatificationum et Canonizationum.

Testes singulares etiam singularitate adminiculativa, non faciunt *plenam probationem*.

Septimo, cum, occasione discussionis dubii super martyrio, et fama martyrii, atque adeo probatione tormentorum et mortis a tyrannis inflictae Dei servis inter martyres recensendis excitata saepe sit inter consultores disputatio, an factum, quod ex separatis, licet continuatis actibus coalescit, probatum dici possit per testes de visu non contestes, sed singulares, etsi singularitate, uti dicunt, adminiculativa, ex quo alter ex eis deponit de captura, alter, exempli gratia, de alapis impictis, alter de vulneribus, et sic successive; nos, omnem controversiam dirimere volentes, decernimus, praedictos testes singulares, praedicta singularitate insimul coniunctos probare, sed probationem ex eis desumptam, non esse undequaque plenam et sufficientem, ut consulens, ei innixus respondere valeat, constare de martyrio et causa martyrii uti passim videmus in criminalibus causis, in quibus agitur de poena mortis irroganda, et quibus, quoad probationum robur causae Beatificationis et Canonizationis similes sunt. Si etenim probandum est, non promotum ad sacerdotium missam celebrasse, quod atrox crimen punitur poena traditionis brachio saeculari et unus testis deponat de sacrarum vestium indumento, alter de accessu ad altare, alter de celebratione Missae usque ad praefationem, alter de continuatione usque ad finem, dictorum testium fit coniunctio, et ex ea consurgit probatio sufficiens quidem, ut reus tormentis subiiciatur pro eruenda confessione, sed non sufficiens, ut idem tradatur brachio saeculari puniendus poena mortis, iuxta Apostolicam constitutionem, quae est XCVII. § *3 et 4, tom. 1* nostri Bullarii.

Causae martyrum expeditiores causis confessorum.

Octavo, etsi nedum per decretum editum a sanctae mem. Clemente XI. post accuratam discussionem anno MDCCXII. aliudque nostrum praecedentis confirmatorium decretum editum die X. aprilis MDCCXLII. vetitum sit respondere, quod de miraculis videatur, dum in causis confessorum agitur de virtutibus, nec transitus fieri possit ad discussionem miraculorum nisi prolato post rem discussam in tribus congregationibus iudicio virtutes approbante, iuxta ea quae a nobis deducta sunt in saepe citato opere *De Canonizat. Sanctor., lib. 1, cap. 27, num. 5 et num. 8;* cum tamen in causis martyrum, tum a nostris praedecessoribus, tum a nobis ipsis concessum aliquando sit, ut una cum martyrio et causa martyrii proponatur dubium de signis et miraculis, et hinc nonnulli ansam eripuerint ferendi favorabile iudicium super martyrio et causa martyrii, supplendo defectum probationum martyrii ope signorum et miraculorum, aut eorundem ope difficultates obruendo, quae martyrium causamque martyrii obnubilunt, praesenti nostro decreto declaramus, coniunctionem dubii de signis et miraculis, cum dubio de martyrio et causa martyrii ex dispensatione pontificia ex duplici capite fieri: Primo, quia cum minus operosae sint causae martyrum, in quibus, tantum de martyrio et causa martyrii inquiritur, quam causae confessorum, in quibus tractatur de toto cursu vitae hominis, id efficit, ut una cum dubio martyrii facile discutiendum assumi possit dubium de signis et miraculis: Secundo, quia, cum iuxta vetus adagium causae martyrum citius expediendae sint, quam causae confessorum, utriusque dubii coniunctio celeriori expeditioni viam aperit; per eam etenim martyris beatificatio tribus tantum praecedentibus congregationibus obtineri valet, quod nequit contingere in causis confessorum, in quibus beatificatio non obtinetur nisi sex praecedentibus congregationibus, tribus videlicet super virtutibus, et tribus super miraculis. Ex hoc autem nullatenus inferri potest, quod supplementum probationum in causis confessorum super dubio virtutum a miraculis desumendum undequaque vetitum, permissum dici valeat in causis martyrum, cum agitur de martyrio et causa martyrii. Dubium de martyrio, et causa martyrii, in causis martyrum aequipollet dubio de virtutibus in causis confessorum. Rursus iuxta constantem Sedis Apostolicae disciplinam a nobis late expositam in citato opere *De Canonizat. Sanctor.*, causae martyrum exaequatae sunt causis confessorum in eo,

quod spectat ad miracula, et numerum miraculorum, eorumque examen pro Beatificatione et Canonizatione obtinenda. Quapropter qui in causa martyris, in qua utriusque dubii coniunctio concessa est, iudicium ferre debet, si independeter a signis et miraculis, probatum censet martyrium causamque martyrii, nedum super hoc, sed etiam super altero de miraculis dubio, iudicium proferre tenetur. Ille vero qui martyrium non putat probatum, aut tantum dependenter a signis et miraculis, a iudicio de miraculis ferendo abstinens, respondeat, non constare de martyrio, et causa martyrii.

Ultimo mandamus, ut hoc nostrum decretum, quod manu nostra subscribimus, inter Regesta Congregationis Rituum asservetur, et quod eius exemplar typis impressum tum consultoribus, tum reverendissimis Cardinalibus sacrorum Rituum consignetur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. maii MDCCXLIX., pontificatus nostri anno IX.

CVII.

Confirmat decretum Congr. Concilii de iurisdictione parochi in tertiarios conviventes intra paroeciae fines.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Decretum a Congregatione Concilii in causa Ianuen. editum.

Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum in causa vertente inter dilectum filium modernum rectorem parochialis ecclesiae S. Vincentii civitatis Ianuen. ex una, ac dilectas in Christo filias puellas tertiarias nuncupatas Ordinis S. Dominici ex altera partibus, super praetensione subiectionis eidem rectori et exemptione ab illo, praevia propositione dubii: *An puellae tertii Ordinis S. Dominici Civitatis Ianuae, nuncupatae tertiariae, subiectae sint iurisdictioni parochi in casu etc.*, decretum tenoris sequentis, videlicet: *Die* XXVI. *aprilis* MDCCXLIX. *sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum respondit affirmative. A. Cardinalis Gentili, Praefectus. F. A. Furiettus secretarius: Loco ✝ sigilli.*

Idem decretum auctoritate apostolica confirmatur.

§ 2. Cum autem, sicut praedictus rector nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret, nos ipsum rectorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

Clausulae et decreta.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiae et ordinis huiusmodi etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. septembris MDCCXLIX., pontif. nostri anno X.

CVIII.

Accessum ad moniales non solum regularibus exemptis, verum praesulibus ac Episcopis aliarum dioecesum prohibet sine Ordinarii loci permissu (1).

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios per ecclesiasticam ditionem constitutos,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Facultas accedendi ad monialium coenobia sine permissu Ordinarii ab aliquibus praesumpta.

Gravissimo animi moerore affecti fuimus, dum a certis viris renuntiatum nobis est, aliquos esse praesules, qui regimen civitatum ditionis nostrae obtinentes, nec habita, immo nec petita quidem ab Episcopis locorumque Ordinariis facultate, ad monialium monasteria se conferunt et libere cum iis colloquuntur, Synodorum decreta et Episcoporum constitutiones omnino infringentes, in quibus huiusmodi licentia dignis poenis prohibetur. Sed non solum in iis civitatibus, in quibus sunt cum imperio, eos ita se gerere audivimus; verum in caeteris quoque, per quas casu transeunt, ea ratione innixi, quod a peculiaribus Episcoporum aliorumque Ordinariorum constitutionibus sese exceptos esse contendant. Haec, quae ad nos delata sunt, excipere ac credere non dubitavimus; quum id nobis etiam Anconitanam et Bononiensem ecclesias regentibus coram contigerit, quamvis aegre id ferentes, acriter, sed frustra, quos decebat, admonere non praetermiserimus.

Antiqua decreta, quae vel ignorantur, vel contemnuntur, innovari oportet.

§ 1. Nihil, aut parum negotii, res facesseret, si ante oculos ponerent tribunalium urbis decreta confirmata a praedecessoribus nostris, qui res omnes praeteritis temporibus non providerunt solum, verum etiam iis sapientissime consuluerunt. Sed quoniam aut illa ignorant, aut, si sciunt, arbitratu suo vivere contendunt, ad eum, qui Ecclesiae praeest, omnino spectat illa ad memoriam revocare, tum iubere eadem observari.

Non solum regularibus exemptis, praesulibus et gubernatoribus, sed etiam Episcopis aliarum dioecesum, prohibitus fuit accessus ad moniales, sine Ordinarii loci permissu.

§ 2. Praeteritis temporibus sacrae Congregationes, annuentibus Summis Pontificibus praedecessoribus nostris, opportuna statuerunt quae sibi necessaria visa sunt, quod regulares, qui suis fulti legibus, sive immunitatibus, putabant in iussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta monialium claustra, ut videre licet in nostro tractatu *de Synodo, lib. 7, cap. 41, num. 7,* ubi eadem decreta indicantur; sed providentes etiam non tam gubernatoribus, quam Episcopis, qui aut in civitates aut oppida alterius Episcopi iuri subiecta veniunt, aut inibi commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario monasteria adiret, aut moniales alloqueretur; cuiusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud Pellizarium *de Monialibus, cap. 5, sect. 5, n. 210,* apud Gratianum *discept. 392, num. 1,* apud Tamburinum *de Iure Abbatissarum disput. 25, quaest. 2,* et apud Ferrar. *in sua Bibiotheca, in verbo Moniales, art. 4, num. 34.*

Ordinarius localis custos est clausurae monialium, iure ordinario quoad monasteria sibi subiecta et iure delegato quoad exempta.

§ 3. Canonicis sanctionibus monialium custodia iuri ordinario Episcopi, si monasteria eius potestati subiecta fuerint, delegato, si exempta, committitur; quemadmodum statutum fuit a Pontifice praedecessore nostro Bonifacio XIII. *in cap. Periculoso, de statu monachor. in sexto,* atque a sacro Trident. Concilio renovatum *in cap. 5, sess. 25, de regularibus et monialibus.* Hinc porro omnino sequitur, monasteria adire monialesque invisere sine custodis iussu licere nemini; ac propterea debere omnes huiusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores et argui facile potest ex praeteritis congregationum decretis.

Nec aliquis ab eius directiva auctoritate ac iure exemptus censeri potest.

§ 4. Quae quidem confirmata omnino volumus, ac si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus, imperamusque, ne Episcopi alienae dioecesis monasteria conveniant, atque cum monialibus colloquantur, inscio Ordinario loci; eademque omnia firma rataque esse iubemus, etiam quoad vicelegatos et gubernatores, licet praesules, quibus ad monasteria accessum sine debita venia, in iis quoque civitatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdicimus.

Decreta super hoc edita confirmantur et innovantur Pontifice.

Distinctio inter auctoritatem directivam et coactivam.

§ 5. Iam dictum est hosce omnes directivae Episcoporum auctoritati eorumque constitutionibus subiacere, quae omnino accessum vetant et monialium claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum iurisdictioni minime subsint, ideo sunt immunes a vi coactiva, id est apoenis contra transgressores

(1) Vide const. *Per binas* et in nota *Salutare in Ecclesia catholica.*

statutis, uti ex responso patet Clementis III. praedecessoris nostri *in cap. A nobis 21 de Sententia excommunicationis.*

Si quis illam contemnere praesumpserit, Pontifici denunciari praecipitur.

Ne vero ab huiusmodi immunitate aliquid mali exoriatur, volumus et mandamus, ut si aliquando contigerit, quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad monasteria monialium se conferant et cum iis Episcopi iniussu agant, infringentes Synodorum sanctiones, atque Episcoporum edicta, volumus, inquam, et imperamus, ut Episcopi nos aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem faciant, ut aliqua ratione contempta episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius huiusmodi consilium amplectimur, quod idem a praedecessoribus nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes, et Sedi Apostolicae immediate subiectas, procedendum sit; Ioannes XXII. *in cap. Cam Matthaeus, de haereticis, in Extravag. com.*, Eugenius IV. *in cap. Divina, de privileg. in Extravag. com.*

Praesentium executio Ordinariis demandatur.

§ 6. Haec sunt, quae a nobis facienda esse duximus, tuum nunc est venerabilis frater, hanc epistolam nostram in Cancellaria tua diligenter servare, eamque meliori, qua decet, forma promulgare, iisque, ad quos pertinet, indicere, eiusque executionem procurare: ac fraternitatem tuam in Domino amplectentes, tibi et gregi tibi credito apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. octobris MDCCXLIX., pontif. nostri anno X.

CIX.

Collegium Illiricum in civitate Lauretana a Gregorio XIII. institutum, exemptum a quibusvis iuribus parochialibus decernit et declarat. (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cum sicut accepimus, dudum fel. record. Gregorius Papa XIII. praedecessor noster miseratione tantae gentis Collegium Illyricanae iuventutis in civitate tunc sua, nunc nostra, Lauretana illius Sacrosanctae Domus proventibus alendae, bonisque artibus et disciplinis instituendae, praefixo tunc temporis numero ad triginta adolescentes erexisset et instituisset, et subinde recol. mem. Urbanus Papa VIII. itidem praedecessor noster cum pium opus praedictum aliquot post annis quibusdam de causis admodum imminutum fuisse redacto ad duodecim tantum alumnos adolescentium Romam Laureto translatorum numero, Lauretano penitus extincto, hanc translationem et numeri alumnorum imminutionem in maximum damnum fidei in illis provinciis contigisse certa scientia cognovisset, ad huiusmodi opus dictum collegium in pristinum et, quantum fieri posset, in meliorem statum restituendum et renovandum animum suum convertisset, praedictum Collegium in dicta civitate Lauretana, praescriptio numero alumnorum, ac forma pro illis recipiendis, de novo erexerit et instituerit, ac eidem Collegio, scholaribus et rectoribus, nec non gubernatoribus ac ministris, ut quibuscumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus et indultis, quibus studium generale almae urbis nostrae et illius rector doctoresque in eo legentes, aliaque collegia quarumcumque nationum et seminaria tam in eadem Urbe quam extra illam per Romanos Pontifices praedecessores suos instituta utebantur, potiebantur et gaudebant, ac uti, potiri et gaudere quomodolibet possent in futurum, non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia uti, frui, et gaudere valeret auctoritate praedicta indulserit ac communicaverit, et alias prout in Gregorii ac Urbani praedecessorum praedictorum literis sub plumbo expeditis, quarum tenores praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur (2):

Collegium eximit a iuribus parochialibus.

§ 1. Hinc est, quod nos eidem collegio specialem gratiam facere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, collegium praedictum eiusque collegiales ac ministros a quibusvis iuribus parochialibus exemptum et exemptos esse decernimus et declaramus, et idem collegium ac omnes et quoscum-

---

(1) Ex Tabulario Typ. R. Cam. Ap.

(2) Lit. Urbani VIII. *Zelo domus Dei*, vide vol. I., pag. 73; literas vero Greg. XIII., quibus collegium institutum fuit nondum invenimus; sed si inventa fuerit lector in appendice leget.

que illius ministros, officiales, rectorem, magistros, seu lectores, alumnos et convictores, intra tamen eiusdem collegii septa degentes a parochia, seu parochiali ecclesia, ac moderno et pro tempore existente illius rectore seu parocho, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus earumdem tenore praesentium perpetuo eximimus et plenarie liberamus, eosque sic exemptos et liberatos moderno pariter et pro tempore existenti dicti collegii rectori, seu alteri ab eo deputando, in iis, quae ad administrationem Sanctissimae Eucharistiae, etiam pro Viatico, ac Extremae Unctionis Sacramentorum, aliisque omnibus, quae ad animarum curam spectant, penitus et omnino subiicimus. Quapropter dicto moderno et pro tempore existenti parocho districtius inhibemus, ne in posterum se in praemissis ingerere, ac desuper collegium huiusmodi ac rectores et personas praedictas, seu eorum aliquem, molestare audeat seu praesumat.

Sacramentum Euchar. et Oleum infirmor. concedit in oratorio servari.

§ 2. Praeterea eidem moderno et pro tempore existenti collegii praedicti rectori, ut in privato eiusdem collegii oratorio, dummodo decenter ornatum sacrisque supellectilibus munitum reperiatur, super quo conscientiam suam oneramus, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, ac sanctum Oleum, seu Oleum Infirmorum ab Episcopo benedictum, facultatem asservandi et retinendi apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur; ita tamen ut ante ciborium lampas accensa diu noctuque detineatur, ac eiusdem ciborii clavis per eumdem rectorem, seu alium ab ipso deputandum, in sacro presbyteratus Ordine constitutum custodiatur.

Derogationes.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod modernus parochus, seu alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, dignitatis, seu alias speciali et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes literae emanarint, adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis iusta, legitima et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos, iuris reduci, aut in controversiam revocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti posse, sed ipsas praesentes literas et in eis contenta huiusmodi semper firma, valida et efficacia existere et fore; suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illi, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et ab illis respective inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non dictae parochialis ecclesiae etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis eidem parochiali ecclesiae illiusque rectori, seu parocho, aliisve quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, speci-

fica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. novembris MDCCXLIX., pontific. nostri anno X.

CX.

Partem Dioecesis Aquileiensis temporali Austriacae Domus ditioni subiectam per unum Vicarium apostolicum gubernandam decernit ad obtinendum dissensionum finem (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Omnium ecclesiarum solicitudinem, una cum Apostolica Beati Petri Sede, et cum potestate Domini Nostri Iesu Christi in terris vicaria, tenuitati nostrae impositam agnoscentes; quum nobis ignorare non liceat, quantis iamdudum inordinationibus,

(1) Huiusmodi Vicarii Apost. necessitatem S. P. exposuit in sequenti allocutione consistoriali habita feria 2, die 1 decembris:

Venerabiles fratres,

Postquam initio huius consistorii verba fecimus de proxima anni sancti celebritate, aliaque negotia expedivimus, molestum non sit vobis adhuc paululum immorari, donec vobis rem gravissimam exponamus.

§ 1. Nemini fortasse vestrum explorata non est misera conditio, in qua multo abhinc tempore versatur ea pars dioecesis Aquilejensis, quae dominationi Austriacae subiicitur, ubi nullam conceditur Patriarchae exercere iurisdictionem, nullumque regimen, ob eas causas, quas hoc loco recensere supervacaneum existimamus.

§ 2. Ut remedium aliquod huic incommodo afferretur, iis praetermissis, quae antiquiora sunt, curae et labores plurimi fuerunt insumpti, cum Urbanus VIII. praedecessor noster summum pontificatum teneret; plurimum quoque quaesitum est de eodem negotio posteriori tempore, ita tamen ut omnis conatus vanus irritusque cesserit. Cum deinde ad hanc Apostolicam Sedem licet immerentes evecti fuimus, eadem dioecesis Aquilejensis pars, quae in ditione Austriaca posita est, hac ratione, quam modo subiicimus, administrari consueverat: dioecesani scilicet illi, siquid ipsis contingeret, ad Apostolicum Nuntium Viennae commorantem confugiebant, qui rem totam, si proferri in tempus aliquod posset, Patriarchae Aquilejensi exponebat, atque ad eius consilium omnia exigebat. At, quemadmodum quisque facile intelligit, satis id non erat, ut spiritualia illius gentis negotia recte gererentur; immo vero tractu temporis res in deterius prolapsae sunt. Etenim cum Nuntius Viennensis pristinum institutum significandi ea, quae accidebant, Patriarchae Aquilejensi retinere amplius non posset, neque ab illo expectare, quae forent statuenda, nos adducti fuimus ad decernendum, ut dioecesani illi Nuntium Viennae degentem adirent, qui negotiis eorum consuleret, nosque omnium, quae peragebat, participes redderet, ut auctoritate nostra probarentur. Porro id consilii cepimus, eo quod, novis in dies dissidiis interpositis, nullo pacto liceret Patriarchae se immiscere negotiis suae dioecesis in ea parte, quam temporalis ditio Austriaca complectitur, et quae cum ampla sit, non modo omni prorsus ecclesiastica cura caruisset, sed obnoxia quoque fuisset non vano discrimini, ne religio ipsa catholica maximum pateretur detrimentum, cum potissimum ad aures nostras pervenerit, hoc tempore latius in illis locis haeresis pestem esse propagatam. Equidem ab ipso nostri pontificatus exordio constituimus vires omnes impendere, ut huic gravissimo malo mederemur. Animum quoque nostrum inflammavit pietas ac religio charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae illustris et imperatricis, quae pro re gerenda virum certum et fidum ad nos misit, ac deinde suis apud Sedem Apostolicam ministris illam perficiendam mandavit. Quot somno et quieti ademimus horas, ut in id negotii incumberemus, quot cordis maeroribus conflictati, quot conscientiae aculeis fuerimus agitati, Deum O. M. testem advocamus. Intelligebamus enim provinciam spiritualis regiminis Viennensi Nuntio nostro demandatam, ut de iis omnibus, quae acciderent, certiores nos redderet, exiguam utilitatem afferre, et parum esse consentaneam, cum et Nuntius longe moraretur ab illis locis per ipsum moderandis, et plura nobis deessent, quae sub oculis habenda erant, ut nostra auctoritate firmaremus ea, quae ab ipso Nuntio gerebantur.

§ 3. Cum Urbanus VIII. praedecessor noster hanc Sedem Apostolicam obtineret, propositum fuit ab Aquilejensi Patriarcha, eam dioecesis partem divellere, quae a parte imperii nuncupabatur, et Austriacae ditioni subiicitur, ibique novum Episcopum constituere. Idem tempore pontificatus nostri, et modo potissimum, in medium profertur; at vero, omissis difficultatibus, quae, cum novi episcopatus eriguntur, exoriri solent, illud praesertim adversari visum fuit, nempe dioeceses in partes secernere ob controversias, quae ob eam causam excitantur, quod diversae eiusdem dioecesis partes diversis saeculi principibus subiiciantur. Cum S. Pius V. et Gregorius XIII. pontificatum gererent, visitatores apostolicos missos fuisse legimus in eam partem dioecesis Aquilejensis, quae pertinet ad Austriacam dominationem, eo quod turbae concitatae fuissent eo tempore in Patriarcham Aquilejensem, ne suam in eis locis iurisdictionem libere exerceret. Attamen cum pernicies ac detrimentum illius dioecesis non in peculiaribus quibusdam perversitatibus, sed in eo potissimum sit, quod Patriarcha Aquilejensis ab assiduo, praesentaneo et necessario regimine impediatur; ideo facile dignosci potest, exiguam et brevem utilitatem expectandam esse a visitatore, qui fortasse alio tempore remedium sufficiens huic malo afferre potuisset. Postremo, cum Urbanus VIII. in hac Apostolica Cathedra sederet, magno studio propositum fuit, in ea parte dioecesis Aquilejensis, quae Germaniae finitima est, Episcopum Patriarchae suffraganeum collocare, sed tot ac tanta impedimenta occurrebant, ut ab eo consilio non sine

cum animarum detrimento, subiaceat ecclesiastici regiminis ratio in pluribus nec ignobilibus nec infrequentibus locis, temporali Austriacae familiae dominio subiectis, quae Aquileiensis Dioecesis partem constituunt, ob plures, graves atque notorias dissensiones, quibus adhuc nulla a praedecessoribus nostris, aut a nobis ipsis, remedia utiliter praestari potuerunt; cumque etiam experientia compertum sit, varia ad hunc diem excogitata consilia et adhibita temperamenta, ad consulendum earum animarum gubernio pariter inutilia fuisse; iamque satis constet nihil ea in re profici posse, nisi in praedictis locis ecclesiasticus superior constituatur, qui, ibi residendo, nostra et Apostolicae huius Sedis auctoritate animarum regimen gerat, sine praeiudicio iurium partium dissentientium, tam quoad petitorium, quam quoad possessorium; post diuturnum et maturum rei examen, omnibus rite perpensis, in hanc sententiam consiliumque devenimus, ut auctoritate nobis a Deo concessa uteremur, ad removendum a nobis tantae et tam enormis culpae reatum, neglectae scilicet curae et regiminis tot millium animarum, quae a tanto iam tempore veluti desertae sine pastore vivere dignoscuntur. Quapropter usitatum in similibus remedium, sive temperamentum, et ad optatum finem satis efficax et nullo contendentium iuribus praeiudicio futurum, eligentes, nostris motu proprio et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, statuimus atque decernimus, ut ea pars dioecesis Aquileiensis, quae temporali Austriacae Domus ditioni subest, per unum Vicarium nostrum

---

gravi Pontificis molestia fuerit desistendum. Quamobrem Deo O. M. negotium imprimis commendantes, et rebus omnibus accurate examinatis, decrevimus Vicarium Apostolicum constituere in ea parte dioecesis Aquilejensis, quam iam toties nominavimus; quod et sacris canonibus, et veteri recentique Ecclesiae disciplinae accommodatum videtur. Sed ne populus ille careat ecclesiastico regimine, et ne oves illae pastore destituantur, qui periclitantibus opem ferat, eumdem Vicarium Apostolicum titulo Episcopi in partibus decorabimus, ut, quoad Ordinem et iurisdictionem, exerceat, nomine nostro, ac Sedis Apostolicae auctoritate, quaecumque a Patriarcha Aquilejensi, tamquam illius loci Ordinario, perficerentur. Quare si animo libero attentoque res perpendatur, dubitari nequit, quin Vicarius Apostolicus hoc pacto satisfacturus sit illis omnibus, in iisdem locis, quae per Nuntium nostrum Viennensem agebantur; hoc tamen interposito discrimine, quod Vicarius Apostolicus praesens in illis locis demandatam provinciam utilius sustinebit, quam Nuntius noster Viennensis, qui absens eadem loca moderabatur.

§ 4. Neque omittendum est, Sedis Apostolicae auctoritati in hoc Vicario constituendo a nobis consultum esse, ea formula superaddita: *ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum;* neque facultatem elargiti sumus supremo territorii domino huius Vicarii nominandi, cum nullum inveniatur exemplum, quo facultas huiusmodi permissa unquam fuisse alicui demonstretur. Illud tamen polliciti sumus, quod a successoribus nostris quoque praestandum non dubitamus, videlicet Apostolicum Vicariatum a nobis conferendum illi, qui eidem territorii domino gratus fuerit eiusque successoribus; quod sane necessarium putavimus, ut idem Vicarius suo feliciter munere perfungatur. Id etiam quodammodo debebatur pietati carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae illustris et Imperatricis, cuius praesertim auctoritate locus idoneus atque stabilis pro Vicarii Apostolici Sede, et omnia pro decenti illius sustentatione necessaria, constituta fuerunt. Nullius omnino rationibus detrimentum inferimus, eo quod vicariatum huiusmodi decernentes, hanc addidimus clausulam: *Citra praeiudicium partium tam in petitorio, quam in possessorio.* Insuper eumdem vicariatum tamdiu permansurum declaramus, quamdiu vel principalis causa absolvatur, vel, ipsa causa nondum absoluta, alia ratio deprehendatur partibus consentientibus, nobisque aut successoribus nostris probantibus, qua recte possit administrari ea pars dioecesis Aquilejensis, quae ab Austriaca dominatione dependet.

§ 5. Ecce quae deliberavimus, et firmata literis apostolicis in forma brevis expedienda curavimus, quae vobis etiam significanda censuimus. Superest de viro idoneo, qui Vicarius Apostolicus eligatur, cogitare; ac de facultatibus, quae ipsi eiusque successoribus tribuendae videantur, quod quidem negotium, post accuratum examen, alio brevi apostolico peragetur. Sed quoniam, praeter vicariatum, aliae controversiae, quae canonicos et Capitulum Aquilejense respiciunt, componendae supersunt; si Deus incolumes, et sospites nos tuebitur, illas pro muneris nostri ratione minime praetermittemus.

§ 6. Neque vos latere debet, concordem prius animarum, et consensum carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae illustris et Imperatricis, accessisse iis omnibus, quae usque modo peracta sunt; inclita quoque Venetorum Republica in genere nullatenus improbante. Pro certo pariter habemus, quod dilectus filius noster Daniel Delphinus Patriarcha Aquilejensis, si calamitatem dioecesis suae, in ea parte, quae Germaniae finitima est, perpendet, et difficultates maximas, quibus ipse ob hanc causam implicabatur, insignes alios Episcopos imitabitur, qui cum nullo modo ob gravissima impedimenta partem suae dioecesis administrare libere possent, Sedi Apostolicae gratias habere non omiserunt, eo quod Vicario Apostolico eam provinciae partem commiserit ipsius Sedis Apostolicae nomine gubernandam, donec de medio auferentur impedimenta. Nam id ipsorum iurisdictionem non modo imminuit, sed potius tuetur, et animarum saluti magnopere consulit, quam nobis ante oculos ab exordio ad finem usque huius praesentis negotii unice proposuisse profitemur.

§ 7. Antiqua rerum monumenta perquirentes, invenimus bonae memoriae Ioannem Garziam Millinum, iussu Urbani VIII. praedecessoris nostri, multum laboris insumpsisse in hoc Aquilejensi negotio, quod eo tempore propositum fuerat. Nos etiam commendare plurimum debemus dilectum filium nostrum Card. Marium Millinum, qui hoc idem negotium Imperatricis nomine nobiscum examinandum suscepit, nec ullam diligentiam ac laborem praetermisit, ut eo, quo iam pervenit, illud duceret; ipse quidem ministerio sibi commisso virtutem optimi Cardinalis adiunxit, ut catholicam religionem iuvaret.

Apostolicum in spiritualibus gubernetur. Et quoniam, licet nos ad impetrandum praedictarum dissensionum finem enixas omnipotenti Deo preces fundere non omittamus, adhuc tamen veremur, ne, peccatis nostris obsistentibus, eorum terminus longius protrahatur; ideo ea omnia, quae huiusmodi Vicariatum in genere concernunt, praesentium literarum tenore constituere, necessarium et opportunum censemus; reliqua deinceps, quae pertinent ad facultates ipsi Vicario a nobis deputando, eiusque successoribus forsan in futurum similiter deputandis, impertiendas, distinctius exprimenda reservantes aliis nostris apostolicis literis, quas super deputatione personae ad ipsius vicariatus exercitium a nobis eligendae edituri sumus.

§ 2. Quod itaque deliberato rerum ordini conveniens et congruum reputamus, omnia et singula praecedentibus temporibus capta temperamenta abrogantes et irritantes, decernimus: *Primo*, atque statuimus, eam Aquileiensis dioecesis partem, quae sub temporali Austriaca ditione constituta est, ab uno Apostolico Vicario, ut praefertur, in spiritualibus regendam et gubernandam fore. *Secundo*, volumus et statuimus, huiusmodi Vicarium ad tractus praedicti regimen apostolica auctoritate pro tempore deputandum, episcopali charactere insignitum esse, cum titulo alicuius ecclesiae in partibus infidelium sitae, et in singulis personarum mutationibus de more variandae. *Tertio*, eumdem Vicarium in loco praedictae ditionis, illius spirituali regimini committendae, residere debere, ut ibi ea omnia, tam quae ad Ordinem, quam quae ad iurisdictionem pertinent, fructuose exequatur, quae a Patriarcha Aquileiensi, tamquam praedictorum locorum Austriacae ditioni subiectarum Ordinario, si ipsi in iisdem locis actu permissum esset iurisdictione sua uti, fierent et exercerentur. *Quarto*, quaecumque per Vicarium huiusmodi circa praemissa fient, ea omnia nostro et successorum nostrorum nomine et huius Apostolicae Sedis auctoritate facta intelligi debere. *Quinto*, deputationem huiusmodi Vicarii, tam per nos, quam per successores nostros, quandocumque faciendam, semper fieri de persona accepta, et minime suspecta supremo territoriali Principi eorum locorum, in quibus delegatam sibi iurisdictionem exercere debebit; quod quidem et a nobis praestabitur, quoties huiusmodi Vicarii deputationem per nos fieri continget; et ut a successoribus nostris Romanis Pontificibus similiter fiat, nos ipsis, praesentium tenore, quantum in nobis est, magnopere suademus; quo scilicet vicarius ipse pro tempore constitutus tranquilliore muneris sui administratione, cum populorum utilitate, potiatur. *Sexto*, volumus, atque statuimus, eiusdem vicarii deputationem semper fieri cum consueta clausula: *ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum;* ita tamen, ut, cessante vicarii deputatione, sive per obitum, sive per cessionem, aut remotionem ipsius deputati, antequam terminus vicariatui praestitutus advenerit; alter Vicarius similis, praedicto termino durante, in defuncti, aut cedentis, sive remoti, locum subrogari debeat, servatis aliis omnibus, quae supra diximus in huiusmodi Vicarii Apostolici deputatione servanda fore. *Septimo*, statuimus atque decernimus, dictorum locorum regimen per Vicarium Apostolicum tamdiu administrari debere, seu tamdiu in iis partibus Vicariatum Apostolicum perdurare, donec vel nostra aut successorum nostrorum opera finis impositus fuerit vigentibus dissensionibus, propter quas Aquileiensi Patriarchae praepeditur iurisdictionis ordinariae exercitium in eam dioecesis suae partem, quae Austriacae ditioni subest; vel donec, eisdem etiam dissensionibus nequaquam extinctis, opportuna aliqua ratio, communi partium consensu, nostraque aut successorum nostrorum approbatione, iniri valeat, per quam, ecclesiastici superioris ibidem residentis regimine, animarum fidelium in praefatis locis existentium necessitatibus consulatur; quod unum nempe in huiusmodi Apostolico Vicariatu, ut praefertur, constituendo, nobis propositum fuisse iterum profitemur. *Ultimo* loco decernimus et declaramus, quaecumque a nobis de Apostolico Vicario et vicariatu praedictis statuta sunt et statuuntur, sine ullo, tam unius, quam alterius partis, praeiudicio, et salvis omnibus earum iuribus, tam in petitorio, quam in possessorio, statuta et ordinata intelligi debere.

§ 3. Et quoniam praemissa omnia frustra statuta viderentur, nisi certus intra memoratum regionis tractum praefigeretur locus, quo Apostolicus Vicarius ad exequenda munera sibi demandata residere deberet, et nisi simul ipsius vicarii pro tempore deputandi sustentationi consuleretur; nos earumdem praesentium tenore et auctoritate praefata, statuimus et man-

damus, ut idem vicarius, eiusque successores quandocumque deputandi, in Civitate Goritiae praefatae Aquileiensis Dioecesis residere debeant et habitare in aedibus, quas pia liberalitas Augustini Condellii nuper defuncti, et quidem domestica supellectile instructas, una cum adnexo viridario et propinquo vineto sub arcem ipsius civitatis posito, et cum oratorio seu cappella eisdem aedibus adiacente, pro Vicarii Apostolici pro tempore futuri habitatione et commodo, obtulit. Pro ipsius autem Vicarii Apostolici sustentatione, certos fundos ab eodem ipso pio benefactore, praevio plenario assensu carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae Illustris, in Romanorum Imperatricem electae, cessos et elargitos, aliaque bona a quondam Vito Giulino relicta, attribuimus et assignamus; iuxta ea, quae in mandatis dabimus apostolico executori ad praemissorum effectum per nos deputando; coram quo verificari, et in forma iuri valida constabiliri debebunt, quaecumque pertinent ad designatam vicarii praedicti habitationem et redditus pro illius sustentatione attributos.

§ 4. Praesentes demum literas et in eis contenta et statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, ius aut interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et ecclesiasticae aut mundanae dignitatis existant, etiam specifica et individua mentione digni, illis non consenserint, nec eorum aliquos ad ea vocatos et auditos, neque causas, propter quas praesentes emanaverint, satis verificatas aut iustificatas fuisse dici possit, aut ex alia qualibet etiam iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo subreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, seu eorum obtentu impugnari, aut in controversiam vocari posse: sed tamquam pro nostri apostolici muneris implemento, ad promovendam animarum salutem et spiritualem fidelium in praedictis locis degentium utilitatem, plurimosque et perniciosos abusus removendos, ut praefertur, ac motu et auctoritate praemissis, factas et emanatas, omnimoda firmitate validas et efficaces existere et fore, suosque debitos effectus sortiri et obtinere, et illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, ac respective ab iis adquos pertinet et in posterum pro tempore pertinebit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari volumus et auctoritate praedicta statuimus et decernimus.

§ 5. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et quacumque etiam apostolica auctoritate delegatos, etiam S. R. E. Cardinales de Latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosque quoslibet, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et statuendi auctoritate et facultate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, seu in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non quibusvis, etiam Apostolicae Sedis tolerantia, seu expressa confirmatione vel quavis firmitate alia roboratis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, aut literis apostolicis, cuilibet ecclesiae, aut quibuscumque personis, quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgentibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub quibuscumque formis et verborum tenoribus, etiam motu simili et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et emanatis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus ac singulis, etiamsi, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua mentio habenda, seu quaevis alia forma ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, et ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. novembris MDCCXLIX., pontificatus nostri anno X.

CXI.

Confraternitatem sub titulo Conceptionis B. M. V. Immaculatae *in Indiis, praesertim in civitate Maracaybo, Arciconfraternitati sub eodem titulo in ecclesia SS. Laurentii et Damasi de Urbe aggregat; eiusdem indulgentias ei communicat; directori insuper alias confraternitates in Indiis erigendi et indulgentias communicandi facultatem tribuit* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Debitus erga Sanctissimam Dei Genitricem semper virginem Mariam cultus et obsequium quo frequentiori pietatis et religionis studio ac fervore a christifidelibus ubique locorum exhibeatur, supremas apostolicae auctoritatis benignitatisque partes libenter conferimus, et coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem tenuitati nostrae credidit Altissimus, uberiore largitate erogamus.

Petitionis expositio. § 1. Exponi siquidem nobis nuper humiliter fecit dilectus filius Iustus a Valentia, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupator. frater expresse professus, quod ipse demandatum sibi apostolici missionarii primum per Hispanias, deinde per Indias, munus explens, quamplures tum in ipsis Hispaniarum regnis, tum in Indiis, ac praesertim in civitate Maracaybo dioec. Caracensis, ubi in praesentia reperitur, utriusque sexus christifidelium congregationes sive societates sive confraternitates nuncupatas sub invocatione Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae, sub titulo Diarii, petita et obtenta prius a locorum respective ordinariis antistitibus licentia et facultate, instituit, fundavit et erexit, in quibus quamplurima christianae pietatis opera, non sine magna tum christifidelium tum etiam infidelium ad catholicam fidem eapropter confluentium utilitate et incremento, iuxta regulas et constitutiones ab ipso praescriptas, et ab eisdem locorum ordinariis antistibus approbatas exercentur. Huiusmodi autem congregationes, societates et confraternitates, atque aliae per ipsum fr. Iustum a Valentia deinceps instituendae, fundandae et erigendae, quo firmius subsistant et maiori frequentia, ac religiosa observantia habeantur, idem fr. Iustus nobis humiliter supplicari fecit, ut apostolica auctoritate et benignitate, ut infra, providere et indulgere dignaremur.

Concessionis limites. § 2. Nos itaque dictum fr. Iustum specialis favore gratiae prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, congregationes, societates et confraternitates, quas memoratus fr. Iustus instituit, fundavit et erexit, quasque deinceps, ut praemittitur, instituet, fundabit et eriget, petita tamen et obtenta licentia et facultate ab ordinariis locorum antistibus, sub eisdem prorsus modo et forma, sub quibus locorum ordinarii antistites approbarunt, nos etiam (salva semper ipsorum auctoritate) tenore praesentium, auctoritate nostra apostolica, approbamus et confirmamus. Praeterea singulas huiusmodi congregationes, sive societates, sive confraternitates, ex speciali gratia archiconfraternitati sub invocatione Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae in ecclesia SS. Laurentii et Damasi de urbe erectae, apostolica pariter auctoritate aggregamus, atque iis omnibus indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus, quibus ipsam archiconfraternitatem eiusque confratres et consorores uti, frui et gaudere voluit fel. rec. Paulus Papa V. praedecessor noster per suas in simili forma brevis litteras die v. iulii MDCVII. datas, saepe dictas congregationes, societates et confraternitates, ut praemittitur, aggregatas, earumque confratres et consorores uti, frui et gaudere declaramus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus, atque etiam ampliamus, ut sequitur.

I. Omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui quamlibet ex dictis confraternitatibus, sive societatibus, sive congregationibus, de caetero ingredientur, die prima eorum ingressus, sive die dominica immediate sequenti, atque etiam die semel in singulos annos ad uniuscuiusque arbitrium eligenda, si vere poenitentes et con-

(1) Ex Bull. Cap. vol. VII., p. 340, coll. cum Reg. Vat. Arch. Brev. Secr.

fessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam ipsis nunc et pro tempore describendis, quam iam descriptis in dictis confraternitatibus, sive societatibus, sive congregationibus, confratribus et consororibus, in cuiuscumque eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Iesu ac BB. Virginis Mariae ore, si potuerint, sin autem, corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon eisdem confratribus et consororibus, qui in dominica Sanctissimae Trinitatis et in diebus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem B. Mariae Virginis, in Dedicationis S. Michaelis Archangeli et S. Francisci de Assisio protectorum, vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et ibi pro christianorum principum concordia etc., plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus.

II. Insuper iisdem confratribus et consororibus, qui processioni per easdem confraternitates, sive societates, sive congregationes, in die festo Conceptionis eiusdem B. Mariae Virginis, singulis annis fieri solitae interfuerint, tres annos et totidem quadragenas, necnon, qui congregationibus tam publicis quam privatis ipsarum confraternitatum, sive societatum, sive congregationum, ubi earumdem negotia tractantur, pariter interfuerint, centum dies pro qualibet vice.

III. Praeterea tam iisdem confratribus et consororibus, quam aliis utriusque sexus christifidelibus, qui singulis diebus festis, vigiliis et sabbathis eiusdem B. Mariae Virginis in ecclesiis praefatarum confraternitatum, sive societatum, sive congregationum interfuerint, et ibi litanias et antiphonam *Salve Regina* audiverint, aut illas recitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies; necnon iisdem confratribus et consororibus tantum, qui corpora defunctorum confratrum et consororum ad ecclesiasticam sepulturam comitati fuerint, et pro ipsius defuncti anima preces Deo effuderint, ducentos dies pro qualibet vice: quoties vero conscientiae suae vespere examen fecerint, et protectioni eiusdem Beatissimae Virginis Mariae et Angeli Custodis sese commendaverint, toties centum dies.

IV. Iis vero, qui, in honorem eiusdem Immaculatae Virginis Mariae, pauperibus puellis, ne in diaboli potestatem veniant, subvenerint et auxilium praestiterint, aut quovis modo earumdem pudicitiae conservandae occasionem praebuerint, quotiescumque haec egerint, annum unum; qui vero paci et unioni inter fideles constituendae opera dederint, aut peccatum reliquerint, aut hospitalia et carceratos visitaverint, et ignorantes doctrinam christianam docuerint, sexaginta dies pro qualibet vice: iis vero, qui officium B. Mariae Virginis devote recitaverint, quinquaginta dies pro qualibet vice, et qui quotidie praefatum officium per mensem continuum similiter recitaverint, si confessi et sacra communione refecti fuerint, septem annos et totidem quadragenas semel pro quolibet mense de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma ecclesiae consueta relaxamus.

V. Praeterea omnes et singulas iudulgentias, peccatorum remissiones, poenarumque relaxationes a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas, iis, qui Viam-Crucis peregerint, coronam Beatissimae Virginis Mariae, et litanias eiusdem Virginis, vel coronam D. N. Iesu Christi recitaverint, ipsis etiam congregationibus, sive societatibus, sive confraternitatibus sub invocatione Conceptionis Beatissimae Mariae Virginis ea omnia, quae Viam-Crucis peragentibus, coronam et litanias B. Virginis, necnon coronam D. N. Iesu Christi recitantibus praescripta praestantur, itidem praestantibus, pariter concedimus et largimur.

VI. Denique, ne tam pium opus debitumque erga Beatissimam Virg. Mariam obsequium per eiusdem Iusti a Valentia obitum intermittatur, sed potius magis magisque adaugeatur, illi dumtaxat, qui in ipsius Iusti a Valentia locum et officium pro tempore in perpetuum successerit, missionario et congregationis, sive societatis, sive confraternitatis in civitate Maracaybo, ut praemittitur, institutae, erectae ac fundatae directori facultatem tribuimus et elargimur, ut alias in Indiis tantummodo, et petita semper atque obtenta ab ordinariis locorum antistitibus licentia, congregationes, sive societates, sive confraternitates, sub invocatione pariter Conceptionis eiusdem Beatissimae Virginis Mariae instituere, erigere et fundare, necnon memoratae congregationi, sive societati, sive confraternitati civitatis Maracaybo aggre-

gare, et omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, poenarumque relaxationes eidem congregationi, sive societati, sive confraternitati civitatis Maracaybo a nobis, ut praemittitur, concessas, gratis et sine ulla prorsus mercede communicare et impertiri libere et licite possit et valeat.

Contrariis derogat.

§ 3. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. maii MDCCL., pontificatus nostri anno X.

CXII.

Altaria earumdem confraternitatum in Indiis institutarum in perpetuum et quotidie privilegiat (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Omnium saluti etc. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias congregationum, sive societatum, sive confraternitatum nuncupatarum utriusque sexus christifidelium sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae sub titulo Diarii a dilecto filio Iusto a Valentia, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum fratre expresse professo, in Indiis institutarum et fundatarum, tam hactenus erectas, quam inposterum erigendas, et in qualibet dictarum ecclesiarum unum altare hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut, quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis ordinis, congregationis et instituti regularis, missam defunctorum pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae, per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut eiusdem D. N. I. C., ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. maii MDCCL., pontificatus nostri anno X.

CXIII.

Recensitis dubiis non definitis in instructione pro Cophtis anni MDCCXLV., decernit diaconos pueros non censeri ratam habere ordinationem ante nuptias, nisi pervenerint ad XVI. annum, etsi ministraverint in ordine suscepto: nulli tamen facultatem concedit dispensandi hos diaconos a coelibatu, qui ratam habuerunt ordinationem et postea matrimonium contraxerint; in singulis casibus consul. esse Ap. Sedem; Praefecto missionum facultatem concedit confirmandi Cophtos, qui septennium expleverint, et etiam veteri chrismate, si desit novum.

Dilectis filiis fr. Iacobo a Cremisir Presbytero Ordinis Minorum Sancti Francisci strictioris observantiae praefecto Missionis Apostolicae in Aegypto, caeterisque Missionis Cophtae Missionariis,

BENEDICTUS PP. XIV.
Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

Anno vertente reparatae salutis MDCCXLV, Pontificatus autem nostri quinto, tum ut partes apostolici nostri ministerii impleremus, tum etiam, ut praeclaram significationem paterni animi nostri, ac dilectionis, qua semper complexi sumus, complectimur, semperque complectemur inclytam Nationem Cophtam, praeberemus, auditis gravium ac prudentium hominum sententiis, nostris quoque laboribus, ac privato studio adiunctis, Pastoralem Instructionem super quibusdam, de quibus ambigebatur,

(1) Ex Bull. et Archiv. praedicto.

ad eorum ritus et mores spectantibus edidimus (1).

§ 1. Ea vero in instructione, quae typis impressa fuit, nostroque Bullario inserta, actum est de Ritu Cophtorum, quo Sacramentum Confirmationis a simplici sacerdote, statim post baptismum, confertur: agitur etiam de more ac consuetudine eorumdem conferendi ordinem diaconatus pueris adhuc in infantili aetate existentibus. Quibus de rebus ea, quae consentanea erant et opportuna, constituta sunt; nonnulla autem indefinita remanserunt; quia, priusquam de illis responsum a nobis daretur, necessarium visum fuit plura, quae haud satis nota et perspecta erant, exquirere, ut in eadem instructione videre licet. Interea vero omnes curas ac diligentias adhibere non praetermisimus, ut eorum, quae adhuc deerant, cognitionem assequeremur. Collectis deinde omnibus, quoad fieri potuit, quae necessaria videbantur, *die* XII. *martii anni currentis* MDCCL. nonnullos S. R. E. Cardinales, alios in sacrae Theologiae facultate magistros, alios autem in iure canonico peritos, coram nobis, rimatis antea per nos omnibus et perpensis, congregari iussimus. In hac autem congregatione, dubia, quae proponebantur, in duas classes dispertita fuerunt: una eorum fuit, quibus neque adhuc ullum responsum praeberi poterat; altera vero eorum, quibus et tunc responderi poterat et quae opportuna videbantur decerni.

Dubia tunc in suspenso relicta.

§ 2. Inter dubiia, quae indefinita remanserunt in nostra pastorali instructione *anni* MDCCXLV., unum illud fuit: *An spes ulla affulgeat proximi reditus alicuius Episcopi ad sinceram cum catholica Ecclesia unitatem.* Alterum vero: *An et quomodo tolli possit et radicitus extirpari abusus conferendi ordines ante legitimum tempus, et induci quod aetatem ordinandorum observantia decretorum Conc. Trid. quam in casu simili, ad catholicae fidei praesidium et disciplinae ecclesiasticae augmentum, Gregorius XIII. plurimum commendavit Patriarchae Maronitarum.* Haec autem duo dubia in praedicta ultima congregatione reposita fuerunt in eorum classe, quibus neque adhuc responderi poterat, cum ex iis, quae novissime nobis relata fuerunt, nulla proxima spes effulgeat, ut aliquis ex eiusdem nationis Episcopis, eiuratis schismatis ac haeresum erroribus, ad catholicae ecclesiae sinum revertatur.

Ex iis aliqua nequaquam definiri possunt.

§ 3. Similiter inter dubia, quae indefinita relicta fuerunt in superius laudata instructione, reperitur illud: *An rebus in eo, in quo hodie sunt, statu manentibus, expediat tribui uni, vel pluribus presbyteris, facultatem extraordinariam administrandi Sacramentum Confirmationis: Cui vel quibus dicta facultas tuto delegari possit, ut sacro Chrismate praecipue liniantur filii orti a parentibus catholicis post haeresim eiuratam, et abluti sacro Baptismate saltem a sacerdote latino.* Et illud quoque: *An in casu concessionis huiusmodi facultatis, expediat monere sacerdotes, ne ea utantur administrando confirmationem infantibus immediate post baptismum (nisi casu necessitatis) sed in ea tantum aetate, quae confirmandus virtutem sacramenti valeat mente percipere.* Haec autem postrema duo dubia in ultima congregatione posita fuerunt in classe eorum, quibus responsum praeberi nunc potest.

I. De ministro Sacramenti Confirmationis, et quo tempore sit conferendum.

§ 4. Itaque eorum examine assumpto, auditisque Congregatorum sententiis, decretum fieri placuit in hunc modum: *Sanctissimus consentaneum iudicavit delegare Praefecto Missionum Aegypti facultatem extraordinariam conferendi, chrismate tamen ab Episcopo benedicto, sacramentum Confirmationis illis, qui a sacerdotibus latinis Baptismum acceperunt. Caveat autem praefectus huiusmodi*

Eiusdem conferendi facultas conceditur praefecto missionis, durante necessitate; dummodo confirmandi septimum ætatis annum attigerint.

(1) Vide supra *Eo quamvis tempore.*

Feria IV. die XII. *augusti* MDCCCXXIX.

In congregatione generali S. Officii habita in conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus, proposita instantia R. P. D. Patriarchae Syrorum remissa a S. C. de Propaganda Fide super facultate a SSmo imploranda dispensandi diaconos ab haereticis ordinatos ante aetatem a S. Canonibus praescriptam ut matrimonium valide inire possint: iidem Emi et Rmi DD., audito voto DD. Consultorum, decreverunt respondendum R. P. D. Patriarchae Syrorum per S. C. de Propaganda Fide, ipsi transmitti instructiones Benedicti XIV. pro Coptis; ut pro iis etiam sui ritus easdem sequatur. Cum autem dantur casus particulares in quibus locum habere potest ex eodem Pontifice dispensatio, in iisdem recurrat.

Eadem die et feria.

SSmus etc. in solita audientia Rmo P. Commissario generali S. Officii impertita responsum R. P. D. Patriarchae Syrorum mittendum approbavit iuxta resolutionem ab Emis et Rmis Dominis Cardinalibus generalibus inquisitionibus captam.

Pro Domino Nicolao Soldini S. R. et Universalis Inquisitionis notario.

sacramentum illis conferre, qui septimum aetatis annum nondum attigerint, nisi forte periculum mortis immineret, ne, ingravescente morbo, sine hoc sacramento decedant. Denique Sanctitas Sua facultatem elargiri solum intelligit, donec necessitas id postulaverit, videlicet, donec aliquis catholicus Episcopus in Ægypto habeatur.

De huius indulti fundamentis, remissive.

§ 5. Huiusmodi decretum etiam in praesenti a nobis confirmatur: cum in omnibus ac per omnia conveniens ac consentaneum sit tum iis, quae exposita fuerunt in praecedenti nostra instructione *anni* MDCCXLV. §. *Quod attinet ad primum;* tum etiam iis, quae fuse a nobis tractata sunt in nostro opere *de Synodo Dioecesana* impresso anno MDCCXLVIII. *lib. 7,* ubi, *cap. 7,* actum est de consuetudine presbyterorum graecorum impertiendi sacramentum Confirmationis statim post baptismum, et de Episcopo, qui est minister ordinarius huius sacramenti; *et c. 8* de necessitate, quam habet sacerdos latinus, si a Summo Pontifice constituatur minister extra ordinem sacramenti Confirmationis, utendi chrismate ab Episcopo benedicto; *et c. 9* resumpta integra materia, exponitur, quousque se proferat tolerantia Apostolicae Sedis, et in quibus Graecorum regionibus locum habere valeat vetus consuetudo, qua eorum sacerdotes fidelibus statim ubi sacro Lavacro abluti sunt, sacramentum Confirmationis conferunt; adeo ut non aliud hic addere opus sit, quam Praefecto Missionum Aegypti eamdem a nobis concedi facultatem, quae data est Guardiano Sancti Sepulchri, qui ex beneficentia et gratia Sedis Apostolicae, durante eius officio, ubi Episcopi latini in suis dioecesibus residentes non adsunt, in Terrae Sanctae Locis sacramentum confert Confirmationis; facultatem videlicet conferendi sacramentum huiusmodi, Oleo et Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis: quemadmodum quisque legere poterit in nostra constitutione, quae decima est in tomo primo nostri Bullarii. Quamvis enim, iuxta ea, quae in Pontificali Romano praescripta sunt, singulis annis feria quinta in Coena Domini sacrum Chrisma renovari debeat, neque liceat uti chrismate anno praecedenti consecrato; id tamen locum non habet, si aut Chrisma recipi nequeat, nisi ab Episcopo, qui a communione Apostolicae Sedis separatus sit, aut etiam si aliquis Episcopus adsit in communione ecclesiae catholicae degens, ea tamen sit locorum distantia, vel aliud intercedat impedimentum, ut ab eo novum Chrisma accipi nequeat; tunc quippe licere censetur uti vetere Chrismate ab Episcopo catholico annis praecedentibus benedicto, sicut a nobis late demonstratum est in nostra notificatione *14 Tom. 4, Bonon. edit.* cum in ea urbe degentes Archiepiscopi munere fungeremur.

Declaratur d. Praefectum uti posse Chrismate, etiam antiquo, si novum ab Episcopo catholico benedictum habere nequeat.

De aetate confirmandorum, regulae indicantur.

§ 6. Quod autem pertinet ad aetatem, qua sacramentum Confirmationis dari debet, aut conferri permittitur etiam iis, qui adhuc per aetatem capaces non sunt probe ac bene percipiendi vim ac valorem sacramenti, id, quod responsum est, apprime concordat cum iis, quae a nobis collecta et fuse exposita sunt in laudato nostro tractatu *de Synodo Dioecesana, l. 7, c. 10.*

II. De coelibatu eorum, qui ad diaconatum infantes promoti sunt, et in eo adulti et coelibes ministrarunt.

§ 7. Prosequendo examen dubiorum, quae in classe collocata sunt eorum, quibus tunc responderi poterat, illud ordine succedit: *An, si diaconi ordinati in aetate puerili ministrent adulti in ordine suscepto et in statu coelibi, inferri possit, eos ante nuptias ratam ordinationem habere; cum compertum sit, teste P. Benart, eos a puero functionibus ecclesiasticis assuescere, et in magno numero ordinari, ne aliquando desint, qui ecclesiae ministeriis operam navent.* Cum igitur examen praescripti dubii aggredi placuerit, post latum a quolibet ex congregatis suffragium, pronunciatum est a nobis decretum in haec verba: *Diaconi in aetate puerili ordinati, licet ante decimum sextum aetatis annum ministraverint in ordine suscepto, et in statu coelibi, tamen non censetur ante nuptias ordinationem ratam habuisse, eo quod nihil faciendi sint illi actus, quos in aetate puerili et ante decimum sextum aetatis annum exercuerint.* Quod decretum nunc pariter a nobis confirmatur.

Decernitur, per haec ante annum ætatis XVI. peractae neminem censeri ordinationem ratam habuisse.

§ 8. Ut vero ea, quae decreta sunt, planius intelligantur, opus est aliquantum digredi; hac enim ratione procedendo, via munietur, ut ad propositum finem perveniamus.

Exemplum a professione regulari, quae vel est expressa, vel tacita.

§ 9. Nemo est, qui ignoret, duobus modis religiosam professionem fieri; vel, ut melius dicamus, duplicem esse professionem religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam. Expressa fit, quum, debitis servatis solemnitatibus, tria vota castitatis,

paupertatis et obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae in constitutionibus ordinis, in quo quis se velle vivere profitetur, praescripta sunt: tacita autem in eo posita est, cum quis ea exercet et operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit.

Statuta per Conc. Trid. aetate annorum XVI. ad expressam professionem valide emittendam, actus, per quos tacita inducitur, ante eam aetatem peracti, pro nihilo reputantur.

§ 10. Tacita professio a sacro Tridentino Concilio iuxta communiorem sententiam sublata non est, ut late testantur Navarrus *Concil. 35 de Regul. num. 5,* Azorius *Instit. part. 1, lib. 12, cap. 4, quaest. 6,* Sanch. *de Matrim. lib. 7, disp. 37, n. 2,* Fagnanus *in cap. Perlatum de iis, quae vi etc. num. 46.* Sed cum in eodem concilio decretum fuerit, nullas ac irritas esse professiones, quae in quacumque religione fiunt ante annum decimum sextum aetatis profitenti, et antequam integer annus probationis expletus fuerit, hinc recte deducitur, etiamsi a concilio tacita professio sublata non sit, eam tamen locum non habere, si actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint post annum decimum sextum aetatis profitentis, et postquam annus probationis completus est; ita ut a Concilio Tridentino magna ex parte temperata sit dispositio: *Cap. Is, qui de Regularibus, in sexto, et Clementina 2 eodem titulo, de Regularibus.*

Cum itaque dd. Diaconi, ex prioribus decretis, eadem aetate interrogandi sint, an velint in ordine perseverare, eiusque onera subire,

§ 11. Ad instar conciliaris dispositionis a nobis constitutum est, ut Diaconi Cophti in infantili aetate ordinati, ubi ad annum decimum sextum aetatis suae pervenerint, a Praefecto missionum interrogentur, num velint, necne, perseverare in ordine suscepto et obligationes omnes ordini annexas implere, ut inde statui possit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipsis servandum sit, sicut quisque videre potest in pluries laudata instructione nostra anni MDCCXLV. Itaque quemadmodum stabilita per concilium aetate anni decimisexti ad professionem regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamsi ante praedictam aetatem actus illi expleantur, ex quibus secundum canonicas dispositiones tacita professio indicitur, sed omnes illi nullo in numero et pro nihilo habentur ad tacitam professionem regularem inducendam, nisi expleti fuerint post annum aetatis decimumsextum, et postquam anno, probationis evoluto, expressa professio emissa non est; ita constituto a nobis anno aetatis decimosexto, quo, ut dictum est, praefectus missionum Diaconos in puerili aetate ordinatos interrogare debet, velint ne, an secus, perseverare in ordine suscepto, et obligationibus ordini coniunctis satisfacere, ex ordinis exercitio ante annum decimumsextum eorum aetatis peracto nulla tacita ratihabitio argui debet: cum ad summum huiusmodi actus tacitam ratihabitionem importare possint, si gesti fuerint post annum decimumsextum, eo casu, quo praefectus missionum anno decimosexto eorum aetatis ipsos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere saepius monitum est, neglexerit.

Sequitur, ut per actus antea exercitos nec ad perseverantiam nec ad onera ordini adnexa se valide obligasse censeantur.

De Dispensationibus, quae postulari contingant super matrimon. contractis post ordinem sacrum.

§ 12. Remanet ultimum ex iis, quae responso nostro definiri posse diximus; illud autem est huiusmodi: *An plus commodi et utilitatis, vel potius scandali et detrimenti allatura sit rei catholicae dispensatio super matrimonio inito post Ordines sacros, libratis in utramque partem omnium rationum et circumstantiarum momentis.* Praemissa in praecedenti instructione Ecclesiae Orientalis consuetudine retinendi cum Ordine sacro uxorem, quae tamen ante ordinis susceptionem accepta sit, atque indicata etiam controversia, an matrimonium ab Orientalibus initum post Ordinem sacrum irritum sit, an potius dumtaxat illicitum; transitus factus est ad aliam quaestionem: an rectum, probe factum, ac utile videretur, an potius scandalo esse posset, aliquem dispensare, qui uxorem post Ordinem sacrum duxerit, ut eam retinere, ac simul sacro Ordine perfungi et sacra munia exercere possit, quia huiusmodi dispensationes interdum a Sede Apostolica concessae fuerunt. Cum autem, quae ad quaestionem definiendam necessaria videbantur, non satis nota ac perspecta essent, placuit rem differre et interim exquirere, quae opus erant, ut plenius de re tota instrueremur. Cum autem ad nostram cognitionem, quae expectabamus, relata sint; auditis Congregatorum suffragiis, in ea fuimus sententia, ut nemini facultas dispensandi concederetur, sed Sedi Apostolicae reservaretur; ut, cum casus contigerit, et dispensatio postuletur, mature expendantur, quae necesse est considerare, ut vel concedatur vel denegetur dispensatio, cum de re gravissima ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum est in haec verba: *Recurrant ad Apostolicam Sedem in casibus particularibus: in quibus, si ob graves causas dispensatio super matrimonio inito, post Ordines*

Earum concedendarum facultas Apostolicae Sedi reservatur.

sacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus.

Si concedantur, decretum est, ne renovatio consensus exigatur.

§ 13. Haud ignotum est, quanta difficultas occurrat, quoties super matrimonio ex impedimento dirimenti nullo dispensatio conceditur solita conditione, ut inter coniuges consensus renovetur: cum accidere possit, et nonnunquam contigerit, ut mulier haud contenta viro, vel vir uxorem fastidiens, ut se in libertatem vindicet, eorum alter, vel uterque, novum consensum praebere renuat. In decreto mox relato haud mens nostra fuit, renovationem consensus excludere, cum matrimonium extra dubitationem nullum est; sed, cum gravis illa controversia, ut dictum est, adhuc vigeat, an matrimonium in Ecclesia Orientali post Ordinem sacrum contractum, perinde nullum sit, ac in Ecclesia Occidentali, an potius sit solummodo illicitum; et cum huiusmodi controversia (exceptis Italo-Graecis, quorum matrimonia post Ordinem sacrum inita, statutum est, nulla et irrita esse, ut in nostra constitutione, quae incipit: ***Etsi Pastoralis,*** **§ *7, num. 28,*** quae est quinquagesima septima in ordine Bullarii nostri ***Tom. I.***), quoad caeteros Orientales Graecos nullo adhuc decreto apostolico definita fuerit, licet tribunalia huius almae urbis opinioni eorum adhaereant, qui haec matrimonia nulla existimant; nihilominus satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem, conditio renovationis consensus non exprimatur. Decretum autem, de quo agitur, nunc etiam a nobis solemniter confirmatur.

Id enim prudenter omittendum visum est, dum nihil definitum habetur super nullitate huiusmodi nuptiarum apud illas nationes.

§ 14. Haec autem sunt, quae a nobis constituta fuerunt, quaeque pro recta Cophtorum disciplina, dirigendisque moribus opportunum esse duximus, ut huic nostrae secundae instructioni insererentur. Hinc autem inclyta illa natio, quae etiam antiquis temporibus suae unionis cum Apostolica Sede, quae centrum est unitatis, illustria praebuit argumenta, satis intelligere poterit, quam eximio caritatis affectu eam in Domino prosequamur; eique interea, veluti dilectionis nostrae pignus, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum ex Arce Castri Gandulphi, die XIX. iunii MDCCL. pontificatus nostri an. X.

CXIV.

Vicarium Apostolicum pro parte Dioecesis Aquileiensis Austriacae ditioni subiecta nominat cum facultatibus, iuxta modum (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Postquam per alias nostras apostolicas literas, die XXIX. novembris anni proxime praeteriti in forma Brevis expeditas,

---

(1) Ex Reg. ep. desumimus, pro historia, literas S. P. ad ducem et nobiles viros Reipublicae Venetae de malis spiritualibus in ea parte Patriarchatus Aquilejensis posita intra ditionem Austriacam, ad quam ne accedere quidem poterant Patriarchae.

Dilectis filiis,
nobilibus viris duci et Reipublicae Venetae,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii nobiles viri,
salutem et apostolicam benedictionem.

In questo luogo in cui ci troviamo per prendere un poco d'aria, volendo però essere a Dio piacendo l'antivigilia di S. Pietro in Roma, e riceviamo la loro lettera speditaci dal nostro Monsignor Nunzio e non avendo qui pronto quanto sarebbe necessario per rispondere colle dovute formalità, prendiamo il partito di scrivere a drittura, acciò sia più sollecita la risposta prevalendoci dell'uso con cui più volte ci siamo regolati, e ci regoleremo, scrivendo ai Rè e Maggiori Potentati, che hanno mostrato maggior gradimento di leggere le nostre lettere confidenziali scritte loro a dirittura, che di leggere le altre, che per nostra commissione si scrivono da ministri, che ne hanno l'incombenza.

Agitur de componendis rebus Patriarchatus Aquilejensis in locis subditis Ditioni Austriacae.

Fatta questa premessa, e passando a risponderli alla lettera della quale ci hanno favorito non possiamo, nè dobbiamo astenerci dal render loro distintissime grazie delle benigne espressioni che abbiamo lette in essa, non meno verso la nostra persona, che verso questa S. Sede Apostolica, alla quale, senza nostro verun merito, presediamo, ed altresì per averci ratificata la benigna accettazione, altre volte anche indicataci del Vicario Apostolico in genere alla parte della diocesi d'Aquileja, che è sotto il dominio Austriaco.

Reipublicae laudes.

Codesta inclita Repubblica può con giusta ragione vantarsi del suo fedel attacco alla santa cattolica religione, ed ai Successori di S. Pietro, e crediamo altresì, che possono i Sommi Pontefici aver mai sempre fatto quanto hanno potuto per vantaggio d'una Repubblica, che è l'onore dell'Italia, e l'antemurale contro la potenza Ottomana, d'averla anche teneramente amata, e sebbene con tutta buona fede ci riconosciamo di gran lunga inferiori al merito de' medesimi, possiamo però con ogni verità asserire d'averla sempre amata, e d'averne sempre avuta ogni maggior stima, ed essere così disposti a continuare fino, che piacerà al Signore di mantenerci in vita avendo sempre avanti gl'occhi l'accomodamento seguito nel nostro tempo nella materia de' confini fra lo stato Ecclesiastico e lo stato Veneto.

Pluries curarunt Pontifices providere animabus sub Ditione Austriaca degentibus.

Entrato poi nel grand'affare d'Aquileja diremo, che l'affare non è incamminato nel nostro pontificato, essendoseno a lungo discorso nel pontificato d'Urbano VIII., e dei tre Clementi X., XI. e XII.; diremo che senza veruna conclusione; e che di qui è derivato, che tutto il peso, tutta l'unione delle con-

quarum initium est: *Omnium ecclesiarum:* statuimus atque decrevimus, eam partem Dioecesis Aquileiensis, quae temporali Austriacae familiae principum dictioni subiecta est, per unum Vicarium apostolicum episcopali charactere insignitum, ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum per nos deputandum, nostro nomine, nostraque apostolica auctoritate, in spiritualibus regendam et gubernandam fore; adiecta declaratione, quod per nullum praeiudicium tam unius, quam alterius dissen-

---

troversie è caduta sopra le nostre spalle; dal qual penoso e quasi intollerabil peso, ci saressimo ben volentieri liberati, se alzando gl'occhi al cielo non avessimo veduta nell'altro mondo piombare l'ira di Dio sopra di noi, come rei d'avere trascurata l'occasione di giovare all'anime, per le quali siamo obbligati a spargere il nostro sangue, e che sappiamo essere in un attuale bisogno, anzi in una positiva necessità di soccorso.

Vetitum erat Patriarchis ad illas accedere; et inde gravissima scandala, et mala.

Nè per carità si creda, che queste siano esagerazioni, non essendo noi entrati in ballo, che dopo esserci ben informati del pericolo dell'anime degli abitanti nella parte della diocesi d'Aquileja, sotto il dominio Austriaco, ancorchè ci avesse dovuto bastare per l'effetto di cui si tratta il sapere, che senza veruna colpa de' Patriarchi, essendosi frapposti impedimenti insuperabili, le pecore non hanno per tanti, e tanti anni veduto la faccia del loro pastore, nè provato il peso della sua verga pastorale: pecore che certamente ne hanno più bisogno dell'altre. Nel tempo del nostro predecessore Clemente VIII. essendo giunte alle di lui orecchie le notizie degli scandali vigenti in quei paesi, avvegnacchè ne meno allora visitati per molto più d'un secolo dal Patriarca, e non essendo per anche giunti i dissapori a quel segno, in cui ora si trovano, gli riuscì d'ottenere col consenso del padrone territoriale, che il Patriarca Francesco Barbaro facesse la visita, con autorità però non ordinaria, ma delegata. Fu fatta la visita, e furono ritrovati i parrochi ammogliati con le loro concubine, tinti malamente delli dogmi di Lutero, e che amministravano al popolo il sagramento dell'Eucaristia sotto l'una e l'altra specie, e che l'audacia del Clero s'era tanto avanzata, che aveva osato di fare un Sinodo contrario a quello tanto rinomato, celebrato in Udine dal predetto insigne Patriarca; cose tutte, che sono registrate nella visita trasmessa a questo santo officio, che da noi, non senza nostro orrore è stata letta. Questa è la lana di quelle pecore, che in quella visita, senza dubbio, sarà stata curata, ma che non essendo stata curata in avvenire, per non aver potuto il pastore accostarsi, per raderla ed esaminarla, rinascendo, se non è rinata, con tutte le antiche imperfezioni, è molto verisimile, che sia rinata in un modo, che se non è pessima, almeno non sia buona.

Plures excogitatae viae ac initae tractationes etiam cum Austria.

Unicamente per riparare in seguito del nostro apostolico universal ministero ad una strage delle conscienze, e per recare giovamento a tante anime abbandonate, siamo entrati nel mar burascoso: in questo per alcuni anni abbiamo navigato soli, sempre chiedendo ajuto, ma indarno. Abbiamo navigato poi trattando con un ministro spedito a Roma da codesta Repubblica per il precedente importantissimo affare, ed ora proseguiamo il viaggio alla vista di tre ministri surrogati nella stessa incombenza, dopo che di qui partì l'altro per ritornare alla patria. In tutta questa navigazione abbiamo bensì sempre pensato alla cura dell'anime, ma non abbiamo mai perduto di vista l'idee di non recar verun pregiudizio a qual si sia diritto di codesta inclita Repubblica, nè tampoco al patriarcato, ed al Patriarca, come speriamo, che ciascheduno non prevenuto, potrà restare appagato, dando un'occhiata all'annesso foglio in cui si contiene quanto abbiamo operato nel primo tempo della nostra navigazione, quando navigavamo soli, come si è detto, e si domandava ajuto, nè si dava risposta. Ciò facciamo, temendo, che non sia mai arrivato alla notizia di codesta inclita Repubblica la serie delle predette nostre operazioni, ancorchè con ogni puntualità da noi sia stata sempre participata a' suoi rappresentanti, che quantunque pieni d'onore, e da noi sempre riguardati con ogni più distinta parzialità, non è temerario il sospettare, che seguendo le instruzioni del loro principe, siccome sempre si sono astenuti d'entrare nella faccenda così si siano ancora astenuti dal rappresentarli le occorrenti circostanze della medesima. Simil timore non abbiamo del secondo tempo, essendo nel secondo tempo stato qui sempre un ministro incaricato del negozio, cioè il nobile Foscari, che da noi è stato sempre considerato come gentiluomo d'alto merito, di molta capacità e virtù. Diremo lo stesso ancora del terzo, ed ultimo tempo, essendosi sempre ritrovati, e ritrovandosi anche qui presenti, e colla stessa incumbenza due Cardinali della S. Chiesa, e l'ambasciatore Cappello, il di cui nome non meno è celebre qui che in tutte l'altre corti d'Europa per la sua grande esperienza ne' publici affari.

Agitur de erigendo Vicariatu.

Appartengono a quest'ultimo tempo le osservazioni fatte in Venezia sopra il piano del vicariato in specie, precedentemente communicato ad ambedue le parti, appartengono le risposte alle dette osservazioni da noi ideate unicamente per incontrare il genio di codesta Republica; appartengono finalmente le non ordinarie fatiche assunte acciò quando le moderazioni s'inserissero nel breve da farsi sopra il vicariato in specie non fosse il breve rigettato essendo duopo che s'abbia sempre avanti gl'occhi da chi parla, e tratta del negozio d'Aquileja, che esso non è negozio che possa spedirsi colla sola intelligenza fra la S. Sede e la Repubblica, ma che ci è di mezzo ancora un altro principe assai rispettabile, nel di cui dominio si debbono eseguire gl'ordini Apostolici. Avevamo pure le mire per condurre al porto la nave, con probabilità di non incontrare procella, ma essendo in questo mentre insorto fuori di tempo, e di misura una gran burasca che non descriviamo per non rinnovare a noi l'afflizione, che per essa abbiamo provato, ed ancor proviamo, siamo stati strascinati a mutar strada. Quanto sin'ora nel negozio d'Aquileja s'è fatto da noi soli, noi soli abbiamo fatigato, e per degni riguardi abbiam creduto di non aver a fare che così, senza però aver tralasciato di dare nel Concistoro al Sacro Collegio parte di quanto avevamo fatto, ed avendone anche riscosso ringraziamento e lodi dal Cardinal Decano in nome di tutto il Collegio. Fra le zizanie, e semi di sedizione contro di noi, si è sino arrivato a spargere, che le risoluzioni in un caso di tanta importanza debbono prendersi, se non dal consiglio del pieno Concistoro, almeno d'alcuni scelti Cardinali; potevamo francamente rispondere, non aver il Papa altro che un obbligo di semplice onestà di richiedere in quelle cose ch'esso crede ardue, il consiglio de' Cardinali, senza obbligo però di dover poscia eseguirlo, che avendo noi soli a dirittura date nel negozio d'Aquileja varie repulse alle petizioni degli Austriaci, come si può raccogliere dal foglio annesso, intendiamo di proseguire così fino alla fine, per non dare ansa ad altri di rivangare le cose supite; nulla di meno per quieto vivere, e perchè siamo sicuri della nostra retta intenzione non abbiamo avuta difficoltà d'avventurare in una carta in tal qual maniera la nostra convenienza.

tientis partis iuribus, sive quae ad petitorium, sive quae ad possessorium pertinent, irrogari censeatur; additoque decreto, ut apostolicus vicariatus huiusmodi tamdiu in illis partibus perdurare debeat, donec vel primariae vigenti controversiae finis impositus fuerit, vel, ea etiam minime sublata, alterius generis ratio, communi partium consensu, ac nostra vel successorum nostrorum approbatione, iniri valeat, per quam animarum fidelium in iis locis existentium regimini ac spiritualibus necessitatibus consulatur; quod unum nempe nobis et praedecessoribus nostris propositum fuit, in huius gravissimi negotii tractatione, tot annorum decursu et tam studiosa maturitate discussa, ut latius in dictis nostris literis continetur: quum illud quoque in iisdem edixerimus, nos aliis deinde literis super deputatione huiusmodi Vicarii Apostolici ad praedictam dioecesis Aquileien. partem in spiritualibus gubernandam edendis, distinctius expressuros esse facultates, quas eidem Vicario impertiri intendebamus, et reipsa ab eodem exerceri volebamus; ideo, quum nos nuper dilectum filium Carolum de Attembs Canonicum et Thesaurarium Ecclesiae Basilaeensis, de cuius vitae ac morum honestate, aliisque laudabilibus virtutum meritis, nec non de idoneitate ad Vicarii huiusmodi munus obeundum, per diligentem inquisitionem certiores facti sumus et cuius personam carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae nec non Romanorum Reginae, carissimi in Christo filii nostri Francisci eorumdem Romanorum Regis in Imperatorem electi coniugi, acceptam esse novimus, ecclesiae episcopali Menniten. in partibus infidelium sitae praeficere proposuerimus, nunc ipsum Carolum per praesentes nostras apostolicas literas, in ea parte Dioecesis Patriarchae Aquileien., quae temporali Austriacorum Principum ditioni subest, apostolicum in spiritualibus vicarium, officialem et commissarium, ad nostrum et ipsius Sedis Apostolicae beneplacitum, constituimus et deputamus, sine praeiudicio iurium tam unius, quam alterius partis, sive in petitorio, sive in possessorio; atque ea lege, ut tamdiu vicariatus huiusmodi perdurare debeat, donec vel primaria nunc vigens controversia sublata fuerit, vel, ea etiam permanente, alia aliqua ratio inveniatur, de utriusque partis consensu, a nobis, seu a successoribus nostris Romanis Pontificibus, approbanda, per quam animarum fidelium inibi commorantium spirituali regimini provideatur; iuxta ea, quae in dictis aliis nostris apostolicis literis incipien. *Omnium ecclesiarum,* quarum tenorem praesentibus haberi volumus pro inserto, declaravimus atque decrevimus. Eidemque vicario sic deputato iniungimus et mandamus, ut, simul ac episcopalis consecrationis munus susceperit ab eo Antistite, quem nos ad illud, cum aliorum duorum Antistitum assistentia, ipsi conferendum delegabimus, praedictae partis Dioecesis Aquileien., quae Austriacae familiae dominio paret, spirituale regimen et gubernium assumat. Pro ipsius autem

---

Deputata congregatio decem Cardinalium ad rem expendendam.

Abbiamo dunque eletti dieci Cardinali, uomini che abbiamo creduto, e che, assolutamente, sono imparziali, abbiamo consegnata a ciaschedun di loro una copia delle Venete osservazioni, una copia delle risposte fatte da noi, non per entrare in veruna contestazione con chi che sia, ma perchè non era possibile senza esse il conoscere la rilevanza delle moderazioni che eravamo per frapporre; una copia finalmente delle nostre ideate moderazioni. Abbiamo ordinato che ci diano il loro voto in carta dopo aver letto il tutto, ci avvisino di quanto essi crederebbero che si dovesse nelle moderazioni aggiungere, o levare, e che fra le altre cose rispondino strettamente al quesito, se dopo d' aver noi communicato il piano del breve, ed aver aspettate le risposte dobbiamo spedire a dirittura il breve colle moderazioni, o pure communicare prima le risposte, e le moderazioni, aspettando le repliche. Si vanno unendo i voti, e questi saranno attentamente considerati da noi, intendendo di regolarci con i lumi, che in essi ci saranno somministrati. Dal che poi deriva, che senza colpa nostra non siamo ora in grado di poter dare categorica risposta all'istanza espressa nella ducale, circa la previa comunicazione delle moderazioni, e di aspettare le repliche, prima di stabilire la finale risoluzione, e spedire il breve.

Nihil interim super re decrevit Pontifex.

Teniamo per certo fra consultori non vi sarà veruno, che voglia o possa insinuare che da noi s'abbandoni il pensiero della cura dell' anime, ponendo l' affare in oblio, o che si rechi verun pregiudizio ai diritti altrui, o che da noi si stabilisca, come rimedio perpetuo il Vicario Apostolico, chiudendo per sempre la strada ad ogni altro temperamento. Sono i consultori troppo savj, e ben intesi della nostra fermezza nei sopradetti punti. Sarà la loro indagazione sopra le moderazioni da noi ideate, ed il quando della loro communicazione. Ed ecco quanto con ingenuità abbiamo creduto di dover esporre.

Preghiamo il grand' Iddio che tenga la sua mano onnipotente sopra le nostre intraprese, speriamo, che lo sarà vedendo Esso il nostro cuore, e le nostre intenzioni, e quando per i peccati nostri l'esito fosse diverso, ci protestiamo, che mai ci spoglieremo dell' affetto, con cui riguardiamo l' inclita Repubblica di Venezia. Ed in tanto con pienezza di cuore diamo a tutti loro diletti nostri figli uomini nobili l' apostolica benedizione.

Datum ex Arce Castri Gandulphi die XVI. iulii MDCCL., pontificatus nostri anno X. (*)

(*) *Extat etiam in cod. mss. bibl. Card. Valenti n. 11, lit. Q, circa finem exist. in domo professa S. I., Rom.*

congrua habitatione, domum in civitate Goritiae sitam, cum adnexo viridario, et cappella publica, nec non pro eiusdem sustentatione totum id, quod bon. mem. Augustinus Codellius pro ipso Vicario, eiusque successoribus, cum praevio plenario assensu dictae carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Reginae ac Imperatricis electae, ex propriis bonis et iuribus, donavit et cessit: cuius quidem cessionis validitatem, prout etiam fundorum realitatem et exigibilitatem, a venerabili fratre Hernesto Episcopo Labacensi, de mandato nostro, iuridice diligenterque recognitam et respective admissam et acceptatam, nos ipsi approbavimus et confirmavimus; accepta etiam legali descriptione bonorum omnium a praedicto Codellio, ut supra diximus, elargitorum, quam idem Hernestus Episcopus ad nos transmisit, et cuius authenticum exemplum ipsi Vicario Apostolico traditurum se pollicitus est; repositis in suo episcopali archivio reliquis omnibus monumentis, quaecumque pertinent ad praefatam domum et cappellam, Goritiae sitas, aliosque fundos ab eodem pio benefactore datos ipsi Carolo electo Menniten., quamdiu in officio vicariatus huiusmodi permanserit, concedimus atque assignamus.

§ 2. Quia vero ex multorum fide dignis relationibus edocti sumus, et ex ipsa humanarum rerum consideratione persuasum habemus, postquam Patriarcha Aquileien. tam longo temporis spatio, non sua quidem culpa aut negligentia, sed propter notas dissensiones vigentesque controversias, impeditus fuit ab exercendo regimine illius dioecesis suae tractus, qui ab Austriacae domus imperio pendet, atque huius spirituale gubernium aliquandiu secreto gestum fuit ab Apostolicae Sedis Nuntio Viennae in Austria commorante, cum aliquali ipsius Patriarchae consilio et scientia in iis rebus, quae prompta ac praesenti providentia non indigerent; deinde vero, memoratis dissensionibus magis magisque adauctis, huiusmodi regimen ab eodem Nuntio Apostolico, nobis dumtaxat immediate consultis, administratum fuit; quia, inquam, satis intelligimus, verendum esse, ne, tot annis labentibus, ac spiritalis vineae cultoribus longe constitutis, vepres et spinae in ea nimium excreverint, ita ut sine magno ac diuturno labore ac studio inde eradicari non valeant; hinc est, quod nos praesentibus nostris literis ea primum indicare statuimus, quae a praedicto Vicario Apostolico a nobis, ut praefertur, deputato eiusque successoribus in futurum forsan deputandis, pro recto iniuncti sibi muneris implemento praestari volumus atque requirimus; mox facultates recensere, quas eidem Vicario ad effectum huiusmodi duximus tribuendas, quaeque pro norma erunt facultatum, quibus instrui debebunt alii Vicarii similes, post ipsum forsan inibi deputandi; ac denique alia quaedam statuere et ordinare, quae ad praecavendas cuiusque generis perturbationes et controversias opportune stabilienda iudicavimus.

§ 3. Hoc igitur primum huiusmodi Vicario Apostolico districte iniungimus et demandamus, ut omni cura ac solicitudine pro conservanda catholicae fidei puritate in populo ipsius speciali regimini concredito, ac propulsandis longeque ab eo removendis quorumcumque errorum aut haeresum tenebris, vigilare non desinat; tum ecclesiasticae disciplinae leges, tam quae ad divinum cultum, quam quae ad vitae et conversationis exempla pertinent, a sacerdotibus ac reliquis inferiorum Ordinum clericis exacte observari curet; christianam pietatem ac morum sanctitatem in omni fidelium gradu promoveat; ideoque omni studio det operam, ut pueri ac puellae catholicae fidei et christianae doctrinae rudimentis diligenter imbuantur, non solum per animarum rectores, sed etiam per patres familias, eosque omnes, quibus adolescentium instructio et educatio commendatur. Universo autem populo, per eos, ad quos pertinet, publice ab altari, vel e suggestu, explicari et inculcari iubeat, quaecumque ad aeternam salutem credenda sunt et agenda. Caveat insuper, ne quis requisitis qualitatibus destitutus ad ecclesiastica ministeria et sacros Ordines admittatur; neve presbyteri ad Sacramentales Confessiones excipiendas deputentur, nisi qui, cum singulari vitae probitate, necessariam quoque scientiam coniunctam habeant, qua valeant lepram a lepra discernere et competentem animarum vulneribus medicinam adhibere. Et quoniam omnibus hisce iniunctis sibi oneribus idem Vicarius Apostolicus plene satisfacere non posset, nisi in locis ipsius regimini commendatis resideret, ac personalem et localem visitationem, iuxta Tridentini Concilii leges, perageret; ideo districtam ipsi obligationem imponimus ibi residendi, et universum dioecesis praedictae tractum Austriacae domus tem-

porali dominio subiectum, personasque in eo commorantes, ad normam conciliarium Statutorum, visitandi; volentes, ut, postquam visitationem huiusmodi expleverit, ac per eam, quae sibi erunt prudenter investiganda, cognoverit; omnia, quaecumque ad spirituale regimen pertinent, quamprimum referat ad nos et ad Sedem Apostolicam, cuius nomine et auctoritate partem illam Dioecesis Aquileiensis gubernabit; atque hinc opportuna sibi consilia, atque etiam auxilia requirat, quibus errores et scandala adversus religionis ac disciplinae integritatem insurgentia evellat ac destruat.

§ 4. Sane in Apostolicorum Vicariorum deputationibus, quae ab hac Apostolica Sede, pro ecclesiarum et locorum necessitatibus, in dies fieri consueverunt; ut omnibus colligere licet ex Constitutione rec. mem. praedecessoris nostri Sixti Papae V., quae incipit: *Immensa aeterni;* qua scilicet S. R. E. Cardinalibus Congregationi duodecimae a se institutae praepositis, inter alia, committit, ut, *ubi necessitas exegerit, viros usu et doctrina idoneos, rectos et timentes Deum deligant, qui nostrarum literarum auctoritate suffulti, ecclesias, ut Vicarii Apostolici, regant;* personis ad hoc munus electis concedi solent facultates visitandi ecclesias et loca pia, atque etiam monialium monasteria, etiam exempta, quoad clausuram; celebrandi Synodum; iudices, consiliarios, omnesque alios necessarios ministros et officiales deputandi, eosque revocandi et alios in eorum locum subrogandi; mulctas et poenas pecuniarias piis usibus applicandas imponendi; literas monitoriales in forma *significavit,* pro rebus deperditis, seu furto sublatis, concedendi; in beneficiis de iure patronatus, eorumque erectione et constitutione, nec non locationibus emphyteuticis, alienationibus et permutationibus bonorum ecclesiasticorum, auctoritatem et consensum praestandi; causas matrimoniales et civiles ad forum ecclesiasticum spectantes, cognoscendi et decidendi; contra delinquentes per inquisitionem etiam ex officio procedendi; ac demum omnia et singula exercendi, quae Ordinario loci, ratione iurisdictionis, si is ecclesiae aut dioecesis regimen actu exerceret, de iure et consuetudine competerent, non solum circa praemissa, sed etiam circa alia, quae magis specialem et expressam exigerent commissionem; ut latius exprimi solet in literis apostolicis, quae super huiusmodi Vicariorum deputationibus expediuntur; et quarum formulae apud diversos scriptores de hac materia agentes typis impressae leguntur. Itaque nos praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum vestigiis insistentes, praefato Carolo Vicario Apostolico in superius expressa parte Dioecesis Aquileien. per nos, ut praefertur, deputato, praedictas omnes facultates, quae aliis Vicariis Apostolicis tribui solent, iuxta declarationes tamen, quae inferius subiicientur, per ipsum, durante vicariatu ac beneplacito praedictis, in eadem dioecesis parte exercendas, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 5. Et haec quidem communiter iis concedi solent, qui sacerdotali dumtaxat, aut clericali gradu insigniti, ad huiusmodi munus gerendum in locis atque dioecesibus, quarum necessitates id exegerint, a Sede Apostolica deputantur. Verum non raro contingit, ut specialibus quibusdam necessitatibus id exigentibus, quales in praesenti casu concurrunt, et quoties Episcopi Locorum Ordinarii inevitabili aliqua causa ab exercendo regimine suarum dioecesum vel partis earum, nulla licet ipsorum propria culpa, impediuntur, ad huiusmodi Vicarii Apostolici Officium deputentur Episcopi Titulares, cuius generis aliqui etiam hodierno tempore Vicarii Apostolici esse dignoscuntur; hisque non solum facultates illae, quae ad iurisdictionem pertinent, ad quam videlicet praemissa referuntur, sed etiam aliae quaedam ad Ordinem pertinentes, pro pleniori sui muneris implemento, concedantur; cuiusmodi sunt facultates administrandi Sacramentum Confirmationis in toto sui vicariatus districtu, nisi alium Episcopum advocare maluerint, qui illud inibi administret; conferendi omnes, etiam sacros et presbyteratus, ordines, ad sacrorum Canonum et Concilii Tridentini praescriptum, quibuslibet idoneis personis tam saecularibus quam regularibus, et tam ipsius vicariatus subditis, quam etiam extraneis, qui suorum Ordinariorum literas testimoniales et dimissorias exhibeant; item personas vicariatus sui subditas, per literas dimissorias huiusmodi, ad alios Episcopos, tam minoribus, quam maioribus Ordinibus initiandas dirigendi; Olea sacra et Sanctum Chrisma conficiendi; ecclesias pollutas reconciliandi; consecrandi altaria, atque etiam ecclesias, nec non calices et patenas; benedicendi campanas; et sacrarum supelle-

ctilium benedictiones, in quibus sacra Unctio non requiritur, simplicibus presbyteris delegandi; eiusdemque vicariatus subditos, certo temporis spatio durante, sive per se, sive per idoneos confessarios a censuris propter haeresim externam incursis, pro foro conscientiae, in actu sacramentalis confessionis absolvendi. Nos itaque has etiam omnes facultates praedicto Carolo Vicario Apostolico in memorata Aquileien. dioecesis parte per nos, ut praefertur, deputato, tribuere opportunum ducimus; et eam quidem absolvendi ab haeresi, ad triennium tantum, quo elapso, ad hanc Sedem Apostolicam pro ulteriori prorogatione, si ita expediens visum fuerit, recursum habere poterit; reliquas autem superius expressas, quoad in huiusmodi vicariatus officio permanserit, dicta auctoritate et earumdem praesentium tenore, concedimus impertimur.

§ 6. Et quoniam in praefatis literis nostris super constitutione huius vicariatus in genere editis, inter alia, dictum per nos fuit, quod is, qui ad huiusmodi munus deputandus foret, in vim auctoritatis a nobis et ab Apostolica Sede sibi delegandae, in locis huiusmodi vicariatui subiiciendis, omnia illa exequi deberet, tam quae ad ordinem, quam quae ad iurisdictionem pertinent, quaecumque a Patriarcha Aquileiensi, tamquam Ordinario, in iisdem dioecesis suae locis Austriacae ditionis subiectis, fierent et exercerentur, nisi ipsi, ob vigentes dissensiones, actu impeditum esset, ibidem iurisdictione sua uti; per quae sane eam auctoritatem Vicario Apostolico in praefatis locis concedendam fore statuimus, quae Patriarchae Aquileiensi, uti Episcopo et Ordinario locali dumtaxat, non vero quae illi, tamquam Metropolitano, competere potest; idipsum nunc, una cum reliquis omnibus in dictis prioribus literis contentis, praesentium tenore confirmamus, atque iterum statuimus; decernentes tamen, ad evitandas, quantum fas est, cuiuscumque generis perturbationes, circa infrascripta capita, sequentes nostras ordinationes, ac declarationes omnimode servari, ac respective attendi debere.

§ 7. Primo videlicet, inhaerentes stilo et consuetudini Sedis Apostolicae, eidem Carolo Vicario Apostolico competere volumus facultatem instituendi in beneficiis ecclesiasticis de iure patronatus, quae intra vicariatus sui limites vacare contigerit, personas idoneas a legitimis eorum patronis ad ea praesentatas. In vacationibus autem ecclesiarum parochialium, aliorumque beneficiorum et praebendarum, quae animarum curam adnexam habent, quaeque non aliter, quam per concursum conferri debent, eidem Carolo Vicario committimus et demandamus huiusmodi concursum indicere, eoque iuxta Tridentini Concilii et Constitutionum Apostolicarum leges, habito atque concluso, illius acta ad nos, et successores nostros, transmittere; simulque proprium consilium et votum in favorem illius, quem huiusmodi ecclesia, beneficio seu praebenda magis dignum existimaverit, aperire; nobis autem et successoribus nostris Romanis Pontificibus huiusmodi ecclesiarum, praebendarum, seu beneficiorum, super quibus concursus habitus fuerit, collationem et provisionem in personam eorum, quos ad gerendam animarum curam magis aptos et idoneos in Domino iudicabimus, praedicta auctoritate et earumdem praesentium serie reservamus. Cum vero collatio beneficiorum simplicium, sive residentialium, quibus animarum cura non imminet, huiusmodi Vicariis Apostolicis permitti non soleat, sed ipsi Apostolicae Sedi reservari; nos eam pariter, per easdem praesentes literas, nobis et Sedi Apostolicae reservamus: declarantes tamen, sub hac reservatione minime comprehensa esse aut censeri beneficia illa simplicia, aut residentialia non curata, quae ad collationem et provisionem dilectorum filiorum Capituli et canonicorum ecclesiae Aquileien. spectare dignoscuntur; sed ea, quatenus ex alio capite aut ratione, apostolicis reservationibus vel affectionibus subiecta non sint, ad liberam praedictorum collationem et dispositionem, ut antea, pertinere. Ac decernentes, huiusmodi reservationem per praesentes inductam, eo ipso cessare debere, ac penitus sublatam censeri, quum nobis, aut successoribus nostris, Deo adiuvante, datum fuerit obstacula illa removere, per quae ordinariis collationibus nunc locus esse non potest; quod ut quantocius obtinere mereamur, nos quidem, in quantum vires suppetent, omni studio atque opera adlaborare non desistemus.

§ 8. Deinde quum, sicut accepimus, in ea parte Dioecesis Aquileiensis, quam a Vicario Apostolico regendam decrevimus, nonnullae sint parochialium, quae extra vicariatus praedicti fines sunt constitutae; aliae autem matrices huiusmodi extra vicariatum sitae, filiales ecclesias habeant intra distric-

tum ab Apostolico Vicario, ut praefertur, in spiritualibus gubernandum; volumus atque decernimus, ut quatenus ita se res habeant, nihil circa easdem ecclesias, earumque respectivas superioritates ac dependentias innovetur: nec ulla tam huiusmodi, quam aliarum quarumcumque parochiarum dismembratio fiat; prout etiam nihil de bonis immobilibus, seu mobilibus pretiosis ad easdem parochiales, sive ad alias quascumque ecclesias pertinentibus, alienetur; sed, salvis iuribus enunciatae matricitatis pro iis ecclesiis, quibus ea competere dignoscuntur, earum ecclesiae filiales in diverso districtu constitutae, pro eo quod pertinent ad iura episcopalia in personas animarum curae praepositas, ipsamque actualem curam, ab eo superiore ecclesiastico dependeant, qui in huiusmodi districtu iurisdictionem exercebit; nimirum a Vicario Apostolico, si ecclesiae ipsae intra vicariatus limites existunt; si vero extra eos constitutae sunt, ab Ordinario illius loci, in quo eaedem sitae comperiuntur.

§ 9. Praeterea, cum inter alias facultates praedicto Vicario Apostolico a nobis superius concessas atque tributas, ea etiam sit, ut Synodum Dioecesanam convocare et celebrare valeat; cumque huiusmodi Synodi celebratio haberi non soleat, nisi post expletam visitationem, in qua ecclesiarum et cleri, populique necessitates, sive defectus quibus per synodalia decretà occurrendum atque medendum est, agnoscuntur; quatenus praedictus Carolus Vicarius Apostolicus, peracta visitatione praedicta, atque omnibus per commissum sibi regionis tractum diligenter animadversis, opportunum aut necessarium duxerit huiusmodi Synodum congregare; sicuti plerisque Episcopis, ad evitanda controversiarum et offensionum pericula, prudenter in more positum est, Synodorum a se congregandarum specimen, et constitutiones, quas in ipsis edere meditantur, Apostolicae Sedis examini in antecessum subiicere; quamquam ipsi iure proprio, nec ulla speciali ipsius Sedis licentia ad hoc indigentes, Synodum cogant; ita volumus ac praecipimus, ut ab eodem Carolo Vicario, ante Synodi convocationem, consulatur haeć ipsa Apostolica Sedes, cuius auctoritate ac delegatione huiusmodi ecclesiastici regiminis munia ab ipso exercebuntur; ac tum personas, quas ad Synodum evocare intendit, super quibus controversiae plerumque non desunt, tum decreta, quae in eadem edenda ac publicanda putabit, ne forte litium et perturbationum fomenta fiant, distincte repraesentet; id maxime cavendo, ne aut in visitatione, aut in Synodo, decretum ullum condat atque edat, in quo personae, ecclesiae, aut res, extra vicariatus sui limites constitutae, comprehendantur; aliudve quid faciat, ex quo dissensiones et controversiae nunc nimium vigentes foveri aut augeri possint. Quapropter constitutiones atque decreta, quaecumque in Synodo a dicto Carolo Vicario Apostolico per praesentes deputato, vel ab eius successoribus fient, nullam vim aut efficaciam habere volumus atque decernimus, nisi postquam a nobis seu a successoribus nostris Romanis Pontificibus, cognita, approbata et confirmata fuerint.

§ 10. Insuper cum in Civitate Aquileiae quoddam Monialium monasterium adsit, unius apostolici delegati gubernio subiectum, cuius quidem iurisdictionis exercitio in huiusmodi monasterium atque moniales nullum obstat impedimentum; ideo circa illud nihil innovari; sed omnia in eo statu, in quo nunc sunt, remanere volumus, et decernimus.

§ 11. Denique Patriarchalis Ecclesiae Aquileiensis, eiusque capituli, iura, praerogativas, praeeminentias, libertates, exemptiones, immunitates, statuta, laudabilesque consuetudines, intacta et illaesa permanere volentes, nullum iurisdictionis actum in ipsius capituli dignitates, atque canonicos, seu adversus ipsos, a saepedicto Carolo Vicario Apostolico nunc deputato, aut ab ipsius successoribus forsan deinceps deputandis, exerceri posse decernimus, atque statuimus; volentes dumtaxat, ut dum iidem dignitates atque canonici in Civitate Aquileiae residebunt, si quid forte ab eorum aliquo adversus canonica statuta et Tridentini Concilii decreta, quae ad vitam et honestatem clericorum, sive ad consuetum ecclesiae et chori servitium pertinent, ex humana fragilitate admitti contingat; qui talia egerit, fraterne admoneri debeat ab eodem Carolo Vicario Apostolico; qui si nihilominus eum, quem sic admonuerit, nequaquam se emendare conspexerit, vel etiam, ubi aliquem eorum eiusmodi excessus perpetrasse cognoverit, propter quos, ad aliorum exemplum, debitis animadversionibus coerceri mereatur; in huiusmodi casibus (quos Deus pro sua clementia dignetur avertere) volumus per eumdem Ca-

rolum Vicarium Apostolicum quamprimum omnia referri ad hanc Apostolicam Sedem; quae, audito etiam ipsius Vicarii consilio ac voto, opportuna pro rerum circumstantiis remedia adhibere non omittet.

§ 12. Caeterum omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in virtute sanctae obedientiae et pro debita Sedis Apostolicae reverentia, per easdem praesentes praecipimus et mandamus, ut dictum Carolum electum Menniten. ad demandatum sibi Vicarii Apostolici officium in praedicta perte Dioecesis Aquileiensis Austriacae familiae Principum temporali dominio subiecta et ad eiusdem officii liberum exercitium, iuxta tenorem earumdem praesentium, recipiant et admittant; eumque in nostrum et Sedis Apostolicae Vicarium et Delegatum in praemissis, durante vicariatu, deputatione, ac beneplacito huiusmodi recognoscant; eique in omnibus, quae ad idem officium pertinent, respective pareant, faveant et assistant; nec non ipsius mandata et salubria monita humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententias et poenas, quas rite tulerit et statuerit in rebelles, ratas habebimus, et huius Apostolicae Sedis auctoritate faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observari.

§ 13. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta et statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliqno, ius aut interesse habentes, vel habere praetendentes quomodolibet, cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et ecclesiasticae, aut mundanae dignitatis existant, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec eorum aliquos ad ea vocatos, vel etiam nullo modo, aut non satis auditos, dici aut praetendi possit, aut ex alia qualibet etiam iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo subreptionis aut obreptionis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam vocari posse; sed tanquam ex officii nostri debito, ac motu proprio et certa scientia nostris, factas et emanatas, omnimoda firmitate validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque Carolo Vicario Apostolico, aliisque ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, ac respective ab eodem, aliisque omnibus quos concernunt et concernent in futurum, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et quacumque etiam apostolica auctoritate delegatos, etiam S. R. E. praedictae Cardinales de latere Legatos et Apostolicae Sedis Nuncios, aliosque quoslibet, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 14. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, seu apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non quibusvis, etiam Apostolicae Sedis scientia et tolerantia vel eiusdem temporali provisione inductis, aut etiam expressa et perpetua confirmatione vel quavis firmitate alia roboratis usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, aut literis apostolicis, cuilibet ecclesiae, aut quibuscumque personis, quacumque ecclesiastica aut mundana dignitate fulgentibus, etiam specifica et individua mentione dignis, sub quibuscumque formis et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis et emanatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica expressa et individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas, causas et occasiones, eisdem praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. iunii MDCCL., pontificatus nostri anno X.

CXV.

Custodi S. Sepulcri concedit facultatem administrandi sacramentum confirmationis, iuxta modum.

Dilecto filio Prospero a Brixia Ord. fratrum Min. S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupat. professori,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Relligionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratias liberales. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, frater expresse professus Ord. Minor. S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum existis, a tuis superioribus in custodem et guardianum S. Sepulchri D. N. Iesu Christi electus et deputatus fueris, cupias propterea facultatem conferendi sacramentum confirmationis ex speciali huius S. Apostolicae Sedis delegatione, prout aliis custodibus seu guardianis huiusmodi concessum fuisse memoraris, per nos tibi concedi:

Nos, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolica deputatorum consilio, tibi et durante tuo custodis seu guardiani S. Sepulchri huiusmodi officio, iuxta tamen praescriptum et dispositum in quibusdam nostris die XXIV. decembris MDCCXLIII. expeditis literis, quarum initium est *Demandatum coelitus,* in civitate hierosolymitana et locis Terrae Sanctae, ubi non erunt Episcopi Ritus Latini in propria residentes dioecesi et Episcopus graecus catholicus iure suo et in propria dioecesi non resideat, potestatem et facultatem conferendi sacramentum confirmationis huiusmodi Oleo et Chrismate, etiam antiquis, si nova haberi non possint, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedi praedictae habentem benedictis, sub conditione tamen Graecis a simplici sacerdote confirmatis ac sponte a te confirmari petentibus, ubi vero sit Episcopus catholicus residens, huiusmodi sacramentum non conferas nisi de eiusdem Episcopi consensu; eo autem dissentiente, abstinere omnino debeas, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIII. iulii MDCCL., pontificatus nostri anno X.

CXVI.

Novas indulgentias fratribus et sororibus Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci Assisiensis concedit, caeteris omnibus revocatis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis est indulgentias concedere, et super concessis dubia submovere.

Ad Romanum Pontificem inexhausti ecclesiae thesauri dispensatorem pertinet indulgentiarum a praedecessoribus suis, diversis temporibus atque rationibus concessarum, incertitudinem ac dubia et controversias super iis excitatas atque vigentes, indeque ortas fidelium animarum perturbationes, suprema sua auctoritate, iuxta probatam Apostolicae Sedis consuetudinem, et sacri Tridentini Concilii mentem, per opportunas declarationes, certasque concessiones tollere ac removere, ut ecclesiasticae pacis firmitati, simulque animarum saluti et profectui, ac providae earumdem indulgentiarum distributioni consulatur.

Fratribus et sororibus Tertii Ord. S. Francisci variae indulgentiae directe, et per communicationem cum Ordinibus concessae fuere.

§ 1. Olim siquidem Romani Pontifices praedecessores nostri Tertium Ordinem Saecularem, de poenitentia nuncupatum, beati Francisci Assisiensis institutione, sub regulis ab ipso praescriptis feliciter coalescentem, apostolica benignitate complexi, eiusdemque fratres atque sorores specialibus favoribus et spiritualibus gratiis ditare volentes, ut uberiora religionis et pietatis in-

crementa susciperent, praeter alias indulgentias ac peccatorum remissiones ipsis directe concessas, etiam generali communicatione in quibuslibet gratiis, privilegiis et indulgentiis, omnibus et singulis tam mendicantium, quam non mendicantium Ordinibus Regularibus, eorumque personis quomodocumque a Sede Apostolica indultas, eorumque omnium et singulorum ad praedictos fratres atque sorores extensione, cumularunt.

Paulus V. indulgentias regularium reformavit.

§ 2. Quamquam vero felicis recordationis praedecessor noster Paulus Papa V., opus reformationis et moderationis indulgentiarum a recolendae quoque memoriae Clemente Papa VIII. altero praedecessore nostro, tunc suo, feliciter inchoatum, pari cum diligentia et studio prosequutus, apostolicis literis, quarum initium est: *Romanus Pontifex,* die vigesima tertia maii anni millesimi sexcentesimi sexti in forma brevis editis, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praefatis Regularibus Ordinibus, eorumque personis, quocumque modo antea concessas, abrogaverit et revocaverit, easque, novis ex integro in ipsorum favorem indultis, ad modum et terminos in earumdem literarum tenore expressos reduxerit; cum tamen praecedentibus annis a congregatione tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, declaratio quaedam sequentis tenoris emanaverit, videlicet: *In generali revocatione indulgentiarum, quae in brevi* Romanus Pontifex *Pauli V. habetur, non comprehendi personas, quae substantialia religionis vota non emittunt, intra vel extra claustra degentes;* eaque specialibus literis in simili forma brevis a venerabilis memoriae Innocentio Papa XI. praedecessore quoque nostro die decima octobris anni millesimi sexcentesimi octogesimi sexti confirmata fuerit; cumque etiam aliae prodierint Romanorum Pontificum constitutiones, quibus indulgentiae et gratiae speciales tam praefato Tertio Ordini directe concessae, quam per communicationem cum Ordinibus Mendicantium, et non mendicantium, ad eumdem extensae, confirmari videbantur; hinc factum est, ut super subsistentia indulgentiarum et gratiarum huiusmodi, quae in duabus literarum apostolicarum collectionibus, bullariis nuncupatis, per Rodericum et per Confectium vulgatis, iuxta antiquam earum intelligentiam descriptae leguntur, plures diversis in locis quaestiones et controversiae inter fratres eiusdem Ordinis agitari coeperint atque etiam in iudicium adduci; prout earumdem inconcussam firmitatem, vel respective abrogationem, aut etiam in pristinum statum redintegrationem, acrius sustineri aut ex contraria parte in dubium contigit revocari.

Causae dubitandi super subsistentia indulgentiarum fratribus Tertii Ordinis concessarum.

Plures ex praetensis indulgentiis a Congregat. Indulgentiarum exclusae fuerunt.

§ 3. Et quidem praedicta bullaria, pro eo, quod pertinet ad communicationem omnium indulgentiarum singulis Ordinibus indultam, nequaquam attendenda esse, dictumque Tertium Ordinem ea tuto sequi non posse, iam in acerrimo partium conflictu decretum et definitum extitit a praedicta Cardinalium Congregatione indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita, die quinta februarii anni millesimi septingentesimi trigesimi quarti. Quae etiam anno sequenti, in eiusdem controversiae progressu, sub die quinta octobris declaravit, per revocationem Pauli V. sublatas dici debere indulgentias illas, quae regularibus personis, ac praefato Tertio Ordini communes erant, seu promiscue antea concessae fuerant; necnon eas, quibus eiusdem Tertii Ordinis fratres per viam communicationis, ante ipsam revocationem, fruebantur. De iis autem, quae ipsis tam antea, quam post directe concessae asserebantur, itemque de iis, quas, post saepedictam revocationem, per viam communicationis cum Ordinibus Regularibus, sive per extensionem, se obtinuisse contendebant, tam multa adhuc examinanda supererant, ut nonnisi post maturam discussionem singularem literarum et concessionum huiusmodi, iudicari posse visum fuerit, an, et quae verae, legitimae ac subsistentes, an vero aliquae revocatae, aut etiam falso praesumptae, vel per subreptionem et obreptionem obtentae dici deberent.

De aliis difficile examen, atque iudicium.

Folia impressa super indulgentiis fratrum Tertii Ordinis ad Congregationem Sac. Inquisitionis delata fuere.

§ 4. Cumque proinde multiplices adhuc incertitudines et confusiones hac in re adesse dignoscantur; novissime vero ad Congregationem venerabilium fratrum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum delata fuerint nonnulla folia et summaria indulgentiarum eiusdem Tertii Ordinis, typis impressa ac late vulgata, in quibus complures referuntur indulgentiae, quarum concessiones apocryphas esse, aut revocatas, aut incertas, et contra mentem Sedis Apostolicae perperam interpretatas agnitum fuit; ideoque eadem Cardinalium inquisitorum Congregatio nobis proposuerit, valde expedire

Votum dictae Congregationis fuit, omnes in-

dulgentias abrogandas, aliasque de novo concedendas.

pro praefatorum fratrum et sororum securitate ac beneficio, et ad confusiones ac deordinationes eiusmodi penitus tollendas, ut, iuxta id quod laudatus praedecessor Paulus V. pro omnibus Ordinibus Regularium provide ac opportune praestitit, nos etiam omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praedicto Tertio Ordini Saeculari Sancti Francisci, sive directe, sive per communicationem, sive alio quovis modo hactenus concessas, annullaremus et revocaremus, et alias particulares eidem concederemus.

Pontifex itaque de novo infrascriptas indulgentias fratribus et sororibus Tertii Ordinis concedit.

§ 5. Nos, matura super hoc consultatione praehabita, ac fratribus et sororibus praefati Tertii Ordinis Saecularis de Poenitentia, sub cuiuscumque Ordinis Regularis Sancti Francisci directione ac regimine, tam in cuiuslibet huiusmodi Ordinis conventibus, sive alias collegialiter, quam etiam in domibus privatis seorsim viventibus, spirituale solatium et iuvamen afferre cupientes, motu proprio et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, infrascriptas indulgentias et peccatorum remissiones de novo duximus concedendas.

In die ingressus, plenariam.

§ 6. Omnibus igitur utriusque sexus christifidelibus, qui dictum Ordinem Saecularem Sancti Francisci, de Poenitentia nuncupatum, imposterum ingredientur, die primo eorum vel earum ingressus, si vere poenitentes et confessi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam.

In quatuor anni festis, etiam plenariam.

§ 7. Nec non eisdem nunc et pro tempore existentibus fratribus et sororibus, vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in festis Sancti Francisci Assisiensis Confessoris die IV. octobris, et Sanctae Clarae Virginis, nec non Sancti Titularis eorum ecclesiae, sive oratorii aut cappellae, et in die dedicationis Sanctae Mariae Angelorum secunda augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis, suam ecclesiam, vel oratorium, aut cappellam huiusmodi, devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, singulis diebus, quibus id egerint, etiam plenariam.

In mortis articulo, etiam plenariam.

§ 8. In cuiuslibet vero mortis articulo, si pariter vere poenitentes et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti sanctissimum Iesu nomen ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

Indulgentiam Stationum Urbis.

§ 9. Item eisdem fratribus et sororibus, qui suam ecclesiam, vel oratorium, vel cappellam, diebus Stationum in Missali Romano descriptis, devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, ut easdem indulgentias consequantur, quas praefatis diebus visitantes ecclesias Urbis et extra eam consequuntur, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitarent, concedimus pariter et indulgemus.

In XVII. anni diebus, VII. annorum et totidem quadragenarum.

§ 10. Eisdem quoque vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, in festis impressionis sacrorum stigmatum eiusdem Sancti Francisci, nec non Sancti Ludovici Galliarum Regis, et Sanctae Elisabeth Reginae Portugalliae, et Sanctae Elisabeth Hungariae pariter Reginae, nec non Sanctae Margaritae de Cortona, atque in duodecim aliis anni feriatis vel dominicis diebus per ipsosmet eligendis, ac a superioribus Ordinis approbandis, ut supra visitantibus et, ut praefertur, orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas.

Pro operibus piis peragendis, centum dierum.

§ 11. Quoties vero missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu oratorio vel cappella huiusmodi pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis eiusdem Tertii Ordinis ubivis faciendis, interfuerint, ac pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint vel procuraverint, vel etiam, qui corpora defunctorum, tam fratrum et sororum huiusmodi, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, seu alias quocumque et quandocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel impediti, campanae ad id signo dato, semel orationem dominicam et angelicam dixerint, aut quinquies orationem et salutationem eamdem pro necessitatibus Sanctae Matris Ecclesiae sive pro animabus defunctorum fratrum et sororum huiusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint; toties, pro quolibet praedictorum operum exercitio, centum

dies de iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Omnes vero alias indulgentias revocat.

§ 12. Caeterum, omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, fratribus et sororibus Tertii Ordinis Sancti Francisci de Poenitentia, sub directione et regimine cuiuslibet Ordinis Regularis eiusdem Sancti Francisci, tam in cuiuslibet dicti ordinis conventibus, sive alias collegialiter, quam in domibus privatis seorsim viventibus, tam directe et immediate, quam promiscue et aeque principaliter, sive alio quocumque modo per communicationem cum omnibus et singulis Ordinibus Regularibus mendicantium et non mendicantium, tam vigore privilegiorum et literarum apostolicarum, quam vivae vocis oraculo, aut alias quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas et innovatas, praedictis motu, scientia, auctoritate et tenore, revocamus, cassamus, annullamus et abrogamus, et ad praesentium nostrarum literarum praescriptum reducimus et moderamur.

Clausulae.

§ 13. Praesentes autem literas, et tam revocationem huiusmodi, quam concessiones superius expressas, etiamsi dicti Tertii Ordinis fratres aut sorores, seu alii quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere quomodolibet praetendentes, eisdem non consenserint, nec ad ea vocati aut auditi fuerint, nullo umquam tempore impugnari, seu de voluntatis nostrae defectu aut subreptionis aliove quolibet vitio notari, vel adversus eas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve iuris vel facti remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab iisdem fratribus atque sororibus, aliisque, ad quos pertinet, in omnibus et per omnia observari, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales Indulgentiis et sacris Reliquiis praepositos, aliosque, etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, de praemissis iudicari, interpretari ac definiri debere decernimus; atque irritum et inane, si secus a quoquam, cuiuslibet auctoritatis praesidio, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Mandatum Ordinis super praemissorum observantia.

§ 14. Quocirca venerabilibus fratribus ecclesiarum Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non praedictis Apostolicae Sedis Nuntiis, et Sancti Officii inquisitoribus, harum serie, et dicta auctoritate committimus et mandamus, ut nullas alias indulgentias seu peccatorum remissiones, praeter praemissas, per eosdem fratres atque sorores seu alios quoscumque, tamquam praedicto Tertio Ordini Saeculari specialiter et intuitu eorum instituti competentes, vulgari, nunciari aut proponi permittant; sed ipsarum praesentium tenorem per ipsos fideliter, ut par est, observari faciant; contumaces atque rebelles, si qui forte adversus eas venire praesumpserint, omnibus iuris remediis, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariis.

§ 15. Non obstantibus praedictis Pauli V. et Innocentii XI., aliisque quibuslibet constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et cancellariae apostolicae regulis, ac eiusdem Tertii Ordinis Saecularis, etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis praefato Tertio Ordini, eiusque domibus, collegiis, superioribus et personis, atque etiam cuilibet Ordini Regulari Sancti Francisci, eiusque superioribus, in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam post praedictam Pauli V. revocationem, concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro expressis habentes, pro praemissorum effectu dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides praestanda transumptis.

§ 16. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae praesentibus ipsis originalibus literis haberetur, si forent ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 17. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum concessionis, impertitionis, indulti, relaxationis, revocationis, moderationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Om-

nipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, idibus martii, pontificatus nostri anno undecimo.

CXVII.

Sacerdotibus latinis in Russia Polonica facultatem concedit celebrandi missam in ecclesiis Ruthenorum unitorum super eorum antimensiis et adhibitis calicibus stanneis, si ipsis desint altaria portatilia et alii calices, dummodo celebrent ritu latino; innovat decretum Clementis VIII. concedentis presbyteris latinis et ruthenis ut quisque in alterius ritus ecclesiis uti possit altaribus, calicibus et vestibus ritus earumdem ecclesiarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Imposito nobis apostolicae servitutis officio convenit, universae Christi familiae toto terrarum orbe diffusae necessitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium ecclesiae ministrorum in remotis regionibus pro animarum salute laborantium preces benigne suscipere, eorumque opportuno levamini ac spirituali consolationi, etiam per congruae dispensationis indulta, prout rerum, locorum et temporum rationes ac veneranda maiorum nostrorum exempla suadent, consulere et providere.

Missionarior. preces delatae ad Congregat. de Propaganda Fide, § 1. Sane dudum dilecti filii presbyteri latini ritus apostolicas missiones per Russiam Polonicam exercentes Congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum exponi curarunt, quod, quum in tota Russia, ac potissimum in montibus Pokuciae, in Podolia, in vastissimis Ukrainae regionibus et in universa fere Russia, Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum unitorum Ecclesiae, rarissimae vero latini ritus; cumque ipsi pro missarum celebratione lapideas sacratas tabulas et calices aureos vel argenteos, per longa et difficilia itinera, sine gravi incommodo et sine periculo confringendi easdem tabulas et calices, secum deferre non valeant; idcirco, nisi facultas ipsis concederetur celebrandi sacrosanctum missae sacrificium super dictorum Ruthenorum *antimensiis,* ut vocant, et calices eorumdem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab eiusdem sacrificii celebratione plerumque abstinere: multique praeterea latini ritus fideles, qui ab ecclesiis eiusdem ritus longe degunt, sacerdotis latini praesentia, a quo sacra mysteria peragantur eisque distribuantur, omnino carebunt; prout reipsa saepe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur. Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur huiusmodi facultas, sacrosanctum nempe missae sacrificium, etiam sine lapidea sacrata tabula, celebrandi super *antimensiis* Ruthenorum unitorum, atque in missarum celebratione eorumdem Ruthenorum stanneos calices adhibendi.

§ 2. Cum autem huiusmodi missionariorum preces, a dicta Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita alterius congregationis venerabilium quoque fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. Cardinalium, adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, examini et iudicio, de more, remissae fuerint; et consequenter de iis actum fuerit in consessu coram nobis habito die XXII. ianuarii elapsi anni MDCCL.; nos tunc, ut ad generale rescriptum super his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi iussimus; ac praeterea venerabili fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in curia praesens aderat, quique et antea diu in Polonici regni ditionibus, atque in ecclesiasticis catholicorum latinorum graecorumque unitorum negotiis, Apostolicae Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat; et deinde ad easdem regiones, et ad eosdem labores laudabiliter prosequendos, non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit, mandavimus, ut nos super expositorum veritate instructos redderet, suamque nobis sententiam super huiusmodi postulatis, tam voce, quam scripto, aperiret. Nunc vero, exhibitis nobis praecedentium decretorum monumentis, iisque per nos accurate perpensis; atque omnibus, quae in dictis precibus narrata fuerant, praefati Episcopi Zenopolitani te-

Remittuntur ad Congr. S. Officii, ibique examinantur.

Exquiritur testimonium et votum Episcopi Zenopolit. tunc in Curia praesentis, quem Pont. laudat.

Is expositorum veritatem testatur, et precibus annuendum suadet.

stimonio comprobatis; quum is praeterea nobis retulerit, complures esse in iis regionibus presbyteros latini ritus, et quidem Deum timentes, qui, in supradictis necessitatibus constituti, minime dubitant super antimensiis Graecorum unitorum absque lapidea tabula missarum sacra facere; eiusdemque consilium fuerit, quod, sicuti Graecorum unitorum presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis *antimensiis* relictis, missarum sacrificia offerunt super lapideis latinorum tabulis, ita ad constitutam feliciter unionem magis magisque stabiliendam non parum conduceret, latinis presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum lapidea altaris tabula, missas celebrare valeant super eorumdem Graecorum unitorum antimensiis;

Pontifex annuit.

his omnibus attente perpensis, in hanc denique sententiam devenimus, ut praedictis sacerdotibus latini ritus in Russia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum unitorum Ecclesiis, deficientibus lapideis tabulis de more consecratis, et calicibus aureis sive argenteis, missarum sacrificia super eorumdem Ruthenorum antimensiis, et cum calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiae scrupulo celebrare.

Calices stannei nulla Ecclesiae lege prohibiti sunt; immo certis in casibus expresse permissi.

§ 3. Porro, quod attinet ad calices stanneos, omissis iis, quae repeti possent ex priorum ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei et vitrei calices in altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a nobis est in tractatu *De sacrificio missae, sess. 1, § 26 et seq., latinae editionis Patavinae,* nullum generale decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit huiusmodi calicibus e stanno confectis in missa uti, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut maioris pretii vasa comparari nequeant; quin immo *in can.* Ut calix, *de consecrat., distinct. 1,* haec expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat.* Et quidem ad comprobandam asserendamque huiusmodi Ecclesiae indulgentiam plura leguntur apud Sanctum Thomam, *3 part., quaest. 83, art. 3 ad sextum,* aliosque scriptores de hoc disciplinae capite agentes: Quart. *ad rubricas missalis, part. 2, tit. 1, sect. 1, dub. 1,* § *Colligitur,* Pasqualig. *De sacrificio novae legis, tom. 2, quaest. 764 et quaest. 765,* Biss. *Hierurgia sacra in verb.* calix, § *1.*

Missae apud latinos celebrari nequeunt, nisi super consecrato altari lapideo, vel fixo, vel portatili.

§ 4. Quod vero spectat ad alteram optati indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse incruentum missae sacrificium, nisi super altari, quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum lapidem, et qui *tabula altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto tractatu *De sacrificio missae, cit. sect. 1, § 2 et seq.* In graeca autem ecclesia huiusmodi sacrati lapides minime sunt in usu; sed ibi a pluribus iam saeculis in more positum est, ut, ubi altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideae huiusmodi tabulae, super altaris mensa aptetur linteum quoddam episcopali benedictione consecratum, in cuius angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt, quodque vocatur *Antimension,* et super ipso sacra mysteria conficiantur; ut apud auctores de rebus liturgicis tractantes videre licet, Goar. *in notis ad Eucholog. Graecor. pag. 521, Venetae editionis,* Christianus Lupus *in synodos general. et provincial. in dissert. de S. Leonis IX. actis, cap. 13, Bruxellen. editionis part. 3,* Renaudot *in collectione liturgicarum oriental., tom. 1, pag. 182, edit. Parisiens.,* Magri *in notitia vocabulor. ecclesiasticor. in verba, Antimensia,* Card. Bona *rer. liturgicar. lib. 1, cap. 20, § 2,* eiusque commentator Robert. Sala *tom. 2, pag. 70, num. 4, Taurinen. editionis.*

Graeci celebrant etiam super Linteo consecrato, quod vocant Antimension.

Horum consuetudo non improbatur.

§ 5. Quum vero nunquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas esset, nec non eorumdem apud Graecos fideles observantiae prospexerit; nunquam proinde missarum celebrationem, quae super huiusmodi antimensiis a Graecis catholicis fit, improbavit; sed eam, et quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo-Graecos, permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in institutione per fel. rec. praedecessorem nostrum Clementem Papam VIII. edita, tum in nostra constitutione, quae incipit: *Etsi pastoralis, bullarii nostri tom. 1, constitut. 57, § 6, num. 17.*

Sed ea prohibetur Latinis, ubi non desunt ecclesiae latini ritus, et altaria lapidea.

§ 6. Quum vero in iis regionibus, in quibus Italo-Graeci sunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius quam alterius ritus ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento et sine gravi incommodo unusquisque presbyter proprii

ritus ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est, ob quam latinis earum partium presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiae Latinae disciplinam, sine sacrata altaris lapidea tabula missas celebrare, easque super Graecorum *antimensiis* offerre; quod ipsis proinde in citata nostra constitutione vetitum fuit, *eodem* § *6, num. 19.*

Peculiares tamen necessitates locorum de quibus agitur, dispensationem concedendam suadent.

§ 7. Sed aliter se res habent, ubi de regionibus agitur, in quibus latini presbyteri ab ecclesiis latini ritus longe degentes, quum sacratas lapideas tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, et sine periculo eas confringendi, secum deferre nequeant, vel missae celebrationem penitus omittere, et sic latinos fideles sine sacrificio proprii ritus et sine mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Graecorum *antimensiis* peragere compelluntur. In huiusmodi rerum circumstantiis, Apostolicae Sedis provida indulgentia iamdudum enituit; quum scilicet anno MDCII. ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vilnensis praedictae Cardinalium inquisitorum generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam praedecessore nostro Clemente Papa VIII. approbante, rescriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schismatici, in ecclesiis catholicorum ritus Latini, altaribus, calicibus et vestibus sacris eorumdem catholicorum uti, et missam celebrare possint, in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis causa, dummodo ritu Rutheno celebrent. Et e contra, sacerdotes ritus Latini in ecclesiis Ruthenorum non Schismaticorum, altaribus et calicibus, ac vestibus sacris uti, et missam celebrare valeant, ritu tamen Latino. Et praedicta serventur secluso omni scandalo, et de licentia praelatorum et rectorum ipsarum ecclesiarum.*

Similis indulti exemplum datum est anno MDCII. pro dioecesi Vilnensi.

Pontifex indultum illud confirmat, et reliquis presbyteris latinis in Russia Polonica degentibus indulget iuxta petita.

§ 8. Nos igitur, praemissae necessitatis intuitu, atque etiam huiusmodi decreti consideratione adducti, praesentium literarum tenore, atque ex certa scientia, et apostolicae auctoritatis plenitudine, salvis praefati Clementis VIII., nostrisque super ritibus Italo-Graecorum editis constitutionibus et ordinationibus, non modo relatum superius decretum approbamus et confirmamus; verum etiam praefatis omnibus missionariis, aliisque sacerdotibus Latinis in tota Russia Polonica nunc et pro tempore commorantibus, ut ipsi et eorum quilibet, in ecclesiis Ruthenorum unitorum, deficientibus lapideis altarium tabulis rite consecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum Antimensiis missarum sacrificia celebrare, atque etiam, ut supra dictum est, in huiusmodi celebratione eorumdem calicibus stanneis uti libere et licite possint, et valeant, concedimus et indulgemus. Non obstantibus quibusvis apostolicis, seu generalium aut provincialium vel synodalium conciliorum contrariis constitutionibus et ordinationibus sive locorum, personarum aut ordinum statutis, ritibus, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Contrariis derogat.

Proprium tamen ritum ab unoquoque sacerdote servandum decernit iuxta constitut. S. Pii V.

§ 9. Volumus autem, sicut in praemisso decreto expresse cautum reperitur, ut dicti missionarii et sacerdotes latini, etiam quum eos, vigore praesentis concessionis, super Ruthenorum unitorum Antimensiis missam celebrare contigerit, latino semper ritu eadem celebrare teneantur; firma nimirum et in suo robore permanente apostolica constitutione a fel. rec. praedecessore quoque nostro Sancto Pio Papa V. edita, quae incipit: *Providentia Romani Pontificis, constit. 12, tom. 2 Bullar. Rom. edition. Luxemburg.*, per quam omnes facultates et indulta, tam Graecis, ut missas et divina officia latino ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem graeco ritu peragere valerent, revocata atque perpetuo sublata fuerunt; quamque nos etiam earumdem praesentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate, confirmamus et innovamus.

Nec huiusmodi indulto locum esse vult in ecclesiis aut oratoriis latinis.

§ 10. Volumus insuper, ut iidem praesenti indulto celebrandi super Graecorum *antimensiis*, in praedictorum Ruthenorum ecclesiis dumtaxat (quemadmodum etiam in praemisso decreto legitur) uti et gaudere possint; si vero eosdem in aliqua latina ecclesia, seu in domesticis latinorum oratoriis, quae forsan auctoritate apostolica in huiusmodi latinorum privatis domibus, cum licentia celebrari faciendi, quae adhuc vigeat, erecta fuerint, sacrosanctum sacrificium offerre contigerit, illud vel super altari consecrato, vel super lapidea pariter consecrata tabula, quae etiam *altare portatile* appellatur, non autem super *antimensiis* huiusmodi, celebrare omnino debeant.

Transumptis fidem haberi iubet.

§ 11. Volumus denique, ut praesentium literarum exempla, etiam impressa, publici notarii subscriptione, et personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munita,

eamdem omnino, ac ipsae praesentes, ubicumque opus fuerit, fidem et auctoritatem obtineant.

Sanctio. § 12. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrae concessionis, indulti, statuti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini MDCCLI., IV. kalendas aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

CXVIII.

Monachis Ordinis S. Basilii plura praecipit observanda quoad ritum graecum et missam; eosque excitat ad studium linguae graecae perfectius excolendum.

Dilectis filiis, abbatibus, prioribus et vocalibus Ordinis Sancti Basilii Magni ad capitulum generale convocatis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Etsi persuasum habemus, praeclari Ordinis vestri in catholica ecclesia celeberrimi rationes et instituta, quae ad generalia comitia vos acciverunt, vos etiam, dilecti filii, satis admonere, qua cura, qua solertia, qua charitate, quo zelo omnia religionis vestrae negotia peragenda sint; ad singularem tamen nostram erga eumdem Ordinem vestrum benevolentiam vobis commonstrandam, facere non possumus, quin comitiorum vestrorum studia ad confirmandam adaugendamque regularem disciplinam paternis monitis excitemus.

Abbatis generalis electionem, aliaque in capitulo statuenda, in Ordinis utilitatem cedere Pont. cupit. § 1. Ac primum quidem, dilecti filii, a vobis exposcimus, et vehementer vos hortamur, ut, communibus animis unum Deum prae oculis habentes, eum laudatissimo Ordini vestro Abbatem generalem praeficere satagatis, qui, inter caeteros abbates, ad quos spectat, prudentia, doctrina, atque emeritis religiosae vitae stipendiis praecellens, regularem observantiam exemplis accendat, charitate foveat, auctoritate tueatur. Deinde vero providentiam zelumque vestrum requirimus, ut, sicubi fortasse observantiae ardor intepuerit, aut degeneres a pristina religione mores irrepserint, salutaribus statutis emendare studeatis.

Graeci ritus observantiam in Ordine S. Basilii custodiendam suadet. § 2. Quoniam autem inter illustria Ordinis vestri decora illud omni procul dubio maximopere commendatur, quod catholicus graecae ecclesiae ritus, post tot tamque varias eiusdem ecclesiae graecae ab haereticis et schismaticis perturbatae vices, ad haec usque tempora in eo servatur; oportet, ut omnem operam studiumque impendatis, quo idem graecus ritus, et iuxta Apostolicae Sedis praecepta, atque in generalibus capitulis et diaetis Ordinis vestri decreta, deinceps integrius custodiatur. Statuta iampridem super hoc edita integrari mandat. Eapropter nos, quibus maxime cordi est, ut exacta eiusdem graeci ritus custodia in monasteriis pro ritu graeco constitutis stabilis perseveret, vobis, dilecti filii, apostolica auctoritate nostra iniungimus et mandamus, ut omnia et singula huiusmodi decreta ad annum usque millesimum septingentesimum quadragesimum secundum edita, iterum in capitulo generali quamprimum per vos celebrando renovetis, confirmetis, et omnino servanda districte praecipiatis. Et nova opportuna constituit. Quin immo vos certiores esse cupimus, pontificiae sollicitudini nostrae pergratum iucundumque futurum, si in saepedicto capitulo generali novas quoque consentaneasque eidem graeco ritui magis magisque stabiliendo provehendoque, ordinationes constitutionesque praescripseritis.

Abbates, priores et magistros monasteriorum graeci ritus nulla ratione eximi posse statuit a celebratione missae sub eodem ritu, et a poenis adversus contrafacientes inflictis. § 3. Praeterea, ut paterni animi nostri sensus hac super re vobis testatiores sint, volumus itidem atque praecipimus, ut abbates monasteriorum graeci ritus, etiamsi muneribus et officiis vel procuratoris generalis vel visitatoris vel definitoris generalis fungantur, ad missam tamen ritu graeco celebrandam teneantur, sub severioribus ecclesiasticis poenis et censuris, etiam privationis munerum, et officiorum, et privationis vocis activae et passivae; quemadmodum in diaeta in hac alma urbe nostra anno MDCLVIII. habita praescriptum ordinatumque fuit. Eidem pariter obligationi missam ritu graeco celebrandi, et poenis ac censuris, obnoxios esse declaramus, et mandamus priores et magistros memoratorum ritus graeci monasteriorum; cum una, aut duae missae, quae latino ritu iuxta apostolicas constitutiones in ipsis ritus graeci monasteriis, in quibus sex vel plures monachi reperiuntur, celebrari possunt, per monachos simplices, ut dicitur, non graduatos celebrari debeant.

Decreta super his edita, et edenda, ad se deferri praecipit, apostolica auctoritate confirmanda.

§ 4. Denique volumus et mandamus, ut omnia et singula decreta et statuta tam in antecedentibus capitulis generalibus et diaetis pro stabilitate et firmitate graeci ritus condita et ordinata, quam ea insimul, quae in capitulo mox celebrando pro dicti ritus graeci manutentione fieri et praescribi contigerit, post capituli huiusmodi celebrationem ad nos deferantur, ut, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolica auctoritate nostra approbemus et confirmemus, et inviolabili apostolicae firmitatis patrocinio muniamus.

Linguae graecae studium enixe commendat.

§ 5. Porro facile nobis persuademus, vos probe intellecturos ex iis, quae ad custodiendum confirmandumque in Ordine vestro graecum ritum praescripta sunt, opus esse, ut graecae linguae peritiam, non illam quidem levem et extimam, sed illam vero perfectam et omnibus numeris absolutam, ad sanas candidasque auctorum sententias callendas necessariam, ediscatis et comparetis; ac proinde, ut in huiusmodi studium graeci idiomatis pro viribus incumbatis, etiam atque etiam vos adhortamur et incitamus.

§ 6. Interim ad prosperi successus, et coelestis praesidii auspicium, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem, studiosae nostrae erga vos voluntatis pignus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XX. aprilis MDCCLI., pontificatus nostri anno XI.

CXIX.

Intuitu disciplinae ecclesiasticae ac deficientiae rationabilis causae et pravorum effectuum, qui inde oriri possent, communionem sub utraque specie renuit concedere haereticis ad fidem catholicam venientibus in ritu latino (1).

Venerabili fratri Archiepiscopo Nicaeae Nuntio Apostolico,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Fra la moltiplicità degli affari non ci siamo punto scordati di quello da lei rappresentatoci nella sua lettera dei 15 di marzo, della nobile donna Luterana, che maritata con un nobile uomo cattolico, è pronta ad abiurare gli errori di Lutero; ma nello stesso tempo domanda la dispensa di poter proseguire a ricevere la santa Eucaristia sotto l' una e l' altra specie, non in pubblico ma in privato, e previa anche una protesta, da porsi in iscritto, di convenire nel credere, che nulla di più riceva quegli che si comunica sotto le due specie, di quello che si comunica sotto una sola, e di credere anche tutto ciò, che crede la S. Chiesa Cattolica in ordine all'Eucaristia.

§ 1. Tre sono le cose stabilite dai Concilii di Costanza, di Basilea e di Trento: la prima, che tutto ed intero Gesù Cristo si contiene sotto ciascheduna delle due specie, e che tutto ed intero Cristo si riceve tanto da chi si comunica sotto una specie, quanto da chi si comunica sotto ambedue le specie: la seconda, non restare defraudato chi lo riceve sotto una sola specie, di veruna grazia propria del Sagramento e necessaria per la salute eterna: la terza non esservi verun precetto divino, che astringa i non sagrificanti a ricevere la comunione sotto ambedue le specie: dal che può facilmente dedursi, che, stante la buona credenza della dama, sarebbe facile accomodare la protesta, che essa è pronta di fare, salvando in essa tutto il dogma; riducendosi perciò la difficoltà alla disciplina, che colla richiesta che si fa, quando si ammettesse, resterebbe lesa in tutto e per tutto, alla deficienza di causa legittima per concedere la dispensa, ed alle cattive conseguenze, che da una simile dispensa potrebbero derivare.

§ 2. Abbiamo detto che, concedendosi quanto dalla nobile donna si richiede, resterebbe lesa in tutto e per tutto l' ecclesiastica disciplina, giusta la quale chi non sagrifica, riceve la comunione sotto la sola specie di pane. Di questa disciplina sono pieni i libri; e noi stessi ne abbiamo diffusamente discorso nella nostra opera *del Sacrifizio della Messa*. Nè qui altro resta da aggiungere, se non che il gran Cardinale Osio nel suo dialogo *de utraque specie*, dopo aver detto, non raccorsi dalle storie e monumenti della Chiesa di Polonia, essere mai stata distribuita al popolo

(1) Ex codice cartaceo, cui titulus: *SS. D. N. D. Benedicti Papae XIV. epistolarum collectio*, pag. 167, existente in Tabulariis Secretioribus Vaticanis.

la comunione sotto ambedue le specie, conchiude, aver la Chiesa Polacca sino dal suo principio ricevuta la disciplina della comunione sotto la sola specie del pane ne' laici, e per conseguenza in chi non sagrifica; della qual disciplina della Chiesa Polacca parla ancora il Cardinal Bellarmino *de Sacramento Eucharistiae, lib. 4, cap. 24, § Cardinalis Hosius.*

§ 3. Abbiamo detto, mancare le cause per potere legittimamente dispensare; non consistendo queste nel solo spirituale profitto, che sperasi che i requirenti conseguiranno ottenendo ciò che chiedono; ma essendo necessario, che tutto ciò ridondi nel bene della cristiana Repubblica, che è lo stesso che dire, non bastare una causa privata, ma dover alla privata esser unita ed accoppiata la pubblica; come si deduce dal Concilio di Trento *alla sess. 22* nel decreto *super petitione concessionis calicis,* ove rimettendo l'affare al Romano Pontefice, soggiunge: *Qui pro suâ singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae christianae, et salutare petentibus usum calicis, fore iudicaverit.*

§ 4. Tale fu la concessione ai Boemi e Moravi di comunicarsi sotto l' una e l' altra specie, fatta dal Concilio di Basilea, che poi fu rivocata. Tale l' autorità data dai due Pontefici Paolo III. e Giulio III. ai suoi Nunzii in Germania, di poter concedere l' uso del calice, della quale però essi non si servirono. Tale pure fu la celebre concessione fatta dopo il Concilio di Trento dal Pontefice Pio IV. in cui accordò agli Arcivescovi ed elettori ecclesiastici di deputare nelle loro provincie sacerdoti cattolici ad amministrare il Sagramento sotto l' una e l' altra specie a que' laici, che ne avessero fatta divota premura, dalla quale concessione non essendosi poi ricavato quell' utile spirituale, che speravasi, non dubitarono i sommi Pontefici S. Pio V. e Gregorio XIII. di rivocarla: cose tutte, che si ricavano dalle storie della Chiesa, memorate anche da noi nel citato nostro trattato *del Sagrifizio della Messa,* e che involvendo la conversione di nazioni e di popoli, non v' ha dubbio che ridondavano in pro ed utile della cristiana Repubblica.

§ 5. Alla categoria altresì dell' utilità della cristiana Repubblica si possono ridurre le concessioni fatte ad alcuni principi e principesse, di comunicarsi sotto l' una e l' altra specie; sapendosi quanto al pubblico bene contribuisca il far grazie ai principi, quando ne sono meritevoli, e quando quello, che domandano, non è contrario al ius divino, o naturale: e forse per questi motivi il Pontefice Clemente VI. concesse al Re di Francia il poter, ogni volta che voleva, ricevere la santa Eucaristia sotto l' una e l' altra specie; della quale facoltà però non si sono mai i Re cristianissimi serviti, che nel solo giorno, in cui si consagrano, come da noi è stato osservato nel più volte nominato nostro trattato *del Sagrifizio della Messa;* aggiungendo a quanto ivi abbiamo esposto, l'attestazione del Tournely teologo Francese, che nella 2 parte del suo trattato *de Eucharistiâ* alla pag. 68 della stampa di Parigi, parlando di quanto fu stabilito dal Concilio di Trento in questa materia, soggiugne: *intacto tamen laudabili Regum nostrorum usu, qui die, qua inaugurantur, Eucharistiam sub utrâque specie percipiunt:* ed ora altresì aggiugnendo noi, che lo stesso Clemente VI. forse per gli stessi motivi concesse al primogenito di Filippo VI. Re di Francia, ed a Bona sua moglie, come pure alla Regina Giovanna moglie dello stesso Filippo di Francia, il ricevere la comunione sotto l' una e l' altra specie, delle quali concessioni si ritrovano i monumenti appresso il Raynaldi *all' anno di Cristo 1344 e 1345.*

§ 6. Nè dallo stato della pubblica utilità può o deve in veruna maniera sottrarsi la concessione da noi rinnovata agl' Italo-Greci di potersi comunicare sotto l' una e l' altra specie in que' luoghi però solamente, ne' quali tal uso è introdotto e vigente, colla condizione però che ammettano e credano quanto si ammette e si crede dai Latini in ordine alla comunione, che si riceve sotto la sola specie del pane, come può vedersi nella nostra costituzione *Etsi pastoralis,* che è la LVII. *nel tom. I. del nostro Bollario al § 6, num. 15,* avendo noi creduto, che il tutto si sarebbe sconvolto, se si fosse pensato a sradicare l'antica introdotta consuetudine.

§ 7. Richiedendosi dunque, come sinora si è detto, per causa della dispensa, oltre il profitto del requirente, l' utilità della cristiana Repubblica, e concedendosi ancora, che nella dispensa, di cui si tratta, s' involva il motivo della salute dell' anima di chi ne fa premura, giacchè dice di volersi convertire, purchè se le conceda la comunione sotto l' una e l' altra specie, non vi è chi non vegga, che sempre manca l'uti-

lità della Repubblica cristiana, il che porta la mancanza della causa per la dispensa, non essendo causa sufficiente la sola privata utilità disgiunta dalla pubblica.

§ 8. Se non c' inganniamo, chiaro è l'esempio di colui che, ridotto in punto di morte, chiede il santissimo Viatico; dubitandosi però con buon fondamento, e forse anche sapendosi di certo, che ricevendolo sotto la specie di pane, non potrà inghiottirlo: cercasi dai teologi, se ad esso possa amministrarsi il Viatico o sotto la specie del vino, o almeno intingendo la specie del pane nella specie del vino consecrato, acciò in questo modo possa cibarsi del santissimo Viatico. Alcuni pochi hanno creduto, ciò potersi fare; altri hanno detto potersi intingere il pane nell' acqua o nel vino non consecrato; altri sono arrivati al segno di asserire, che, dicendo i medici che il vino o l' acqua potessero essere di nocumento all' ammalato, sarebbesi anche potuto immergere il Viatico nel brodo, porgendolo all' ammalato con un cucchiaro; ma la comune opinione rigetta tutto, non obbligando il precetto di ricevere in punto di morte l' Eucaristia, se non quando questa si può ricevere nelle maniere prescritte dalla Chiesa, che è lo stesso che dire sotto la sola specie del pane. I nomi di questi autori, che così opinano, ed il sentimento de' quali fa la loro sentenza comune, sono da noi riferiti nel più volte allegato trattato nostro *del Sagrifizio della Messa.*

§ 9. Ora si osservi nel caso proposto e risoluto come sopra, che non manca in esso la privata spirituale utilità del requirente, ma che, concorrendo la deficienza dell' utilità della Repubblica cristiana, si esclude dai migliori teologi qualsivoglia epicheja, e si sta al rigore della legge; nè v' è fra loro chi ricorra alla presunta volontà del Papa, che, informato del caso, se fosse richiesto, darebbe la dispensa. Nelle materie, nelle quali si concede la dispensa, quando ve ne sia il bisogno preciso ed urgente, e nelle quali basta la sola privata utilità del requirente, non hanno i teologi difficoltà d' insegnare e sostenere, che, non essendovi modo nè tempo di ricorrere al sommo Pontefice, si può, ed anche alle volte si deve, procedere all' atto, ancorchè manchi la pontificia dispensa, per altro necessaria, dovendosi credere, che, se il Papa ne fosse informato, l' avrebbe accordata. Ciò particolarmente si vede ne' matrimonii, che si contraggono in punto di morte per debito di coscienza e per legittimare la prole, ancorchè al contratto matrimoniale osti qualche impedimento dirimente, non essendovi tempo allora di ricorrere al Papa per la dispensa, e presumendosi, che, richiesto, l' avrebbe accordata. Somigliante discorso nè si è fatto nè si fa nel caso dell' ammalato, che non può inghiottire il Viatico, che gli si vuol amministrare, secondo il solito, sotto le sole specie di pane; ed il discorso non si fa, sapendosi, che in queste materie il Papa non dispensa pel solo motivo della privata utilità, volendovi accoppiata la pubblica, che nel caso del detto ammalato non si può rinvenire.

§ 10. Restano le cattive conseguenze di sopra accennate, che, dalla richiesta dispensa, quando si concedesse, potrebbero derivare. Sono queste ben avvertite dal celebre Silvio sopra *la terza parte di S. Tommaso, quaest. 80, art. 12, quaesit. 4,* e si riducono ai seguenti capi. Il primo, che chi è stato una volta seguace dell' errore della necessità della comunione sotto l'una e l' altra specie, dà un giusto fondamento di sospettare, non ostanti le contrarie proteste, che, volendo proseguire di ricevere l' Eucaristia nello stesso modo, ritenga in testa o l' errore già professato, o nel cuore l' affetto al predetto errore. Il secondo, che, essendo impossibile che, praticandosi ancora qualsivoglia cautela, resti occulta la dispensa, o resti occulto l' uso della dispensa, renderassi impossibile l' escludere la jattanza degli eretici, che anderanno disseminando fra i poveri rozzi cattolici, avere finalmente la Sede Apostolica confessato, che essi avevano ed hanno ragione nel punto dell' Eucaristia da amministrarsi sotto l' una e l' altra specie. Il terzo, che non mancherebbero fedeli, che domanderebbero la stessa cosa, o credendo esser essa anche buona per loro, o pure dubitando, se sia vero quanto sopra l' articolo è stato loro in sino ad ora insegnato. Il quarto, che si aprirebbe una strada alla novità, leverebbesi l' uniformità tanto necessaria, e particolarmente in questo augustissimo Sagramento.

§ 11. E così conchiudendo, si esorti la pia e nobile donna a spogliarsi dell' affetto, che le resta verso il Calice, sottoponendosi intieramente ai dettami della S. Romana Cattolica Chiesa, che essa vuol riconoscere per sua pietosissima madre, quale amando i figli, sa molto bene ciò che è buono, e ciò che è cattivo per loro, come in tal pro-

posito discorse eloquentemente nel sacro Concilio di Trento il Villalpandeo teologo di Segovia nella sua celebre orazione stampata appresso l'Arduino nel tom. 10 della sua *Collezione de' Concilii pag. 312*, terminando noi col dare al nostro Monsignor Nunzio l'apostolica benedizione.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. maii MDCCLI., pontificatus nostri anno XI.

CXX.

In Provincia S. Didaci in Mexico confirmat privilegia Syndacis fratrum Minorum a Clemente VII. concessa (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Syndici seu procuratores provinciae S. Didaci in Mexico Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Excalceatorum nuncupatorum, quod alias fel. record. Clemens Papa VII. praedecessor noster per quasdam suas in simili forma brevis expeditas litteras nonnulla privilegia, gratias et exemtiones Syndicis Apostolicis Ordinis pro tempore existentibus concessit, prout continentur in eisdem litteris tenoris sequentis, videlicet:

Clemens Papa VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ep. Clem. Papae VII. Dum consideramus assiduos labores, et vigilias, quas dilecti filii syndici et procuratores domorum et monasteriorum fratrum Minorum S. Francisci regularis observantiae, et monialium S. Clarae, Conceptionis et Annunciationis Ordinum et Sororum Tertiae Regulae S. Francisci sustinere non cessant, merito nos obligant, ut animarum suarum saluti consulamus, ipsosque a quibusvis molestiis et iniuriis sibi pro tempore illatis, quantum cum Deo possumus, relevemus.

Idcirco uni syndico et procuratori huiusmodi cum illius uxore et liberis praesenti et futuro singulae domui et monasterio praedictis pro tempore servientibus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus ipsi et eorum quilibet omnibus et singulis indulgentiis et peccatorum remissionibus, favoribus et gratiis quibus fratres Ordinis observantiae praedicti utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, potiri et gaudere possint et valeant; et insuper in quibusvis causis et rebus ipsos syndicum et procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus et mixtis, non nisi coram iudicibus, conservatoribus domorum illarum, quarum ipse syndicus et procurator fuerit, de iustitia respondere teneatur, auctoritate apostolica concedimus et indulgemus, inhibendo sub excommunicationis latae sententiae poena universis et singulis iudicibus, commissariis ecclesiasticis et saecularibus quacumque auctoritate fungentibus, ne de causis contra dictos syndicos et procuratores motis et movendis directe vel indirecte quovis quaesito colore seu praetextu se intromittere quomodolibet de cetero audeant vel presumant.

Decernentes quoscumque processus contra dictos syndicos et procuratores per alios quam dictos conservatores, in causis dumtaxat contra eos motis et movendis habendos et sententias ferendas, nullas et invalidas, nulliusque valoris vel momenti fuisse et esse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedictorum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius Episcopi, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae, munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae adhiberetur, si praesentes originales litterae essent exhibitae vel ostensae. — Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI. aprilis MDXXVI., pontificatus nostri anno III.

Subinde vero in diversis temporibus a Congregatione existentium S. R. E. Cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis iurisdictionalibus, ac negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium Decreta SS. Rom. Congr.

---

(1) Ex Bul. Cap. Continuat., Tom. I., p. 166, totius op. tom. VIII. Oeniponte Typis Wagnerianis, 1883.

praepositorum quam plurima decreta quoad manutentionem privilegiorum et exemtionum eisdem syndicis concessarum ediderunt tenoris, qui sequitur videlicet:

Ita reperitur in registro authographo Decretorum S. Congregationis super immunitate ecclesiastica, et controversiis iurisdictionalibus sub die x. maii MDCXXIX.

Ianen. — Provincialis fratrum Minorum Observantiae S. Francisci. — Sacra Congregatio censuit respondendum Episcopo, ut quoad exemtionem syndici fratrum Mi norum Observantium Loci de Cartoceto, observare faciat Bullam Clementis VII., si in eo concurrant requisita eiusdem Bullae.

Item reperitur in Regesto Authographo decretorum dictae S. Congregationis sub die XVII. novembris MDCXLII.

Perusina — Fratres S. Francisci Minorum Observan. — Sacra Congregatio censuit servandam esse Clementis VII. constitutionem circa privilegium fori et exemtionis syndicorum et procuratorum dicti Ordinis.

Item reperitur in Regesto Authographo Decretorum dictae sacrae Congregationis sub die XXIII. maii MDCXLV.

Romana — Fratres Minores Observan. S. Francisci — S. Congregatio respondit syndicos conventuum dictos Ordinis, ex Bulla fel. record. Clementis VII. gaudere privilegio fori tam in causis civilibus quam in criminalibus et mixtis, etiam ortis ante eorum deputationem, seu institutionem ad officium syndicatus. Item reperitur in Regesto Authographo decretorum dictae sacrae Congregationis sub die IV. augusti MDCLIV.

Ianen. — Sigismundus Augustinus syndicus Minorum Observ. — S. Congregatio censuit oratorem syndicum gaudere privilegio fori iuxta Constitutionem Clementis VII. Item reperitur in Regesto Authographo decretorum dictae sacrae Congregationis sub die VII. frebruarii MDCLVI.

Recanaten. — Moniales S. Clarae. — Sacra Congreg. censuit syndicum monialium Sanctae Clarae gaudere privilegio fori prout gaudent syndici fratrum. Item reperitur in Regestro Authographo decretorum dictae S. Congregationis sub die x. maii MDCLVII.

Sabinen. — Antonius Ferronius procurator et syndicus conventus fratrum Minorum Strict. Observan. S. Mariae de Ponticelli. Detur decretum dummodo fit unicus illius loci videlicet — Sacra Congregatio inhaerendo declarationibus alias factis censuit oratorem ex Bulla felic. record. Clementis VII. gaudere debere privilegio fori tam in causis civilibus quam in criminalibus ac mixtis, et insuper, non posse compelli ad exercenda munia publica communitatis, nec a quoquam posse molestari, nisi coram legitimo conservatore. In quorum fidem.

Datum Romae hac die v. mensis maii MDCCLI. Loco ✝ Sigilli. Albert Secretarius.

Die XXVIII. martii MDCLXXXVI. Observant. — Procurator generalis. — Sacra Congregatio Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita attenta remissione libelli per Sanctissimum Dominum nostrum facta, referente Eminentissimo Nortfok censuit danda esse oratori decreta alias edita, nempe super praemissis servandam esse praefatam Constitutionem S. M. Clementis VII. prout praesentis decreti tenore omnino servari mandat et praecipit. Romae etc. Ita reperitur in Regestro Authographo decretorum eiusdem Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium quae asservantur in secretaria. In fidem, Romae XXVII. aprilis MDCCLI. Loco ✝ Sigilli. Ioseph M. Archiepiscopus Damascensis Secretarius.

§ 2. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dicti exponentes praemissa quo firmius subsistant et serventur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio praeinsertas Clementis praedecessoris praefati litteras nec non praemissa decreta alias ea de causa a praedictis Congregationibus edita, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis apostolicae fir- Confirmat privil. et gratias.

mitatis robur adiicimus, et, quatenus opus sit, ad exponentes praefatos, aliosque pro tempore existentes provinciae huiusmodi syndicos extendimus et ampliamus seu de novo concedimus, salva tamen, semper in praemissis, auctoritate eiusdem Congregationis Cardinalium.

Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV. maii MDCCLI. pontificatus nostri anno XI.

CXXI.

De oratorii privati erectione et usu iuxta ecclesiae disciplinam decernit (1).

Epistola encyclica ad primatem, Archiepiscopos et Episcopos Regni Poloniae,

BENEDICTUS EPISCOPUS

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Magno cum animi nostri dolore a nobis intellectum est, nonnullas in dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter oratoria privata, insurrexisse; quibus praecidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis sed et in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati oratorii privilegium exerceri

(1) Pro regularibus notanda sunt §§. 20, 21, 22, 29, 32, 33, 34. Addimus sequens:

DECRETUM

Felicis recordationis Clementis PP. XI. circa celebrationem in oratoriis privatis emanatum XV. *decembris* MDCCIII.

Nonnulli Episcopi et complures regulares, sub praetextu privilegiorum, ea sibi licere putant, quae prohibita sunt; siquidem Episcopi etiam in aliena dioecesi, extra domum propriae habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum aut plures e suis cappellanis vivificam Christi hostiam immolari; regulares vero in quibusdam magnatum, seu aliarum nobilium personarum privatis oratoriis, quae certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures missas, quam in iis sit indultum, vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gratiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas et post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per constitutiones dioecesanas, aut etiam decreta Sacrae Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quae in ipsis indultis apostolicis excipiuntur, quo minus in illis celebrari possit, aut etiam altari portatili uti non verentur in sacrarum sanctionum contemptum, ac sancti sacrificii irreverentiam. Quamobrem, ad abusus huiusmodi eliminandos, ad instaurandam venerationem tremendo mysterio debitam, sanctissimus dominus noster, ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, inhaerendo declarationibus alias hac de re editis, expresse declarat: Episcopis et his maioribus praelatis, etiam cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore iuris, neque alio quoquo titulo, nullo modo licere, extra domum propriae habitationis in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in oratoriis privatis, quae per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere regularibus cuiusvis Ordinis, aut instituti seu congregationis, etiam Societatis Iesu aut etiam cuiuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque sacerdotibus, etiamsi essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni festis solemnioribus, ac diebus in indulto exceptis. In reliquis vero diebus, praedictis regularibus et sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in praefatis oratoriis celebrare non licere, ubi iam unica missa, quae in indulto conceditur, fuerit celebrata: super quo celebraturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime informare: atque illa etiam in casibus praemissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius et declarando in omnibus casibus, personas quascumque dictas missas audientes nullatenus praecepto ecclesiae satisfacere. Quo vero ad altare portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis regularibus *in cap.* In his, *de privil.* ac per aliquos Summos Pontifices aliis regularibus communicata, utendi dicto altari portatili in eoque celebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eosdem regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout praesentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes quamvis regulares procedant, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, ad poenas praescriptas per idem Sacrum Concilium in dicto decreto *sess. 22, c. unico,* usque ad censuras latae sententiae: tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset; et ita Sanctitas Sua declarat, et servari mandat etc.

debeat; idque ad eum finem, ut, cum ordinationes vestrae pontificia auctoritate nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum, maius semper eisdem honoris atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae huiuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de huiusmodi materia doctrina traditur praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis conformis, quam alios etiam, quorum scriptores, dum de privatis oratoriis agunt, ea Sanctae Sedis decreta vel dissimulant, vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum nos venerabiles personas vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem decessorum nostrorum, tum nostram hac super re mentem sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid maioris ponderis inest, materiae ipsius nomine, quae eorum obiectum est, quaeque in quaestione versatur; cum omnis huiusmodi res ab apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo iure summis pontificibus reservata est, cumque eadem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cuius sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet, adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in encyclica hac epistola nostra continentur, ordinabitur et statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit; cuius rei gratia apostolicorum delegatorum qualitatem, et auctoritatem fraternitatibus vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, nos ipsarum praesentium litterarum tenore vobis ad huiusmodi effectum concedimus et impertimur.

Oratoria privata in Episcoporum aedibus extructa iam usque a prioribus ecclesiae saeculis.

§ 1. Nihil sane expositum nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quae in episcopalibus palatiis vestris habetis, pro missa, vel per vos, vel per alios, celebranda, aliave quapiam sacra functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio episcopio a publicis ecclesiis distincta ac separata habebant, in quibus Sanctum Missae Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius *in Homilia 37 super Evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in oratorio Episcopii sui missas fecit,* tam ut propriae, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Ioannis eleemosynarii Episcopi Alexandrini, qui sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui missa nondum peracta, discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihimet facere missas in Episcopio.* Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum *de veteri ac nova Ecclesiae disciplina, part. 1, lib. 2, cap. 93, num. 6.* Alia exempla in opere *de oratoriis privatis* inscripto *cap. 6* collecta reperiuntur (quod opus novissime a Ioanne Baptista Gattico canonico Lateranensi Romae in lucem editum est) per quae Episcoporum ius circa sacella in propriis episcopalibus palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

Concilium Tridentinum de aliis oratoriis privatis decernens, nihil detrahit sacellis Episcoporum.

§ 2. Huic quidem iuri sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *sess. 22 de observandis et evitandis in celebratione missae,* propter multa quae parum decenter fieri identidem contingebant, Episcopis praecepit, ne, saecularibus ac regularibus, missam celebrare permitterent *privatis in Domibus*, et extra ecclesias aut oratoria publica, quae divino cultui destinata essent; quod nullam cum cappellis, quae in episcopalibus palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, in aliquot eiusdem resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas nos in nostro *de Sacrificio Missae* tractatu retulimus *sess. 2, § 45 et seq. Latinae Edit. Pata.;* nos enim, tunc etiam cum in minoribus constituti, opus aliquod inscriberemus, illud praecipue nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit.

§ 3. Illud tantummodo de huiusmodi Episcoporum privilegio dici poterat, quod, cum idem ad sacella, quae in episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel missam celebrare vel eidem interesse vellent, ad publicas ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret vel missam celebrari facere, vel ipsi eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

Privilegium altaris viatici ubique erigendi Episcop concessum a Bonifacio VIII.

§ 4. Verum recol. mem. praedecessor noster Bonifacius Papa VIII. in decretali sua: *Quoniam Episcopi, de Privilegiis, in sexto*, male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam dioecesim altari portatili, seu viatico, uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire divina.* Dignum animadversione verbum est, *ubicumque,* quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra dioecesim sita sunt, comprehendit.

§ 5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii resolutiones merentur, cum ad quaesitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam dioecesim est, ad utendum privilegio altaris viatici, petere eius rei veniam ab Episcopo locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. privilegium fuisset: quoniam illius Pontificis aetate antiquum ius in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem congregationi alterum quaesitum propositum fuisset: num privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concesso, vel Tridentinum Concilium vel Pontificis Pauli V. decretum, de quo pariter mox dicetur, praeiudicium ullum attulissent; nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in concilio, quam in citato decreto, sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam iuribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis, atque characteris propria sunt. Praedictae resolutiones a nobis referuntur in nostro tractatu *de Sacrificio Missae* latinae editionis Patavinae *sect. 2,* § *42,* nec non in commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas *tom. 4 super constitutione 2 Urbani V., num. 15 et seq.*, et a Gattico in recenti eiusdem tractatu *de oratoriis domesticis in tit.* de usu altaris portatilis, *cap. 12, num. 1 et seq.*

Non tamen extra domum propriae habitationis, sive in sua, sive in aliena dioecesi

§ 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem maius praeiudicium privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu huius privilegii altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra vel extra dioecesim, ad laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur missae, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem vel ut proprium privilegium ostentarent, vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum huiusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit huiusmodi excessum prohibere, eiusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum iurisdictioni subiectis contigisset. In codicibus actorum, seu regestis Congregationis praedictae *lib. 48 decretorum fol. 471.* Resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis praedecessore nostro Clemente Papa XI. die XV. decembris MDCCIII. sequens decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: *Episcopi etiam in aliena dioecesi extra domum propriae habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures e suis capellanis vivificam Christi hostiam immolant;* ad remedium gradus fit: *Ad abusus huiusmodi eliminandos etc. Sanctissimus Dominus noster etc. expresse declarat, Episcopis et his maioribus praelatis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore Iuris, neque*

alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missae sacrificium celebrare, sive celebrari facere.

Sed si in aliena domo revera moram traxerint, etiam hospitii et itineris causa, possunt.

§ 7. Magni huius Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, numquam autem ut recto privilegii usui quidquam detraheretur; et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla et effraenata, cuipiam praebere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti privilegio altaris portatilis, tum cum vel dioecesim visitant vel iter faciunt, aut alia iusta de causa extra residentiam sunt, atque in laicorum domibus morantur; illato de huiusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII., immediato Clementis eiusdem successore, habita fuerunt, quarum nos tunc in minoribus existentes, a secretis fuimus, opportunum factu iudicatum est, ut ea, quam mox subiicimus, declaratio fieret, quae postea inserta fuit in eiusdem Innocentii litteris incipientibus: *Apostolici ministerii,* quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono ecclsiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam eiusdem successor Benedictus XIII. *in forma specifica,* confirmavit et, ut in omnibus locis pro regula ac norma haberetur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter eiusdem Concilii decreta retulit *Tit. XV. Cap. III.* in quo quidem Concilio nos quoque ad sacrorum Canonum interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus, quod, cum in praedicto Decreto,* de Clementis XI. decreto sermo est, *statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione visitationis vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis, his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.*

Praemissarum regularum usus.

§ 8. Optimum factu iudicavimus in encyclica hac epistola nostra exponere vobis haec, quae ad fraternitates vestras praecipue pertinent, nimirum quantum vobis concessum est quoad sacella seu cappellas, quae in episcopalibus palatiis vestris sunt; quantum item vobis in alienis domibus et extra vestram dioecesim facere permissum est, causas etiam concessionum ac privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abusus atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut vos discrimen agnoscatis quod intercedit inter cappellas episcopalium aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi et commodo vestro quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata oratoria in domibus laicorum, sive intra sive extra dioecesim vestram, in quibus aliquando vobis, pro praecipuo fine huiusmodi commodi et consolationis vestrae, privilegio altaris erigendi, ac celebrandi vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum vos contra abusus privatorum oratoriorum in domibus laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod, alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum oratoriorum propositum, quae in domibus laicorum sunt, gradum facientes, aliqua praemittemus.

De oratoriis privatis in domibus laicorum.

§ 9. Primum quidem est, privatorum oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos sacra mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus *in suis notis ad Canones Trullanos* apposite animadvertit. Alterum autem, privata oratoria in domibus laicorum, subsequentibus etiam saeculis, fuisse, cum persecutiones iam cessassent; cum in Sacramentorio Gallicano, quod Mabillonius *tom. I. Musaei Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quae recitanda erat in missa quae celebratur *in domo cuiuslibet;* nec ad huiusmodi quidem assumptum aliae deficiunt probationes, quas nos in Tractatu nostro *de Sacrificio Missae sect. I.* § *10* cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis huiusmodi oratoriis privatis in domibus laicorum, seu potius facultatibus

missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Iustiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil praeterea de Novellis 4. et 5. Leonis sapientis, qui prohibitionem sustulit, asserens, adeo tunc privata oratoria multiplicata fuisse, in quibus missae celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines, in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae loco superius citato* a nobis allata fuerunt.

Ad eorum erectionem et usum Episcoporum licentia semper requisita fuit.

§ 10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum domibus privatorum oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit. Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: ***Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus.*** Verba sunt ***Can. Missarum, de Consecrat. dist. 1.*** Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Graecorum non nisi unicum altare erat, et, postquam una super ipso missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon *in commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod, sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo censebatur sacerdoti licentia celebrandi missam in privatis laicorum oratoriis, quoties super mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

Sed haec facultas a Concilio Tridentino Episcopis adempta est, ideoque ad solum Romanum Pontificem devoluta.

§ 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptum fuit, opera Cardinalis Osii et Nuncii Commendonii, in magno conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius concilii historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta *lib. 24, cap. 13* videre est) ***in sess. 22*** in Decreto *de observandis et evitandis, in celebratione missae,* sequenti modo statutum et ordinatum fuerit: *Neve patiantur,* de Episcopis sermo est, ***privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, Sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque, peragi,*** cum adiecta derogatione cuilibet privilegio, exemtioni et consuetudini, ***non obstantibus privilegiis, exemtionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;*** ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem missam celebrandi; cum licentia quae ab ipsis daretur celebrandi missam in oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum ius ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque huiusmodi semper fuit conciliaris textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa eiusdem interpres; quaeque etiam a fel. rec. praedecessore nostro Paulo Papa V. in epistola encyclica anno MDXV. ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quae quidem epistola tum apud varios auctores, tum etiam ***in citato tractatu nostro de sacrificio, sect. 2,*** § ***42,*** impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecumque verborum concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga missae sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione aut cautela, non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: ***Facultatem huiusmodi licentias dandi, ipsius Concilii decreto, unicuique ademptam esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.***

Providae leges a S. Sede præscriptæ pro oratorior. privat. erectione et usu.

§ 12. Postquam ius concedendi oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apostolicae reservatum fuit, dici vix potest, quantum curae ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem moderamine. Qua de re in archivio Congregationis Concilii, cuius olim secretarii munus nos ipsi, antequam ad maiores dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma Brevis, quae conceduntur, colligere licet: oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio,

cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse inspiciendi gratia, num decens et apte compositum sit, et num aliquid eorum quae necessaria sunt in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi missam licentiam impertiatur, et quod licentiam huiusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum missa in oratorio celebretur; et quod haec missa celebretur a sacerdote vel saeculari vel regulari, dummodo saecularis ab Episcopo approbatus sit, regularis autem licentiam habeat a suo regulari Superiore; ne missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annunciationis et Assumptionis B. Mariae Virginis, omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac titularis Ecclesiae loci. Exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato oratorio missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus missa celebratur, eidem interesse possunt et ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine parochialium iurium praeiudicio fieri debere.

§ 13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt; ut quum, exempli gratia, iustis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam missam celebrari facere possit, vel ut eadem aliquanto citius aut aliquanto serius eo temporis limite seu termino celebretur, qui in rubricis praefixus est; vel etiam in diebus exceptis; et alia huiusmodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus, controversiae exortae sint; Apostolica Sedes per huiusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

Ad peculiares quaestiones decreta edita.

§ 14. In ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus coniugibus licentia conceditur faciendi ut in privato oratorio missa celebretur; exprimiturque, ut missa celebrari possit tum iisdem praesentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut vir aut uxor missae intersunt, si consanguinei et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, ecclesiastico praecepto diebus festis satisfaciant; id tanquam tutum ac Brevis litterae cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter coniugum adsit, sed unus ex consanguineis aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo iubente in privato oratorio missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei et affines eamdem audientes festo die, ecclesiastico praecepto audiendi missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more auctorum opiniones erant; verum cum huiusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii *die* III. *decembris* MDCCXL. in causa, cuius inscriptio erat *Marsicen. Oratorii*, propositum ac discussum esset; decisum fuit, non posse in privato oratorio missam celebrari, nisi indultariorum praesentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, viri vel uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum *in tom. 9* Resolutionum Concilii *anni* MDCCXL. *ad pag. 89 et seq.* videre est.

I. Indultariorum praesentia requiritur pro celebratione missae in orat. priv.

§ 15. Cum autem decreti huiusce facta nobis relatio esset, idem per nos *sub die* VII. *ianuarii* MDCCXLI. confirmatum fuit; ac praeterea demandatum, ut in huiusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato oratorio missam celebrari facere possint, quae missa pro filiis, consanguineis et affinibus valeat, maioris claritatis gratia, subiecta clausula adiungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, et affines praedicti unicam dictam missam, vobis quidem praesentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem quae indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, praecepto satisfacit; adiunximus, ut pro indultariis personis illae haberentur, quae in fronte seu inscriptione Brevis nominatae forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

§ 16. Nos ab huiusmodi norma minime recedimus: verum, quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua praesente, conceditur, ut missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei, vel familiares, eamdem audientes, praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in fronte Brevis minime nominetur, hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato oratorio missa celebrari,

dum aliqua ex indultariis personis adsistit, quae in fronte seu inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in fronte seu inscriptione Brevis nominatur, dummodo illa praesens sit, cui in Brevis corpore nominatim et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato oratorio, tum cum ipsa adsistat, facere ut missa celebretur.

Exemplum eius rei affertur.

§ 17. Atque, ut res exemplo magis pateat: Datur viro et uxori facultas faciendi, ut in privato oratorio missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem vir superstitem habet matrem; haec vero in fronte seu inscriptione Brevis minime nominatur; verum, cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque mater eamdem missam celebrari facere possit et valeat, id sufficiens est, ut, sola matris praesentia adhibita, missa in oratorio celebrari possit, etiamsi mater in fronte seu inscriptione Brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in huiusmodi generis brevibus indicantur; verum curae nobis erit, ut in posterum felicius etiam et sine ulla confusione exprimantur.

II. Si permittatur celebratio missae diebus exceptis solitis, in Nativitate Domini celebrari poterunt tres missae.

§ 18. In consuetis sive ordinariis Brevibus solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet sacerdote missae celebrantur. Interdum illi, qui privati oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem, valetudinis causa, missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in huiusmodi Brevibus de unica tantum missa sermo sit, orta difficultas fuit, num possent die natalitio a sacerdote qui in ipso celebrabat, tres missae celebrari: de quo, cum nos eo tempore, quo Concilii eiusdem a secretis eramus, peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus *sub die* XIII. *ianuarii anni* MDCCXXV., resolutum a Congregatione fuit, quod a sacerdote tres missae celebrari possent, quemadmodum *tom. 3.* Thesauri resolutionum, *pag. 109 etc. et pag. 116* videre est.

III. Baptismus, extra casum necessitatis, ministrari nequit in oratoriis privatis, praeterquam filiis regum ac principum;

§ 19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quae in iis oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum missam, celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad baptismatis sacramentum attinet, iam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. decretum fuit, ne baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in ecclesiis, in quibus sacri huius lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de regum vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *de Baptismo et eius effectu,* videre est.

IV. Nec Poenitentiae Sacramentum, extra casus a iure permissos, non obstantibus privilegiis regularium.

§ 20. Quod autem sacramentum Poenitentiae respicit, iam in Rituali Romano sub titulo *de Sacr. Poenitentiae*, cum de sacerdote sermo sit, qui confessiones audit, statutum fuit: *In ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.* Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum fuit. Et magnus ecclesiasticae disciplinae instaurator Sanctus Carolus Borromaeus, tum in instructione Sacramenti Poenitentiae, tum in monitis ad confessarios, atque in primo suo provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiae Mediolanensis, editionis civitatis eiusdem *part. 1, pag. 11, part. 4, pag. 520, eadem part. 4, pag. 761 et pag. 773,* videre est; *pag.* autem *775,* superioribus regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis confessariis regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla *Suprema* nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam regularibus audiendi confessiones sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem regularibus cuiusvis Ordinis etc. Sacramentum Poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a iure permissos.* Quod decretum cum praesulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in Appendice ad Synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Iosaphat Baptisteli civitatis eiusdem Episcopo anno MDCCXXII. celebrata fuit.

V. Communio Paschalis in ecclesia parochiali sumenda est.

§ 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quae ab unoquoque catholico paschatis tempore recipienda est, ex praescripto tum decreti Concilii Lateranensis *in cap. Omnis utriusque sexus, de poenitentiis, etc. remissionibus,* tum Concilii

Tridentini *sess. 13, cap. 10, can. 10,* nemo est, qui ignoret, praeceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii Episcopi vel parochi licentia, secundum varias dioecesum consuetudines. Porro fel. record. praedecessor noster Paulus Papa IV. fratribus minoribus privilegium concessit, ut sacram Eucharistiam omnibus christifidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctae mem. altero praedecessore Pio Papa V. *per communicationem,* ut dicitur, ad omnes regulares extensum fuit.

Non tamen id vetitum aliis diebus intra terminum paschale, salvo implemento praecepti in parochiali ecclesia.

§ 22. Verum, quia, secundum praecedentem Eugenii IV. Constitutionem, paschale tempus, intra quod communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum sacram Eucharistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere; resolutum fuit: die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam paschali praecepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut paschalem in propria parochiali ecclesia communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii decreta sunt quibusdam in causis, Senonensi videlicet, Burdegalensi et Mechiliniensi, quae a nobis in nostro *de Synodo Dioecesana* tractatu *lib. 7, cap. 42, num. 3* relata sunt.

In oratoriis extra Com. Pasch. licebit Eucharist. sumere Episcopi licentia.

§ 23. Extra paschalem vero communionem, cum in sacro Tridentino Concilio, *sess. 22, cap. 6, de Sacrificio Missae,* quae subiicimus verba leguntur: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior perveniret,* non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui missae praesentes adsunt; neque ad hoc praestandum ullo particulari Indulto opus sit. Super huiusmodi quaestionis capite nos *in nostra Institut. 34,* § *3,* disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus, ecclesiae illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem institutiones cum italico sermone edidissemus, postea Romae latine redditae atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subiunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum oratorium domi habet, dum missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanae etiam consuetudini, sive praxi, cohaerens nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato oratorio recipi communio posset ab iis, qui in eodem missae intersunt, quam vel saecularis sacerdos, vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel nostram, vel generalis Vicarii nostri, licentiam obtinuisset.

Rectus disciplinae ordo postulat, ut hac in re Episcoporum statuta observentur.

§ 24. Neque etiam in praesens voluntas nobis aut ratio est, cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum nos in magna illa controversia, super communione illis distribuenda, qui missae praesentes cum sint, eamdem petunt, quae aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter Sanctae Missae celebrationem communionem recipiunt; ecclesiasticos quoque pastores excitavissemus, ne eucharistico cibo illos fraudarent, qui eiusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis vel loci ratione Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, sacram Eucharistiam etiam illi, qui missae interfuit, minime distribui; eo magis quod, iuxta praesentis temporis disciplinam libera eidem facultas pateat, ut eamdem alio loco atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii superioris praecepto obedientia praestari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad altaris sacramentum recipiendum; quemadmodum in litteris nostris, quarum initium est *Certiores effecti,* et quae in Bullario nostro *tom. 1, num. 64* leguntur, videre est.

§ 25. Atque haec sunt, venerabiles fratres, quaecumque in encyclica hac epistola nostra vobis exponere opportunum existi-

mavimus, a quo quidem satis intelligetis, quod legendis et considerandis apostolicis litteris concessionum oratorii, decessorum nostrorum decretis, harum congregationum resolutionibus, quae a nobis etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius litibus et controversiis locus reliquus sit. Verum, quia vos illud fortasse nobis responsuros arbitramur, óptime quidem haec omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quaecumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione et consideratione, aut ex ignoratione decretorum et pontificiarum resolutionum, originem habet, nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet aetate nostra et multis ac difficillimis curis assidue nos prementibus, in encyclicam hanc epistolam nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

Eadem in dioecesanis synodis et ep. edictis publicanda sunt.

§ 26. Quod si vos etiam id praestare curabitis, ut in dioecesanis Synodis vestris, in vestris item edictis, quae a vobis pro bono dioecesis vestrae regimine publicantur, pontificiorum decretorum ac resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcetis; duplex inde bonum extabit, ut et vivam in Vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis, atque ab aliis aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt, atque in praesentia tenent, nostri Italiae Episcopi, qui aut pontificiorum decretorum, quae super privatis oratoriis condita sunt, summam in Synodis suis inseruerunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem decreta *per extensum* adiunxerunt, quemadmodum in Synodo anno MDCCXXIV. a bon. mem. Cardinali de Via Arimini habita, in altera an. MDCCXXVI. celebrata a bon. mem. Cardinali Pignatelli Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quae anno MDCCXXXVI. habita fuit a vener. fratre nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

Indultariis etiam demonstranda, cum interminatione amissionis privilegii.

§ 27. Non ex eorum numero nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea praesentibus diebus contingere scandala, quae numquam praeteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quae hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac, ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod, si hodie sacrae leges ad privata oratoria pertinentes a sacerdotibus violantur, propter praesidium, quo nituntur, magnatum saeculi, apud quos cappellani munere inserviunt; idem nono etiam saeculo eveniebat, cum S. Agobardus, tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis, de eadem re querebatur in suo tractatu *de privilegio et iure sacerdotis, c. 11.* Non tamen idcirco vobis sacerdotalis constantia atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum natio est; et, si quando aliquis abusus in privatis eiusdem oratoriis contingat, cum id magnati, cuius in domo commissus aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur, sperare est, ipsum omne suum inobedienti cappellano praesidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur, praesto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra cappellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit, pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad nos delatis notum factum est, quorum causa ad encyclicam hanc epistolam nostram conscribendam animum adduximus.

Exempti quoque praemissa observare tenentur.

§ 28. At enim inconvenientia a privilegiatis et exemptis proficisci vos fortasse dicturos praevidemus, nimirum a regularibus, de quibus in praedicto recursu ad hanc Sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia nec exemptiones esse, quae impedire possint, quominus abusus exterminentur.

Regularium privilegia hac in re sublata sunt a Concilio Tridentino, omnisque facultas Episcopis tributa, ut eos arctare possint ad observantiam decretorum super hoc editorum.

§ 29. Habebant sine dubio regulares privilegium altaris viatici, et ut super eodem altari missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in decretali Honorii III. *in cap. In his, de privilegiis,* videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut missam possent celebrare etiam in domibus laicorum, sive super altari viatico, sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium oratorii privati minime haberet; propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum, cum sacrum Tridentinum Concilium in citata *sess. 22* in decreto

iam citato *de observandis et evitandis in celebratione missae*, Episcopis praecepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus missae celebrentur *a saecularibus aut a regularibus quibuscumque*, eisdemque dedisset facultatem procedendi, tanquam Apostolicae Sedis Delegatos, contra refractarios: *Ut delegatis Sedis Apostolicae;* atque omnibus privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus contrariis, cuiuscumque generis essent, derogasset: *Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;* hinc necessario consequitur, sacrum Concilium Tridentinum tam praecedentibus altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum, tanquam Sedis Apostolicae Delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium vel exemptionem, quae obstet, quaeque impediat, quo minus abusus tollantur.

Privilegia a Trid. Synodo abrogata.

§ 30. Nihil autem valet ea, quae a quibusdam promovetur, assertio, videlicet, concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore iuris* inclusum sit; etenim sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quae *in corpore iuris* inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adiecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris Praesul Fagnanus *in cap. Nonnulli n. 42 et seq. sub tit. de Rescriptis* ample demonstrat.

Altaris viatici indultum conceditur.

§ 31. Quod si forte quis hoc unquam obiiceret, concessum saepe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, altaris viatici usum concedi; fraternitatibus vestris notum esse debet, huiusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi ecclesiae non sunt, aut si sunt, talis haereticorum potentia est, ut in easdem catholici non sive gravi periculo ad audiendam missam convenire possint. Uno verbo, praecisae necessitati providetur; quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu plane diversum est.

Tenor privilegia Fratr. Praedicatorum.

§ 32. Gregorii XIII. decessoris nostri privilegium legite, quod anno MDCCLXXX. fratribus Ordinis Praedicatorum provinciae Poloniae concessit, quod Bullariis religiosae illius familiae *tom. 7, pag. 192* insertum est: *In quibusdam civitatibus, oppidis, et locis provinciae Poloniae tanta haereticorum potentia et impietas existit, ut catholicos impune opprimant, nec iisdem catholicis missas in ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi, ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Praedicatorum provinciae Poloniae Priori Provinciali, ut licentiam et facultatem dictis professoribus altaria portatilia habendi cum debitis reverentia et honore, super quibus in domibus nobilium civium et incolarum civitatum, oppidorum et locorum dictae provinciae, in quibus vel ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum potentia et impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus et honestis, per se ipsos missas in praesentia personarum catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus.*

Decretum Clementis XI. de privilegiis regularium, de usu oratoriorum privatorum, de facultatibus Episcoporum diserte statuit.

§ 33. Legite item iam superius citatum Clementis XI. decretum, quod, maioris etiam commoditatis vestrae gratia, hic annexum vobis transmittimus; etiamsi, tum cum illud conditum fuit, praeter publicationem eiusdem Romae factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam, transmissum fuisse, sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus et animadversionibus nos idem roborandum suscipiamus (quod quidem facere nobis in proclivi esset, cum praestantiorum, inter pontificii iuris peritos, auctorum assertiones ubique in promptu sint), manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis altaris privilegia, quae regularibus concessa fuerunt, et num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum regularibus sit, secundam in privato oratorio cuipiam concesso missam celebrare, cum prima iam celebrata est, nec pro secunda huiusmodi missa peculiare indultum adest. Cognoscetis, num in praedictis privatis oratoriis licitum eisdem sit, vel ante auroram, vel post meridiem, missam celebrare; num celebrare eamdem possint diebus iis, qui in indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino huiusce rei necessitas sit, illud nos in praesentia decre-

tum confirmamus, ac fraternitatum vestrarum curae committimus, ut pro exacta eiusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quae ab ipsa Apostolica Sede contra huiusmodi inconvenentia subministrata fuerunt.

Regularibus non licet, contradicente Episcopo, exorcizare etiam in propriis ecclesiis et coenobiis.

§ 34. In eo, qui ad nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet, sine licentia vestra, regulares exorcizent, de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris edictis decretum fuerit, ne ullus sacerdos vel saecularis vel regularis exorcizare audeat, sive in aliena ecclesia, sive intra, sive extra coenobium, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod praestari debet, quodque ab Episcopis praestari solet, quemadmodum apud Clericatum *de Sacramento Ordinis, decis. 19, num. 42,* ubi episcopales Synodos affert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam a vobis, tam in hac materia, quam in alia oratoriorum privatorum, quantum in vobis est praestitum fuerit, vestra nihilominus praecepta violabuntur, ac poenae a vobis impositae et inflictae negligentur; nequaquam certe nos officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus; cum nihil antiquius nobis sit, quam ut Episcoporum, qui fratres nostri sunt, iura sarta tecta serventur. Interim tam fraternitatibus vestris, quam populis curae vestrae commissis, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum ex Arce Gandulphi die II. iunii MDCCLI. pontificatus nostri anno XI.

CXXII.

Episcopis Poloniae in memoria tradit Iudaeos non esse persequendos, et limites indicat quibus coerceri debeat eorum tollerantia, iuxta Titulum decretalium de Iudaeis et Saracenis, *et antecessorum constitutiones* (1).

Epistola encyclica ad Primatem, Archiepiscopos et Episcop. Regni Poloniae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Polonae nationis zelus pro catholicae religionis puritate semper enituit.

A quo primum supremae Dei bonitati conplacitum est, ut Sanctae Catholicae Religionis nostrae primordia in Poloniae Regno constituerentur, quod circa decimi saeculi finem sub praedecessore nostro Leone VIII., Ducis Mieceslai et coniugis Dambrovvkae christianae opera, contigisse, apud Dlugos, Annalium vestrorum scriptorem *lib. 2, pag. 94,* literis consignatum est; ab eo usque tempore pia semper ac devota Polonorum natio adeo constans in suscepto Sanctae Religionis proposito perstitit, adeo ab omni sectarum genere abhorruit, ut, licet illae nihil intentatum reliquerint, ut in Regnum istud introductae suam ibidem sedem statuerent, atque in eodem suorum errorum, haeresum vel pravarum opinionum semina dispergerent, eo fortius Polonorum constantia sese illarum conatibus opposuerit et luculentiora magis fidelitatis suae praebuerit testimonia.

Complures ex Polonia Sancti et Beati.

§ 1. Sane, quod ad propositum hoc nostrum aptissimum et per se multo maximum habendum est, non modo gloriosa illa martyrum, confessorum, virginum, virorum sanctitatis fama insignium, quibus in Poloniae regno nasci, enutriri et mori contigit, memoria est, quae in sacris Ecclesiae fastis recensetur; sed et complurium ibidem conciliorum ac synodorum celebratio, quae feliciter ad exitum perducta sunt, et quibus magna cum gloria de Lutheranis victoria reportata est, qui omnes rationes ac vias experti sunt, ut sibi aditum receptumque in idem regnum pararent. Iam vero tum magnum Petrocoviense Concilium, quod sub magno praedecessore et concive nostro Gregorio XIII., praesule Lipomano, Episcopo Veronensi et Nuntio Apostolico, eidem praesidente, celebratum fuit, in quo tanta cum Dei gloria libertas conscientiae, quae in regnum illud aditum ac domicilium quaerebat, proscripta fuit, tum demum amplum illud Synodalium Constitutionum provinciae Gnesnensis volumen, in quo ea omnia literis consignata sunt, quae a Polonis Episcopis utiliter et

Concilia adversus haereses et libertatem conscientiae habita.

Providae leges editae ad comprimendam iudaeorum licentiam.

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

sapienter acta ac provisa fuerunt, ut in populis regimini eorum commissis Christiana Religio adversus iudaicam perfidiam illibata servaretur, licet temporum conditio ferat, ut iisdem urbibus atque oppidis tum christiani tum etiam Iudaei contineantur, haec quidem luculentissime atque evidentissime comprobant, quantam, quod ante dictum est, Polonorum natio ex eo sibi laudem comparaverit, quod Sanctam Religionem a maioribus suis ante tot saecula susceptam sartam semper studuerit tectamque servare.

Hi tamen paulatim obtinuerunt ut pluribus in rebus supra incolas fideles se erigerent.

§ 2. Cum multa eorum capita sint, de quibus dudum mentionem fecimus, de nullo, praeter quam de novissimo, merito est, quod conqueri debeamus: adeo ut vel cum fletu illud exclamare cogamur: ***Mutatus est color optimus.*** Sane tum ex iis, quae per graves ac fide dignas personas Polonicarum rerum peritas nobis fuerunt exposita, tum ex querelis eorum, qui in regno sunt, quique zelo ducti, ad nos atque ad hanc Sanctam Sedem recursum habuerunt, notum nobis factum est, adeo isthic Iudaeorum numerum multiplicatum esse, ut aliquot loca, civitates, atque oppida, quae, ut ex ruinis constat, muro ante probe circummunita erant, quaeque, ex antiquis tabulis sive regestis, magno incolarum christianorum numero frequentata fuisse apparet, diruta modo, situ et squallore foeda, ac magno Iudaeorum quidem numero referta, christianorum autem quasi plane destituta reperiantur. Praeterea esse aliquot in eodem Regno paraecias, quarum populus cum non leviter diminutus sit, ac proinde redditus earum minor effectus, prope iam in eo sint, ut ab eorum parochis deserantur.

Utque utiliores per Poloniam negotiationes et procurationes ad se pertraherent,

Ad haec omnem utiliorum mercium negotiationem, qualis liquorum atque etiam vini est, ab eisdem Iudaeis teneri, ipsos ad exercendam publicorum reddituum procurationem admitti, conductas insuper ab eisdem cauponas, praedia, pagos, possessionem haberi, per quae in miseros christianos homines, qui in rustica arte censentur, herilem potestatem nacti, non modo eos immiti et inhumano imperio ad labores atque opera duriter exercent,

Ac etiam durioris imperii et iurisdictionis speciem ibidem in christianos exercerent.

atque ad immanium onerum vecturas compellunt; sed poenas etiam imponunt, quibus ad verbera quoque et plagas in corpore ferendas coguntur. Quo fit, ut illi infelices ab auctoritate hominis Iudaei, tanquam subditi, de nutu et potestate domini, dependeant. Qui licet in hisce poenis infligendis christiani administri opera uti teneantur, penes quem facultas eosdem puniendi sit; cum tamen hic viri Iudaei, qui dominus est, mandata exequi necesse habeat, eidem ne ab officio removeatur, tyrannica illius imperia adimplenda sunt.

Item christianorum famulatu uti conspiciuntur.

§ 3. Praeter publicas autem procurationes, quae, ut modo diximus, a Iudaeis habentur; cauponarum, pagorum, praediorum conductiones, a quarum rerum exercitio tot ac tanta in christianos homines praeiudicia dimanant; alia insuper accedunt absurda, quae si rite expendantur, iis, quae exposita fuere, maius damnum ac perniciem afferre possunt. Quod enim gravissimum censendum est, ipsi Iudaei in Magnatum domos ad domesticae sive oeconomicae rei gerendae munus, quod magisterii domus nomine venit, admissi, in unius domus tanquam contubernio cum christianis versantes, imperii specimen super eosdem assidue praeferunt, atque ostentant. Iam vero in urbibus et locis, non modo Iudaeos christianis passim permixtos cernere est, sed illud absurdi adiungitur, quod iidem christianos utriusque sexus etiam pro famulis servitio suo addictos domi retinere minime vereantur.

Usuras in christianos exercent, vel contra per earum pensitationem eos sibi addictos retinent.

Porro autem ipsi Iudaei cum exercendis mercaturis potissimum occupentur, postquam ea via grandem pecuniae summam confecerunt, nimio usurarum excessu christianorum census ac patrimonia penitus exhauriunt: ac licet ipsi etiam a christianis hominibus cum gravi et immodico foenore pecunias cum suarum Synagogarum fideiussione mutuentur, facile cuique attendenti patet, id ea causa ab eisdem fieri, ut copia nummorum a christianis habita, eaque in mercaturis faciendis occupata, non solum ex ea tantum lucri faciant, quantum pacto foenori solvendo satis sit, simulque proprias ea ratione facultates amplificent; sed ut eodem tempore, quot sui creditores sunt, tot suarum Synagogarum, ac suos ipsius patronos habeant.

Iudaei persequendi non sunt aut trucidandi; neque concesso legum praesidio spoliandi.

§ 4. Celebris ille Monachus Radulphus, immodico olim ductus zelo, adeo contra Iudaeos exarsit, ut saeculo duodecimo, quo vixit, Galliam Germaniamque percurrerit et contra eosdem Iudaeos, utpote Sanctae Religionis nostrae hostes, concionando, christianos inflammaverit, ut ipsos ad internecionem delerent; quae causa fuit, ut tam magnus Iudaeorum numerus interficeretur. Quidnam vero eum, si hodie in

vivis ageret, facturum aut ducturum putandum est, si, quae in praesentia in Polonia contingunt, fieri videret? Nimio huic et furenti Radulphi zelo magnus ille S. Bernardus sese opposuit, atque in Epistola sua CCCLXIII., quam ad clerum et populum Galliae Orientalis dedit, ita scriptum reliquit: *Non sunt persequendi Iudaei, non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem. Interrogate eas divinas paginas. Novi quid in Psalmo legitur prophetatum de Iudaeis:* Deus ostendit mihi, *inquit Ecclesia,* super inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei. *Vivi quidem apices nobis sunt repraesentantes Dominicam Passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes Regiones, ut dum iustas tanti facinoris poenas luunt, testes sint nostrae Redemptionis.* In epistola autem CCCLXV. ad Henricum Archiepiscopum Moguntinum ita ab eodem scriptum est: *Nonne copiosius triumphat Ecclesia de iudaeis per singulos dies, vel convincens, vel convertens eos, quam si semel et simul consumeret eos in ore gladii? Numquid incassum constituta est illa universalis oratio Ecclesiae, quae offertur pro perfidis iudaeis a solis ortu usque ad occasum, ut Deus et Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis a suis tenebris eruantur. Nisi enim eos, qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum et vanum videretur orare pro eis.*

Indicantur iusti limites, quibus coerceri debet eorum tolerantia.

§ 5. Contra Radulphum item Petrus Cluniacensis Abbas ad Ludovicum Francorum Regem dum scripsit, eumdem quidem hortatus est, ne Iudaeorum excidium fieri permitteret; verum eodem tempore ipsum excitavit, ut pro excessibus eorum in illos animadverteret, eosque bonis iis expoliaret, quae vel a christianis abstulissent vel per usuras accumulassent, atque eorum pretium in Sanctae Religionis usum utilitatemque converteret, quemadmodum in Annalibus venerabilis Cardinalis Baronii *ad annum Christi* MCXLVI. videre est. Nos quidem in hac re non minus, quam in omnibus aliis, eamdem agendi normam suscipimus, quam venerabiles decessores nostri Romani Pontifices tenuerunt. Alexander III., gravibus propositis poenis, christianis interdixit, ne continuum apud Iudaeos servitium aut famulatum susciperent: *Ne Iudaeorum servitio se assidue pro aliqua mercede exponant;* cuius rei ratio hisce, quae sequuntur, verbis ab eodem exponitur:

Ne fraudibus aut usuris fideles opprimant.

Ne christianos in famulatu habeant.

Quia Iudaeorum mores et nostri in nullo concordant, et ipsi (scilicet Iudaei) *de facili, ob continuam conversationem et assiduam familiaritatem, ad suam superstitionem et perfidiam simplicium animos inclinarent;* quemadmodum in decretali, *Ad haec, de Iudaeis,* legitur. Innocentius III. postquam narravit, quod a christianis intra urbes eorum Iudaei reciperentur, huiusmodi receptionis methodum et conditionem talem esse debere admonet, ne ipsi maleficium pro beneficio rependant: *Qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quam, iuxta vulgare proverbium, mus in pera, serpens in gremio, et ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere.* Idemque Pontifex asserens conveniens esse, Iudaeos christianis, non autem hos illis, inservire, addit: *Ne filii liberae filiis famulentur ancillae, sed tanquam servi a Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, se saltem per effectum operis recognoscant servos illorum, quos Christi mors liberos et illos servos effecit;* quae verba in decretali sua, *Etsi Iudaeos,* reperiuntur. In illa item, *Cum sit nimis,* sub eodem titulo *de Iudaeis et Saracenis,* ne Iudaei in publicis officiis adhibeantur, interdicit: *Prohibentes, ne iudaei in publicis officiis praeferantur, cum sub tali praetextu christianis plurimum sint infensi.* Innocentius etiam IV. dum ad Sanctum Ludovicum Francorum Regem scriberet, cui Iudaeos e Regni sui finibus expellere in animo erat, consilium huiusmodi approbat, quoniam ipsi minime illa observarent, quae respectu ipsorum a Sede Apostolica praescripta essent: *Nos ad animarum salutem totis affectibus adspirantes, expellendi praedictos iudaeos vel per te, vel per alios, praesertim cum statuta contra eos a Sede praedicta edita, sicut accepimus, non observent, plenam Tibi, auctoritate praesentium, concedimus facultatem;* quemadmodum apud Raynaldum *ad annum Christi* MCCLIII., *num. 34,* videre est.

Ne officia publica cum imperio in christianos exerceant.

Utque omnia statuta observent circa ipsos edita.

§ 6. Si autem quaeratur, quaenam res illae sint, quae iudaeis intra easdem urbes, in quibus christiani habitant, degentibus ab Apostolica Sede interdicuntur; ea ipsa omnia omnino esse dicemus, quae hodie in Poloniae regno agendi facultas eisdem permittitur, et quae superius a nobis exposita sunt. Ad huiusce rei veritatem manifesto deprehendendam non multa quidem

Haec prostant in iure canonico et in Pontificum constitutionibus,

librorum lectione opus fuerit. Titulum Decretalium *de Iudaeis et Saracenis* percurrere satis est; Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, Nicolai IV., Pauli IV., S. Pii V., Gregorii XIII. et Clementis VIII. constitutiones in promptu sunt, atque in Bullario Romano habentur. Vos autem, venerabiles fratres, ut eadem illa clarissime perspiciatis, ne ipsam quidem lectionis curam suscipere opus habetis. Omnia in decessorum vestrorum Synodis statuta atque praescripta vobis occurrunt; cum ipsi quidem minime praetermiserint in suis constitutionibus ea omnia inserere, quae, quod ad praesentem materiam attinet, a Romanis Pontificibus sancita atque ordinata fuerunt.

Ac etiam in decretis synodalibus ecclesiarum Poloniae.

Horum observantiam Episcopi procurare debent, et ab ecclesiasticis primum exigere.

§ 7. Summa autem difficultatis in eo sita est, quod Synodalium Sanctionum vel memoria excidit, vel executio negligitur. Vobis itaque, venerabiles fratres, onus incumbit, ut easdem renovetis. Vestri hoc officii ratio exposcit, ut earumdem executioni sedulo insistatis. In hoc autem ab ecclesiasticis hominibus, sicut par et aequum est, initium facite, quos in recta agendi ratione viam aliis commonstrare, et exemplo caeteris praelucere opus est. In Dei enim miseratione nos sperare iuvat, bonum ecclesiasticorum hominum exemplum aberrantes laicos in rectam semitam reducturum. Quae quidem a vobis eo facilius ac fidentius praecipi et mandari poterunt, quod (prout certis atque idoneis auctoribus allatum est) vestra neque bona neque iura per vos iudaeis locari, nullum cum eisdem mutuas pecunias dandi atque accipiendi negotium intercedere, unoque verbo ab omni cum eisdem commercio liberos omnino vos atque immunes esse nobis innotuit.

Contraventiones hac re, utpote casus atrociores et graviores, censuris et reservationibus subiici possunt.

§ 8. Ratio ac methodus a sacris canonibus ad debitam a contumacibus obedientiam exigendam praescripta, ea est, ut in maximi momenti causis, cuiusmodi praesentes sunt, censurae adhibeantur, et ut inter casus reservatos illi etiam adiungendi sint, a quibus discrimen religioni atque exitium imminere provideatur. Probe notum vobis est, sacrum Tridentinum Concilium iurisdictionis vestrae firmitati consuluisse, tum cum vobismetipsis ius reservandi casus asseruit, neque eos ad publica tantum crimina restrinxit, verum etiam *ad atrociora et graviora,* dummodo mere interna non sint, extendit atque ampliavit. Compluries autem ab huiusce Almae Urbis nostrae Congregationibus in variis decretis et encyclicis epistolis decisum ac pronunciatum fuit, atrociores inter atque graviores casus eos recenseri debere, ad quos procliviores homines sunt et qui coniunctam ecclesiasticae disciplinae, sive salutis animarum, quae Episcopali curae commissae sunt, perniciem habent; quemadmodum a nobis in nostro Tractatu *de Synodo Dioecesana, lib. 5, cap. 5 per totum,* fuse ostensum est.

Apostolicae auctoritatis praesidia promittit etiam contra exemptos,

§ 9. Ad hanc autem rem nihil per vos auxilii a nobis desiderari patiemur, ac pro expediendis difficultatibus, in quas procul dubio incideretis, si vobis contra eos ecclesiasticos procedendum esset, qui a iurisdictione vestra exempti sunt, nos venerabili fratri Archiepiscopo Nicaeno nostro isthic Nuntio opportuna pro eodem negotio mandata praescribimus, ut ab eodem iuxta facultates sibi traditas necessaria praestentur. Illud simul pro certo vobis pollicemur, nos, tum cum opportunitas feret, enixe atque omni efficacia de hac re cum illis etiam agere non praetermissuros, opportuna quorum auctoritate ac potentia adiuncta, effici potest, ut a nobilis Poloniae regno huiusmodi labes atque ignominia auferatur. Vos autem, venerabiles fratres, a Deo primum, qui bonorum omnium auctor est, ferventiori cordis affectu opem exposcite. Ab eodem nobis etiam, atque huic Apostolicae Sedi, auxilium precibus vestris implorate; et dum omni vos caritatis plenitudine complectimur, fraternitatibus vestris, et gregibus curae vestrae commissis, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Cum invocatione auxilii saecularis potestatis.

Datum ex Arce Gandulphi die XIV. iunii MDCCLI. pontificatus nostri anno XI.

CXXIII.

Suppressionem patriarchatus Aquileiensis indicit et erectionem statuit duorum archiepiscopatuum Utinensis *et* Goritiensis, *cum opportunis dispositionibus* (1).

---

(1) Rationes huius suppressionis patriarchatus et erectionis episcopatuum S. P. exponit in sequenti allocutione consistoriali habita in feria II. die V. iulii MDCCLI.:

Venerabiles fratres,

Perspectam vobis ex hoc ipso loco, ante biennium, cognitamque fecimus mentem nostram deli-

BENEDICTUS EPISCOPUS
servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pontifex ex pastoralis sollicitudinis officio

Iniuncta nobis a supremo Pastorum Principe, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, ecclesiarum omnium sollicitudo, nos usque a primis pontificatus nostri annis adduxit, ut gravissimum Aquileiensis patriarchatus negotium a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus iam pridem susceptum, et a pluribus eorum

Aquilejensis ecclesiae statum componere cupit.

---

gendi Vicarium Apostolicum, qui administrandam susciperet eam partem dioecesis Aquilejensis, quae ad Venetae Reipublicae ditionem minime pertinet. Cum vero Vicarium ipsum Apostolicum iam elapso anni spatio constituimus, aperte declaravimus, tum in allocutione, quam in Consistorio pronunciavimus, tum in literis apostolicis, quas super hoc negotio edidimus, ita Vicarium Apostolicum interea temporis a nobis deputari, ut tamen firmiori remedio uti parati essemus, si partes inter se dissidentes aliquando convenirent, initasque ab ipsis pactiones nobis patefacerent, ut illas accurate perpenderemus, nostroque iudicio probaremus.

§ 1. Interim carissima in Christo filia nostra Maria Theresia illustris Regina Bohemiae et Hungariae et Imperatrix, dilecti quoque filii nobiles viri dux et senatores Reipublicae Venetae, unanimi consensu, nonnulla inter se pacta statuerunt, quae nobis deinde proposita sunt ac diligenter examinata, libentissime comprobanda iudicavimus.

§ 2. Summa totius rei in eo posita est, ut patriarchatus Aquilejensis perpetuo supprimatur, duoque erigantur archiepiscopatus, quorum unus Utini, alter Goritiae constituatur. Quapropter huiusmodi consilium amplectentes, quod magis consentaneum utiliusque ad animarum salutem administrandam, pacemque inter catholicos principes stabilius conservandam, peritissimis viris ultra citraque montes visum est; insuper inhaerentes pactionibus communi partium assensu firmatis, apostolicam constitutionem in lucem edituri sumus, qua de medio tollentes patriarchatum Aquilejensem, duos archiepiscopatus instituimus iis locis, quos superius memoravimus, utrique suos limites tribuentes, quibus non solum ipsorum propria dioecesis, sed etiam propria cuiusque provincia discernantur; omniaque partita, definita ac distincta inter ipsos ita sint, ut in auctoritate exercenda nullum in posterum alter alteri inferre queat impedimentum; in quo publicae pacis et quietis stat fundamentum.

§ 3. Sacrorum Canonum scientia rerumque ad ecclesiasticam historiam spectantium cognitione vos ita praeditos arbitramur, ut supervacaneum iudicemus vestris oculis argumenta subiicere, quibus Pontificum auctoritas innititur in novis erigendis vel abolendis patriarchatibus, archiepiscopatibus et episcopatibus, et in ipsis dioecesibus dividendis, videlicet, cum uni dioecesi partem attribuunt, quae, reliquis partibus adiunctis, aliam dioecesim integre constituebat. Vestram quoque eruditionem offenderemus, si patriarchatus Aquilejensis initia vobis in memoriam revocare vellemus, qui profecto a schismate, quod trium capitulorum dictum est, saeculo sexto dimanavit; quod quidem magis praeclari rerum scriptores adfirmant, quique magis eidem patriarchatui suffragantur. Silentio praeteribimus exempla praeteriti temporis, quibus patriarchatus in duos archiepiscopatus, vel duo constituti archiepiscopatus comprobantur, secreta in duas partes dioecesi vel provincia, quas unus tantum Archiepiscopus obtinebat. Nos quidem multum laboris insumpsimus in huiusmodi antiquitatis monumentis perquirendis; plura etiam congessimus, ut privato studio nostro indulgeremus, utque magis perspicue intelligeremus, quid consilii a nobis capiendum esset, cum huius generis negotia proponerentur. Verum, si haec omnia in medium vobis adduceremus, (ut vulgato proverbio utamur) noctuas Athenas ferre videremur. Accedit etiam, quod alienum prorsus est, nostram vestramque huius diei laetitiam, memoria veterum dissidiorum, atque bellorum, quae inter principes exarserunt, perturbare et gravissimas difficultates recensere, quae ob temporum calamitates in cura animarum gerenda obiectae fuerunt. Quamobrem, ut huiusmodi impedimenta de medio tollerentur, iidem principes nonnullas inter se pactiones statuerunt, quas deinde nobis propositas, assensu nostro, uti dictum est, confirmavimus, easque mandandas executioni quamprimum censemus.

§ 4. Itaque vos hortamur magnopere, ut animos vestros ad Deum, a quo bona universa descendunt, nobiscum convertatis; quem profecto tam magni singularisque beneficii solum auctorem dignoscimus ac fatemur. Ipse lumen suum nobis impertivit. Ipse animum nostrum graviter afflictum et perculsum erexit, ac virtute sua corroboravit, ut labores, contrarios eventus, mentis aegritudines, omnemque tristitiam libenter ac fortiter sustineremus. Denique ipse gravissimum hoc negotium hoc potissimum tempore ad finem perduxit, quo nos, licet immerentes, Summum Pontificatum gerimus; ut exploratum fieret omnibus, a Domino factum esse istud, quod est mirabile in oculis nostris; siquidem contingere id poterat, cum alii Romani Pontifices praedecessores nostri hanc Apostolicam Sedem tenerent, qui nos quidem pari auctoritate exaequabant, meritis tamen longe nobis praecellebant.

§ 5. Itaque Deo beneficentissimo singulares agimus gratias, et habebimus perpetuas. Sed, quoniam ipse causis secundis, veluti quibusdam instrumentis, uti consuevit, ut ea perficiat, quibus hunc orbem terrarum complere statuit; iisdem nos quoque referre gratias debemus, et meritas laudes impertiri. Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae et Bohemiae Reginae illustris et Imperatricis animum Deus Optimus Maximus spiritu pacis ac verae religionis inflammavit, cui sane ipsa sine ulla cunctatione paruit, adducta potissimum pietatis studio, quo principes Austriacae Domus suae pro caeteris semper commendati fuerunt. Dilectos quoque filios nobiles viros Ducem ac Senatores Venetae Reipublicae eodem spiritu pacis ac verae religionis Deus incendit, quem ipsi facili paratoque animo susceperunt, ut praedecessorum suorum, qui, eximia facinora pro christiana fide toties peracta, maximis laudibus ubique celebrantur, praeclara exempla sequerentur. His sane fundamentis excitatum conditumque fuit universum aedificium, perfectumque negotium. Quam ob causam ipsos rei totius artifices non modo debitis laudibus prosequimur, sed gratias quoque nos habituros sincera mente fatemur.

§ 6. Eodem prorsus animi sensu commendamus, plurimasque rependimus gratias dilectis filiis nostris hoc loco praesentibus, Carolo Cardinali Rezzonico et Mario Cardinali Millino, qui in gerendo ac demum in perficiendo, tam gravi negotio, nihil omnino intentatum reliquerunt, ut illud ad suum finem perducerent, integramque servarent inter principes concordiam, quorum causam ac rationes tuebantur. Siquidem nihil aliud sibi ante oculos propositum habebant, quam animarum saluti prospicere, Deique gloriam amplificare; a quo procul dubio, dum in vivis agent, et postquam mortalitatem exuerint, mercedem meritis consentaneam assequentur.

diu multumque agitatum prosequeremur; nil aliud nobis in nostrae tractationis initio, progressu, fineque proponentes, quam id, quod iisdem quoque praedecessoribus nostris propositum semper fuisse non dubitamus; ut scilicet Aquileiensis ecclesiae status ita disponeretur, prout optimo regimini animarum eidem subiectarum, et libero spiritualis gubernii exercitio magis congruere, et opportunum fore dignosceretur.

Temperamenta capta pro meliori animarum regimine, donec de firmo remedio inter partes conveniret.

§ 1. Hunc unice scopum prae oculis habentes, superioribus annis certam quamdam ecclesiastici regiminis formam in ulteriori Aquileiensis dioecesis parte interea observandam statuimus; sperantes gradum hinc factum iri ad firmum stabilemque rerum ordinem, per quem vigentes perturbationes perpetuo tollerentur, ibidem feliciter constituendum; quemadmodum colligere licet ex nostris literis apostolicis incipientibus *Omnium ecclesiarum,* quas die XXIX. novembris anni MDCCXLIX., et ex iis, quarum initium est *Postquam per alias,* quasque die XXVII. iunii an. MDCCL. in forma Brevis edidimus; quibus nimirum, temporaneum urgentibus necessitatibus remedium aptantes, decrevimus, illud tamdiu duraturum fore, *donec aliqua ratio communi partium consensu, nostraque aut successorum nostrorum approbatione, iniri valeret, per quam animarum fidelium necessitatibus consuleretur.*

§ 2. Verum, scientes, omne datum optimum et omne donum perfectum ab omnipotente Deo petendum et expectandum esse, nunquam omisimus in toto gravissimae causae decursu, divinam Maiestatem, interpositis etiam aliorum orationibus, enixe exorare, ut inter perturbationum procellas, et multiplicium difficultatum scopulos, trepidantem consilii nostri navim in portum nobis optatum, ad afferenda nimirum animabus Christi Sanguine redemptis necessaria salutis aeternae subsidia, afflante Spiritus sui aura, deducere dignaretur.

§ 3. Invocantes nos exaudivit misericors Dominus, dumque maximarum tribulationum et amaritudinum fluctibus iactaremur, misit ex alto adiutorium suum, factaque tranquillitate, nos uberi consolationum suarum dulcedine recreavit. Ipse etenim, in cuius manu sunt Regum corda, uno eodemque tempore charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae, Hungariae et Bohemiae reginae illustris in Romanorum imperatricem electae, animum inclinavit, ut de proponendo stabili remedio pro Aquileiensibus rebus perpetuo componendis cogitaret; simulque effecit, ut dilecti filii nobiles viri dux et respublica Venetiarum concordi studio id ipsum optarent. Cuius rei indubium testimonium nobis praebuerunt epistolae ad nos conscriptae tum a praedicta Maria Theresia regina, in imperatricem electa, sub die XVII. martii currentis anni MDCCLI., quas nobis exhibuit dilectus filius noster Marius huius S. R. E. presbyter Cardinalis Millinus nuncupatus, tum a praefato Venetiarum duce sub die XXXI. eiusdem mensis et anni, quas dilectus quoque filius noster Carolus eiusdem S. R. E. presbyter Cardinalis Rezzonicus etiam nuncupatus nobis exhibuit.

Supremi principes concordi studio inter se conveniunt.

Conventionis approbationem et rerum conventarum executionem a Pontifice requirunt.

§ 4. Qui sane Marius et Carolus Cardinales die VI. aprilis ad audientiam nostram una simul se conferentes, memoratis respective literis nobis redditis, non solum flagrantia utriusque partis desideria, ut huiusmodi perpetuo ac stabili remedio Aquileiensis patriarchatus negotium terminaretur, unanimi nobis voce repraesentarunt; sed etiam singillatim ea nobis exposuerunt, de quibus partes ipsae olim dissentientes, nostris invitationibus et hortationibus obsecundantes, diligentibus tractatibus et colloquiis habitis, convenerunt; cuius conventionis exempla in scriptis redacta nobis relinquentes, earumdem partium nomine nobis humiliter supplicarunt, ut illi, pro rerum conventarum subsistentia et observantia, approbationis nostrae robur adiicere, necnon pro earumdem rerum executione, apostolicae auctoritatis nostrae plenitudinem interponere dignaremur. Articuli autem conventionis inter praedictas partes initae, qui earumdem mandato subscripti et respective ab ipsis approbati et ratificati fuerunt, sunt tenoris sequentis, videlicet:

Articuli conventionis.

§ 5. *Cum sacra caesarea regiaque Hungariae Bohemiaeque maiestas serenissimam Venetam Rempublicam sincero et singulari prorsus affectu prosequantur, ac proinde de illibata cum eadem servanda amicitia, bona vicinitate ac unione, quam maxime sit studiosa, neque minus praefata sereniss. Respublica hanc ipsam amicitiam, bonam vicinitatem ac unionem pari studio excolere satagat; hinc est, quod tam ex una, quam ex altera parte, enixo studio eo fuerit allaboratum, ut quae per aliquot saecula hucusque substiterat circa Aquileiensem patriarcha-*

tum controversia, amica ac utrinque aeque decora via penitus ac radicitus terminetur.

Quem in finem, ad opus tam salutare tractandum ac peragendum, sacra caesarea regiaque Hungariae et Bohemiae maiestas virum illustrissimum ac excellentissimum dominum Corficium sacri Romani Imperii comitem ab Ulfeld, suum consiliarium Status actualem intimum, nec non aulae et Status cancellarium, supremum supellectili argenteae regni Bohemiae haereditarium praefectum, dominum dynastiarum Hostascov, Prodliz, Ottaslavvitz et Zultsch etc. aurei velleris equitem.

Serenissima vero Veneta Respublica suum in aula caesarea commorantem oratorem ordinarium illustrissimum et excellentissimum nobilem dominum Andream Tronum equitem etc. plena facultate muniverint; qui, collatis prius inter se colloquiis, de sequentibus conditionibus convenerunt.

ART. I. *Sacra caesarea regiaque maiestas tum Sanctitati Suae, tum serenissimae Venetae Reipublicae, optionem relinquit, num loco abolendi prorsus Aquileiensis patriarchatus, duo episcopatus, aut archiepiscopatus, unus ex parte Imperii, et alter ex parte ditionum praefatae Reipublicae subditarum, institui velint; quorum primus Goritiensis, alter Utinensis in posterum nuncupabitur; ea tamen sub conditione, ut inter eamdem et serenissimam Venetam Rempublicam, quoad hanc novam institutionem et erectionem, perfecta aequalitas observetur, et uterque seu Episcopus seu Archiepiscopus iisdem prorsus gaudeat facultatibus.*

ART. II. *Ne dubium ullum superesse queat, quid sub omnimoda Aquileiensis patriarchatus abolitione, iuxta mentem contrahentium partium, praevio Sanctitatis Suae in id ipsum consensu, intelligatur; disertim inter easdem conventum est, sub hac ipsa denominatione non solum ipsius patriarchatus abolitionem, sed et abolitionem inde dependentium, tituli, dignitatum, canonicatuum et beneficiorum intelligi debere, ita quidem, ut nullus in posterum seu canonicus, seu annexa quadam Aquileiensi, qua patriarchali, ecclesiae dignitate praeditus, se talem nuncupare audeat, sed qui ex parte Imperii sunt, Goritienses, et qui ex parte Venetae Reipublicae sunt, Utinenses in posterum nuncupentur.*

ART. III. *Sacra caesarea regiaque maiestas consentit, ut eminentissimus dominus Cardinalis Delfinus, quamdiu vixerit, nomen, titulum et honores Patriarchae retineat; eo tamen pacto, ut ex consensu hocce suo, augustae domus suae, aut sacri Romani Imperii iuribus, prout illa ante praesentis concordiae articulos comparata fuerunt, nullum vel minimum praeiudicium illatum, nec quicquam in ditionibus suis praefato eminentissimo dom. Cardinali concessum censeri queat.*

ART. IV. *Mortuo autem eodem, nomen quoque et titulus Patriarchae iis in terris, quae Aquileiensi quondam ecclesiae suberant, cessare omnino debebit.*

ART. V. *Sacra caesarea regiaque maiestas pro se suisque haeredibus et successoribus, et serenissima Veneta Respublica sese quam validissime aequali tam ex una quam ex altera parte ratione obstringunt, quod nullis unquam futuris temporibus, ultra supra memoratas concordiae leges, multo minus contra easdem, in iis, quae Aquileiensem quondam patriarchatum quocumque demum modo seu directe seu indirecte concernunt, quicquam a Sancta Sede pontificia expetere, aut si oblatum fuerit, accipere, sed unice praesentis concordiae legibus stare velint.*

ART. VI. *Sacra caesarea regiaque maiestas pro se suisque haeredibus et successoribus, quo fieri potest meliore et firmiore modo, quae iam in antecessum suo nomine tutius declarata fuerunt, denuo confirmat: nempe quod numquam ipsi in mentem venerit, sub colore, praetexu, aut ex causa eorum, quae circa Aquileiensem patriarchatum ventilata hucusque fuerunt, vel unicam terrae palmam de territorio, quod serenissimae Venetae Reipublicae subest, sibi aut in praesens aut in posterum arrogare; renuntiando disertim iis, quae inde desumi possent, titulis aut praetensionibus quibuscumque.*

ART. VII. *Pro tollenda omni dissidiorum ansa, redditus, qui ad Aquileiensem ecclesiam hactenus spectarunt, ita separentur, ut qui ex terris Austriacis proveniunt, constituendo ibidem novo Episcopo, aut Archiepiscopo, eique subiectis canonicis; illi vero, qui ex Veneto territorio promanant, Utinensi Episcopo, aut Archiepiscopo, et ibidem degentibus Ca-*

nonicis ex asse cedant. Et si quae adhuc supersunt alia rerum capita, ad Aquileiensem patriarchatum sese referentia, de iis ex aequo et bono inter sacram caesaream regiamque maiestatem et serenissimam Venetam Rempublicam, ad instar eorum, quae quoad limites observata hucusque fuerunt, quo citius, eo melius, amica pariter via terminentur.

ART. VIII. *Siquae hinc inde, durante controversia, speciatim ex Aquileiensi ecclesia ablata fuerint, bona fide quantocyus restituantur, et super iis ad sensum praecedentis articuli ex aequo et bono omnia terminentur.*

ART. IX. *Ad normam praesentis conventionis, tam ex parte sacrae caesareae regiaeque maiestatis, quam ex parte serenissimae Venetae Reipublicae, apud Sanctitatem Suam usitato et decente modo instabitur, ut, quemadmodum eadem pronam se iam in antecessum et propensam declaravit, erectioni duorum episcopatuum seu archiepiscopatuum, iisdem utrinque facultatibus munitorum benigne annuere, ita Sanctitas Sua ultimum tam salutari scopo, communi ac concorde studio utrinque promovendo, complementum quantocyus dare velit.*

Conventio communi plausu excipitur.

§ 6. Sane, si ex communi plausu, quo huius conventionis inter praefatos supremos Dominantes feliciter initae, necnon singulorum capitum in ipsa conventione contentorum notitia, tam citra quam ultra montes, a viris cordatis et publicae tranquillitatis rectique rerum ordinis amatoribus excepta fuit, de illa et illis iudicandum simpliciter nobis fuisse putavissemus; nil ultra laboris aut diligentiae nobis, aut illis, quorum consiliis utimur, in eorumdem examine adhibendum fuisset.

Illiusque executionem complures et graves causae suadent.

§ 7. Sed quoniam nihil omittendum nobis esse iudicavimus, quod ad approbationem nostram consideratius atque consultius interponendam conducere valeret; quum ad memoriam nostram revocaverimus tam ea, quae in ecclesiasticis annalibus habentur circa patriarchatus Aquileiensis exordia, gravissimasque perturbationes, quibus Ecclesia Dei propterea vexata fuit; quam quae in historiis saecularibus relata sunt, de multiplicibus dissensionibus, cruentisque bellis, quae inter christianos principes, eiusdem patriarchatus occasione, frequenter arserunt; cuiusmodi periculis verendum erat, ne eorumdem christianorum principum pax et concordia, donec patriarchatus ipse subsisteret, perpetuo exposita remaneret; ipsius quoque civitatis Aquileiensis praesentem statum prae oculis habentes, et miseram conditionem, ad quam a tanto iam tempore redacta esse dignoscitur, ut in multorum Patriarcharum serie nullus inveniatur, qui in ipsa resederit, nec ullum in posterum in ea mansurum fore credendum esset. Considerantes praeterea, quibus cautelis plurium saeculorum spatio ab Apostolica Sede procedi opus fuerit in eiusdem patriarchatus collatione et provisione, ad evitandas offensiones, ac dissensionum bellorumque tumultus, qui inter supremos principes ea occasione accendi potuissent. Quoque iamdudum pastoralem solicitudinem nostram magis angebat, perpensis spiritualibus necessitatibus tot millium animarum, amplissimam partem Aquileiensis dioecesis ultramodo extensae incolentium, et a Veneto dominio dissitarum, quarum regimen iamdudum, ob inextricabiles rerum saecularium difficultates, haud feliciter procedebat: Qua de re quum plures recursus a Patriarchis pro tempore ad hanc Apostolicam Sedem facti fuerint, dum statum ecclesiae suae eidem Apostolicae Sedi statutis temporibus de more referrent; cumque piorum atque prudentium virorum, gravissimas dictarum animarum calamitates deplorantium, relationes et querelae tum ad praedecessores nostros Romanos Pontifices tum ad nos ipsos saepe pervenerint; animo occurrebat, quam frustra iidem praedecessores nostri, pontificiae solicitudinis officia ad huiusmodi calamitates sublevandas pluries interposuerint; quot etiam ad hunc diem inutiliter excogitata fuerint remedia, quae vel optatam executionem, vel speratum fructum nequaquam obtinere, vel plenam recti ordinis reintegrationem producere non potuerunt, vel denique temporaneam dumtaxat attulerunt utilitatem, quum scilicet ideo excogitata fuerint et adhibita, ut viam sternerent ad firmum tandem et stabile remedium memoratis deordinationibus perpetuo tollendis inveniendum.

Itaque Pontifex eam laudat et approbat, ac secundum illam statuere decernit.

§ 8. His omnibus matura consideratione pensatis, iisdemque conventionis capitibus attente perpensis, implorato saepius divini luminis adiutorio, ac requisitis auditisque super his nonullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententiis, de eorum consilio et assensu, postulationibus huiusmodi pro parte dictae charissimae in Christo filiae nostrae Mariae The-

resiae Hungariae et Bohemiae reginae illustris, in Romanorum Imperatricem electae, necnon dilectorum filiorum nobilium virorum ducis et reipublicae Venetiarum, nobis, ut praefertur, exhibitis, in omnibus et per omnia plenissime annuentes, non modo praeinserta omnia et singula conventionis capita, utpote ad publicum bonum et felix animarum regimen tendentia, praesentium literarum tenore laudamus et approbamus; verum etiam per easdem praesentes ad ea exequenda et statuenda, quae pertinent ad omnimodam atque perpetuam suppressionem patriarchatus Aquileiensis, necnon ad erectionem duorum archiepiscopatuum aequalibus omnino iuribus, praeeminentiis, ac praerogativis praeditorum, relicto, ut infra, dilecto filio nostro Danieli S. R. E. presbytero Cardinali Delfino nuncupato, dum vixerit, Patriarchae titulo, procedere volentes; aliorum vero capitum inter praefatas partes, ut supra dictum est, conventorum, ac respective a nobis approbatorum executionem, per alias nostras apostolicas literas implendam statuendamque reservantes,

Aquilejense patriarchatum, et sedem, capitulum etc. supprimit et extinguit.

§ 9. De Apostolicae potestatis nostrae plenitudine, qua nobis datum est, iustis concurrentibus causis, ecclesias patriarchales, archiepiscopales et episcopales erigere, transferre, supprimere et extinguere, earumque dioeceses dividere ac separare, prout in Domino expedire noverimus; motu proprio, et certa scientia, ac praesentium literarum tenore, in dicta Aquileiensi civitate et ecclesia, patriarchalem cathedram, dignitatem et sedem, titulum, ac denominationem, atque omne patriarchale, metropoliticum et dioecesanum ius eidem ecclesiae ac sedi hactenus adnexum, necnon ipsius ecclesiae capitulum, dignitates, canonicatus, atque praebendas; itaut deinceps patriarchalis, archiepiscopalis, aut cathedralis ecclesia Aquileiensis, illiusque capitulum minime existat, nec ullus Aquileiensis Patriarcha, Archiepiscopus, aut Episcopus, vel illius ecclesiae dignitas, aut canonicus denominari possit, penitus, omnino ac perpetuo supprimimus et extinguimus.

Utinensem Archiepiscopatum erigit, eique dioecesim et suffraganeos assignat.

§ 10. Ut autem animabus Christifidelium in locis hactenus Aquileiensis patriarchatus per nos, ut praefertur, suppressi et extincti spirituali iurisdictioni subiectis, quaeque in temporalibus tam Venetae Reipublicae, quam Austriacae familiae supremo parent dominio, degentium ecclesiastici regiminis subsidia non desint; simili motu, scientia et potestatis plenitudine, per easdem praesentes, ex nunc in civitate Utinensi unam archiepiscopalem cathedram et sedem, archiepiscopatum Utinensem nuncupandam, cum omnibus et singulis iuribus, etiam metropolitico, caeterisque praeeminentiis et praerogativis, aliis archiepiscopalibus ecclesiis de iure, usu ac consuetudine competentibus, perpetuo erigimus et constituimus; cui quidem archiepiscopatui, pro peculiari eius dioecesi, totum illum regionis tractum, qui temporali Reipublicae Venetae dominio subiectus est, et hactenus a pro tempore existente Patriarcha ecclesiae patriarchalis Aquileiensis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, dioecesano iure obtinebatur, et pacifice regebatur, tribuimus et assignamus, necnon in suffraganeos eos omnes et singulos Episcopos, quorum cathedrales ecclesiae in praefatae Reipublicae Venetae dominio consistunt, quique ad hunc diem eisdem patriarchatui Aquileiensi per nos, ut praefertur, suppresso et extincto subiecti fuerunt, subiicimus atque supponimus; prout latius atque distinctius per alias nostras apostolicas literas super erectione huiusmodi Utinensis ecclesiae archiepiscopalis, aequalibus, ut praefertur, iuribus et praerogativis cum infrascripta Goritiensi archiepiscopali pariter ecclesia insigniendae peculiariter expediendas, statuetur et explicabitur.

Goritiensem pariter archiepiscopatum erigit eique dioecesim et suffraganeos attribuit.

§ 11. Simili quoque modo ex nunc in civitate Goritiensi alteram archiepiscopalem cathedram et sedem, archiepiscopatum Goritiensem nuncupandam, cum omnibus et singulis praedictis iuribus, etiam metropolitico, caeterisque praeeminentiis et praerogativis, aliis archiepiscopalibus ecclesiis de iure, usu, ac consuetudine competentibus, earumdem praesentium tenore, dictisque motu, scientia et potestatis plenitudine, perpetuo pariter erigimus et constituimus; cui etiam archiepiscopatui, pro eius peculiari dioecesi, alteram patriarchalis hactenus ecclesiae Aquileiensis, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, dioecesis partem, quae Austriacorum principum dominio subest, quaeque novissimis temporibus per Vicarium Apostolicum episcopali charactere praedictum, a nobis ad tempus et ad nostrum ac Sedis Apostolicae beneplacitum inibi constitutum, in spiritualibus gubernata fuit, tribuimus et assignamus; ita ut, statim ac novae archiepiscopali Goritiensi ecclesiae huiusmodi,

Vicarii Apostolici regimen aliasque provi-

dentias, post archiepiscopatus provisionem cessare decernit.

apostolica auctoritate, futurus illis Archiepiscopus praeficietur, praedicti Apostolici Vicarii gubernium, necnon omnes et singulae providentiae et ordinationes, sive a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive a nobis ipsis, pro animarum regimine in dicta Aquileiensi quondam dioecesis parte Austriacae ditioni subiecta, captae, editae, atque statutae, exinde in posterum pro sublatis, irritis, abrogatisque eo ipso habeantur; eidemque Goritiensi archiepiscopatui in suffraganeos, eos omnes et singulos episcopos, quorum ecclesiae cathedrales in temporali Austriaca ditione consistunt, quique ad hunc diem patriarchali ecclesiae Aquileiensi per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, simili iure subiectae fuerunt, supponimus atque subiicimus; prout etiam in aliis nostris apostolicis literis super erectione huiusmodi Goritiensis ecclesiae archiepiscopalis, aequalibus pariter iuribus et praerogativis cum supradicta Utinensi archiepiscopali ecclesia insigniendae, peculiariter expediendis, plenius atque distinctius statuemus et explicabimus.

Ius nominandi ad praedictas ecclesias, Austriacis principibus ac Venetae Reipublicae respective tribuit.

§ 12. Et quoniam illustria religionis ac pietatis argumenta, quae in tractatione huius gravissimi negotii, ex quo Ecclesia Dei tot perturbationes et anxietates aliquot iam saeculorum decursu sustinuit, necnon in superius relata conventione inter praedictas partes provide inita, et a nobis per praesentes approbata, ex parte tam dictae Mariae Theresiae reginae in imperatricem electae, quam praedictorum ducis et reipublicae Venetiarum edita fuerunt, maximum utilitatis fructum eidem Ecclesiae Dei in praesenti attulerunt, atque etiam in posterum allatura fore prospicimus; idcirco nos, motu, scientia et potestate paribus, ipsarum tenore praesentium, praedictae Mariae Theresiae reginae in imperatricem electae, eiusque successoribus in perpetuum, ad praefatum Goritiensem archiepiscopatum per nos, ut praefertur, erectum, tam pro prima hac vice, quam quoties perpetuis futuris temporibus ipsum vacare contigerit, ius nominandi nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti, personam idoneam, per nos et successores nostros ad eumdem archiepiscopatum Goritiensem pro tempore promovendam, eique praeficiendam; necnon praedictis Duci et Reipublicae Venetiarum, ad alium Utinensem archiepiscopatum, etiam per nos, ut praefertur erectum, quoties per liberam praefati Danielis Cardinalis dimissionem, sive per eius decessum, ac etiam deinceps alio quovis modo, perpetuis futuris temporibus vacare contigerit, simile ius nominandi nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam, etiam per nos et Romanos Pontifices successores nostros pro tempore ad eumdem archiepiscopatum Utinensem promovendam, eique praeficiendam, etiam perpetuo respective concedimus et impertimur; prout per alias quoque literas in forma Brevis super utriusque iuris nominandi huiusmodi concessione peculiariter respective expediendas id ipsum statuemus, ac indulgebimus.

Patriarchae titulum a moderno Card. Delfino retineri concedit.

§ 13. Praefato autem dilecto filio nostro Danieli Presbytero Card. Delfino nuncupato, ob personalium ipsius meritorum magnitudinem, ut, non obstante patriarchatus Aquileiensis suppressione et extinctione, per nos, ut praefertur, factis, ipse nihilominus, quoad vixerit, absolutum et simplicem Patriarchae titulum et denominationem retinere et gerere possit et valeat; ita tamen, ut, eiusdem in dicto archiepiscopatu Utinensi successores, non alio, quam Utinensium Archiepiscoporum titulo, denominari possint aut debeant, earumdem praesentium tenore concedimus et indulgemus.

In civitate Aquilejensi, suppressa parochialitate ecclesiae olim patriarchalis, unam dumtaxat animarum curam fore statuit.

§ 14. Aquileiensis porro civitas magnitudine quondam et populi frequentia insignis, quantum ab antiquo splendore prolapsa, quamque ad deteriorem conditionem redacta sit, omnibus notum est atque compertum. Illius autem incolarum cura parochialis inter duas ecclesias divisa est, ab eisque dependet; quarum una est ipsa, quae hactenus patriarchalis etiam extitit, ecclesia, in honorem Beatae Mariae Virginis in Coelum Assumptae, seu forsan Nativitatis eiusdem Beatae Mariae Virginis, Omnipotenti Deo dicata, cuius quidem animarum parochianorum cura per ipsius ecclesiae sacristam pro tempore existentem exerceri consuevit; altera vero est parochialis ecclesia S. Ioannis in foro, seu in platea nuncupata, cuius rector, seu presbyter curatus, a communitate et hominibus dictae civitatis, ut, accepimus, eligi, nominari, ac Ordinario loci praesentari solitus, erga parochianos ecclesiae huiusmodi iura parochialia exercet. Quum itaque civitas Aquileiensis sub temporali Austriacorum principum ditione constituta sit, ideoque illius spirituale regimen, iuxta prae-

missa, ad futurum Goritiensem Archiepiscopum pertinere, idemque futurus Archiepiscopus, ordinario et dioecesano iure, suam plenam iurisdictionem in eadem civitate exercere debeat. Ne quid umquam libero huiusmodi iurisdictionis exercitio officere valeat, nos in primodicta ecclesia, cuius patriarchalem qualitatem, nec non cathedralitatis, aliaque praedicta iura iam suppressimus et extinximus, omnem etiam parochialitatem, illiusque curam parochialem, harum quoque serie supprimimus et extinguimus; ac illius sic suppressae et extinctae animarum parochianorum curam, ad dictam parochialem ecclesiam S. Ioannis in foro, seu in platea nuncupatam, transferimus, illique subiicimus, et cum omnibus et singulis parochialibus iuribus respective applicamus, appropriamus et cum ea incorporamus: ita ut illius Rector, seu Parochus, omnium animarum Christifidelium tam suae hactenus parochiae, quam etiam alteri, in praefata patriarchali olim ecclesia ad hunc diem existenti subiectorum, curam et regimen gerat, idemque, una cum omnibus suis parochianis, hoc est, cum universo Aquileiensis civitatis populo, praedicti futuri Goritiensis Archiepiscopi ordinario iuri subiectus existat.

Eamdem ecclesiam a cuiuscumque Ordinarii iurisdictione exemptam, Sedi Apostolicae perpetuo subiicit.

§ 15. Cum vero Apostolica haec Sancta Sedes insignioribus quibusdam basilicis, libertatis et exemptionis, ac immediatae eidem Apostolicae Sedi subiectionis, privilegia impertiri consueverit; nos dictam Aquileiensem quondam patriarchalem ecclesiam pontificiae liberalitatis muneribus decorare volentes, dicta potestatis plenitudine, eamdem a futuri et pro tempore existentis Archiepiscopi Goritiensis, et cuiuscumque alterius Archiepiscopi seu Episcopi iurisdictione, in omnibus et per omnia per easdem praesentes eximimus et liberamus, ac perpetuis futuris temporibus exemptam, immunem et liberam, nobisque et successoribus nostris Romanis Pontificibus et huic Apostolicae Sedi immediate subiectam esse et fore decernimus. Ne autem ob nimiam praedictae civitatis Aquileiensis a Romana Urbe et curia distantiam, ipsa basilica praedicta necessariae assistentiae praesidio careat; apostolico delegato in dicta civitate constituto, cui ab aliquot retro saeculis monialium monasterii Aquileiensis gubernium, apostolica auctoritate, et independenter ab Ordinarii iurisdictione commissum dignoscitur, eiusque futuris successoribus, quos quidem in posterum semper ex personis eorumdem Austriacorum principum subditis eligendos fore statuimus, et nostras et Apostolicae Sedis vices committimus ac demandamus, ut ipse nunc existens delegatus, eiusque successores huiusmodi, tanquam apostolici ad hoc etiam delegati, nostroque et eiusdem Apostolicae Sedis nomine et auctoritate, cum debita a nobis et successoribus nostris dependentia, dictam Aquileiensem basilicam olim patriarchalem, ab Archiepiscopi Goritiensis, et alterius cuiuscumque Archiepiscopi sive Episcopi iurisdictione exemptam, nobisque et Apostolicae Sedi, ut praefertur, immediate subiectam, studeant salubriter regere, feliciter gubernare, et provide conservare.

Apostolicum delegatum ad illius curam deputat.

Praemissorum omnium firmitati consulit per opportunas clausulas et decreta.

§ 16. Praesentes autem literas et in eis contenta et statuta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo, ius aut interesse habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cuiusvis status, ordinis, praeeminentiae et ecclesiasticae vel mundanae dignitatis sint, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint: seu, quod aliqui ex ipsis ad ea minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis auditi fuerint: aut ex alia qualibet, etiam laesionis, vel alia iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato et substantiali; sive etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates et quaecumque alia forsan servanda et adimplenda minime servata et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non satis adductae, verificatae, ac iustificatae fuerint; notari, impugnari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris, facti vel iustitiae remedium impetrari posse: sed tamquam ex pontificiae providentiae officio, et motu proprio, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine nostris, factas et emanatas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; omnibusque etiam et sin-

gulis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari; et, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et prorsus inane esse et fore, pari auctoritate volumus atque decernimus.

Contrariis quibuscumque derogat.

§ 17. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis, quorum interest, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis; necnon dictae ecclesiae olim patriarchalis, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, erectione et fundatione, omnibusque et singulis apostolicis ac in synodalibus quoque, provincialibus et universalibus conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus; nec non eiusdem ecclesiae olim patriarchalis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, etiam confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, concessionibus, et donationibus eidem ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae, aut quibuscumque personis, quacumque ecclesiastica aut mundana dignitate fulgentibus, quantumvis specifica et individua mentione dignis, etiam Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum, Imperatorum, Regum, Rerumpublicarum et aliorum supremorum principum auctoritate et liberalitate, seu ad alicuius ex supra expressis instantiam, intuitum et contemplationem, sub quibuscumque formis et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, in contrarium praemissorum concessis et emanatis, et longissimi ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi, exercitis atque praescriptis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret; illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum effectum, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, ex certa scientia motuque et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem haberi iubet.

§ 18. Volumus etiam, ut ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, suppressionis, extinctionis, duplicis erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis, exemptionis, liberationis, subiectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, pridie nonas iulii, pontificatus nostri anno XI.

CXXIV.

Indulgentiam plenariam largitur visitantibus definitis diebus ecclesias vel oratoria missionariorum Ordinis Min. Capuccinorum, assignatâ a superiore aliâ ecclesiâ mulieribus, ubi hae in illas missionariorum ingredi nequeunt; quam indulgentiam iisdem missionariis post adventum in locum missionis et in articulo mortis (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Caelestium munerum thesauro, quorum dispensationem fidei nostrae credidit divina dignatio, libenter erogamus, cum ad augendam in terris Sanctorum, in caelis cum Christo regnantium, fovendamque et excitandam erga illos fidelium devotionem, salubriter expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Ludovici a Taurino procuratoris ac commissarii generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter

(1) Ex App. Bull. Pont. de Prop. Fide vol. II., pag. 158, coll. etc.

porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ, atque BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis seu oratoriis missionariorum dicti Ordinis ubique existentium, tum exterarum tum domesticarum et provincialium missionum stabilium; mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non patet accessus seu ingressus, quae aliam ecclesiam seu oratorium catholicorum in partibus infidelium, a custodibus seu praefectis missionum designandas seu designandum, in Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, Impressionis sacrorum Stigmatum, ac Sanctorum Francisci Assisiensis, Antonii de Padua, Bonaventurae, Ludovici, Felicis a Cantalicio, Petri de Alcantara, Bernardini Senensis, Ioannis a Capistrano, Paschalis Baylon, Iacobi a Marchia, Francisci Solani, Fidelis a Sigmaringa, ac Iosephi a Leonissa, necnon SS. Clarae Assisiensis, Rosae Viterbiensis, et Catharinae a Bononia festis, ac secundâ augusti et duodecimâ octobris respective diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die ex praedictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam Christifidelium defunctorum animabus, quæ Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

§ 2. Ac insuper eisdem missionariis pro tempore in partibus infidelium adventantibus, post eorum uniuscuiusque ad loca missionum adventum, ut ipsimet divino amore succensi in vineâ Domini Sabaoth ulteriori cum fructu laborent, ministeriumque suum apostolicum digne impleant, nec non in articulo mortis constitutis, ut cursum suum quietius in osculo Domini consumment, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam indulgemus, praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu dicti Ludovici moderni et pro tempore existentis procuratoris generalis praefati subscriptis, ac dicti Ordinis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. iulii MDCCLI., pontificatus nostri anno XI.

CXXV.

Missionariis Ordinis Minoris Capuccinorum exercere permitit artes medicinae et chirurgiae in locis missionum, determinatis tamen conditionibus (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius ac commissarius generalis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod saepe accidere solet, ut in locis sacrarum missionum ubique existentibus, et Ordini praedicto assignatis, reperiantur dicti Ordinis professores, qui medicinae et chirurgiae artes callent: verum per Constitutiones eiusdem Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas prohibitum vetitumque existit expresse, ne illius alumni artes praedictas extra memoratum Ordinem exerceant; dictus vero Ludovicus procurator et commissarius generalis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et, ut infra, indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

§ 2. Nos igitur ipsius Ludovici desiderio hac in re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fratribus missionariis quarumcumque missionum stabilium tam exterarum quam domesticarum et provin-

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

cialium dicti Ordinis ubique existentium medicinae et chirurgiae huiusmodi artium peritis et callentibus, etiam in sacro presbyteratus ordine constitutis, tum in partibus infidelium tum Christifidelium nunc et pro tempore existentibus et commorantibus, ut de superiorum seu praefectorum missionum praefatarum licentiâ (dummodo in locis praedictis nullus adsit medicus vel chirurgus saecularis qui infirmis in eorum infirmitatibus medeatur) artes medicinae et chirurgiae praedictas iuxta illorum praecepta, ad commodum et utilitatem catholicorum, in partibus infidelium et haereticorum, nunc et pro tempore existentium dumtaxat, gratis tamen et sine ullâ prorsus mercede, ac in casu necessitatis tantum, exercere, ac medicamenta et alia necessaria praebere et adhibere, libere et licite, ac sine ullo conscientiae scrupulo vel irregularitatis alteriusque poenae vel censurae ecclesiasticae incurrendae possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis etc. confirmatis, innovatis. Quibus omnibus etc. expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. iulii MDCCLI., pontificatus nostri anno XI.

CXXVI.

Pro Indiarum et Hispaniarum regnis confirmat indulgentias a praedec. G. XV. concessas Societati Iesu in docendo Doctrinam Christianam et eam addiscentibus.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentias a praedecessor. Greg. XV. concessas enumerat.

§ 1. Exponi nuper fecit dilectus filius Iosephus de Lara, clericus regularis expresse professus Societatis Iesu, ac assistentiae Hispanae in alma Urbe nostra procurator, quod alias felic. recor. Gregorius PP. XV. praedecessor noster, ad supplicationem tunc in humanis agentis Mutii Vitelleschi, praedictae Societatis praepositi generalis, per quasdam suas in simili forma Brevis die XXVII. septembris MDCXXII. expeditas literas, omnibus et singulis eiusdem societatis clericis, aliisque universis Christifidelibus ubivis locorum existentibus, ac cum eisdem clericis in infrascriptis cooperantibus, qui de superiorum suorum licentia respective, ac de consensu Ordinariorum locorum, pueros et adultos quoscumque doctrinam christianam iuxta decreta sacri Concilii Tridentini docere, aut eidem, dum docetur, interesse consuevissent, si vere poenitentes et confessi Sanctissimo Eucharistiae Sacramento die festo ab eisdem Ordinariis in ecclesiis, in quibus doctrina christiana docetur, semel in anno designando, refecti fuissent, plenariam: nec non ipsis, qui vere etiam poenitentes et confessi dictum Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, aut, id facere non valentes, animo contrito nomen Iesu, saltem corde, in mortis articulo invocassent, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessit: praeterea eisdem, qui pariter vere poenitentes, et confessi, semel quolibet mense Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, septem annos et totidem quadragenas: qui vero in causa fuissent ut pueri, famuli, aut aliae personae ad doctrinam christianam accedant, ducentos dies; et qui diebus stationum eiusdem Urbis hanc doctrinam in ecclesiis aut oratoriis de Ordinariorum licentia docuissent, aut etiam illi, qui ad eamdem discendam accessissent, easdem indulgentias consequerentur, quas consequi possent et valerent, si ecclesias stationum eiusdem Urbis personaliter visitassent. Easdem etiam indulgentias visitatores scholarum doctrinae huiusmodi, qui ex commisso sibi officio visitarent illas scholas, quas illo die visitare possent, consequerentur, si peccata sua confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpsissent; insuper eisdem, qui diebus feriatis hanc doctrinam christianam, aut publice, aut privatim, ut praefertur, explanassent, centum dies; nec non omnibus et singulis praeceptoribus, qui diebus festis discipulos suos ad doctrinam christianam duxissent, eosque illam docuissent, septem annos; et qui diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicassent, centum dies: praedictis etiam clericis, qui in ecclesiis, seu oratoriis, ubi doctrina christiana docetur, Verbum Dei praedicassent, aut collationes fecissent, licet illo die non intervenissent in aliqua schola docendi causa, septem annos. Omnibus autem et

singulis patribus et matribus, familias, qui, in suis domibus, liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam explanassent, qualibet vice id egissent, centum dies: item iis, qui per civitates, terras, et alia loca viros, mulieres, aut pueros ad discendam eamdem doctrinam christianam docendi causa circumivissent, septem annos; ac etiam qui extra civitates ad illam, ut praefertur, docendam per castra et villa exivissent, decem annos: omnibus et singulis Christifidelibus, qui per mediam horam doctrinae praedictae, aut discendi aut docendi causa, studuissent, aut eidem doctrinae interessent, centum dies: eisdem etiam, qui doctrinam praedictam docere consuevissent, si infirmos visitassent, quoties id fecissent, ducentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit, et alias, prout in dictis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Nova petitio. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictusque Iosephus procurator asserebat, quamplurimi Philosophiae et sacrae Theologiae magistri, aliique dictae societatis alumni in sacro Presbyteratus Ordine constituti, in Hispaniarum regnis, ac Indiarum partibus charissimo in Christo filio nostro Ferdinando earumdem Hispaniarum Regi Catholico subiectis, existentes, dum tempus ipsis vacat, per aliqua loca excurrunt, ut sacris missionibus per tres, quatuor, aut plures dies, prout oppidorum necessitas exigit, vel propria in collegiis, seminariis, residentiis, aut domibus dictae Societatis officia et munera eis demandata sibi permittunt, operam dare possint, non raro accidere solet, ut cum in die festo in propriis Societatis praedictae domibus esse debeant, ut in illo ministeriis sibi commissis, vel in sequenti die scholis vacent, hinc est, quod non possint excipere confessiones in locis, in quibus sacras missiones huiusmodi faciunt, quae in maiori copia ultimo missionis die sunt, et quibus aliquando non est confessariorum copia, praesertim aliquibus in locis, ubi solus parochus est confessarius, ac etiam ut aliqui sacerdotes, qui tenentur sacrum facere in alia ecclesia, quam ubi doctrina christiana explicata est, eaque de causa plenariam indulgentiam semel in anno ab ipso Gregorio concessam sumentibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum die festo ab Ordinario designando in ecclesia, in qua doctrina christiana docetur, lucrari non valeant, ac proinde dictus Iosephus missionariorum huiusmodi spiritualis consolationi per nos providere, et ut infra indulgere plurimum desideret,

Indulgentias confirmat. § 3. Nos piis eiusdem Iosephi procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, supradictas omnes indulgentias ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes a memorato Gregorio praedecessore omnibus et singulis personis doctrinam christianam huiusmodi docentibus et discentibus concessas, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac, quatenus opus sit, omnibus et singulis praedictis, praemissa in dictis literis contenta peragentibus, de novo auctoritate praefata concedimus. Praeterea eisdem Ordinariis, in Hispaniarum Regnis et Indiarum partibus existentes, ut ipsi, si opportunum esse existimaverint, accedente etiam eorumdem missionariorum consensu et necessitate id postulante, diem festum huiusmodi ab illis designandum ad effectum consequendi plenariam indulgentiam per memoratum Gregorium praedecessorem concessam, sumentibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ecclesia, in qua doctrina christiana docetur, etiam in diem feriatum commutare possint, quam quidem indulgentiam tam regulares dictae Societatis, quam saeculares presbyteri cum illis cooperantes, qui alibi quam in ecclesia, in qua explicata est doctrina christiana, sacrosanctum Missae sacrificium celebrare tenentur, consequi et lucrari valeant, quamvis eodem die etiam feriato ab Ordinario, sicut praemittitur, designato in ecclesia ubi doctrina christiana huiusmodi explicata est, minime celebrent, vel sacram Communionem non sumant: Firma in reliquis remanente dictarum literarum Gregorii praedecessoris dispositione, auctoritate praedicta indulgemus.

Clausulae. § 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Gregorius praedecessor in suis literis praedictis voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus etiam, ut praesentium earumdem literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii subscriptis, et sigillo praepositi generalis dictae Societatis pro tempore existentium, vel

alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII. augusti MDCCLI., pontificatus nostri anno XI.

CXXVII.

Sub nonnullis clausulis, Superioribus provinciae Goanae et, in mortis articulo, etiam Missionariis Soc. Iesu facultatem concedit administrandi Sacramentum Confirmationis (1).

Dilecto filio Ignatio Vicecomiti, moderno, et pro tempore existenti, Praeposito Generali Societatis Iesu,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Commendantur merita Praepositi Generalis Societatis Iesu.

§ 1. Praeclara religiosarum virtutum exempla, quibus ministerium Vicarii Generalis Societatis tuae magna cum nominis tui laude et bonorum omnium commendatione obire satagebas, tanto pontificiae benevolentiae studio prosequebamur, ut nihil cuperemus impensius, quam ut Generalis eiusdem Societatis Praepositus eligereris. Per concordia vero suffragia demandatum tibi sane meritissimo munus saepe amplissimis verbis ex animo gratulati, opportunitatem quoque praestolabamur, ut propensae prolixaeque nostrae voluntatis luculenta tibi tuaeque Societati testimonia praeberemus; praesertim ubi apostolicae caritatis auctoritatisque nostrae argumenta ad maiorem divini honoris cultum et faciliorem aeternae animarum salutis procurationem fore redundatura prospiceremus.

Pontificis studium erga omnes Christifideles etiam longe dissitos.

§ 2. Propterea, cum studiosissime cavere debeamus ne Christifidelibus barbararum nationum sacro dumtaxat regenerationis lavacro ablutis, qui non solum ab hac alma Urbe nostra et Europa ipsa dissiti, sed a sedibus etiam in quibus venerabiles fratres Episcopi eorumdem pastores resident, quam longissime remoti sunt, ulla desint apostolicae providentiae necessaria commoda, quo et ad fidem strenue profitendam et ad pugnam contra potestatem tenebrarum fortiter sustinendam per Spiritus Sancti plenitudinem sacramento Confirmationis collatam roborentur et confirmentur;

Provinciae Goanae procuratorem libenter excipit, et missionariorum obedientiam specialiter laudat.

§ 3. Demissas preces, quas nobis dilectus filius Archangelus de Origny dictae Societatis Iesu presbyter, missionum provinciae Goanae in Indiis Orientalibus procurator, opportuna generalium Societatis tuae comitiorum in eadem alma Urbe nostra nuper maxima cum omnium ordinum laudatione habitorum occasione huc adveniens, ac saepe nos adiens obtulit, peculiari benignitate excepimus, eiusque votis obsecundantes, officium nostrae auctoritatis eo libentius adhibendum esse censuimus, quo apertius nobis constat, et alumnos eiusdem Societatis in ipsa provincia Goana Missionarios mandatis nostris per alias nostras sub plumbo litteras anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, pridie idus septembris pontificatus nostri anno V. datas, quarum initium est *omnium sollicitudinum*, iniunctis, debitam exhibuisse obedientiam:

Preces quas Copthorum missionarii obtulerant, procurator Goanus modo iterat.

§ 4. Et preces ipsas iuxta ea, quae nos ad postulata et dubia a praefecto et missionariis Missionis Cophtae edita respondentes praescripseramus per alias itidem nostras litteras die quarta mensis maii anno milesimo septingentesimo quadragesimo quinto datas, quarum pariter initium est *Eo quamvis tempore*, iisdem urgentibus causis fuisse conceptas.

Exponit distantiam a locis ubi Episcopi vivunt, vel visitant.

§ 5. Ipse enim Archangelus procurator, qui ab universa huiusmodi provincia Goana in provincialibus comitiis congregata mandata acceperat, nobis apertissime explicavit, nonnullas quidem suae provinciae regiones ordinariae nullius Antistitis aut Apostolici Vicarii iurisdictioni ac regimini subiectas esse, sed curae dumtaxat et gubernio alumnorum Societatis Iesu Missionariorum Apostolicae huic Sanctae Sedi addictorum creditas; nonnullas vero (veluti illam de Mayssur, et illam de Fluminibus, quarum prima Archiepiscopo de Cranganor da Serra, altera administratori episcopali de Senna subiiciuntur) ita abesse a locis, in quibus residere, vel quae visitare sive per se ipsi ordinarii Antistites, sive per alios, solent, ut nedum difficile, sed pene impos-

(1) Ex Tabulario Typographiae Reverendae Camerae Apostolicae.

sibile sit, tam ordinarios Antistites, quam eorum visitatores, ad ea missionum loca accedere.

Unde neophyti sacramentum Confirmationis suscipere nullatenus possunt.

§ 6. Unde ex eo tempore, ex quo Missionarios dictae Societatis ad illas regiones penetrare contigit, neminem sacro Confirmationis sacramento insignitum ex hac vita migrasse existimatur, neque fore unquam praesens rerum conditio suadet, ut deinceps quisquam viam universae carnis signaculo dominico confirmatus, nisi aliter provisum fuerit, ingrediatur.

Pontifex tot populorum angustias commiseratus, Generali et missionariis benigne favet.

§ 7. Eapropter nos, a quibus supremo pastorum principi Iesu Christo aeterno iudici, ipsius in terris vices gerentibus gravissima omnium animarum suo sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, aerumnas, ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, apostolicis laudibus commendantes, supplicationibus ab eodem Archangelo de Origny nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac te, dilecte fili, ipsumque Archangelum procuratorem de negotiis provinciae suae fideliter sapienterque tam Lisbonae, quam hic Romae, expeditis benemerentem, nec non memoratos missionarios amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et vestras singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes;

Concedit superioribus provinciae Goanae facultatem conferendi Sacramentum sub quibusd. clausulis.

§ 8. Attentis praesertim praemissis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, superioribus cuiuscumque missionis antedictarum pro tempore existentibus et eorumdem superioritatis muneribus durantibus, cum ad visitandas huiusmodi missiones accesserint, ut sacramentum Confirmationis Oleo et Chrysmate etiam antiquis, si nova haberi non possint per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedictis, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus uniuscuiusque missionis iuxta Ritualis Romani ritum libere et licite conferre et administrare possint ac valeant, facultatem ea tamen lege tribuimus et impertimur, ut in iis quidem missionum provinciis, quae habentur in districtu dioecesum, et sub iurisdictione venerabilium fratrum Antistitum, ab eo Antistite in cuius dioecesi et sub cuius iurisdictione missio illa reperitur, licentia semel, quoad ipse ordinarius Antistes vixerit, petatur; hoc autem defuncto, ab eiusdem pro tempore successore pari modo semel etiam petatur, gratis semper concedenda: in iis vero missionum provinciis, quae nullius Antistitis iurisdictioni subiectae, ipsis dumtaxat Societatis eiusdem missionariis ab hac Apostolica Sede creditae sunt, antedicta licentia minime necessaria est, nisi fortasse aliquando contingeret in iisdem provinciis vel residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos, ab eadem Apostolica Sede deputari, a quibus, cum illuc accedere non valeant, tunc licentia antedicta pari modo peti et concedi debet.

Et ut possint alium vel alios religiosos debitis circumstantiis delegare.

§ 9. Praeterea, si forte evenerit, ut superior quilibet cuiusvis missionis quibuscumque legitimis canonicisque impedimentis detentus, quominus iniunctum sibi visitationis mysterium explere valeat, auctoritate et tenore paribus concedimus et facultatem impertimur ipsi superiori impedito, ut unum vel plures, digniorem vel digniores, eiusdem Societatis missionarios, a quo vel quibus sacramentum Confirmationis, ut praemittitur, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, administrari possit pro suo arbitrio et conscientia, durantibus tamen impedimentis, deputet et constituat.

Facultatem extendit ad omnes missionarios Christifidelibus in articulo mortis constitutis.

§ 10. Insuper omnibus et singulis earundem missionum missionariis sacerdotibus laudatae Societatis eamdem conferendi sacramentum Confirmationis cuilibet christifideli in periculo vel articulo mortis constituto facultatem tribuimus.

Clausulae pro litterarum validitate, sublata aliter iudicandi facultate.

§ 11. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firmas, validas et efficacia, existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi

facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque in contrarium.

§ 12. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Societatis Iesu etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adhibeatur fides.

§ 13. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel manu et sigillo alicuius superioris missionum praefatarum munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Hoc favore incitat missionarios ad zelum animarum, et obsequium erga Sanctam Sedem.

§ 14. Caeterum, dilecte fili, etsi ipsos Societatis tuae missionarios apostolicam hanc benignitatem facultatemque ea, qua par est, veneratione excepturos, et pari apostolicis mandatis obedientia ac sedulitate administraturos fore confidimus, quemadmodum tu atque ipse Archangelus procurator fide iussistis; volumus tamen hac in parte te modernum, et pro tempore existentem, Praepositum Generalem rogare, et in Domino hortari, ut non omittatur saepe ipsos missionarios, ac praesertim eorum superiores, admonere, apostolicum huiusmodi indultum iisdem impertitum novo perennique incitamento ipsis esse debere, quo maiori caritatis ardore aeternam animarum in tenebris ambulantium et in umbra mortis sedentium salutem procurent, et Apostolicam hanc Sanctam Sedem eiusque mandata demissis obedientibusque animis semper venerentur.

Apostolicam benedictionem cum indulgentia plenaria illis populis conferenda impertitur.

§ 15. Nos interim coelestis praesidii auspicem tibi, dilecte fili, ipsi Archangelo procuratori, caeterisque superioribus, et missionariis saepedictae provinciae Goanae apostolicam benedictionem, quam cum plenariis indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus coniunctam, ab ipsis dumtaxat superioribus missionum semel Christifidelibus illarum partium in unum, in diversis licet locis, convenientibus nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VIII. septembris MDCCLI., pontif. nostri anno XII.

CXXVIII.

Superioribus missionum Soc. Iesu in provincia Quitensi concedit, iuxta modum, facultatem conferendi sacramentum Confirmationis, dispensandi cum neopyhtis a proclamationibus matrimonialibus, etc. (1).

Dilecto filio Ignatio Vicecomiti moderno, et pro tempore existenti, Praeposito Generali Societatis Iesu,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Non solum propter tuae erga nos et Apostolicam hanc S. Sedem observantiae filialis obsequia atque insignia religiosarum virtutum exempla, quorum causa nuper in generalibus comitiis, postquam supremo munere vicarii generalis Societatis tuae laudabiliter perfunctus fueras, factum est, ut in Generalem eiusdem Societatis Praepositum suffragantibus omnibus eligereris; sed propter luculentissima etiam religiosorum alumnorum ipsius inclytae Societatis in aeternâ infidelium fideliumque ubique, ac praesertim in amplissimâ provincia et praefecturâ Quitensi Americae Meridionalis, commorantium salute procurandâ assidue adlaborantium merita incredibili cum pontificii animi nostri laetitiâ excepimus supplices preces, quibus paternâ benignitate annuentes, apostolicae nostrae caritatis auctoritatisque testimonia iisdem religiosis alumnis tuis in memoratâ provinciâ ac praefecturâ Quitensi missionariis praebere et conferre non dubitamus.

§ 1. Nuper sane dilectus filius Carolus Brentano, saepedictae Societatis Iesu sacerdos, eiusdem provinciae ac praefecturae Quitensis in America procurator, qui ab ipsius

(1) Ex Reg. Vat. Epist. ad Principes et alios, an. 12, f. 283.

provinciae et praefecturae Quitensis missionariis de more congregatis ad comitia huiusmodi in hac almâ Urbe nostrâ feliciter celebrata deputatus fuerat, ad nos accedens, supplex exposuit, quod in illis regionibus a centum et amplius annis, ex quo missionarii Societatis Iesu ad barbaras infidelesque nationes inibi degentes penetrarunt, et non sine maximis laboribus, sudoribus, vitae discriminibus et sanguinis etiam dispendiis missiones fundare coeperunt, nemo omni procul dubio ex Christifidelibus per ipsos missionarios ex aquâ et Spiritu Sancto renatis, et in regnum Dei, quemadmodum pie creditur, ingressis, sacramentum Confirmationis ibidem susceperit. Ipsa vero provincia ac praefectura Quitensis late patet, et missiones plurimae habentur, aliae quidem appellantur Maynenses, quae ad Maranonem seu magnum fluvium Amazonum extenduntur, aliae vero Darienses, ad quarum missionum loca nullus dioecesanorum Antistitum hactenus accessit, sed ipsi dumtaxat missionarii per se populos illos in fidei mysteriis instruunt, et sacro regenerationis lavacro abluunt.

§ 2. Addidit praeterea, raro nimirum ac fere nunquam inibi contingere, ut missionariis independenter a tribus proclamationibus praescriptis et fieri solitis, multumque temporis ante matrimonium contrahendum ex spontaneâ ipsorum oppidanorum Indorum manifestatione non resciat, num aliquod impedimentum adsit, necne? Insuper frequentissimum et fere commune esse Indis neophytis, ut (ignaro quidem missionario) sponsi post contracta sponsalia sine ullo, quem sibi forment, conscientiae scrupulo insimul cohabitent.

§ 3. Eapropter ipse Carolus Brentano procurator suppliciter exoravit, ut non solum missionariis Quitensibus facultatem tum conferendi sacramentum Confirmationis, tum dispensandi super tribus proclamationibus ante matrimonium contrahendum fieri solitis, tribuere et impertiri; sed licentiam quoque officium et missam praesentationis in templo Bmae Virginis Mariae Immaculatae sub ritu duplici secundae classis cum octavâ recitandi et celebrandi, omnibus et singulis provinciae et missionum Quitensium Societatis Iesu sacerdotibus, atque iis, qui ad horas canonicas tenentur, concedere et indulgere de benignitate et auctoritate apostolicâ dignaremur.

§ 4. Nos itaque, a quibus supremo pastorum principi Iesu Christo aeterno iudici ipsius in terris vices gerentibus gravissima omnium animarum suo sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, aerumnas, ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atqué eosdem missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, apostolicis laudibus commendantes, supplicationibus ab eodem Carolo Brentano nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac te, dilecte fili, ipsumque Carolum procuratorem de negotiis provinciae suae fideliter sapienterque hic Romae expeditis benemerentem, necnon memoratos missionarios amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et vestras singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis ac interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, attentis praesertim praemissis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, superioribus cuiuscumque missionis antedictarum pro tempore existentibus, et eorumdem superioritatis muneribus durantibus, cum ad visitandas huiusmodi missiones accesserint, ut sacramentum Confirmationis chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus uniuscuiusque missionis iuxta Ritualis Romani ritum libere et licite conferre et administrare possint ac valeant, facultatem, ea tamen lege, tribuimus et impertimur, ut in iis quidem missionum provinciis, quae habentur in districtu dioecesum et sub iurisdictione venn. fratrum Antistitum, ab eo antistite, in cuius dioecesi et sub cuius iurisdictione missio illa reperitur, licentia semel, quoad ipse Ordinarius Antistes vixerit, petatur; hoc autem defuncto, ab eiusdem pro tempore successore pari modo semel etiam petatur, gratis semper concedenda: in iis vero missionum provinciis, quae nullius Antistitis iurisdictioni subiectae, ipsis dumtaxat Societatis eiusdem missionariis ab hac Apostolicâ Sede creditae sunt, antedicta licentia minime necessaria est, nisi fortasse aliquando contingeret in iisdem provinciis

vel residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos ab eadem Apostolicâ Sede deputari, a quibus, cum illuc accedere non valeant, tunc licentia antedicta pari modo peti et concedi debet.

§ 5. Praeterea, si forte evenerit, ut superior quilibet cuiusvis missionis, quibuscumque legitimis canonicisque impedimentis detentus sit, quominus iniunctum sibi visitationis ministerium explere valeat, auctoritate et tenore paribus concedimus, et facultatem impertimur ipsi superiori impedito, ut unum vel plures digniorem vel digniores eiusdem Societatis missionarios, a quo vel quibus sacramentum Confirmationis, ut praemittitur, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vitâ migrare contingat, administrari possit, pro suo arbitrio et conscientiâ, durantibus tamen impedimentis, deputet et constituat.

§ 6. Insuper omnibus et singulis earumdem missionum missionariis sacerdotibus laudatae Societatis eamdem conferendi sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli in periculo vel articulo mortis constituto facultatem tribuimus.

§ 7. Praeterea, tenore et auctoritate paribus, facultatem tribuimus et impertimur cuilibet missionario eiusdem Societatis Iesu in saepedictis locis vice parochi fungenti, ut cum Indis fidelibus dispensare possit super tribus proclamationibus ante matrimonium contrahendum fieri solitis, dummodo ea intercesserint momenta, propter quae dispensatio huiusmodi, prudenter tamen adhibenda, necessario concedi posse existimatur.

§ 8. Insuper omnibus et singulis provinciae, et missionum Quitensium Societatis Iesu sacerdotibus, atque iis, qui ad horas canonicas tenentur, tenore et auctoritate similibus, indulgemus, ut festum Praesentationis B. Mariae Virginis quotannis sub ritu duplici secundae classis cum octavâ, tam quoad horas canonicas, quam quoad Missam recitare et celebrare valeant ac possint.

§ 9. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 10. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specilibus constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Societatis Iesu, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel manu et sigillo alicuius superioris missionum praefatarum, munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Futurum autem in Domino confidimus, ut sub tui moderni et pro tempore existentis Praepositi Generalis Societatis Iesu auspiciis ac regimine apostolicae benignitatis indulta huiusmodi ad maiorem Dei gloriam et aeternam animarum salutem cedant.

§ 12. Denique caelestis praesidii auspicem tibi, dilecte fili, ipsi Carolo procuratori, ceterisque superioribus et missionariis saepedictae provinciae Quitensis apostolicam benedictionem, quam cum plenariis indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus coniunctam ab ipsis dumtaxat superioribus missionum semel Christifidelibus illarum partium in unum, in diversis licet locis, convenientibus nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. septembris MDCCLI., pontificatus nostri anno XII.

CXXIX.

Episcopis Premisliensi et Leopoliensi Rutheni ritus spondet, se omnem operam daturum, ut transitus Ruthenorum ad latinum ritum impediatur (1).

Venerabilibus fratribus Episc. Premisliensi et Leopoliensi Graeci Ritus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Vestrae ad nos delatae sunt literae scriptae die VII. iulii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu graeco ad ritum latinum. Uti bene nostis, VV. FF., nostri praedecessores hos transitus abhorruerunt, et nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem, sed conservationem ritus graeci summopere desideramus. Specialiter de prohibendo transitu Ruthenorum actum est coram nobis anno MDCCXLVIII., sed nulla fuit capta resolutio sub obtutu resistentiae factae a Rege Poloniae decretis Urbani VIII., in quibus transitus fuerat prohibitus. Quamprimum materia reassumetur, omnemque lapidem movebimus, ut nedum finali decreto transitus prohibeatur, sed etiam ut decretum suâ non careat executione. Et interea vobis, VV. FF., et gregibus vestrae curae commissis apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. septembris MDCCLI., pontif. nostri anno XII.

CXXX.

Altaria Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci in Ecclesiis tam fratrum, quam monialium eiusdem Ordinis, Indulgentiis ditat in perpetuum (2).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. Salvatoris Domini nostri Iesu Christi Aeterno Patri consubstantialis et coaeterni, qui pro redemptione generis humani de summo coelorum solio ad huius mundi infima descendere, et carnem nostram ex utero Beatae Mariae semper Virginis assumere dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris, et eius exempla sectantes, animabus Christifidelium defunctorum in purgatorio existentibus, quae per caritatem Deo unitae ab hac luce decesserunt, et piorum suffragiis iuvari meruerunt, opportuna de thesauro Ecclesiae auxilia subministrare studemus, ut illae, quantum divinae bonitati placuerit, adiutae ad caelestem patriam facilius pervenire valeant.

Concessas indulgentias confirmat et auget. § 1. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum, et monialium eiusdem Ordinis sub regimine, gubernio, et administratione fratrum huiusmodi existentium, in quarum nonnullis, ut accepimus, unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum ad omnes presbyteros, sive saeculares sive regulares, et in aliquibus etiam secundum altare privilegiatum similiter perpetuum et quotidianum, vel pro nonnullis feriis et diebus ad tempus nondum elapsum, quod per praesentes confirmamus et de novo concedimus, et quatenus secunda altaria huiusmodi ad tempus concessa sint, pro eisdem feriis et diebus pro quibus concessa reperiuntur, in perpetuum concedimus et declaramus, dictaque secunda altaria privilegio perpetuo, pro iisdem feriis declaramus: in earum vero reliquis, vel sine missarum numero, vel cum praescripto missarum praedictarum numero, ad solos dicti Ordinis presbyteros, vel ad omnes etiam saeculares et regulares, pro certis praescriptis feriis, iuxta missarum in illis celebrandarum numerum vel perpetuo vel ad tempus per nos, seu Romanos Pontifices praedecessores nostros, etiam iuxta decretum felicis recordationis Benedicti PP. XIII. praedecessoris nostri die IV. oct. MDCCXXVI. editum, concessum reperitur, quod per praesentes auctoritate apostolica revocamus, et in eis situm altare per dilectum filium Carolum Antonium Calvi modernum, seu pro tempore existentem Ministrum Generalem dicti Ordinis, semel tantum eligendum et in scriptis deputandum, quod se-

(1) Ex Ap. Bul. de P. F. p. 159 coll. Vide in secunda parte Decreta Congregationis de transitu ab uno ad alium ritum, et infra eiusdem Ben. XIV. const. *Allatae sunt,* et supra *Praeclaris Rom. Pont.*

(2) Ex collectione Cardinalis Valenti existente in domo professa Soc. Iesu Romae sub titulo — *Bened. XIV. Constitut. et Brev. tom. 1.*

mel electum et deputatum nunquam mutari, aut etiam ad tempus variari possit, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, supplicationibus quoque dicti Caroli Antonii ministri generalis, et dilecti etiam filii Michaelis Benedicti Oneti praedicti Ordinis procuratoris generalis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque sacerdos aliquis sive saecularis, sive dicti aut cuiusvis alterius Ordinis congregationis et instituti regularis, Sacrosanctum Missae Sacrificium pro anima cuiuscumque Christifidelis quoad ecclesias fratrum praefatorum, quo vero ad ecclesias monialium huiusmodi pro animabus monialium defunctarum, earumque consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu, et monasteriorum respective benefactorum dumtaxat, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad altare sic per dictum, seu pro tempore existentem, ministrum generalem dicti Ordinis semel tantum electum et deputatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; itaut, eiusdem Domini Nostri Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

Clausulae derogatoriae et confirmatoriae.

§ 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides adhibenda transumptis.

§ 3. Volumus autem, ut earumdem litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu et sigillo procuratoris generalis pro tempore existentis dicti Ordinis munitis, in quorum fine dictus minister generalis altare privilegio praedicto decoratum inscribere valeat et debeat, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. octobris MDCCLI., pontificatus nostri anno XII.

CXXXI.

Episcopis in Indiis occidentalibus concedit posse beneficia et officia curata saecularibus clericis, seu presbyteris, conferre, et non solum regularibus: confirmat regulas traditas de subiectione regularium curam animarum habentium, qui cumulative subsunt superiori regulari et Ordinario loci (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Instantia Regis catholici.

Cum nuper charissimus in Christo filius noster Ferdinandus Hispaniarum Rex catholicus, per dilectum filium nostrum Ioachimum S. R. E. presbyterum Cardinalem Portocarrero nuncupatum, ad sua suorumque regnorum negotia apud nos et Apostolicam Sedem gerenda specialiter deputatum, et voce et scripto nobis repraesentari curaverit, opportuna aliqua apostolicae auctoritatis nostrae providentia opus esse in Indiis Occidentalibus ipsius Regis dominio subiectis, super hoc, quod in iis regionibus parochiae, doctrinae, aliaque munia et officia ad animarum curam pertinentia, per regulares dumtaxat obtinentur et administrantur, in vim quarumdam literarum apostolicarum a recolendae memoriae praedecessore nostro S. Pio Papa die XXIV. martii anni MDLXII. editarum, et incipientium: *Exponi nobis;* quibus aliorum etiam Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum confirmationes accesserunt; ex quo fit, ut universus clerus saecularis illarum partium, quantumvis a multo iam tempore, et numero frequens et moribus, atque doctrina conspicuus esse dignoscatur, ab iisdem parochiis, doctrinis, caeterisque officiis, atque muneribus animarum curam concernentibus, omnino exclusus remaneat; qua quidem de re quum venerabiles fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi per easdem Indiarum regiones constituti, non semel apud ipsum Ferdinandum Regem conquesti fuerint; idcirco ipse, pro sua prudentia, magnopere expediens in Domino fore iudicaret, ut quamvis etiam eorumdem Antistitum votis et saecularis cleri rationibus obstarent praedecessorum nostro-

Soli regulares in Indiis Occid. animarum curam exercent, ex privilegiis apostolicis.

Clerus saecularis doctrina et numero auctus, non amplius ab ea excludendus videtur.

Episcopi idem sentiunt cum Rege catholico.

(1) Vide const. h. Pont. *Firmandis atque asserendis — Quamvis ad confirmandum*, et inf. Leonis XIII. *Romanos Pontifices.*

rum Romanorum Pontificum constitutiones, nos, hodierni temporis circumstantias perpendendo ab illis longe diversas, quibus huiusmodi provisiones emanarunt, eisdemque constitutionibus derogando, praedictis Archiepiscopis et Episcopis liberam facultatem concederemus, ut dictas parochias, doctrinas, aliaque munia et officia ad animarum curam spectantia, regularibus personis hucusque conferri solita, in posterum etiam saecularibus clericis seu presbyteris conferre libere et licite possent: nos, omnibus mature perpensis, quum regiam hanc petitionem non modo sacris canonibus, sed etiam praedicti Sancti Pii Pontificis menti et dictorum praedecessorum nostrorum ac Sedis Apostolicae institutis conformem agnoverimus; hanc rem eiusmodi esse gaudemus, ut liceat nobis ea verba usurpare, quibus olim magnus praedecessor noster Innocentius Papa III. Castellae Regem est alloquutus: *Cum personam tuam, inter christianissimos Reges et catholicos Principes, speciali dilectionis praerogativa in Domino amplexemur, preces ac petitiones tuas, in quibus possumus, libenti animo exaudimus, et ad ea gratulanter intendimus, quae serenitati regiae novimus complacere,* ut videre est in ipsis Pontificis epistolarum *Regest. XIII., lib. I., epist. IV.*

Pontifex in eamdem sententiam descendit.

Regulares veteri iure animarum curae capaces erant.

§ 1. Sane, quemadmodum negari nequit, ex veterum canonum lege, monachos et regulares ecclesiarum parochialium regiminis capaces fuisse; de quo diserte pronunciat Innocentius III. in sua decretali: *Quod Dei timorem. Tit. de statu monachor.* per haec verba: *Et per antiquos canones, etiam monachi possunt ad ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent praedicationis officium, quod privilegium est, exercere:* ita certum nunc est, ex recentiori canonica disciplina, interdictum esse regularibus parochialem curam assumere sine dispensatione apostolica; quae dispensatio a Romano Pontifice non aliter concedi solet, quam si pro ea instet Episcopus; ab Episcopo antem sollicitanda non est, nisi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat: qua de re rescriptum adest Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, relatum a celeberrimo scriptore Fagnano *in commentar. ad cit. cap.* Quod Dei timorem, *num. 17, de statu monachor.* in haec verba conceptum: *Cum fuerit requisitum, an regularis possit praefici curae animarum ab Episcopo, sine dispensatione apostolica; Sacra Congregatio Concilii censuit, non posse, nisi accedente dispensatione; quae non videtur concedenda, nisi instante Episcopo, pro necessitate vel utilitate Ecclesiae.* In eamdem sententiam deinceps alia complura decreta prodierunt a Summis Pontificibus confirmata. Quibus inter se collatis, nostroque diuturno studio et labore diligenter ponderatis, ad definiendam veterem controversiam super capacitate canonicorum regularium *Lateranensium et Sanctissimi Salvatoris* nuncupatorum, ad obtinenda beneficia curata et residentialia, apostolicam constitutionem septimo idus iulii anno domini MDCCXLV. edidimus, incipientem: *Quod inscrutabili,* quae in bullario nostro impressa est, *tom. I., num. CXXXV.,* atque etiam, una cum dissertatione super hoc a nobis exarata, inserta fuit a diligentissimis editoribus *in commentariis Ioannis Baptistae Rigantii ad regulas Cancellariae Apostolicae:* (1) in qua nempe constitutione decretum fuit, praedictos canonicos, utque veros regulares, apostolica dispensatione indigere, ut huiusmodi beneficia assequantur; tametsi *a sanctorum monachorum consortio non seiuncti, regulae inserviant laxiori;* ut de ipsis loquitur praedictus Innocentius praedecessor, in citato *cap.* Quod Dei timorem, *de statu monachor.*

Sed nunc dispensatione ad id opus habent.

Non concedenda, nisi ad instantiam Episcopi.

Quid decretum de canonicis regularibus, licet laxiori regulae inservientibus.

Privilegium S. Pii V. ob defectum presbyterorum concessum fuit.

§ 2. Ab hac norma minime recessisse putandus est laudatus praedecessor Sanctus Pius V., dum, per suas allegatas literas: *Exponi nobis,* religiosos viros ad parochias assequendas in partibus Indiarum maris Oceani, aliaque parochialia munia exercenda, habiles reddidit; sed hanc suam concessionem ea ratione constabilivit, quod scilicet ipsi regulares eo usque in dictis partibus officio parochi functi fuerant; additis sequentibus verbis: *propter presbyterorum defectum.* Quibus nimirum verbis satis ostenditur, huiusmodi literarum dispositionem locum habere dumtaxat, ubi desint, nec haberi possint, presbyteri saeculares ad animarum curam exercendam idonei, iuxta declarationem editam a felicis recordationis praedecessore nostro Innocentio Papa X. per literas apostolicas datas die XV. maii anni MDCXLVII., et in Bullario Romano relatas *tomo V.* inter eius Pontificis consti-

Eoque defectu permanente, vim suam retinere censendum est.

(1) Controversia super capacitatem Can. Reg. ad Beneficia saecularia ab auctor. tractata.

tutiones *n. XXXII.*, quarum initium est: *Cum sicut accepimus;* ubi de hac ipsa piana constitutione loquendo, statuit *illam non suffragari, nisi in locis, ubi est defectus parochorum.*

Instantia ex parte Episcoporum alias proposita, cui sine rescripto dimissa fuerit.

§ 3. Haec olim per nos ipsos, dum in minoribus constituti, Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum secretarii munere fungebamur, latius deducta fuerunt, occasione propositionis cuiusdam causae *Mexicanae,* quae diebus quarta iulii et octava augusti an. MDCCXXII. in eadem Congregatione discussa fuit, ut videre est in *tomo 11. Thesauri resolutionum* dictae Congregationis Concilii. Et quamvis ad instantiam tunc existentis Archiepiscopi Mexicani, contendentis liberam sibi fieri facultatem, ut parochiales ecclesias atque doctrinas, quas regulares privativo iure sibi vindicabant, conferre posset etiam presbyteris saecularibus, quos magno numero, et requisitis qualitatibus praeditos, in sua dioecesi adesse asserebat, nihil tunc definitive rescriptum fuerit: nihilominus hanc generaliter sententiam ab ipsa Congregatione admissam receptamque meminimus, ac pro certo testamur; quod nempe, deficientibus tantummodo presbyteris saecularibus, praedicta piana constitutio locum habere deberet. Ideo autem nullum in ea causa decretum tunc editum fuit, quia, quum praedicta piana constitutio ad instantiam Regis catholici primum emanaverit, et omnes Indiarum Occidentalium regiones comprehendat, nihil prudenter decerni posse visum fuit, nisi et decreta desuper edenda ad catholicorum Regum notitiam deducerentur, et non solum quid Mexicanae dioecesi, sed etiam quid aliis Indiarum ecclesiis atque dioecesibus contingeret, et magis opportunum foret, certis relationibus innotesceret.

Eidem annuendum nunc plura suadent.

§ 4. Quare, quum hodie ex parte ipsius Regis catholici opportuna super hoc providentia requiratur; hanc vero Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Ordinariorum dictarum regionum preces vehementer exposcant; cumque huiusmodi preces, et canonicis sanctionibus consentaneae, et ipsius Sancti Pii praedecessoris menti minime adversantes, et huius demum Apostolicae Sedis sensui institutoque conformes esse dignoscantur; cum denique aequum non sit, ut eiusmodi privilegium, quod eo tempore concessum fuit, quum in Indiis Occidentalibus presbyterorum saecularium copia non aderat, his etiam temporibus parem vim habeat, dum cleri saecularis numerus satis amplus ibidem existit, pluresque sacerdotes saeculares ad animarum curam idonei, caeterisque optimis dotibus instructi reperiuntur: idcirco nos, praedicti charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis catholici instantiae libenter annuentes, ac etiam motu proprio et certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, praesentium literarum tenore, praedictis venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis dilectis filiis, in Indiis Occidentalibus constitutis, permittimus et concedimus, ut, non obstantibus praemissis Sancti Pii V. praedecessoris literis, aliisque in earum confirmationem ab hac eadem Apostolica Sede emanatis (quibus etiam, quatenus opus sit, earumdem praesentium serie ac dictis motu, scientia et potestatis plenitudine derogamus), saeculares clericos seu presbyteros quoscumque, quos scilicet, praevio examine, iuxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles repererint, ad parochias, doctrinas et alia quaecumque munia et officia ad animarum curam pertinentia, prout ipsis opportunum in Domino visum fuerit, admittere et assumere, eisque etiam parochiales ecclesias huiusmodi, aliaque ecclesiastica perpetua beneficia, quibus animarum cura imminet, in titulum conferre, dictosque presbyteros seu clericos de illis providere possint et valeant; ad quem effectum nos ipsis necessarias omnes et opportunas facultates concedimus et impertimur.

Episcopis et locorum Ordinariis permittitur, ut beneficia et officia curata saecularibus clericis, seu presbyteris conferre possint, contrariis non obstantibus.

Regulares in huiusmodi officiis perseverantes, vel ad ea deinceps assumendi, canonicam subiectionem Ordinariis praestare debent.

§ 5. Quia vero ex hac concessione nostra minime sequetur, quin regulares praedicti plures adhuc parochias atque doctrinas, in Indiarum Occidentalium regionibus, et in praesens retinere, et in posterum adipisci valeant; aliunde autem nobis relatum est, nonnullos huiusmodi regulares animarum curam exercentes contendere, se Episcopis et Ordinariis locorum, *in officio officiando* dumtaxat, ut ipsis loquuntur, subiectos esse; ideo nos ad quarumcumque inordinationum pericula avertenda, rectaeque disciplinae leges asserendas intenti, dicimus et declaramus, huiusmodi regulares curam animarum gerentes, in iis quidem, quae concernunt eorum regularis instituti observantiam, Episcopo nullatenus subiectos esse, sed a suis superioribus regularibus quoad haec privative dependere; in his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum, vel etiam ad

eorum vitam et mores pertinent, nos ipsarum praesentium tenore declaramus, eosdem regulares etiam Episcopis aliisque locorum Ordinariis subiectos esse; ideoque ab eisdem Episcopis et Ordinariis, eorumque visitatoribus, aeque ac a suis regularibus superioribus, in his omnibus corrigi possunt: siquidem impossibile non est, ut alicuius ex ipsis vitae ratio talis esse dignoscatur, quae cum animarum regimine minime conveniat, et fidelibus parochiae subditis spirituale detrimentum et scandalum pariat. Hoc idem, canonicis sanctionibus et Concilii Tridentini decretis inhaerentes, iamdudum statuimus atque decrevimus, per nostras sub plumbo literas datas duodecimo kal. decembris anni MDCCXLIV., quarum initium est: *Firmandis atque asserendis,* et impressae sunt in bullario nostro *tom. I., num. CIX.,* quae, cum ad Indias etiam Occidentales se extendant, ibidem quoque executioni mandari debent, et inviolabiliter observari: quod idem decernimus de duabus regulis in eadem constitutione nostra, ex Apostolicae Sedis decretorum auctoritate, constitutis; quarum una est, quod in omnibus rebus, in quibus regulares animarum curae praepositi, Episcoporum simul et regularium praelatorum iurisdictioni cumulative subsunt, si aliter ab uno, aliter ab alio superiore iudicari contingat, Episcopi iudicium regularis superioris iudicio semper praeferri debet: altera vero est, quod, quum regulares nonnisi cum amovibilitatis qualitate animarum curam exercere valeant, tam Episcopus, quam regularis praelatus, quoties ita in Domino expedire iudicaverint, regularem parochum ab huiusmodi cura valent removere; ita ut neque regularis superior compelli possit huiusmodi remotionis causas Episcopo significare, neque Episcopus ad similem remotionem procedens, regulari praelato notas facere teneatur causas, quibus ad id adductus fuerit.

Ad formam literarum, quas vide supra tom. I., num. 109.

Ordinarii quomodo praesenti concessione uti debeant.

§ 6. Quoniam vero fieri alicubi potest, maxime autem in novis populorum ad fidem reductionibus, ut regulares parochos mutare, etiam cum saeculares sacerdotes non desint, minime expediat; idcirco nos eorumdem Episcoporum aliorumque Ordinariorum praesulum prudentiam admonemus, ut in huiusmodi circumstantiis, et ubicumque res optime constitutas invenerint, nec ullam eas immutandi necessitatem revera adesse compererint, ab innovationibus abstineant; et tam hoc iure, quod ipsis competere asseruimus, quam ea facultate, quam nos eisdem per has nostras literas impertiti sumus, ita utantur, quemadmodum aequitatis ratio et animarum utilitas, ad quam unice respicere debemus, requirent ac suadebunt; super quo nos eorumdem Episcoporum et ordinariorum praesulum conscientiam oneramus.

Ordinariorum examen et approbatio necessaria in cuiuslibet deputatione ad animarum curam.

§ 7. Denique, ne quis umquam, aut ullibi, cuiuslibet Ordinis aut Instituti regularis, ad animarum curam exercendam, sine praevio examine et approbatione Episcopi seu Ordinarii localis assumi possit, earumdem praesentium serie statuimus atque decernimus; prout alias statutum decretumque per nos fuit, tam in praecitatis nostris literis, quam in aliis quinto kalendas martii anni ab Incarnatione Domini MDCCXLV. editis, et in bullarii nostri *tom. II., n. I.* impressis, quarum initium est: *Quamvis ad confirmandum;* quaeque et iisdem sacrorum canonum ac Tridentinae Synodi, necnon provincialium et synodalium Conciliorum in ipsismet Indiarum regionibus habitorum, sanctionibus innixae sunt, et tam ad Occidentales quam ad Orientales Indias se protendunt, ac utrobique inviolabilis legis vim obtinere debent.

Clausulae salutares, et decreta opportuna.

§ 8. Praesentes quoque literas, et in eis contenta quaecumque, nulla umquam ex causa, colore et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis ius vel interesse habentes, aut habere praetendentes, cuiusvis status aut Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut consensus interesse habentium, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam et iudicium vocari, etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris, aut restitutionis in integrum, adduci posse; sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari, atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari, volumus et decernimus: sicque, et non aliter, in praemissis iudicari et censeri per quoscumque ordinarios et delegatos iudices, etiam causarum

palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Legatos seu Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros; sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate; ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium iudicari et decerni, seu scienter vel ignoranter attentari, contigerit.

Derogationes speciales et generales.

§ 9. Non obstantibus praedictis Sancti Pii Papae V., aliisque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in eorumdem confirmationem, etiam in forma specifica, editis literis, nostraque et Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis seu in universalibus, provincialibus aut synodalibus Conciliis editis generalibus aut specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon quarumcumque ecclesiarum seu Ordinum, Congregationum et Institutorum, etiam specialiter exprimendorum, quantumvis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut sub quibusvis formis et verborum tenoribus, seu clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, aut ad regum aliorumque supremorum principum instantiam, vel peculiarium quorumcumque meritorum intuitu, aliove titulo, etiam oneroso, quibuscumque personis, collegiis, locis, Ordinibus etiam militaribus, Congregationibus, Societatibus et Institutis, etiam Societatis Iesu, vel Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet, in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, eorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro expressis, insertis ac specificatis habentes, pari motu et apostolicae auctoritatis plenitudine, ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, eaque respective, quatenus praesentibus adversantur, de medio tollimus et abolemus per praesentes.

Exemplorum fides.

Quarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem ubique locorum et gentium in iudicio et extra haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Sanctio.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae permissionis, concessionis, facultatum impertitionis, declarationis, innovationis, admonitionis, derogationum, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, sexto idus novembris, pontificatus nostri anno duodecimo.

CXXXII.

Confirmatis dispositionibus traditis sua ep. Postremo mense, *de oblatione infantis filii vel impuberis religioni christianae ab uno parente iudaeo ad fidem converso, invito altero in iudaismo permanente, idem docet fieri posse tam ab avia quam ab avo, etc.*

Epistola ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi Congregationis S. Officii Assessorem,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Pontifex alias docuit, quinam ius habeant offerendi infantes ad baptismum.

Probe te meminisse arbitramur, nos in epistola nostra *die* XXVIII. *mensis februarii anni* MDCCXLVII. ad venerabilem fratrem Vicarii Urbis Vicesgerentem, Tarsensem tunc temporis Archiepiscopum, nunc autem Constantinopolitanum Patriarcham, conscripta, quae typis excusa, deinde in secundum Bullarii nostri tomum inserta fuit, definiisse, patrem, qui ex iudaica perfidia ad christianam fidem conversus sit, posse filium suum infantem vel impuberem, iudaea matre licet dissentiente, sanctae religioni nostrae initiandum offerre; matri etiam Christi fidem amplexae hanc eamdem potestatem inesse, quantumvis pater in iudaismo perseverans contradicat; praeterea huiusmodi offerendi ius ad tuto-

res pertransire; illiusque paternum quoque avum participem esse, qui, secundum opinionem, quae tribunalium decretis pluries rata habita et confirmata est, nepotem infantem vel impuberem sanctae religioni christianae valide offert, etiamsi vel pater vel mater, aut etiam utrique in iudaismo permanentes, contradicant. Qua quidem de re omnia in eadem epistola nostra plene discussa et comprobata reperiuntur.

Nunc definiendum, an avia neophyta nepotes infantes valide offerat, dissentiente matre et tutoribus iudaeis.

Verum, quia nulla ibidem paternae aviae facta mentio est, num videlicet haec nepotem infantem, vel impuberem, parentibus etiam illius ac tutoribus contradicentibus, sanctae religioni nostrae offerendi ius haberet; eventus nuperrime contigit, qui de hac quoque re nobis agendi occasionem praeberet. Iudaeus etenim cum decesserit, ac filios duos uxoremque gravidam reliquerit, eamdemque uxorem tutricem constituerit, aliis etiam iudaeis tutoribus tam filiorum, qui nati, quam qui nascituri essent, nominatis; superstes avia paterna erat, christianam fidem iamdudum amplexa, quae sanctae religioni nepotes offerre volebat, et cuius pio proposito ac studio tam patrui, quam paternae amitae, iudaei scilicet prius defuncti fratres et sorores, qui antea pariter sanctum baptismum receperant, adhaerebant. Cum itaque controverti coeptum sit, num huiusmodi oblatio acceptari possit ac debeat, ea in praesens quaestio necessario instituenda est, quae in altera epistola plane praetermissa fuit; exacteque discutiendum, num avia nepotes offerendi potestatem habeat, et num ea oblatio acceptanda, quamvis tam mater tutrix, quam alii tutores iudaei contradicant. Hoc controversiae caput argumentum erit praesentis epistolae nostrae, quam tibi, dilecte fili, directam volumus, quoniam in Sanctissimae Inquisitionis Tribunali, in quo assessoris officium laudabiliter sustines, eadem res inter consultores primum, tum inter Cardinales coram nobis examinata est, omnibus ante perlectis, quae a viris expertissimis pro utraque parte scripto deducta fuerunt.

Dubitatur praecipue propter defectum patriae potestatis.

§ 2. In huius autem quaestionis examine occurrit statim nobis difficultas huiusmodi. Nemini quod suum non sit, licite offerendi potestas est; neque eam oblationem, si fiat, recipere ullo modo licet; non igitur ea oblatio recipienda est, per quam infans in iudaismo natus sanctae religioni initiandus offertur, nisi ab eo fiat, qui eam in ipsum auctoritatem habeat, quae patria potestas appellatur. Quare cum paterna avia in filios filii sui patria potestate minime praedita sit, primo statim intuitu visum est nobis legitime inferri posse, neque illi potestatem esse nepotes infantes aut impuberes licite offerendi, neque oblationem ab ea factam licite acceptari posse, praesertim cum mater tutrix contradicat, eique assentiantur tutores eidem matri a genitore adiuncti.

Parentes olim filios impuberes tam in clerum, quam in statum regularem adscribendos offerebant.

§ 3. Neminem sane, nisi ecclesiasticae historiae admodum imperitum, ignorare arbitramur, per plura saecula eam in Ecclesia disciplinam viguisse, qua genitores proprios filios impuberes non modo ecclesiasticae vitae, adeoque clericali statui, sed etiam monasticae disciplinae offerebant; quibus proinde filiis, etiam cum ad eam pervenerant aetatem, in qua bonum a malo discernendi facultas est, interdictum erat ab ea vitae conditione resilire, cui adhuc infantes vel impuberes a parentibus destinati fuerant; huiusmodi autem disciplinae moderationem paucis ab hinc saeculis inductam esse.

Monumenta de clericis factis ex oblatione parentum.

§ 4. Et quidem, quod ad eam spectat oblationem, qua infantes in clerum recipiendi, ac tonsura et lectoratu initiandi offerebantur, complura videre licet apud Morinum *de sacris ordinationibus, part. 3, exercit. 5, de tonsura clericor., cap. 3;* apud Martene *de antiquis Ecclesiae ritibus, tom. 2, lib. 1, cap. 3, num. 3;* Bosquetum *in notis ad epistolam Innocentii III. 136, lib. 1, regesto 14, pag. 151.* Nuperrime vero aureus annulus repertus est, quem, ut eius capacitas indicat, pro duorum aut trium mensium infante confectum fuisse oportet. In eo aliquot literae impressae erant, quibus infantem illum *Levitam* esse innuebatur; quod tamen non ita intelligendum est, ut illum diaconum fuisse credamus, verum tantummodo in clerum cooptatum fuisse, quemadmodum a viro erudito Patre Baldino in suis notis ad Anastasium, bibliothecarium, *tom. 4,* ad vitam Sancti Eugenii Papae *ad pag. 61 et seqq.* valde apposite demonstratur.

Item de monachis.

§ 5. De illa autem oblatione, per quam pueri monasterio dicabantur, inter caeteros pater Mabillonius *in sua praefatione ad saeculum sextum Benedictinum, num. 36* quamplurima edisserit; item Muratorius *tom. 5 Antiquitatum Italiae medii aevi, dissertatione 65, col. 380 et seqq.* Alia, quae ad huiusmodi rem pertinent monumenta a Gratiano *ad causam 20, quaest. 1*

collecta habentur. Idem autem antiquo etiam Concilii Toletani adagio comprobatur, quod a Clemente III. in decretali sua: *Cum virum, de regularibus*, pariter usurpatum invenitur, quod scilicet *monachum aut paterna devotio, aut propria facit professio.* Dartis *in commentariis ad decretum Gratiani, part. 2, causa 20, quaest. 1,* omnia, quae ibi continentur, ita in compendium redigit: *Olim pater poterat filium suum impuberem monasterio delegare et tradere, nec liberum illi reverti ad saeculum.* Si quis autem super huiusmodi re plenius omnia cognoscere cupiat, consulere poterit Calmetum *super cap. 59 Regulae Sancti Benedicti,* et Haeftenum *in part. 2 Disquisitionum monasticarum, lib. 4, tract. 2, disquis. 5.*

Quo tempore et quatenus huic disciplinae modus impositus.

§ 6. Disciplina huiusmodi ad usque Coelestinum III. permansit, qui Pontifex eidem moderamine adhibito, decrevit, puerum monasterio oblatum, cum ad discretionis annos pervenerit, interrogari debere, num illi remanendi an abeundi voluntas sit; eumque, quoties abeundi animum habeat, nullatenus ad remanendum cogi debere. Ita in decretali ipsius *in cap. Cum simus, de regularibus,* videre est, cum qua Innocentius III. *lib. 15, epist. 116* ad Episcopum Lugdunensem conscripta etiam concordat. Coelestinum III. disciplinae illi modum imposuisse dictum a nobis est; eo quod non omnino ac penitus eamdem sustulerit aut abrogaverit; quin immo hodiernis etiam temporibus, quoties non obstent peculiares regularium ordinum sive institutorum constitutiones, de quibus agit Fagnanus *in cap. Cum virum, de regularibus,* aut recentiores pontificiae constitutiones, quae certam aetatem praestituunt pro illis, quibus intra monasterii septa pernoctandum sit: quod spectat ad ius canonicum decretalium, nequaquam vetita est (salva semper Concilii Tridentini observantia quantum ad aetatem ac tempus tyrocinii et professionis) ea oblatio, qua filii impuberes monasticae vitae offeruntur. Ex huiusmodi autem oblatione tres effectus existunt: primo, quod filius impubes a religione recipi potest; deinde, quod parenti patria uti potestate, ut eumdem ad saecularem statum revocet, amplius integrum non est; denique, quod, etiamsi filio impuberi ante pubertatis annos religiosa claustra deserere minime permissum est, quod ipsi tamen facere licet, ubi eam attigerit aetatem, in qua potestatem habet ut de se ipso disponat, potest nihilominus religio proprio iure uti, ut etiam ante pubertatis annos eumdem dimittat, dummodo in eo recipiendo ea se obligatione non obstrinxerit, ut usque ad dictum tempus eumdem retineret, quemadmodum valde apposite Suarez *de Relig., tom. 3, lib. 5, cap. 1, num. 13* edisserit. Eadem de sponsalibus dicenda, quae pro filiis impuberibus ab eorum parentibus fiunt. Secundum veterum canonum praescriptum, filii, etiam postquam ad puberem aetatem pervenerant, ea servare tenebantur, quemadmodum colligitur ex decretali, quae Pontifici Hormisdae attribuitur, et quae *in cap. Tua fraternitas sub tit. de desponsatione impuberum* refertur: *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cuius discerni non potest) pater, cui vult, matrimonio tradere; et postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc adimplere.* Verum pontifex Bonifacius VIII. in sua decretali, cuius initium: *Infantes,* et quae in titulo *de Dispositione impuberum, lib. 6,* unica est, antiquas canonicas dispositiones moderatus est, statuitque, impuberes postquam ad pubertatem pervenerint, nequaquam obligari ad ea adimplenda sponsalia, quae a parentibus eorum facta sint, nisi eadem, postquam puberes evaserint, aliqua ratione approbent: *Nisi per cohabitationem eorum mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum, liquido appareat, eosdem in eadem voluntate, factos maiores septennio, perdurare.*

Idem ius fere obtinet in sponsalibus impuberum.

Ius praedictarum oblationum in patria potestate fundatur.

§ 7. Tam antiquis autem, quam hodiernis temporibus non defuere, qui disciplinam illam auderent improbare, secundum quam, ut dictum paulo ante est, impuberi filio monasticae vitae a parentibus oblato, amplius illam deserere interdictum erat. Rhabanus in libro ad Ludovicum Imperatorem conscripto invehitur in eos, a quibus id affirmabatur, contenditque, eos id asserere, quod sit *contra superiorum saeculorum sententiam, immo etiam contra Conciliorum et Pontificum decreta.* Idem argumentum hac nostra aetate a Ioanne Petro Gibert. *tom. 2 sui Corporis iuris canonici, tit. 23 de Ecclesia ad sect. 4* pertractatum est. Hanc eamdem causam Ugo Menardus *cap. 66 concord. reg.* agendam suscipit, statuendo ius illud, per quod filiorum ad monasticam vitam oblatio fit, in effroenata patria potestate fundatum esse: *Dico hoc ius esse a naturali potestate, quam habent parentes in liberos, qui*

possunt eos etiam vendere necessitatis causa; ergo etiam devotionis causa Deo offerre in perpetuum eius obsequium, tam pro salute sua, quam liberorum; modo id fiat pura intentione et devotione. Quae quidem ratio admitti posse videtur, dummodo veteri illi patriae potestati non innitatur, adeo effroenatae, ut eius vigore licitum esset patri non modo filium venumdare, sed etiam occidere, si ita ei collibuisset, quemadmodum apud Sigonium *de Iure antiquo civium romanorum, ad c. 10,* videre est; sed alteri potius mitiori patriae potestati, quam Romani adoptarunt, postquam a Graecis, cum bonarum artium disciplina, morum etiam humanitatem et cultum didicerunt, quae potestas restricta fuit ad moderatam in filios coercitionem, reservata magistratibus severiori, quando ea opus foret, et ad omnimodam dispositionem status filiorum, et vitae generis atque conditionis, quam usque ad exitum servare et profiteri deberent. His eisdem limitibus definita fuit apud Iudaeos patria potestas super filios ac filias, cum *cap. 11 lib. Iudicum* legatur, Iephte votum Domino vovisse, si eidem datum esset superare filios Ammon, quicumque primus de domo ipsius egrediens sibi redeunti occurrisset, eum se holocaustum Domino oblaturum; cum autem prima eidem occurrisset unigenita ipsius filia, votum adimplere non omisisse, atque eam Deo immolasse. Sane inter sacros interpretes disputatio et controversia est, num Iephte, huiusmodi votum faciendo et adimplendo, peccatum commiserit, necne. S. Thomas *in 2-2, qu. 88, art. 2 ad secundum* considerans, Iephte in epistola ad hebraeos *cap. 11* in Sanctorum catalogo poni, probabile esse ait, Iephte peccati sui poenitentiam egisse: *Probabile est, eum poenituisse de facto iniquo.* Eisdem vestigiis insistit Suarez *tom. 2 de Religione ad lib. 2, cap. 10, num. 12: Factum illud contra legem naturalem erat, et contra legem scriptam Exodi 20 de non interficiendo innocente, quae procedit et obligat etiam titulo religionis et voti, quia pater non est dominus vitae filiae, ut illam vovere aut sacrificare possit.* Atque hisce quidem comprobatum videmus, patriae auctoritati ac potestati apud iudaeos ius vitae et necis supra filios nequaquam adnexum fuisse. Alii porro sunt, qui Iephte a peccato excusant, vel quod eumdem Spiritus Sancti instinctu, qui praecepto aequipolleat, votum fecisse, atque adimplevisse dicant (quod nihil facit ad rem, de qua hic agitur); vel quod is filiae suae non naturalem mortem, sed civilem dederit, eamdem ab hominum commercio segregatam Deo consecrando, ac perpetuae virginitati destinando. Quidquid sit de hac opinione, nos eam in medio relinquimus, utpote quam communi patrum et interpretum sententia improbari videamus, quemadmodum tum in dissertatione Calmeti super hac materia, tum in Suarez *loco citato,* tum docte admodum in Sylvio *in Commentariis supra 2-2, quaest. 88, art. 2, conclus. 7,* videre est. Verum ex eadem ipsa opinione comprobare posse videmur, etiam apud hebraeos liberam fuisse patri facultatem, ut filium certae vivendi rationi destinaret, in qua eidem usque ad vitae finem permanendum foret; cum neminem deprehenderimus, qui ideo opinioni illi refragetur, propterea quod pater apud iudaeos talem auctoritatem minime haberet; sed quod illiusmodi interpretatio literali divinae scripturae sensui contraria videatur.

Patria potestas iustis limitibus definita apud hebraeos viguisse probatur.

Factum Iephte, quomodo accipiatur, hoc indicat.

§ 8. Ius igitur filios impuberes claustro sive monasterio offerendi, vel cum obligatione perpetuo ibi manendi, vel cum facultate abeundi, si, cum ad pubertatem pervenerint, oblationem de se factam minime confirment, patriae potestati atque auctoritati innixum est, quemadmodum apposite a S. Thoma *in quolibet 4, quaest. 12, art. 33, § Primo ergo,* indicatur: *Pueri ante annos pubertatis ex naturali iure sunt sub cura parentum, propter hoc quod patiuntur discretionis defectum, secundum quem possint bene regere seipsos; ideo in hac aetate possunt quidem religioni tradi, si a parentibus offerantur, et erit rata traditio, praecipue si, cum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habuerint paternam oblationem.* Huic disserendi rationi praedecessoris quoque nostri Clementis IV. decretalis epistola cohaeret, *die* XXVII. *aprilis* MCCLXVII. Viterbii data, et abbatibus, abbatissis, prioribus et guardianis Praedicatorum, Minorum, Cisterciensium et Praemonstratensium de Montepessulano, et illius suburbiis, directa, quae inter eiusdem Pontificis epistolas 452, numeratur *tom. 2 Thesauri Anecdotorum* a Martene collecti, *col. 459.* Nihil sane pro recto moderamine rerum tam bene atque utiliter potest esse provisum, quod tractu temporis malitia hominum pervertere conetur. Perlatum ad dicti Pontificis aures

Oblatio ad monasterium fieri debet ab eo, in quo residet patria potestas, aut eius exercitium.

est, eum tunc temporis abusum invaluisse, ut oblationes impuberum ad monasteria, a quacumque persona fierent, promiscue acceptarentur, idque privati commodi et emolumenti gratia, ut scilicet monasteria bonis illis potirentur, quae ad impuberem oblatum spectabant. Apostolicus Pontificis zelus tam gravi incommodo obviam ire non praetermisit, edixitque, ut impuberes nequaquam reciperentur, nisi oblatio a patre et matre fieret, aut a tutoribus, qui in iis, quae pertinent ad pupillorum curam aut dispositionem, in ius paternum succedunt: ***Absque voluntate parentum et tutorum suorum.*** Ab hoc etiam proposito non aliena ea quaestio est, quae a pontificii Iuris peritis discutitur, utrum scilicet, si filius a patre sine consensu matris, vel si a matre sine patris consensu, offeratur, talis oblatio legitima sit, atque acceptari possit: in qua quaestione, quamquam sunt, qui neutram harum oblationum legitimam esse contendunt, ex legalis adagii vi, quod ***in re communi melior est conditio prohibentis;*** magis tamen probanda est ea opinio, quae paterno iuri omnimode favet, cum in patre, non autem in matre, patria potestas resideat; quemadmodum videre est apud Cardinalem de Turrecremata ***in commentariis super Can.*** Addidistis, ***n. 2, 20, quaest. 1.*** Quod si quis illud obiiceret, Annam Elcanae uxorem obtulisse Deo in templo inter manus sacerdotis Heli Samuelem filium suum, postquam ablactatus fuit, eo quod de ipso ita Domino spopondisset: ***Dabo éum Domino omnibus diebus vitae eius,*** quemadmodum ***in lib. 1 Regum, c. 1,*** habetur; facile esset respondere, id quidem ab Anna, sed cum Elcanae viri sui ac respective patris consensu, factum fuisse, iuxta id, quod a Tostato ***ad quaest. 22*** pluribus comprobatur: ***si autem sola fuisset in voto, non tenuisset;*** quod etiam Calmetus confirmat.

Ideo ab auctoribus præcipua patris ratio habetur; matris vero vix ulla.

Hinc avia ab eo iure exclusa, multo minus videri posset nepotes ad baptismum valide obtulisse.

§ 9. Quorsum nostra haec omnis pertineat ratiocinatio, minime tibi obscurum esse potest; cum enim ex ea colligi possit, legitimam impuberum oblationem patriae potestatis sequelam esse, cumque paterna avia ea potestate minime praedita sit, ius offerendi nepotem ex filio nunquam ad eam pertinere potest; si autem id paternae aviae, cum de nepote ad claustrum sive monasterium offerendo agitur, interdictum est, potiori ratione interdictum illi esse debebit huiusmodi nepotem ad baptismum offerre: etenim, secundum recentiorem disciplinam, ut supra dictum est, impubes, qui monasticae vitae oblatus est, cum ad pubertatem pervenerit, religiosum Institutum deferendi libertatem habet; sed infanti aut impuberi iudaeo ad baptismum oblato et baptizato, in christiana fide permanendum omnino est, et, si cum ad pubertatem pervenerit, contra facere praesumat, canonicis poenis punietur, secundum Bonifacii VIII. Decretalem, cuius initium ***Contra,*** sub titulo ***de haereticis, in sexto.*** Verum quia huiusmodi argumentationi illud valide opponendum occurrit, permultum scilicet discriminis inter claustrum ac baptismum intercedere, cum sine priori aeterna salus obtineri possit, quae sine altero neutiquam sperari potest; de baptismo dispiciendum nobis hoc loco est, ac demonstrandum, omnia quaecumque dicta sunt de oblatione ad monasterium, habere locum etiam cum agitur de oblatione ad baptismum.

§ 10. Res haec, de qua quaerimus, tam a theologis, quam a pontificii iuris peritis pertractatur, quinam videlicet sint, qui filios infantes, vel impuberes, christianae religioni et sancto baptismati offerendi ius habeant. Primo igitur loco, huiusmodi ius penes parentes esse affirmant, sive ii neophyti sint, sive etiam ethnici vel iudaei; dummodo si tales sint, fide bona ab eis oblatio huiusmodi fiat, et infantes baptizati apud christianos remaneant, neque illis, propter perversionis periculum, restituantur, quemadmodum a nobis in supracitata epistola ad Urbis Vices-Gerentem conscripta plurimis probatum est. Concordat S. Thomae doctrina ***in quodlibet 2, art. 7, in 2-2, quaest. 10, art. 12, et in 3 part., quaest. 68, art. 10,*** ubi docet, infantes infidelium sine parentum consensu nequaquam baptizari posse; eaque doctrina et ab aliis communiter recepta, et cum aliorum tribunalium ecclesiasticorum, tum etiam Supremae huius Inquisitionis, sententiis atque iudiciis roborata et confirmata est, ut etiam a nobis in eadem epistola desuper citata ***num. 4 et seq.*** demonstratum est.

Infidelium filii infantes invitis parentibus baptizari non debent.

Pater filios baptizandos offerre potest, etiamsi mater dissentiat.

§ 11. Secundo loco, iidem auctores docent, quoties maritus Christi fidem amplectatur, uxore in iudaismo remanente, si haec oblationi communis prolis ad baptismum repugnet, ius offerendi penes solum patrem remanere, cum non in matris, sed in patris, potestate, secundum civiles leges, filius sit; quam rationem etiam Pontifex Greg. IX. adduxit in celebri sua decretali

Ex literis, de conversione infidelium: *Cum autem filium in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam etc., respondemus, patri eumdem puerum assignandum.*

Idem definitum est de avo paterno, qui nepotes habet in potestate.

§ 12. Tertio loco, cum, Gregorio XIII. summum pontificatum tenente, controversia exorta fuisset, utrum paternus avus, qui christianam religionem amplexus, nepotem ex filio, dissentiente matre iudaea, baptizandum offerre volebat, id faciendi ius haberet; responsum decretumque est, avum, matre etiam dissentiente, offerre posse, adeoque oblationem illam admittendam esse, quemadmodum admissa fuit. Quae a nobis in citata epistola nostra *num. 17* relata et comprobata habentur. Huius quoque rei mentionem factam a Sylvio *in tom. 4, super 3 part. S. Thom., qu. 68, art. 10, conclus. 6* deprehendere licet, cuius verba huiusmodi sunt: *Gregor. XIII. dicitur statuisse, ut parvulus, quem avus paternus baptizari volebat, baptizaretur, invita matre iudaea, quae defuncto patri superstes erat; quia scilicet avus tanquam pater curam nepotum habet.* Neque vero desunt iudiciales sententiae a tribunalibus prolatae, quae a nobis *loco citato* indicatae sunt, per quas avo ius offerendi nepotes permittitur, non solum si, defuncto patre, mater repugnet, verum etiamsi utrique parentes superstites contradicerent; idque propter eam rationem, quod leges non tantum filium, sed et filii filium patriae potestati subiiciunt: *Qui igitur ex te et uxore tua nascitur, in tua potestate est: item, qui ex filio tuo et uxore eius nascitur, idest nepos tuus et neptis, aeque in tua sunt potestate, et pronepos et proneptis et deinceps caeteri,* ut habetur in institutionibus imperialibus, et *in l. 4 de his, qui sui vel alieni iuris;* et qui in familia nascitur, illius capiti, qui avus paternus est, subiectus remanet; filius vero, qui avi potestati subiectus est, alios in potestate habere non potest, quemadmodum *l. 5, eodem titulo* prosequitur.

Tutores etiam ius habent assentiendi et dissentiendi quoad baptismum pupilli.

§ 13. Quarto loco, auctores praedicti ius offerendi tutoribus attribuunt, sub quorum cura infantes et impuberes vivunt, cum pro eo, quod pertinet ad illorum educationem, patria potestas in ipsos transfusa sit; quare, quemadmodum de iure non licet, ut supra dictum est, infantes infidelium sine parentum consensu baptizare, ita neque sine tutorum consensu eosdem baptizandos offerre permissum est, ut etiam in citata Epistola nostra § 14 habetur; quod tamen a *Soto in 4 sententiarum distinct. 5, quaest. unica, art. 10, in 2 conclus. ad* § *Addit,* non libenter admittitur, cuius hic verba subiicimus: *Addit idem Paludanus, idem esse de puero utroque orbato parente, qui, renuentibus tutoribus, non est baptizandus: sed arbitror, non esse tam atrocem iniuriam, ac si parentes contradicerent.*

Hebræorum infantes in mortis periculo constituti, aut a parentibus abiecti, possunt a quocumque baptizari.

§ 14. Omittimus hic verba facere de eo casu, quum scilicet iudaei filius in extremo mortis discrimine constitutus sit, quo nempe casu, repugnantibus etiam parentibus, a quolibet ad baptismum offerri, et baptismalibus aquis ablui potest; idque ratione modici damni, quod ad parentes inde provenit, gravissimi autem aeternique praeiudicii, quod in prolem redundaret, nisi salutari lavacro regeneraretur, ut in citata epistola nostra *ad num. 8* disseruimus. Nec etiam hic agendum censemus de altero casu, si forte videlicet evenerit, ut iudaei filius a patre relictus ac destitutus sit; quem, invitis etiam parentibus, baptizandum offerre cuilibet permissum est, eo quod ipsi, propter destitutionem eiusmodi, patria potestate ceciderint, iuxta responsum praedecessoris nostri Gregorii IX. *in cap. 1 de infantibus et languidis expositis,* ubi ita legitur: *Si a patre, vel ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio), infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus:* cum iis, quae insuper a nobis in citata epistola *num. 9* deducta reperiuntur.

Domini filios servorum infidelium ad baptismum valide offerunt.

§ 15. Ex auctorum sententia, nequaquam denegatum dominis ius est offerendi filios mancipiorum suorum infidelium ad sacrum baptismatis fontem; qua de re licet S. Thomas expresse verba non fecerit, cum tamen idem *citatis locis* docuerit, filios eorum, qui apud christianos principes servitutem civilem serviunt, invitis parentibus, baptizari non posse, satis quidem dixisse putandus est, ut inferre liceat, eiusdem doctrinam esse, quod filii servorum, qui servi sint servitute poenali, possint a dominis ad baptismum offerri; quemadmodum apposite a Sylvio *loco citato ad conclus. 7* animadversum fuit, atque ante eum a Suarez *tom. 3, super 3 part. S. Thomae, q. 68, art. 10, disput. 25, sect. 5,* § *Dico secundo,* indicatum fuerat. Porro iudaei christianorum servi sunt, sed civili servitute, ut docet S. Thomas; et licet In-

Hebraei servitutem civilem serviunt apud christianos, non vero poenalem.

nocentius III. *in cap.* Etsi iudaeos, *de Iudaeis,* de eisdem affirmet, quod eos *propria culpa submisit perpetuae servituti,* cum tamen idem Pontifex subiungat, quod *pietas christiana eos receptat, et sustinet cohabitationem illorum,* satis indicat, se iudaeorum servitutem civilem innuere voluisse; quod etiam Vasquez *tom. 2, super 3 part. S. Thomae, qu. 68, art. 10, disput. 154, cap. 5 in fine,* probe animadvertit. Servi autem servitute poenali Turcarum filii sunt, bello capti, non autem filii christianorum; nam in bellis, quae christianos inter geruntur, iuris gentium rigor in eo dumtaxat, quod spectat ad res, non autem in eo, quod ad homines attinet, observatur; neque homines bello capti capientium servi fiunt, licet hostium res in hostis dominium transeant, qui eisdem potitur; ita in monumentis a Vinnio collectis *tom. 1 suarum institutionum civilium lib. 3, pag. 35* novissimae editionis Venetae habetur. Neque vero iuri illi, per quod domino licet filios servi sui, qui servitute poenali servus sit, ad baptismum offerre, patria genitoris potestas ullo modo officit: *Nam, qui serviliter domino subiicitur, est in potestate domini, tam ratione sui, quam aliarum personarum sibi coniunctarum, puta uxoris, aut filiorum, nec amplius in res suas dominium retinet; quin et potest a domino divendi. Loquimur hic de servitute proprie dicta, vi cuius dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas:* hisce verbis Hon. Tournely *in suis praelectionibus theologicis de sacramento baptismi* edisserit, *pag. 328* editionis Parisiensis *anni* MDCCXXVII.

Hinc tantum subiecti sunt infideles in bello capti, non autem christiani.

§ 16. Probe intelligimus, dilecte fili, nonnullos ex praecedentibus epistolae huius paragraphis praetermitti per nos potuisse, alterius epistolae nostrae ad Urbis Vices-Gerentem conscriptae, lectionem tibi proponendo, in qua ea omnia, quae in praemissis paragraphis summatim indicavimus, exposita plenissime sunt; verum ita faciendum existimavimus, tum maioris ordinis et claritatis gratia, tum ut uno aspectu legentibus tria exhiberentur: Primum quidem, quod ius ad baptismum offerendi ex patria potestate, tamquam ex origine, consequatur; alterum, quod cum avia paterna patriae potestatis expers sit, non ita facile sustineri posse videatur, eamdem habere ius offerendi nepotem, dum maxime iudaea mater tutrix, aliique pariter tutores dissentiant; postremum autem, quod sicut ob patriae potestatis defectum avia nequaquam ius habet nepotem ad monasterium offerendi, ita ex eiusdem patriae potestatis defectu ne illud quidem ius habere potest, ut eumdem offerat baptizandum.

Summa difficultatis capita, quae ex praemissis oriuntur.

§ 17. Atque haec ea difficultas est, quae nos non modo aliquandiu haerentes atque suspensos tenuit, verum etiam in eam partem proclives, ut paternae aviae oblationem repudiaremus. Verum, cum deinde animadversum a nobis sit, fieri aliquando posse, ut etiam extra circumstantias paulo ante indicatas, vel scilicet infantis in extremo mortis discrimine positi, vel eiusdem a parentibus deserti ac destituti, vel denique poenalis servitutis, liceat infantem et impuberem iudaeos baptizandos offerri ab eo, qui patriam super ipsos potestatem minime habeat; id tandem nobis persuasum remansit, quod, licet ius offerendi competat unicuique patriam potestatem habenti (quod argumentis desuper adductis satis comprobatum est), non tamen omnino alteri cuicumque, qui patriam potestatem non habeat, praeclusa remanet via, quo minus oblationem huiusmodi in aliquo peculiari casu facere possit.

Ex iis tamen non evincitur, ius offerendi unice provenire a patria potestate.

§ 18. Gregorius IX., sicut antea memoratum est, *in citato cap.* Ex literis, *de conversione infidelium,* decrevit, quod cum pater ad christianam fidem conversus esset, mater autem in iudaismo remansisset, filius patri assignari deberet, non autem penes matrem relinqui, propterea quod in illo, non vero in hac, patria potestas sita esset; idque eo vel magis, quod ita sanctae Religionis favor exigeret: *Cum autem filius in patris potestate consistat, cuius sequitur familiam, et non matris etc. in favorem maxime fidei christianae, respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Cum autem ibi nulla a Gregorio mentio habeatur de altero casu, cum scilicet mater ad Christi fidem conversa foret, pater vero in iudaismo permaneret; non tamen ea res ab auctoribus praetermissa est, iique omnes, debere tunc filium apud matrem remanere, atque huic ius ad baptismum offerendi competere, affirmant, licet ipsa potestate patria nequaquam praedita sit; idque tanta concordia inter se, ut, omni diligentia adhibita, neminem nobis reperire contigerit, a quo contrarium asseratur. Cardinalis Ostiensis *in commentariis super memorata Decretali:* Ex literis, *num. 13,* usque eo progreditur, ut Ponti-

Praelatio a iure concessa oblationi patris contra voluntatem matris.

Extensa est communiter favore matris offerentis invito patre.

ficem Gregorium dicat in decretali sua minus plene rem explicuisse: *Potuisset ergo dominus Gregorius hanc materiam plenius, brevius, et planius expedire, ut sic dixisset: Si quis duorum coniugum infidelium ad fidem conversus fuerit, in infidelitate alio remanente, liberi infantes converso adiudicentur.* Quod quidem Cardinalis Ostiensis dictum, tum ab Abbate *in commentariis super eamdem Decretalem ad num. 6,* tum a Petro de Ancharano *ad num. 17,* aliisque compluribus celebratur. Nobis vero, quod a Cardinali Ostiensi nimis fidenter dictum est, minime probari potest; sed duo hic dicenda occurrunt: primum, quod, cum ibi ageretur de patre ad christianam fidem converso, et matre in infidelitate remanente, eaque res ad Pontificis iudicium delata fuisset, non aliae Gregorii partes erant, quam ut ad rem propositam responderet; alterum, quod, cum ipse pro ratione definitionis suae favorem fidei adduxerit, iure ac merito responsum ab auctoribus est, quod a Gregorio in casu patris ad Christi fidem conversi, matre in iudaismo remanente, dictum fuerat, id ipsum in casu etiam matris conversae, et patris in iudaica perfidia haerentis, locum habere debere, cum in utraque facti specie idem religionis favor ita suadeat; idque eo vel magis quod in Concilio Toletano IV., quod *anno* DCXXXIII. sub S. Isidoro celebratum fuit, *ad Can. 63* in Collectione Conciliorum Hispaniae Cardinalis de Aguirre *tom. 2, pag. 489* expresse statutum decretumque reperitur, filium quidem sequi debere matris religionem, quoties ipsa ex iudaea, patre iudaeo remanente, christiana facta sit; contra vero patris religioni adhaerere debere, si, matre in iudaismo remanente, pater ad christianam fidem transierit: *Filii, qui ex talibus nati existunt,* idest ex matrimonio inter eas personas, quarum altera in iudaismo permanserit, altera autem christianam deinceps religionem amplexa fuerit, *fidem ac conditionem matris sequantur, quae iam in christianam translata est fidem; similiter et ii, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus viris, christianam sequantur religionem, non iudaicam superstitionem.*

Legis ratio idest favor fidei utrique casui aptatur.

§ 19. En igitur casum, quo, in religionis favorem, oblatio ad baptismum admittitur, etiamsi ab illo facta sit, qui patriae potestatis expers est; etenim patria potestas, ut dictum superius est, in patre, non autem in matre consistit: en, inquam, casum, ubi posita in altera trutinae lance tum patria naturali potestate, quam pater filium generando acquirit, tum etiam illa, quae eidem tanta amplitudine a iure civili attributa est, ex altera vero parte posita dumtaxat aliquali illa potestate, quam mater ex naturae lege in filii generatione acquirit sine alio quopiam iuris civilis praesidio, haec trutinae pars alteri praevalet, propter illud ponderis, quod ex favore religionis eidem accedit. Porro haec ratio ab antiquis peritissimis Decretalium interpretibus et rite aestimata, et magni, ut par erat, momenti habita est; nam Pontifex Innocentius IV. *in suis observationibus in citatam Decretalem: Ex literis,* scribit, quod tam ubi iudicium patris pro baptismo filii matris voluntati praefertur, quam ubi matris oblatio patris dissensui praevalet, ratio, quae contraria omnia exsuperat, in favore fidei posita est. Antonius vero a Budrio *super idem cap. Ex literis, num. 7,* eo usque progreditur, ut vehementiori quadam emphasi dicat, quod, cum iudaea mater ad christianam fidem conversa filium ad baptismum offert, dissentiente patre, qui in iudaismo remansit, dici ob favorem fidei potest, quod mulier vir evaserit et ex matre pater effecta sit.

Favor fidei iunctus legitimo iuri cuiusvis generis praevalet etiam iuribus patriae potestatis.

§ 20. Quoniam vero, dum superius de filii ad monasterium oblatione a nobis dictum fuit, tamquam plausu dignam reputavimus eam opinionem, quod parva aut nulla ratio habenda esset consensus matris, sed totum ex patris consensu, qui patriam potestatem habet, dependere deberet; ex quo deduximus, idem respectu oblationis ad baptismum dicendum esse; illud hoc loco subdere necesse habemus, quod, praedictae opinionis plausu nequaquam obstante, communior sententia est, ius ad monasterium offerendi penes parentes esse, idque non minus a patre quam a matre exerceri posse: *Si pater vel mater filium filiamque intra septa monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis, postquam ad pubertatis annos devenerint, egredi, et matrimonio copulari; hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluntatis froena relaxentur:* verba sunt S. Gregorii in epistola ad Bonifacium, quae *in Can. Addidistis 20, quaest. 1* relata habentur; et in textus huius sequelam Gibertus *in Corpore iuris canonici, tom. 2, tit. 23 de ecclesia, sect. 3,*

Potestas offerendi filios ad vitam regularem etiam in matre residet.

regula 14, ita scribit: *Offerendi filios potestas tam ad matrem, quam ad patrem pertinet.*

Casus aviae offerentis distingui debet ab extranei cuiusque temeritate.

§ 21. Feliciter nobis patriae potestatis obstaculum superasse videmur, quod nobis aliquam difficultatem ingerebat, in eoque superando ratione validissima nixos fuisse, quae in religionis favore posita est; ingenue tamen omnino agnoscimus, aliquid praeterea adhuc desiderari, ut statuere possimus, oblationem ad baptismum ab avia factam, tam iudaea matre, quam tutoribus iudaeis repugnantibus, licitam validamque esse, adeoque admittendam. Nam, si in solo favore fidei omnia posita ac fundata essent, exinde consequeretur, ut a quacumque persona, licet extranea, fieret oblatio infantis iudaei ad baptismum, parentibus licet ipsius reluctantibus, eadem admittenda esset; contra quam docet Sanctus Thomas, quem caeteri theologi communiter sequuntur, infantes ex infidelibus natos, sine parentum consensu minime baptizandos esse; atque illud etiam fortasse eveniret, ut christianorum cuilibet permissum in posterum videretur, in hebraeorum vicum penetrare, atque alicuius iudaei infantem, utroque parente invito, vel ibidem baptizare, vel foras asportando baptizandum offerre, quod hodierno tempore non solum improbatur, sed etiam a tribunalibus ecclesiasticis vindicatur.

Avia sub appellatione parentum comprehenditur,

§ 22. Verum, si casus hic, qui in quaestione versatur, una cum adiunctis circumstantiis consideretur, haud facile quidem demonstrari poterit, ex eo quod aviae oblatio admittatur, vel communem laedi theologorum sententiam, quam supra exposuimus, vel violentiis aut dolis aditum aperiri ad hebraeorum infantes, invitis eorum parentibus, baptismati offerendos, aut re ipsa baptizandos; tum quia communis theologorum sententia nihil aliud docet, nisi quod minime licet infantes infidelium, *invitis parentibus,* baptizare; cumque iidem nequaquam ulterius procedant ad explicandum, quinam illi sint, qui sub appellatione parentum veniant, locum excipit legalis dispositio, quae docet, *sub appellatione parentum* aviam comprehendi; quam ad rem verba textus in promptu sunt *in L. Appellatione ff. de verbor. significat.: Appellatione parentum non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia:* tum quia hoc ipso in casu non improvisa aliqua vis aut impetus intercedit, nec talis oblatio fit a persona penitus extranea, cum paterna avia sit, quae ad Christi fidem conversa nepotem ad baptismum sponte offerat; ac praeter id, quod iam dictum est, videlicet *appellatione parentum* paternam quoque aviam comprehendi, observandum etiam occurrit, quod Romanis legibus a tutela mulieres omnes excludebantur: *Tutelam administrare virile munus est, et ultra sexum foemineae infirmitatis tale officium est,* quemadmodum legitur *in Leg. Tutelam Cod. quando mulier tutelae officio fungi potest.* Quum tamen deinde rigorem huiusmodi mitigari placuisset, et mulieres etiam ad tutelam exercendam idoneas declarari, id ad solam aviam solamque matrem restrictum fuit, ut *in authent. matri et aviae,* eodem titulo, videre est; quod quidem signum evidens, immo argumentum satis clarum est, paternam aviam minime extraneam dicendam esse, etiam in eo, quod pertinet ad nepotum seu filiorum filii sui educationem; maxime vero ubi, velut in praesenti casu, cum avia ipsa consentiunt patrui; quorum quidem in iudaica lege tanta ratio habetur, ut matri in proprii filii successione praeferantur, quemadmodum *in c. 27 libri Numerorum* praescriptum habetur, ac super ipso observant expositores Tostatus *q. 33,* Calmetus *ad vers. 11,* et du Hamel *ad vers. 9.*

Et ad nepotum tutelam admittitur, exclusis ab hoc officio, praeter matrem, aliis mulieribus.

Duplex obiectum contra haec insurgens.

§ 23. Hic vero novimus dictum iri, aviam ad legitimam nepotis tutelam habile quidem redditam esse, verum secundo loco, idest post matrem; ac praetera locum non esse loquendi de Tutoribus legitimis, quoties, ut in re praesenti accidit, testamentarii adsunt a patre dati. Verumtamen utrique responsionis parti non deest, quod denuo reponi possit. Verum quidem est, secundum iam citatam authenticam *matri et aviae,* in tutela legitima matrem aviae praeferri: *Matri et Aviae secundum ordinem tutelam subire permittimus;* quo loco glossa ad verba *secundum ordinem* notat: *Cum primo Mater, secundo Avia admittatur;* at saltem extra controversiam non est, et valde incertum videtur, utrum praelatio matris, respectu aviae, matri competat, quando ipsa iudaea sit; cum complures, iique graves, auctores doceant, matrem in tutela filii aviae preferendam esse, cum ipsa christiana est, non autem cum iudaea. Etenim authentica *Matri et Aviae* desumpta est ex Novella 118 *de haeredibus ab intestato venientibus.* In hac Novella le-

Legis ordo matrem aviae in tutela praefert.

gislator ordinem successionum constituit; ac deinde, ad tutelarum ordinem gradum faciens, parem hunc successionum ordini fore statuit, ideoque matri praelationem in tutelis supra aviam tribuit. Ad extremum autem, totam suam dispositionem iterum complectens, verbis huiusmodi eamdem concludit: *Haec autem omnia, quae de successione sancimus, obtinere in iis volumus, qui catholicae fidei sunt.* Ex quo plausu dignum et probabile argumentum illis suppeditatur, qui contendunt ac docent, in tutela legitima minime matri supra aviam praelationem deberi, cum mater iudaea est, sed tutelam christianae aviae deferendam esse, quod ita favor exigat religionis; cuius quidem ratio a legislatore habita est in re minoris momenti; cum statuerit, quod licet mater filiam dotare teneatur, quando pater id faciendi de suo facultatem non habet, id tamen a matre omnino praestandum sit, etiamsi patri divitiae suppetant, quoties hic christianus et proles christiana sit, mater vero in infidelitate aut in iudaismo remanserit; quemadmodum, legum civilium dispositiones referendo, pluribus ostendunt Bossius *de Dote ad cap. 5, § 2, num. 26 et seq.*, et Cardinalis de Luca *de Dote, discurs. 142, num. 54.*

Hic tamen ordo ratione infidelitatis immutatur in variis casibus.

Tutores testamentarii legitimos a tutela repellunt. Sed et illi suspicionis exceptione repelluntur.

§ 24. Non inficiamur item, quod minime dubium est, legitimis tutoribus nequaquam locum esse, ubi testamentarii adsunt; verum illud videndum restat, num id admittendum sit, quando testamentarii suspecti sunt, cum, secundum Romanas leges. testamentariis etiam suspicionis exceptio detur, ipsaeque leges in Urbe quidem praetori, in provinciis autem praesidibus, onus iniunxerint suspectos tutores removendi, et in eorum locum alios non suspectos substituendi, ut in Institutionibus Iustiniani, et in titulo Codicis: *de suspectis tutoribus vel curatoribus*, videri potest. Pontifex Gregorius IX. in controversia, quae per ipsum soluta fuit in pluries laudato *c. Ex literis, de conversione infidelium*, utrum videlicet filius apud iudaeam matrem remanere, an christiano patri tradi deberet, supradictam legum dispositionem prae oculis habuit, ut ex subiectis eiusdem verbis colligitur: *Non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitae insidientur illius;* et contra iudaeam matrem pronunciavit, propter periculum perversionis: *Materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime fidei christianae, respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Hoc autem responsioni illi fundamentum praebet, non loquendum scilicet de tutoribus legitimis, ubi testamentarii adsunt, si testamentarii ab exceptione immunes sint; secus vero quando iidem exceptionem patiuntur praeiudicii, damnique notabilis, quod pupillo afferrent, cum religionis offensa; quemadmodum omnino contingeret, si nunc christianae aviae oblatio reiiceretur, ne ius impediretur eorum iudaeorum, qui tutores testamentarii existunt.

Nil obstat, quod huius rei exempla non adsint.

§ 25. Nonnullos fortasse audieris dicentes, quod, si oblatio aviae admittatur, res fiet, quae antea nunquam facta fuisse memoretur. Hoc idem nobis obiectum fuit; sed nihil plane ea res nos commovit, cum ne casus quidem ullus allatus fuerit, quo aviae oblatio repudiata sit. Cum autem res, quae in quaestionem cadit, non quidem tantummodo ratione dispicienda, sed quoquo modo executioni mandanda sit, et positiva necessitas adsit de ipsa in alterutram partem decernendi, nullus relictus locus est illius negligendae, aut in aliud tempus differendae; sed videndum omnino est, quid secundum iustitiam fieri oporteat. Idem plane contigit Gregorii XIII. tempore, quum scilicet ipse decrevit, ut avi ad Christi fidem conversi oblatio reciperetur, etiamsi mater dissentiret, quemadmodum a nobis plane expositum fuit in alia epistola nostra ad Urbis Vices-Gerentem conscripta; et relatum habetur, ut supra innuimus, apud Sylvium, cui nunc adiungimus Valentiam *tom. 4 commentariorum theologicorum, disput. 4, qu. 3, punct. 3, § Quarto dico.* Etenim ne tunc quidem ante eiusmodi sententiam a Pontifice prolatam contigerat, ut oblatio avi, dissentiente matre, recepta umquam fuisset. Ergo et sententia illa nova extitit, et tamen executioni demandata, et cum plausu excepta fuit. Eademque dici potest aditum iis aperuisse, qui in praesentia ad recipiendam aviae oblationem propensi sunt, quum pari iure censeri debeant avus et avia in eo, quod pertinet ad curam non minus filii, quam filiorum ipsius, cum haec a familia sua per matrimonium in viri familiam translata, primas in hac partes una cum illo obtinuerit. Et quoniam, avi mentione redeunte, obiectum illud iterum redit, patriam potestatem penes eumdem,

Exemplum Avi in paribus circumstantiis.

Huius patriae potestati aequivalet favor religionis in avia iunctus alteri legitimo titulo.

non autem penes aviam residere; non mirum videri debet, si et nos responsione illa denuo occurramus, videlicet favorem religionis id praestare, ut patriae potestatis defectus illi non officiat, qui alio caeteroquin legitimo titulo infantis oblationem facit; ad ea autem, quae supra dicta sunt de communi opinione, qua mater filium, dissentiente patre, valide ac licite baptizandum offert, etiamsi patria potestas in patre non autem in matre sita sit, non iniucundum fore arbitramur, si id adiungimus, quod ad rem hanc scribit Vasquez *tom. 2, super 3 part. S. Thomae, quaest. 68, art. 10, disput. 155, cap. 3, num. 35. Licet iure civili soli patri concessa sit patria potestas in filium, quod attinet ad aliquos effectus in ipso iure peculiares, nempe ut pater usumfructum habeat in bonis filii, non autem mater, et ut suus haeres dicatur, ac proinde iure (ut dicunt) suitatis gaudeat, quod respectu matris non conceditur; tamen, quod spectat ad retinendum filium in suo consortio, et societate, ut illum nutriat, aequale videtur ius matris cum iure patris; ac proinde si alter consentiat, etiamsi sit mater, quia nimirum videtur ex consortio filii cum altero, nempe cum patre, ei damnum spirituale sequi, ratione commodi spiritualis, quod filio ex separatione provenit, consensus illius repugnantiae alterius praevalere debet.*

Ius naturale matris in filiorum educatione non undequaque insuperabile ostenditur.

§ 26. Nisi nos memoria fallit, nihil aliud modo reliquum est, quam ut quaestioni illi respondeamus, quomodo scilicet fieri possit, ut mater, quae super educatione filii infantis ius habet ab ipsa natura derivatum, quod ideo naturale ius appellatur, eo iure privari possit ab avia, quae aliam auctoritatem in nepotem habere nequit, quam quae ipsi a iure civili tribuitur. In quo illud forsan satis esset respondere, praecipuum fundamentum illius praeponderantiae, quae aviae facto tribuitur, in religionis favore situm esse; quod autem hic quaeritur, iam antea quaesitum fuisse in altero casu, quum scilicet Gregorius XIII. avi factum dissensui matris praevalere debere iudicavit; nec ullam de huiusmodi quaesito rationem habitam fuisse. Sed ut ad propositae interrogationis nodum proprius accedamus, quaerimus, utrum filii mancipiorum et eorum, qui pleno iure servi sunt, dissentientibus eorum parentibus, baptizari possint. Et quidem si, secundum communem opinionem, responsum dandum sit, respondendum erit, posse. Iterum igitur, quaerimus, num huiusmodi parentibus faveret, nec ne, ius naturale pro educatione filiorum suorum infantium; neque responderi posse arbitramur, eosdem naturali eorum iure in proprios filios caruisse. Quaerimus denique, quomodo filii praedicti baptizari possint sine consensu parentum, pro quibus stat ius naturale, quod immutabile dicitur. Verum, ut huiusmodi interrogationi responsum dari possit, ad theologos recurrendum est. Respondent ipsi, ius patrum in filios infantes, pro eo, quod ad educationem pertinet, naturale dici posse duplici ratione; vel scilicet quia a natura originem habeat, vel quia lex naturae iubeat, ut nemo alius eorum educationi, exclusis parentibus, se immiscere possit. Admittunt theologi, ius illud primo sensu naturale esse, non autem secundo; ideoque concludunt, quod cum dominium mancipii seu servi eiusque filiorum, iure gentium in dominum transferantur, potest dominus filios infantes a parentibus separare, eosque baptizandos iubere, etiamsi parentes dissentiant. Ita edisserit Sylvius *tom. 4, sup. 3 part. S. Thomae, qu. 68, art. 10, conclus. 7,* et ante eum satis solide Suarez *tom. 3, super 3 parte S. Thomae, quaest. 68, art. 10, disp. 25, sect. 4, § Quocirca.* Iam vero nihil praeter ius et fas postulare nobis videmur, dum contendimus, quod quemadmodum naturae ius non laeditur, ubi, repugnantibus parentibus, captivorum filiis baptismus confertur, ita neque idem naturae ius violari dicatur, quoties, nulla vi adhibita, ac patente persona, quae id faciendi ius habeat, infans hebraeus, dissentiente matre, aut sacro Fonte abluitur, aut baptizandus offertur; sicut enim pro primo casu militat ius gentium, ita pro altero favor religionis, cuius vis eam nobis obligationem imponit, ut eamdem promoveamus, quantum, seclusa cuiuslibet iniuria, nobis facere permissum est; veluti in praesentia continget, si oblatio hebraei infantis, quae ab avia sponte fit, recipiatur.

Exemplum de parentibus in servitute poenali constitutis.

Aliud est ius a natura originem ducens, aliud lex naturae aliquid praecipiens, aut vetans.

Ius a natura tributum, quod a iure gentium superatur, multo magis cedere debet favori religionis, et animarum saluti.

Praemissa omnia simul iuncta oblationem acceptandam suadent.

§ 27. Habes igitur, dilecte fili, eas omnes rationes, quibus adducti sumus, ut eam, de qua quaestio est, oblationem recipiendam iudicaremus, quemadmodum recipiendam iudicamus; quae rationes et causae, sive per se singulae considerentur, sive, ut in casibus practicis fieri consuevit, coniunctim accipiantur, magni procul dubio ponderis atque momenti sunt. Quod

Aut saltem probant rem dubiam esse, et ob id ipsum favore religionis renunciari debere.

si in re dubia in favorem fidei pronunciandum esse constans regula est, quisnam erit, qui, perpensis tot propositis rationibus, materiam hanc saltem pro dubia habendam, adeoque in favorem aviae, quod idem est in casu, ac in favorem religionis, decernendum non existimet? Novimus, dilectos filios Sanctae Inquisitionis Consultores, tum sacrae theologiae, tum canonici iuris peritos, quorum suffragia validis rationibus innixa perlegimus, pro avia communiter censuisse. His concordes audivimus in Congregatione coram nobis habita ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententias pro admittenda aviae oblatione. Quare tam sapientibus consiliis inhaerendo, huic epistolae nostrae finem imponimus, oblationem aviae recipiendam esse decernentes, tibique impertientes apostolicam benedictionem.

In hanc sententiam Consultores S. Officii, tum Cardinales Inquisitores generales, convenerunt.

Pontifex iubet oblationem aviae acceptari.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV. decembris MDCCLI., pontificatus nostri anno XII.

CXXXIII.

Congregationis virginum sub invocatione Societatis SS. Cordis Iesu in patriarchatu Antiocheno Maronitarum institutum abolet, superiorissam Annam Agemi ad aliud monasterium transferri iubet, ac libellum huius foeminae miracula et sanctitatem praedicantem prohibet (1).

Venerabili fratri Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Societas virginum SS. Cordis Iesu et libellum super sanctitate fundatricis causa dissidiorum.

Ad supremam hanc catholicae ecclesiae cathedram, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti praesidemus, non unius, sed plurimorum autenticis documentis, non sine gravissima apostolici animi nostri molestia, relatum est de dissensionibus, dissidiis et turbis in isto fraternitatis tuae patriarchatu exortis, et magna animorum contentione adhuc permanentibus propter institutionem fundationemque novae congregationis virginum sub invocatione Societatis SS. Cordis Iesu, cuius congregationis regimen et gubernium, tanquam superiorissa et praeses, dilecta in Christo filia Anna Agemi, emissis sive simplicibus sive sollemnibus votis, suscepit in aedibus cuiusdam monasterii dilectorum filiorum monachorum S. Antonii Abbatis congregationis S. Isaiae nuncupatorum, ab iisdem monachis divenditi et distracti. Huiusmodi praeterea dissensiones, dissidia ac turbas magis magisque in dies augeri et confusionem parere videntur, ex eo praesertim, quod fraternitas tua primum delegaverit dilectum filium Michaelem Fadel sacerdotem maronitam pro examinanda evulgata, sive vera sive falsa, eiusdem Annae Agemi sanctitate; deinde libellum, sive manu scriptum sive typis impressum, super assertis miraculis, revelationibus, aliisque extraordinariis donis ipsius Annae Agemi ab eodem Michaele Fadel compositum non solum approbaverit, verum etiam omnia et singula in dicto libello contenta esse vera confirmaverit; atque insuper ut in ecclesia Aleppi libellum memoratum publice legendum mandaverit; unde factum est, ut quamplurimi utriusque sexus Christifideles, sive rudes et indocti, sive decepti, indebitam et excedentem erga saepedictam Annam Agemi venerationem ostendere et commonstrare adhuc pergant. Quae quidem omnia quam absona et aliena sint ab ipsa sanctissime instituta, ac tot canonicis legibus confirmata, et ubique per catholicum orbem ab omnibus recepta et integerrime servata, atque in praesentia maxime florente catholicae Ecclesiae disciplina nemo est qui non intelligat.

De agendi ratione Patriarchae dolet.

Illud quoque nos maximo affecit dolore, quod fraternitas tua, quam nos ipsi pro suprema auctoritate nostra Antiochenum inclytae nationis Maronitarum Patriarcham constituimus, laudatam Apostolicam Sedem, sive literis ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium de Propaganda Fide nuncupatam, sive ad nos ipsos, quemadmodum districte teneris, opportune datis, certiorem facere, eiusque consulta in negotio gravissimo petere, sicut ab universis christiani nominis ven. fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis et locorum Ordinariis gratiam et communio-

---

(1) Ex App. ad Bull. Pont. Sac. Congr. de Prop. Fide. Tom. II., pag. 160.

nem cum Romana Ecclesia habentibus exacte peragitur, sive omiserit, sive detrectaverit.

Mandat translationem Annae Agemi ad aliud monasterium.

Eapropter nos quippe, qui in rebus hisce ob tot volumina a nobis edita non mediocriter versati sumus, et probe propter omnium saeculorum memoriam scimus non tam illatas in catholicam Ecclesiam ab haereticis et schismaticis calumnias, quam occultissimas principis tenebrarum fraudes, quibus et sapientibus et insipientibus illudere, et sanctissimos utriusque sexus homines impetere et aggredi consuevit et adnititur, cupientes ut, ea qua decet prudentia, dissentiones, dissidia et turbae antedictae e medio tollantur, et omnia ad pristinam concordiam, tranquillitatem et christianam pacem componantur, te, ven. frater, monemus et adhortamur, atque fraternitati tuae mandamus, ut primum quidem ipsam Annam Agemi ad aliud monialium monasterium transferas, in eoque sub debita superiorissae et praesulum eiusdem obedientia, iuxta leges et constitutiones eiusdem monasterii, vivere, nostra etiam apostolica auctoritate praecipias et mandes. Hac enim ratione planum fieri confidimus, ut quemadmodum filius obediens loquitur victorias, ita non tam victoriam de se ipsa, mundo, carne et daemonio reportare valeat, quam veram laudem post vitam ab hominibus recipiat: illo enim tempore potissimum merita sanctitatis extollenda sunt, quando nec laudantem adulatio, nec laudatum tentet elatio, et aeternam denique in coelis gloriam a misericordiarum patre, iusto iudice et remuneratore Deo, consequatur.

Congregationem abolet ad dissidia tollenda.

Deinde vero volumus itidem et mandamus, ut memorata congregatio instituta et erecta omnino aboleatur et extinguatur, quemadmodum suprema auctoritate nostra abolemus et extinguimus, atque abolitam et extinctam esse declaramus, ne novarum rerum et seditionum fomes et occasio sit et perseveret. Insuper volumus pariter et mandamus, ut monasterium, in quo ipsa congregatio instituta et erecta reperiebatur, statim iisdem monachis, quorum erat, restituatur.

Damnat libellum vitae et miraculorum Annae.

Porro libellum antedictum sive manu exaratum, sive typis excusum, et omnes quoscumque alios libellos super iisdem rebus sive manuscriptos, sive impressos omnino prohibemus, et sub canonicis censuris a quoquam quacumque auctoritate et dignitate praedito retineri vel legi vetamus, atque per fraternitatem tuam hanc nostram prohibitionem notam fieri volumus et iubemus.

Patriarchae obedientiam excitat.

Ceterum nos amplius pro votis, mandatis praeceptisque nostris a fraternitate tua operam, studium auctoritatemque tuam hac in re collatum iri, a virtute, zeloque tuo, et obstricta nobis fraternitatis tuae observantia certo pollicentes, fraternitati tuae persuasum esse cupimus, te nobis ita obsequentem et muneri tuo satisfacientem nostram et Apostolicae huius Sanctae Sedis gratiam et benevolentiam magis magisque conciliaturum, et meritam laboribus tuis mercedem in coelis repositam a supremo pastorum principe Iesu Christo, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, accepturum esse. Interim ad prosperi successus et coelestis praesidii auspicium apostolicam benedictionem uberrima cum divinorum munerum copia coniunctam, quam universis patriarchatus tui Christifidelibus nostro nomine elargiaris, tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV. ianuarii MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXXXIV.

Decreto S. Congregationis relato super dubiis ab Archiepiscopo Antibarensi propositis circa bona ecclesiis olim a Turcis erepta et christianis vendita, vel ab ipsis usurpata, ostendit non posse, iuxta decretum, tuta conscientia, retineri. Suspendit tamen iudicium usque ad certiores notitias de periculis, quae praevidentur; interim Congregationi dispositionem animi sui exponit condonandi possessoribus fructus perceptos, permittendi possessionem fundorum retentoresque a censuris absolvendi (1).

---

(1) Vide infra *Cum encyclicas litteras.*

Epistola ad Rev. P. Nicolaum Lercari Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarium conscripta, occasione Postulatorum a R. P. Archiepiscopo Antibarensi eidem Congregationi propositorum.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Antibarensis civitatis constitutio, et status civilis et ecclesiasticus.

§ 1. Urbem Antibarum, italice *Antivari*, eo nomine appellatam, propterea quod in ora illius regionis, quae nunc *Albani* dicitur, contra Barium Apuliae civitatem constituta sit, iamdudum, ut nosti, othomanicae dominationis iugum premit ab anno scilicet MDLXXI., ut testatur Reipublicae Venetae senator Iacobus Diedo in nitida, quam nuper edidit, historia eiusdem Reipublicae *tom. 2, lib. 7, pag. 261.* Neque Venetis datum est, illius possessionem recuperare, magno licet virtutis conatu, tum anno MDCXLVIII., tum etiam anno MDCCXVII., in id incubuerint, ut idem historicus prosequitur. De hac Urbe P. Daniel Farlatus *tom. 1 Illyrici sacri, in Prolegomenis part. 2, cap. 5, § 3, pag. 150* ita scribit: *Antibarium Urbs priscis ignota, quod saeculis posterioribus condita fuit e regione Barii civitatis Apuliae, a qua denominata est, quasi contra Barium;* idemque auctor subdit, Dioclea urbe in ruinis iacente, archiepiscopalem illius titulum translatum fuisse Antibarum; et nomina Episcoporum suffraganeorum, qui novo Archiepiscopo assignati fuerunt, descripta legi in Bulla Alexandri Papae II.; Ut autem sedes archiepiscopalis in praefata civitate collocaretur, occasionem desumptam fuisse ex infortunio, quod accidit quatuor Episcopis, Antibarensi, Cattarensi, Olchiniensi et Suacensi, qui, dum Spalatrum petebant, ut provinciali concilio interessent, naufragio perierunt; ut videre est *in laudatis Prolegomenis part. 3, sect. 2, § 5, pag. 308.*

Dubia ab Archiepisc. proposita.

§ 2. Venerabilis frater hodiernus Archiepiscopus Antibarensis, pastoralis zeli laude magnopere commendandus, quum dioecesim suam visitasset, et acta Visitationis ad Congregationem de Propaganda Fide misisset, super duobus sequentibus capitibus opportunum sibi lumen ab eadem praeberi et adiumenta praestari postulavit. In primo capite exponit, Turcas Albania potitos, magnam partem bonorum ad ecclesias pertinentium occupasse, quorum nonnulla deinde Christifidelibus divendita, alia vero eisdem ad colendum tradita fuerunt. In secundo autem refert, nonnullos ex christianis, domos habentes proximas ecclesiis eversis, et praedia praediis ecclesiarum contigua, areas et terras ad easdem ecclesias olim pertinentes usurpasse. Quaerit propterea quomodo in his se gerere debeat; et an huiusmodi malis remedium ullum et quodnam sit adhibendum; declarans se lumine sibi praestito usurum, ut opportunis documentis instruat confessarios, qui ea vehementer exoptant; quum aliqui sint ex huiusmodi possessoribus, qui nihil pensi habeant, alii vero propriae conscientiae stimulos cohibere cupiant, atque a censuris absolvi, quas contra detinentes ecclesiarum bona statutas et latas esse non ignorant. Addit praeterea Archiepiscopus, hoc idem, quod in praefata visitatione peragenda, in sua dioecesi evenire comperit, in aliis quoque Albaniae dioecesibus contingere; itaut, manibus magno operi admotis, tumultus, atque discordias suscitatum iri valde pertimescat.

De bonis ecclesiarum, quae christiani de manibus infidelium acquisiverunt.

De ea, quae christiani ipsi occuparunt.

Congregationis de Propaganda Fide sententia et consilium.

§ 3. Utroque capite huiusmodi in Congregatione de Propaganda Fide mature discusso, existimavit ipsa, debere Archiepiscopum, accitis ad se missionaris, parochis et confessariis, eisdem iniungere, ut poenitentibus demonstrent, non posse eos sine propriae conscientiae damno detinere bona, quae olim ad ecclesias pertinentia, deinde a Turcis occupata, in eorum manus devenerunt, sive ea a Turcis ipsis emerint, sive tanquam derelicta sibi usurpaverint; ideoque necessarium omnino esse, ut aliquem legitimum titulum habeant, quo se in eorum bonorum possessione confovere possint; totamque difficultatem in novo huiusmodi legitimo titulo adinveniendo versari. Quamobrem ipsa Congregatio proposuit, ut possessores Archiepiscopum adire debeant, eique distinctam exhibere indicationem quantitatis qualitatisque bonorum, quae ex antiquo ecclesiarum censu ad eos ita pervenerunt. Ipsius autem Archiepiscopi aequitati et prudentiae permittendum, ut et ecclesiarum utilitati, quantum fas est, providere, et possessoribus novum legitimum titulum procurare studeat, eos admittendo ad novos contractus, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam canonibus impositis, iuxta facultates, quae a nobis praefato Archiepiscopo concedi poterant. Conclusit denique, hac facilitate dumtaxat erga illos agendum, qui invitati ad prae-

missa praestanda accesserint, contumacibus in propria perditione derelictis. Quum vero haec omnia a te, dilecte fili, iuxta tui ministerii debitum, nobis diligenter relata fuerint, et pro opportuna facultatum concessione supplicatum; nos vero ad rem accurate inspiciendam et perpendendam nonnihil temporis sumpserimus; nunc tandem decrevimus sententiam nostram hac super re, quae magni momenti effectu parere potest, in scriptis redigere.

Pont. rem examinat, et in hac epistola pertractandam suscipit.

Acquirendi rerum dominii titulus ex bello iusto oritur.

§ 4. Sane a nemine in dubium revocatur, quidquid in bello iusto capitur, quod ad hostem pertinebat, in victoris dominium transire; mobilia scilicet in illius potestatem, qui primus ea occupaverit, immobilia vero in dominium supremi principis, qui bellum intulit, ut sibi pro ipsius belli expensis satisfaciat, aliquando etiam, ut maiores ad defensionem vires sumat, ac se a futuris eventibus tueatur. Sylvius *in 2-2, q. 40, art. 1, q. 6, conclus. 6 et conclus. 7*. Covarruvias *in 2 part. Relect. Regul. Possessor malae fidei, § 11, sub num. 6*. Similiter extra controversiam est, in bello iniusto, totum id, quod capitur, restituendum; quum occupatio huiusmodi nihil aliud sit, quam formalis rapina. Ita docet S. Thomas *2-2, quaest. 66, art. 8 ad primum;* en eius verba: *Circa quaedam distinguendum est: quia si illi, qui depraedantur hostes, habeant bellum iustum, ea,. quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem rapinae; unde nec ad restitutionem tenentur etc. Si vero illi, qui praedam accipiunt, habeant bellum iniustum, rapinam committunt, et ad restitutionem tenentur.* Illustria sunt exempla veterum Romanorum, qui quum iniustitiam belli suscepti agnoverunt, quicquid abstulerant, prompte restituerunt, ac detrimenta, quaecumque victis et debellatis populis praeliando intulerant, summa fide repararunt. Haec in Livii historiis occurrunt; ac duo huiusmodi exempla a Valerio Maximo referuntur, alterum quod pertinet ad Faliscos a Quinto Lutatio domitos, alterum ad Camarinos a Publio Claudio devictos, atque per varias orbis plagas dispersos. *Cum Publius Claudius Camarinos ductu atque auspiciis suis captos animadvertebat; tamen quia parum liquida fide id gestum ab Imperatore videbatur,* (Senatus) *maxima cura conquisitos redemit, iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit, et praedia restituit etc. iustitiaeque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo laetari possent, quia sic renati erant.*

Non item ex bello iniusto.

Christiani a Turcis iniusto bello subacti, ius suum, licet inexercibile, retinuerunt supra bona sibi erepta adversus invasores.

§ 5. Hinc patet, quum bellum, quo Turcae Antibarum occuparunt, omni procul dubio fuerit iniustum, quicquid ea occasione ab ipsis captum et occupatum fuit, sive mobile sive immobile fuerit, id eos iniuste usurpasse, veramque in eo rapinam commisisse; quare omnis iustitiae ratio postularet, ut ab ipsis cuncta restituerentur Christifidelibus, quos fortunis suis iniuste spoliarunt, vel, illis vita functis, eorum haeredibus et successoribus. Sed hoc non est praesentis quaestionis subiectum; et si esset, frustra de eo ageretur, quod in perditis et desperatis rebus habendum est. Quaestionis cardo vertitur circa bona, quae Turcae christianis vendiderunt, et nunc ab emptoribus detinentur; quaeriturque utrum, qui ea emerint, quique emptorum haeredes aut legitimi successores sunt, tuta conscientia retinere illa possint, an vero eadem legitimis dominis restituere teneantur; idque eo magis, quod agitur de bonis ad ecclesias et monasteria pertinentibus, quorum iniusta detentio censurarum poena mulctatur; quodque, quum ecclesiastici, non secus ac peregrini, in bellis, minime sint partes reipublicae nocentis, efflagitat ipsa ratio, ut nec illorum, nec istorum personae laedantur, neque bonis suis exturbentur, ut legitur in Decretali: *Innovamus, de tregua et pace;* ubi, necessitatis publicae causa, hoc ipsum privilegium ad mercatores etiam et agricolas extenditur, ut optime ad citatum textum perpendunt repetentes. Quamquam autem id saepe saepius re ipsa non observetur: *Quos canones rationabiles ac sanctos, quantum ad id, quod positivi iuris pertinet, an abusus deleverit, nescio:* verba sunt Cardinalis Caietani *in eius summa, verbo:* Belli damna § *4 de damnis;* illud tamen non obstat, quominus praedictorum canonum ratio habenda sit, quoties de animarum directione in foro conscientiae agatur.

Quaeritur an huiusmodi ius persequi possint ecclesiae adversus christianos, qui earum bona, a Turcis occupata, acquisiverunt.

Privilegia ecclesiarum peregrinorum, colonorum, et mercatorum in bellis.

Canonicarum legum vigor in foro conscientiae.

Praemissa ex auctoritatibus confirmantur.

§ 6. De peregrinis, clericis et ecclesiis, ad sensum laudatae Decretalis, loquitur Sylvius *loco citato: conclus. 5, Spoliare peregrinos et hospites, qui sunt in urbe hostili, non licet, nisi constet de ipsorum culpa, quia non sunt pars reipublicae adversae: neque etiam licet spoliare ecclesias, monasteria, vel ecclesiasticos, etiamsi ex causa rationabili data sit ci-*

vitas praedae militum, quum neque ipsi vere sint pars populi hostilis.

§ 7. De extensione autem huiusmodi iuris ad mercatores et agricolas, agit Laymann. *in commentariis ad eamdem Decretalem,* ubi postquam illud statuit, quod clerici et peregrini membra non sunt reipublicae nocentis, ideoque in bellis etiam, quae iure inferuntur, nec in persona, nec in rebus damnum pati aliquod debent, haec addit: *Quaedam vero personae non sunt pars reipublicae nocentis, ut mercatores et agricolae; et his parcendum est propter publicam necessitatem, ne, commerciis et agricultura impeditis, maius incommodum afferatur.*

§ 8. Denique, quod licet canonicae leges in praxi negligantur, earum tamen ratio necessario habenda sit, ad animas conscientiasque tuto dirigendas, recte sapienterque suo more disserit Covarruvias *in 2 part. Relect. Regul. Possessor malae fidei,* § *11, sub n. 8,* § *At hae leges.*

Decreta super dubiis a P. Longobardo Tuneti missionario transmissis an. MDCXXX., quam auctoritatem habeant.

§ 9. Quaestionis statu sic constituto, ideoque ad intimam illius discussionem descendentes, necessarium ducimus in hac nostra epistola inserere duo decreta anni MDCXXX. iam typis edita in operibus Peyrini *tom. 3 priv. in addit. c. 4, n. 30 et 31,* et auctoribus caeteroquin, qui postea scripserunt, probe cognita, ut ex infra dicendis apparebit, licet fortasse accuratam totius rei notitiam non habuerint. Nam ea omnia tanquam decreta Congregationis supremae Inquisitionis, et quidem a Pontifice Urbano VIII. approbata et confirmata, ediderunt. Verumtamen constat, dubia, super quibus decreta emanarunt, a P. Francisco Longobardo Ordinis Minimorum Tuneti missionario transmissa fuisse ad Congregationem de Propaganda Fide, quae quum a suis theologis diligenter ea examinari fecisset, consilium coepit eadem ad Congregationem Sancti Offici remittere. Haec autem insignium suorum theologorum ope, quorum nomina in ipsius tribunalis Actis recensentur, in novum illa deduxit examen. Quindecim porro fuerunt dubia a Patre Longobardo transmissa; atque ad ea omnia tum theologi Congregationis de Propaganda Fide, tum consultores supremae Inquisitionis sua responsa ediderunt. Verum ex iisdem dubiis aliqua relata fuerunt in Congregationibus habitis coram Pontifice Urbano VIII., ad quae pontificium adhuc exstat responsum: reliqua vero compertum minime est, an coram Pontifice proposita fuerint. Inter haec autem quintum illud et sextum numerantur, quae nimirum praesentem respiciunt controversiam: itaut error facti sit, id quod auctores asserunt, responsa scilicet ad quintum et sextum dubium oraculo pontificio confirmata fuisse; quum nihil aliud revera sint, quam responsa theologorum Congregationis de Propaganda Fide, et Consultorum S. Officii, quae tamen suo robore non carent, quum a doctis viris et sacrae Theologiae iurisque canonici peritissimis emanaverint.

Dubium quintum a P. Longobardo propositum.

§ 10. Proposuit igitur Pater Franciscus Longobardus sequentem quaestionem ordine quintam: *Utrum christiani liberi, qui hic* (idest Tuneti) *negotiandi gratia commorantur, et alii captivi, ementes a Pyratis infidelibus bona a fidelibus rapta, et in hac Urbe vaenum exposita vel dono ea recipientes, ut hic ad proprios usus utantur, vel ad terras christianorum lucri gratia transmittant, peccent mortaliter, et teneantur ad restitutionem.*

Responsum theologorum Congr. de Propaganda Fide.

§ 11. Responsio theologorum de Propaganda Fide fuit sequens: *Patres deputati existimarunt, bona christianorum a Pyratis rapta, posse fideles absque noxa mortali et onere restitutionis, emptione, venditione, aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere, ac in proprios usus convertere, non obstante, quod sint in bello iniusto rapta.*

Dubium sextum.

§ 12. Sequitur sextus casus a P. Longobardo propositus: *Utrum antedicti, praesertim mercatores liberi, non solum peccent ratione rei male acceptae, sed iniustae acceptionis, tamquam rapientium receptatores, et consequenter teneantur in solidum ad restitutionem, non solum mercium emptarum, sed omnium praeterea damnorum christianis illatorum. Ratio dubii est, quia, ut quidam asserunt, Pyratae inter depraedandum, aliqua rapiunt spe vendendi dictis captivis vel liberis christianis, quae, hac spe sublata, non raperent, ut infidelibus non necessaria, neque utilia. Hoc autem non semper accidit in rebus magni pretii, et ipsi mercatores liberi principaliter hic morantur, ut emant merces loci; et praeterea eorum incolatus multum videtur conferre ad miserorum captivorum redemptiones secretius, facilius et vilius faciendas, praeter quotidianas eleemosynas, quibus non solum sublevant necessitates captivorum, sed etiam suppeditant ex magna parte oratoriis, et ministris divini cultus.*

Responsum.

§ 13. Theologi de Propaganda Fide ita responderunt: *A patribus deputatis concordi voto decisum est, fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per pyratas christianis, neque incurrere noxam peccati mortalis, etiamsi pyratae bona illa subripiant spe lucri ex futura venditione eisdem fidelibus facienda, alias non furaturi: licet peccare possint ex complacentia super furto rerum per pyratas christianis sublatarum.*

Praemissa responsa probantur Consultoribus S. Officii.

§ 14. A Theologis de Propaganda Fide ad Consultores Sancti Officii translatum fuit dubiorum examen; et hi quidem sententiam illorum approbaverunt et confirmarunt. Nonnulli tamen addiderunt, ad hoc ut emptores christiani ab omni peccati nota immunes essent, necessarium fore, ut animum paratum haberent ad restitutionem emptarum rerum, si umquam verus earum Dominus compareret, easque redimere vellet, soluto pretio, quod emptor Turcis in emptione numeravit. *Aliqui tamen qualificatores dixerunt, requiri animum restitutionis, accepto pretio dato, si dominus rerum occurrerit.* Neque hoc ad pacandas conscientias inoppurtunum, aut a ratione alienum est. Molina *in opere de Iustitia et Iure, tom. 1, tract. 2, dis. 118, num. 15* ita scribit: *Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum, quando verisimile est illas,* idest merces, quas christiani homines a Turcis aut Saracenis emerint, qui eas per vim occupaverant, *deventuras numquam esse in potestatem suorum dominorum, ut ordinarie eveniet, licitum esse eas emere vili etiam pretio, eo animo, ut si proprius dominus comparuerit, illas accipiat pro eodem pretio, sin minus emptor illas sibi retineat. Quoniam verisimile est eam esse praesumptam dominorum voluntatem; et quoniam quodammodo essent irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent. Atque ita respondi aliquibus christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio a Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando Rex Sebastianus occubuit.* Atque haec sententia communis dici potest, cui reliqui omnino suffragantur: Coninch *disput. 31 de bello, dub. 7, n. 126;* Reginald. *tom. 2, lib. 21, cap. 8, sect. 4, num. 117;* Decastillus *lib. 2, tract. 1, disput. 10, num. 429;* Tanner *tom. 3, disput. 2, quaest. 6, num. 76 et 77;* Fragos. *de regim. christianae reip., tom. 3, part. 1, lib. 3, disput. 5, num. 16;* Castro Palaus *Oper. Moral. tom. 1, tract. 6, disput. 6, punct. 5, num. 27;* Bonacina *Oper. Moral. tom. 2, de restitutione in genere, disput. 2, quaest. ult., punct. ult., §. 3, num. 23;* Diana *in Edit. Coord., tom. 7, tract. 7, resolut. 33, num. 8.* Eorum etiam aliqui, et praecipue Molina et Castro Palaus, addunt, id locum habere in sacris rebus mobilibus, puta calicibus aliisque sacris supellectilibus. De his enim fortius procedere censenda est superius indicata praesumptio; quod scilicet christifidelibus, ad quos huiusmodi res ablatae pertinent, molestum non sit, aut saltem esse non debeat, illas in dominio potius aliorum christianorum, quam Turcarum et Saracenorum existere.

Dummodo qui merces christianorum de pyratis emerint, parati sint eas dominis restituere, recepto pretio.

In eandem sententiam scripserunt auctores, qui hic allegantur.

Ita suadente praesumpta dominorum voluntate.

Grotii doctrina eodem recidit.

§ 15. Hugo Grotius *in suo tractatu de Iure belli ac pacis, lib. 2, cap. 10, § 9, num. 1* hanc statuit regulam: *Rem alienam bona fide emptam, restituendam, nec posse erogatum pretium repeti;* ac immediate sequentem addit exceptionem: *Cui regulae haec addenda mihi videtur exceptio, nisi quatenus dominus rei suae possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, ut puta, si res apud Pyratas fuerit; tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuerat. Ipsa enim facti possessio praesertim recuperatu difficilis, est aliquod aestimabile; et in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior.* Et *in lib. 3, cap. 10, § 6, num. 1,* postquam docuerat, quod qui detinet rem in bello iniusto ab alio captam, eam restituere tenetur: *Qui damnum ipse non dedit, sed rem bello iniusto captam ab alio penes se habet, tenetur eam reddere: quia cur alter ea carere debeat, nulla causa subest naturaliter iusta, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio;* relatam paulo ante exceptionem resumit, et ita prosequitur *num. 2: Poterit tamen, si quid sumptus aut operae impendit is, qui rem tenet, deducere tantum, quantum domino valebat adipisci desperatam possessionem, secundum ea quae alibi explicata sunt. Quod si rei possessor culpae exors eam consumpserit, aut eliminaverit, non tenebitur, nisi in quantum censeri potest locupletior factus.* Iure civili cautum est, ut, qui alienum servum, ab hostibus prius captum emerit, illius dominium acquirat, ea tamen lege, ut eum teneatur restituere antiquo domino, si hic pretium rependat, quod

De alieno servo ab hostibus capto et vendito, quid cautum iure civili.

emptor, quamvis mancipii conditionem non ignoraret, pro illius emptione persolvit. Si autem hic eum alienum esse nescivit, statuitur, domino comparenti ac pretium offerenti restituendum, dummodo infra triennii spatium comparuerit; quo tempore elapso, antiquus dominus iure redimendi cadit: ut colligitur *ex lege In bello* § *Si quis servum ff. de captivis et postliminio reversis,* alteri coniungenda *L. Ab hostibus C. eodem tit.* Haec omnia comprobant, iustum omnino esse id, quod theologi S. Officii responsis theologorum Congregationis de Propaganda Fide addiderunt. Eademque certiorem stabilioremque reddunt sententiam illorum, qui docent, pretium restituendum esse illi, qui numerata pecunia rem ab hostibus etiam in bello iniusto captam sibi acquisivit. Quamquam enim Hugo Grotius, quod pertinet ad restitutionem pretii, cum aliis praeallegatis auctoribus non consentiat; quum tamen a domino tantum emptori reficiendum velit, quantum ipse ad rei amissae possessionem recuperandam aequo animo impendisset; si huius aestimatio summae a forensi calculatore rectae ineatur, magnum profecto erit, nisi ad eam pecuniae quantitatem pertingat, quam emptor pro rei acquisitione persolvit.

Tanti fere interest rem amissam recuperare, quanti a praecone vendita est.

An eadem circa immobilia procedant, in quæstionem revocatur.

§ 16. Quae hactenus exposuimus, in rebus mobilibus tantummodo locum habent; ideoque tota disputationis difficultas nunc eo redacta est, ut videatur, an haec eadem, quae de mobilibus dicta sunt, immobilibus etiam rebus aptari possint; quandoquidem dubia, quae nunc examinantur, quaeque praesenti disquisitioni occasionem praebuerunt, mobilia bona non respiciunt, sed immobilia. Porro si aliqua differentia inter mobilia et immobilia intercederet, et ratio, quae pro illis valida reputatur, pro his aeque afferri non posset; vel si aliqua adesset legum dispositio, quae rerum immobilium dominis magis faveret, facile quisquam affirmare posset, quod, licet is, qui a Turcis res mobiles in bello captas mercatus fuerit, eas tuta conscientia detinere queat, modo animus ipsi sit ad restitutionem paratus, quotiescumque dominus comparuerit, et pecuniae impensae solutionem obtulerit; non idem tamen iudicium de emptore immobilium ferre liceret.

Decreta superius allegata de mobilibus tantum agunt.

§ 17. Diximus autem, ea, quae superius exposita sunt, locum sibi vindicare in solis mobilibus: decreta enim anno MDCXXX. edita, de mobilibus loquuntur; ac de mobilibus item disserunt supra recensiti auctores. Innuimus etiam dubitari posse, an aliqua differentia iuris intersit inter mobilia et immobilia bona: atque huius differentiae ratio a nobis nunc exponenda est. Fundamentum, quo innititur ea sententia, quod Christifideles tuta conscientia retinere possint bona mobilia, quae a Turcis emerunt, a turcis autem in bello iniusto aliis christianis hominibus ablata fuerant, in praesumpta dominorum voluntate positum est, quae scilicet aut consentit, aut non dissentit omnino, ut praedicta eorum bona mobilia ab aliis Christifidelibus acquirantur. Etenim ex mobilibus nullus fructus percipitur; domini autem libentiore animo, aut minore certe molestia, ferre debent, quod illa in christianorum potestatem deveniant, potius quam in dominio Turcarum remaneant, a quibus facilius disperderentur; ut recte ponderat Molina *loco laudato,* atque etiam prosequitur Verjuys *in suo Pastorali missionariorum, tract. 4, art. 13 de Haereticis,* § *Probatur etiam ratione.* Quoniam vero haec ratio a praesumpta dominorum voluntate desumpta, ad immobilia, quae Christifideles emunt, extendi nequit, tum quia domini fructus amittunt, tum quia huiusmodi bonorum dispersionis timor non adest; hinc oritur indicata iuris differentia, quae inter mobilium ac immobilium acquisitionem intercedit. Denique paulo ante significavimus, aliquid forsan reperiri posse legibus praescriptum, quod immobilibus, non item mobilibus faveat. Sane *in L. Si quis bello ff. de re militari* sequentia verba legere: *Si quid in bello captum est, in praeda est, non postliminio redit:* quibus verbis mobilia significantur, ut animadvertit Glossa. At vero *in L. Si captivus, eod. tit.,* leguntur haec alia: *Expulsis hostibus ex agris, quos ceperant, constitit, dominia eorum agrorum ad priores dominos redire, nec aut publicari, aut praedae loco cedere:* quae doctoribus argumentum praebent asserendi, maiori privilegio in bellis gaudere immobilia, quam mobilia bona. Haec enim postquam in militum manus devenerunt, licet deinde pax conficiatur, non amplius restituuntur; illa vero antiquis dominis, pace inita, illico redduntur: ut recte animadvertunt Molina *loc. cit.,* § *5,* Covarruvias *part. 2 Relect. Regul. Possessor malae fidei,* § *11, n. 7;* Diana *in Edit. coord. tom. 7, tract. 7, resolut. 33, n. 3;* Castro Palaus *tom. 1, tract. 6, disput. 5, punct. 4, n. 24;* Qui-

Rationes ex quibus domini voluntas de mobilibus praesumitur, ad immobilia extendi non possunt.

Bona immobilia postliminio recuperantur, non vero mobilia.

Unde videtur, immobilia a non iustis hostibus vendita, aut derelicta, tuto retineri non possint.

bus sic stantibus, conclusum superius a nobis est, facile quempiam propugnare posse, ex rationibus adductis concedi quidem Christifidelibus, ut mobilia de Turcis empta, licet ab his in bello iniusto occupata fuerint, tuta conscientia detineant, dummodo ea restituere domino parati sint, qui pretio oblato redimere illa velit; at id de emptore immobilium non aeque affirmari posse. Id autem nunc, auctorum scita atque rationes ad trutinam revocando, demonstrandum aggredimur.

Nec fundum retineri, nec fructus iure percipi scripsit Lessius.

§ 18. Pater Leonardus Lessius obiit, antequam decreta anni MDCXXX. emanarent, scilicet anno MDCXXIII. In eius Opere Theologico in S. Thomam exhibentur resolutiones nonnullorum conscientiae casuum; in quorum sexto, verbo *beneficium*, sequentem sibi proponit quaestionem ordine secundam: ***An catholici emere possint ab haereticis bona ecclesiastica?*** atque ita respondet: ***Non licet catholicis emere bona ecclesiarum vel monasteriorum ab haereticis occupata et confiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis et fructibus, qui inde obvenerunt: quia bona illa in specie sunt aliena, similiter fructus illorum.*** Ex quibus sequitur, ut inferius ostendemus, emptorem ab ecclesiis et monasteriis, nunquam repetere posse pretium bonorum huiusmodi a se persolutum. Quum autem obiiciendum sibi praevideret, quod bona illa, nisi emissent catholici, remansissent penes haereticos, qui perciperent ex eis fructum; respondet id minime ad rem facere, quandoquidem haeretici quoque *ad restitutionem obligarentur.* Denique id catholicis consilii praebet, ut, cum bonorum dominis agentes, cum iis paciscantur, ac novos contractus ineant, quorum praesidio bonorum possessionem tuta conscientia retinere valeant.

Alii perceptionem fructuum detentori permittunt, donec dominus fundum repetere possit.

§ 19. Post decreta anni MDCXXX. scripserunt sequentes auctores de illis expressam facientes mentionem. Verjuys *loco cit.* a Lessii opinione recedit in eo, quod respicit restitutionem fructuum, sed cum eo sentit, quod ad fundi restitutionem pertinet, etiamsi dominus emptori solutum pretium non rependat. Rationem autem sic opinandi in praesupposita bona fide collocat, quae si vere adsit, possessorem a fructuum quidem, minime vero a fundi, restitutione eximere Potest. ***Posse catholicos bona fide possidentes monasteria, domos, templa, vel similia bona immobilia, illa tantisper sibi pacifice retinere, quamdiu a propriis dominis occupari non possunt; nec interea obligantur ad interesse, aut quidquam solvendum pro fructibus.*** Arsnekinus *in sua theologia tripartita, t. 2, part. 2, tract. 6, quaest. 10* quaerit: ***An catholici possint emere bona aliorum catholicorum, iniusto bello ab haereticis occupata;*** ac respondet, id fieri posse, I. si dominorum voluntas in eo consentiat; II. si Pontifex assensum praebeat, ad quod astruendum affert citata decreta an. MDCXXX. edita; III. si conventionibus inter catholicos et haereticos principes initis cautum sit, ut haeretici catholicorum bona retinere possint, ac libere de illis disponere: quae omnia extra casum praesentis quaestionis versantur. Ibi autem religiosus auctor procul dubio loquitur de bonis immobilibus; inter caeteras enim sententiae suae rationes, utilitatem perpendit et commodum catholicae fidei, cui magis prodesse asserit, quod bona penes orthodoxos, quam in haereticorum manibus existant: ***et sane plures ob causas, multo conducibilius videtur, bona illa tali emptione in manus catholicorum devolvi, qui tanto potentius possunt negotium fidei protegere ac propagare, quam si ea penes haereticos perpetuo remanerent;*** quae quidem ratiocinatio immobilibus convenit, non item mobilibus. Verum rationes illae ab auctore indicatae, et a nobis paulo ante relatae, nullius aut levis admodum roboris sunt. Etenim dum bona immobilia ad catholicos olim pertinentia, illisque in bello iniusto ablata, orthodoxi ab haereticis emunt, praesumpta dominorum voluntas adesse non potest, ut supra dictum est; decreta vero anno MDCXXX. edita, quae de mobilibus loquuntur, ad immobilia trahi nequeunt. Denique conventiones et concordata inter catholicos principes laicos et heterodoxos inita super possessione ac detentione bonorum ecclesiasticorum, ab Apostolica Sede improbantur; ut prolixe probat P. Schmalzgrueber *consiliorum tom. 1, consilio 19, quaest. 1,* et hae sunt conventiones, ad quas alludit citatus auctor. De hac materia loquitur etiam La Croix Presbyter Societatis Iesu *in sua Theologia Morali, tom. 1, lib. 3, part. 2, num. 972,* ac decreta anni MDCXXX. se probe nosse indicat: at, quum nil aliud ipse faciat, quam ea referre, quae a supra laudatis auctoribus dicta fuerunt, in neutram partem allegari aut proferri potest.

Alii de voluntate dominorum, et Summi Pontificis, ac de quarumdam conventionum vigore, plus aequo praesumunt.

P. a Breno de tota re praeclare disputat.

§ 20. Pater Carolus Franciscus a Breno Ord. Min. Strictioris Observantiae, *in suo Manuali Missionariorum Orient., tom. 2, lib. 1, cap. 3, quaest. 21,* hanc proponit quaestionem: *An bona ecclesiastica ab infidelibus redempta, restitui necessario debeant, vel saltem transactio adhiberi;* ac respondet, restituenda esse, tum quia christianus, sciens bona illa Ecclesiae esse, alienam rem mala fide possideret; tum quia non potuit infidelis raptor in emptorem christianum transferre ius maius illo, quod ipsemet in bona divendita habebat: ideoque, si venditor, propter rapinae vitium, nullum omnino ius habuit in rem violenter ablatam, occupatam, et postea divenditam, nil pariter iuris in eamdem rem acquisivisse dicendus est, qui eam mercatus fuit; tum denique, quia regula generalis est, quod etiam ille, qui furti ignarus a fure aliquid emit, in foro conscientiae ad restitutionem tenetur, simul ac verus legitimusque dominus occurrit. Invehit deinde in eos, qui quum ab infidelibus aliquid ad ecclesiam pertinens mercati sint, debiti sui partes implere se putant, si parochos, ad quorum ecclesias res emptae pertinent, ad convivia et coenas invitent. Non omittit pater a Breno saepe memorata decreta anno MDCXXX. condita commemorare; sed ea pertinere censet tantummodo ad bona mobilia a piratis capta, ac inde christianis divendita, quorum verus dominus sperari nequit, ut ad redimenda compareat. Denique sibi obiicit, quod qui numerata pecunia ab infidelibus emit Ecclesiae bona, rem eidem Ecclesiae utilem gesserit; ideoque non solum nullum exinde damnum pati, verum etiam aliquam, si fieri potest, utilitatem percipere debeat. Huic autem argumento respondet, emptores, qui rem ab infidelibus redemerint, id emolumenti ex emptione capere, ut ab Ecclesia pretium repetant, aut ad aliquam cum ipsa compositionem deveniant: *Ementes bona Ecclesiae ab usurpatoribus infidelibus, restituere quidem tenentur, quum sua bona illa non sint, sed accepto pretio, vel alia compositione cum praelatis habita.* Verum, quum auctor ad aliam ex prima consequentem quaestionem gradum faciat, videlicet utrum emptor restituere bona teneatur, etiamsi praesul nec pretium reddere, nec compositionem ullam facere velit, et huiusmodi quaestioni affirmative respondeat, videtur profecto id, quod antea affirmaverat, evertere, et non cohaerenter ratiocinari: *Si vero praelatus quidquam ipsis redimentibus restituere nollet, aut transactionem vel compositionem ullam facere, adhuc emptores seu redimentes illi restituere omnino tenerentur, quum bona illa reipsa sint Ecclesiae, ac infortunio suo tribuere, quod emerint rem alienam, eo modo, quo discurrimus de ementibus a fure, quotiescumque ab ipso repetere pretium minime possint.*

Sed quae prius recte constituerat, deinde evertit.

Illius ratiocinationis vitium detegitur.

§ 21. Quibus sane diximus auctorem evertere id quod antea affirmaverat. Superius namque voluerat, emptorem a vero domino pretium recuperare: nunc autem ipsius domini arbitrio permittens huiusmodi pretium reddere, aut non reddere, vult porro, rem ab emptore, etiam sine pretii recuperatione, restitui. Diximus etiam, eumdem non cohaerenter ratiocinari. Quum enim statuerit, immobilium dominium penes antiquum dominum semper remanere, nec umquam ad emptorem transisse, ex hoc satis aperte consequitur, non quidem rei pretium solvendum esse a legitimo domino, qui eam recuperare intendit; sed potius rem ipsam, sine ulla solutione aut pretii restitutione, ab eo recuperandam esse, aliter enim rem suam emere cogeretur. Quod si aliquis responderet, id ab aequitate et iustitia alienum non esse, quoniam iuxta Decreta anni MDCXXX. idem omnino contingit in mobilibus, quae sine solutione pretii a domino recuperari non possunt; respondetur, dominium mobilium, quamvis resolubile, in emptorem transire, qui deinde illa domino pretium offerenti restituere tenetur; id autem minime accidere emptori immobilium, quorum dominium remanet semper apud legitimum dominum. Rerum porro dominium a priore domino ad alterum non transfertur, nisi id aut lex iubeat, aut hominis voluntas praescribat. Emptores autem tam rerum mobilium, quam immobilium, pro eo quod ad legem attinet, aequali prorsus iure censentur. Nulla enim lege praescriptum est, ut dominium rerum sive mobilium sive immobilium, a vero domino ad illum, qui eas ab invasoribus ac raptoribus mercatus fuerit, transferatur. Sed differentia, quae inter mobilium ac immobilium emptorem intercedit, ab hominis voluntate oritur; quia nimirum domini voluntas, ut supra dictum est, illi, non autem isti, favere praesumitur.

Dominium mobilium in emptorem transferri censetur ex peculiari ratione, quae immobilibus non aptatur.

Concluditur immobilia sine repetitione pretii restituenda

§ 22. Itaque decretis anni MDCXXX. nullo modo contraire nobis videmur, si asseramus, satis fundatam esse opinionem illam,

esse, cum omnibus fructibus.

quae immobilium domino ius tribuit, ut sine ulla pretii restitutione recuperare valeat bona sua, cum omnibus fructibus inde perceptis, ab illo, qui numerata pecunia ea ipsa ab invasoribus emit. Id enim exigit natura belli iniusti, in quo huiusmodi bona occupata fuerunt: id expetit eorum auctorum sententia, qui optima ratione docent, eum, qui furtivam rem se emere dubitat, aut suspicatur, non posse deinde a domino repetere pretium, quod furi numeravit: ***Emptor malae fidei si sibi emit rem, quam vel sciebat, vel dubitabat, seu suspicabatur, esse furtivam, non potest a domino illius rei repetere pretium, quod numeravit furi venditori, quoniam talis repetitionis nullum habet iustum titulum:*** verba sunt Sylvii ***in 2-2 Sancti Thomae, quaest. 62, quaest. 6, art. 6, conclus. 3, pag. 361*** ultimae editionis Antuerpiae: id exigit opinio communis eorum, qui docent, etiam illum, qui rem furto sublatam, bona fide, vel ab ipso fure vel ab alio mercatus fuit, teneri eamdem domino reddere, nec solutum pretium ab eo repetere posse; ut videre est apud Sanchez in ***Summa, lib. 2, cap. 23, num. 2,*** et apud Bonacinam ***tom. 2 de restitutione in genere, disput. 1, quaest. 2, punct. 1, proposit. 1, num. 4.*** Id ipsum deducitur ex regula, quam sequuntur maiora tribunalia: quorum videlicet auctoritate decernitur, bona immobilia ecclesiarum ab haereticis occupata, statim ac ab ipsorum manibus elapsa fuerint, ipso iure redire ad ecclesias, ad quas pertinebant: uti videre est in decisionibus ***Herbipolen. monasterii*** X. ***iunii*** MDCCVII. ***et*** XVII. ***eiusdem mensis*** coram bon. mem. Caffarellio, confirmatis ***in decis. 562, n. 1, tom. 5*** coram bon. mem. Lancetta Decano. Ita praescribit famigeratus textus Innocentii III. ***in cap. Saepe, de restitutione spoliatorum.*** Cum enim ius civile beneficium interdicti *Unde vi*, sive restitutionis, concessisset dumtaxat adversus illum, qui per vim alium de possessione deiecerat, et contra eius haeredem universalem, ut habent ***Lex 1, § ult., et Lex 2 ff. Unde vi;*** minime vero contra illum, in cuius potestatem res furto ablata devenerat, ut patet ex ***L. 7 ff. eod. tit.;*** etiamsi, ille dum rem emit, furtivam eam esse non ignorasset; idque ea ratione, quod interdictum *Unde vi* directe propositum fuerat adversus eum, qui vim intulisset: ***Unde tu illum vi deiecisti.*** Magno illo Pontifici parum tuta visa est haec iuris civilis dispositio; ideoque decrevit, ut remedium possessorii *Unde vi* locum etiam haberet adversus illum, qui spolium quidem non commiserat, sed rem, quam alienam ac furto sublatam esse non ignorabat, a spoliatore mercatus fuerat: ***non obstante iuris civilis rigore, sancimus, ut si quis de caetero scienter rem talem acceperit, quum spoliatori quasi succedat in vitium etc., contra possessorem et huiusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurratur;*** atque sequentem decreti sui attulit rationem: ***Eo quod multum intersit, quoad periculum animae, iniuste detinere, aut invadere alienum.*** Hoc denique postulat canonici iuris adagium, quod est ***in Can. Rapinam 14, quaest. 5,*** ubi sic legitur: ***Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui est ablata, reddatur.***

Purgationi spolii iure canonico subiicitur etiam successor particularis.

§ 23. Si autem ea, quae hactenus dicta sunt, locum habent in casu eorum, qui fundos ab iniustis invasoribus occupatos emerunt; et hi quidem illos, nullo recepto pretio, restituere tenentur; quanam excusatione tueri se poterunt alii illi, qui, ut refert Archiepiscopus Antibarensis, agros et fundos ad ecclesias et monasteria spectantes, ipsi furtim invaserunt, et per occasionem adiacentiae aut vicinitatis usurparunt? Quomodo hi ab obligatione restitutionis, qua manifeste tenentur, se eximere poterunt? Leges civiles usucapionem longi temporis in rebus furtivis, ob malae fidei vitium, nequaquam admittunt. Cum autem inter antiquos prudentes orta esset quaestio, an furtum in solis rebus mobilibus, an vero etiam in rebus immobilibus locum haberet; cumque eorum valuisset opinio, qui asserebant, furtum de mobilibus tantummodo intelligendum esse; ulterius deinde progressi, in eo convenerunt, ut si quis, absque vi, licet mala fide, alicuius rei immobilis possessionem usurpasset, non ipse quidem posset huiusmodi rem usucapione suam facere, posset tamen alius, qui ab ipso rem illam bona fide accepisset; ut videre est ***in L. furtum 37, § 1,*** ac ***in L. sequ. ff. de Usucap.,*** atque in Institutionibus Iustiniani ***eodem titulo.*** Sed neque hic substitit immoderata laxitas auctorum iuris civilis, qui, ad inducendum usucapionis ius, satis habuerunt, bonam fidem initio adeptae possessionis adfuisse; parum solliciti, si mala fides deinde supervenisset; ut videre licet ***in L. 48, § 1, ff. de acquirendo rerum dominio,*** et ***in L.***

Præmissa multo magis procedunt contra furtivos occupatores bonorum eccles.

Nihil usucapi aut praescribi potest iure canonico, ubi adsit malae fidei vitium in quacumque temporis parte.

unic. C. de usucap. At sacri Ecclesiae canones, nil aliud, quam aequitatem animarumque salutem respicientes, tot inutiles subtilitates sustulerunt, statuentes, nullam praescriptionem induci, nisi bona fides et initium possessionis et medium et finem comitetur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; synodali iudicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae:* verba sunt Innocentii III. *in cap. ult. de praescriptionibus.* Haec autem bona fides in nemine sane eorum, de quibus nunc sermo est, admitti potest; quum incredibile sit, in toto assertae usucapionis decursu, nullam eis suppetiisse. notitiam, quod bona occupata ad Ecclesiam pertinuerint.

Pro derelictis haberi nequeunt bona, quae ab Ecclesia, ob impotentiam, non recuperantur.

§ 24. Quod si praedicti possessores hoc saltem contenderent, se bona huiusmodi retinere posse tamquam a dominis, nimirum ab ecclesiis et monasteriis, derelicta, quo casu bona fiunt occupantis, iuxta § *penult. et ult. Institutionum de rerum divisione, et L. 1 et seq. ff. pro derelicto;* in magno quidem errore versarentur. Etenim inter bona derelicta numerari non possunt illa, quae dominus ob impotentiam non recuperat, ut accidit in casu nostro; sed illa dumtaxat, quae quis sponte deserit ac derelinquit, propterea quod eorum possessionem detinere nihili pendit: *Pro derelicto autem habetur quod dominus ea mente abiecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim dominus eius esse desinit.* Quocirca derelictae nequaquam censentur res, quae a domino navis, ut naufragium effugiat, in mare proiiciuntur; et si quis illas lucri causa recuperat, furtum committit: *Alia sane causa est earum rerum, quae in tempestate, levandae navis causa, eiiciuntur; hae enim dominorum permanent; quia palam est, eas non eo animo eiici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit.* Haec omnia verba sunt textus civilis in citatis duobus ultimis paragraphis tituli Institut. *de rerum divisione.*

In casu, de quo agitur, cautissime procedendum.

§ 25. En tibi, dil. fili, quicquid in unum congerere nobis datum est, ut quaestionibus ab Archiepiscopo Antibarensi propositis responderemus; quod quidem in summa, sententiae Congregationis de Propaganda Fide, quam nobis retulisti, consentaneum dici potest; verum non ideo nobis plane satis factum esse profitemur. Innuit in suis literis Archiepiscopus, id quod Antibari accidit, in aliis quoque Albaniae civitatibus contingere, ubi complures sunt christiani, qui bona immobilia ecclesiarum aut empta de Turcis, aut de facto occupata possident. Ulterius itaque progreditur prudens ille praesul; cumque magnopere cupiat aliquam sibi viam patefieri ad pacandas conscientias, illasque a censuris, quibus propter iniustam ecclesiasticarum possessionum detentionem adstrictae sunt, absolvendas; nihilominus aeque vereri se ostendit, ne turbae excitentur, si hodiernis possessoribus, ut iustitiae ratio postularet, iniungeretur aut fundorum aut fructuum vel alicuius portionis eorum restitutio. Animadvertendum quoque est, Antibarum aliasque Albaniae civitates, de quibus nunc agitur, sub temporali Othomanica ditione consistere; unde minimum quod metuere possemus, aliqua exoriente perturbatione, id esset, ut prodiret decretum: *uti possidetis, ita possideatis,* quod ad pacandas conscientias nihili valeret; nisi etiam deterius aliquid in christianorum sanctaeque nostrae religionis perniciem contingeret. Hoc illud est, quod animum nostrum commovet atque perturbat; nosque eo adducit, ut, nisi nova et certiora nobis suppeditentur indicia, ex quibus intelligamus, quid maxime in praedictis regionibus timeri posset, si huic negotio manus admoveantur, nihil nos statuere posse existimemus de instructionibus aut facultatibus circa haec Antibarensi Archiepiscopo communicandis. Quod nunc tibi significare possumus, et de quo tibi mandamus, ut ipsam congregationem certiorem facias, illud est, nos ita animo esse comparatos, ut suprema, qua fungimur auctoritate, pro generalis bonorum ecclesiasticorum administratoris officio, huiusmodi bonorum possessoribus perceptos fructus condonemus, eosque ad retinendam possessionem fundorum, quamvis iniuste occupatorum et detentorum, idoneos reddamus, et ab incursis censuris absolvamus; ne forte christianae religionis eversionem intueri in illis regionibus, in quibus, licet sub Turcarum

Pontifex, si ita res ferent, apostolica auctoritate ad indulgendum uti non dubitabit.

dominatione degentibus, eadem adhuc Deo miserante viget, neve Episcoporum electiones, aut innocuorum Christifidelium persecutiones et vexationes audire cogamur; nobisque tot mala imputari, propterea quod auctoritatem illam in his interponere neglexerimus, quam nobis Deus *in aedificationem, et non in destructionem* largitus est, quaque praedecessores nostri similibus in casibus uti non dubitarunt.

Facultates olim a Sede Apostolica tributae Card. Polo super bonis ecclesiarum Angliæ.

§ 26. Quum tempore Mariae Angliae Reginae, bon. mem. Reginaldo Cardinali Polo gravissima demandata fuisset provincia, Angliam ipsam Ecclesiae Romanae reconciliandi, Pontifex Iulius III. in Brevi expedito *die* VIII. *martii* MDXLIV. facultatem ei concessit, cum his, qui ecclesiasticorum bonorum possessionem iniuste occupaverant, quique ad Ecclesiae Romanae sinum redirent, concordandi et transigendi super fructibus male perceptis, et super mobilibus consumptis: *restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite detentis;* uti videre est *in tom. 4* Conciliorum magnae Britanniae, *pag. 42, col. 2.* At quia in rei executione fortasse compertum est, eiusmodi facultates nimis angustas esse, in alio Brevi expedito *die* XXVIII. *iunii eiusdem anni,* praefato Cardinali plenam ac liberam largitus est potestatem *cum quibuscumque bonorum ecclesiasticorum tam mobilium, quam immobilium in praefato regno possessoribus, seu detentoribus, pro quibus ipsa Serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis, arbitrio tuo, auctoritate nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, et cum eis, ut praefata sine ullo scrupulo in posterum retinere possint, dispensandi; omnia et singula alia, quae in his et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, consulendi et faciendi; salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem haec Sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et praefatae Sedis beneplacito et confirmatione.* Breve hoc editum est *in citato tom. 4, pag. 102 et 103,* et in Annalibus Raynaldi *ad annum Christi* MDXLIV., *n. 8.* Praedictus vero Cardinalis, *ne novae inde turbae concitarentur, Ordinibus postulantibus et urgentibus, adactus est publico instrumento, Pontificis nomine et auctoritate, omnes de eiusmodi bonis et possessionibus, quoad poenas et censuras canonicas, in perpetuum securos et absolutos declarare:* verba sunt Spondani *ad eumdem an.* MDLIV., *num. 4.* Hisque consentiunt Sanderus *de Schismate Anglicano, lib. 2, pag. 349 edit. Roman. anni* MDLXXXVI.; Davanzatus *in sua Historia Schismatis Anglicani* edita Florentiae *anno* MDCXXVIII., *pag. 91;* qui omnes pariter conveniunt in celebranda praefati Cardinalis prudentia, qua difficillimum negotium, servata Ecclesiae dignitate, transegit.

Aliae dispensationes ab eadem concessae in hac materia.

§ 27. P. Schmalzgrueber *in suo citato consilio 15, tom. 2,* casum perpendit haeretici principis, qui augustanam confessionem deserens, catholicam amplectitur religionem; ac quaerit, quomodo gerere se debeat quoad bona ecclesiastica, quae auctoritate pacis Westfaliae ab Ecclesia reprobatae possidet; et quidem *eiusdem consil., quaesit. 2, num. 22* concludit, quod *vel restituere illa tenetur, vel ad ea retinenda Apostolicae Sedis dispensationem sollicitare,* exemplum afferens Ducis Neoburgi Wolphangi Willhelmi, ac eius filii electoris Palatini Willhelmi; et asserens, quod erga conversos ad fidem catholicam *adeo benigna esse solet Sedes Apostolica, ut, etiamsi iusta sit causa, retentionem illorum,* idest immobilium ecclesiae bonorum, *ipsis dispensative concedat.*

Quid Clem. XI. edixerit de bonis ecclesiarum Saxoniae.

§ 28. Denique praedecessor noster Clemens Papa XI. ad Augustum II. Poloniae Regem in literis datis *die* X. *novemb. an.* MDCCXII. *in tom. 2 illius Brevium editorum, pag. 243,* ut eum ad promovendam fidei catholicae propagationem in suis Saxoniae ditionibus excitaret, ita scripsit: *Certam reddimus Maiestatem tuam, quod neque a te, neque a tuis successoribus catholicis, aut ab aliquo alio, qui sanctam ibi religionem nostram amplexurus sit, nos unquam illorum bonorum, quae per Saxoniam antiquitus ad ecclesias pertinebant, restitutionem postulaturi sumus: quinimmo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si, haeresi eiurata, ad catholicam fidem redire constituant, nos ipsis praefata bona omnia in perpetuum condonabimus; idque ea ratione ac forma exequemur, ut ne a nostris quidem successoribus in posterum quicquam adversus haec postulari queat.*

Quid Clem. XII. super eosdem statuerit.

Atque hoc promissum adimplens Clem. XII. in sua Constitutione, quae incipit *Sedes Apostolica, num. 67, in tomo 13 novi Bullarii Romae editi,* illi Saxoniae incolis, qui bona ad ecclesias antiquitus pertinentia possidentes, haeresim aut eiurassent,

aut eiuraturi forent, concessit, ut bona quae possidebant, retinere, ac de illis, tanquam de rebus suis, disponere libere possent; omnesque praeterea fructus ex ipsis antea perceptos illis condonavit.

Quod ad errantes reducendos praestitum fuit, idipsum ad nutantes retinendos fieri potest.

§ 29. Allata haec exempla nostro sane casui per omnia nequaquam similia esse cognoscimus; ibi enim agebatur de impedimento removendo ab illis, qui S. R. E. gremium ingredi cupiebant; hic autem sermo est de hominibus, qui nostrarum partium sunt, quique christiana et catholica professione censentur. Verumtamen rationis fundamentum idem omnino in allatis exemplis, ac in nostra facti specie, nobis esse videtur; ut scilicet suprema apostolica auctoritas adhibenda sit in gravibus, publicis ac urgentibus casibus, quibus per ordinariae auctoritatis usum satis provideri nequit. Eos vero, qui recedendi a nobis tentatione sollicitari possent, a praecipiti casu, quantum fas est, remorari, si non idem est, ac viam sternere illis, qui ad nos accedere cupiunt, non multum sane ab eo differre nobis videtur. Haec habebamus tibi significanda: tibique, dilecte fili, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XIX. martii MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXXXV.

Suppresso Aquileiensi patriarchatu et vicariatu apostolico, erigit metropolitanam ecclesiam Goritiensem (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

Sacrosanctae militantis Ecclesiae gubernacula, quae copiosus in misericordia Deus, et in cunctis suis gloriosus operibus, ad

---

(1) Ex Reg. Vat. ep. Ben. XIV. an. XIV., p. 281, 287, depromimus sequentes literas quibus, an. MDCCLIV. clerum universum Goritiae de archiepiscopatus erectione certiorem facit.

Dilectis filiis praelatis, superioribus, presbyteris, aliisque utriusque cleri saecularis et regularis civitatis et dioecesis Goritiae,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Vobis, dilecti filii, prae caeteris magis compertum exploratumque esse debet, quot a nobis suscepti labores, quot toleratae angustiae, quae obita discrimina fuerint, ut tandem, benedicente bonorum omnium largitore Deo, et charissima in Christo filia nostra Maria Theresia Bohemiae et Hungariae Regina illustri in Imperatricem electa apostolicis nostris consiliis studiisque obsecundante, archiepiscopatum Goritiae ab extincto patriarchatu Aquileien. tot confusionum dissidiorumque fomite penitus separatum a fundamentis erigeremus et constitueremus. Nec alia sane ratione, quam ut opportunum et salutare ad aeternam animarum Christifidelium istarum partium salutem facilius comparandam remedium commodumque afferremus; sicut ex aliis apostolicis nostris sub plumbo pridie nonas iulii anno Incarnationis Dominicae MDCCLI. expeditis literis plenius de omnibus constat. Eapropter praecipuas apostolici ministerii nostri partes esse reputamus, ut maiori, quam antea, cum sollicitudine ac vigilantia adlaboremus, non solum omnia et singula a nobis pro perenni eiusdem archiepiscopatus stabilitate acta, gesta, ac statuta sarta tectaque custodire; verum etiam nova semper pro dicti archiepiscopatus utilitate, decore, tranquillitate et incremento, quoad nobis vita superstes erit, apostolicae providentiae auctoritatisque documenta iuxta sacros canones et apostolicas constitutiones minime desiderari in iis praesertim, quae rectam debitamque Sacramentorum administrationem, animarumque curam respiciunt. Ac primum quidem, etsi, vobis, dilecti filii, a Tridentina Synodo, sess. 23, cap. 15, de Reformatione decretum est; illud tamen vobis in memoriam revocare tenemur, nimirum nullum sacerdotem sive saecularem sive regularem nullo pacto posse Sacramentum Poenitentiae quibusvis saecularibus personis etiam sacerdotibus ministrare, nisi vel actu parochus et legitime constitutus sit, vel in examine per Ordinarium Antistitem, in cuius dioecesi fidelium confessiones audire debet, aptus et idoneus ad illas excipiendas repertus approbatusque fuerit; cum amplissima derogatione privilegiorum et consuetudinis cuiuscumque etiam immemorabilis eidem decreto contrariorum. In huiusmodi sane decreto sive dispositione comprehensae intelliguntur, ac sunt, omnes et singulae regularium virorum familiae quamvis speciali ac specialissima mentione dignae, quemadmodum a felicis recordationis Urbano Papa VIII. praedecessore nostro in sua apostolica constitutione 92, quae incipit; *Cum sicut accepimus:* statutum pariter habetur, quemlibet sacerdotem sive saecularem sive regularem non posse curam animarum sive cum perpetuo sive cum ad tempus titulo gerere et exercere, nisi prius fuerit ab Ordinario Antistite approbatus, eidemque ab ipso Antistite commissa animarum cura; cum huiusmodi actus ad potestatem episcopalem privative pertineat; sicut non solum in capite *Cum satis, de officio archidiaconi,* statutum legitur; in quo apertis literis contrariae consuetudini derogatur; verum etiam in capite 11, sess. 25, de Regularibus eiusdem Tridentini Concilii. Quamvis autem in hoc cap. 11 contraria Regularium privilegia minime abrogantur; tamen, cum in cap. ultimo dictae sessionis 25 de Regularibus eorumdem regularium hac in re privilegiis derogetur, huiusmodi derogatio comprehendit etiam quidquid in ipso capite 11 statutum est iuxta constitutionem recolendae memoriae Innocentii PP. XIII. itidem praedecessoris nostri, cuius initium est: *Apostolici Ministerii,* a felicis pariter recordationis Benedicto PP. XIII., etiam praedecessore nostro in sua constitutione, quae incipit: *In suprema,* confirmatam. Quod a nobis quoque in constitutione nostra, cuius principium est: *Apostolicum Ministerium,* pro missionibus Angli-

Iusta causa veteres supprimendi, novasque erigendi cathedrales statuitur urgens necessitas avertendi dissidia.

hoc nobis, meritis quamvis imparibus, committere, et debilitati nostrae magnum apostolicae servitutis iugum imponere voluit, ut tamquam de summo vertice montis ad huius mundi infirma reflectentes intuitum, quid pro huiusmodi Ecclesia illustranda, ad fidei orthodoxae propagationem, divinique cultus augmentum conferat, quidque animarum Christifidelium saluti quomodolibet conveniat, attentius prospicere non omittamus, demandata tenentes, et propterea causis dissidiorum, quae inimicus homo suggerit, per suppressionis et extinctionis ecclesiarum, etiam patriarchalium, fontium et originum dissidiorum huiusmodi ministerium, penitus eliminatis, apostolica auctoritate, qua fungimur in hac parte, earum loco novas ecclesias metropolitanas, pro dominiorum diversitate, ne fideles ipsi inibi degentes in recidivae contentionis scopulum relabantur, erigimus, aliaque desuper disponimus, prout rationabiles causae et pia sublimium principum vota exposcunt, temporumque, locorum et personarum qualitatibus et circumstantiis matura deliberatione pensatis, ad Omnipotentis Dei, eiusque gloriosissimae genitricis Virginis Mariae laudem et gloriam, ac eius-

---

canis die XXX. mensis maii anno MDCCLIII. proxime elapso editam § 10 declaratum statutumque fuit. Porro Romani Pontifices praedecessores nostri ad dissidia et litium iurgia non sine gravi Christifidelium offensione e medio ubique gentium tollenda semper intenti sapientissime constituerunt iura, quae super parochiales regularium virorum ecclesias, et super regulares personas curam animarum saecularium hominum in ipsis regularium virorum ecclesiis exercentes, ordinariis Episcopis omnino competunt. Quae quidem iura nos quoque per nostram constitutionem, quae die VI. mensis novembris anno MDCCXLVII. in lucem prodiit et incipit: *Firmandis:* non solum apertissime declaravimus explicavimusque; verum etiam antedictas praedecessorum nostrorum constitutiones retulimus et amplissime confirmavimus; insuper exposuimus et decidimus controversias omnes, quae super exercitio episcopalis auctoritatis quoad parochiales ecclesias regularium virorum, parochosque regulares alias exortae fuerant. Nos itaque laudatis tam praedecessorum nostrorum quam nostris constitutionibus conciliaribusque decretis inhaerentes, decernimus, statuimus et mandamus, ut nullus omnino sacerdos sive saecularis sive regularis in civitate et dioecesi Goritiae possit confessiones hominum saecularium etiam sacerdotum excipere, nisi parochus legitime constitutus, et ab Archiepiscopo Goritiae pro tempore existente canonice approbatus, vel nisi ab ipso debitam ad excipiendas Christifidelium confessiones facultatem consecutus fuerit. Item decernimus, statuimus et mandamus, ut, salvo semper iure patronorum sive ecclesiasticorum sive laicorum (quatenus ipsis de iure competat praesentandi, nominandive quemlibet sacerdotem vel saecularem vel regularem ad exercendam animarum curam, aut cum perpetuo titulo), nullus omnino sacerdos praesentatus vel nominatus curam animarum suscipere et exercere possit, etiamsi parochia unita sit et incorporata, uti dicitur, monasterio, et parochus ipse sit monachus, nisi ab Archiepiscopo approbatus, eidemque ipsa animarum cura ab ipso quoque Archiepiscopo demandata et commissa fuerit. Denique decernimus, statuimus et mandamus, ut semper stabile salvum et illaesum sit, iuxta praemissa, ius Archiepiscopi Goritiae super ipsis ecclesiis parochialibus, quamvis unitae sint monasteriis quocumque genere unionis, super ipsis quoque parochis etsi regularibus in iis omnibus quae curam animarum concernunt, nec non super omnibus aliis quibuscumque, qui licet titulo parochiali carentes, in Sacramentorum administratione se ingerunt. Eapropter per hasce nostras in forma brevis literas apostolica auctoritate, et de plenitudine nostrae potestatis, omnibus et singulis quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus derogantes et derogatum esse et fore cupientes, declaramus omnes et singulos quoscumque cuiusvis dignitatis, auctoritatis, et praeeminentiae praelatos, archidiaconos, sive saeculares sive regulares, et omnes et quascumque parochiales ecclesias quamvis monasteriis, conventibus, coenobiis, eremis, hospitalibus, hospitiis, domibus, locisque piis, et quocumque alio nomine nuncupatis cuiusvis Ordinis, Instituti, Congregationis, Societatum, et etiam Societatis Iesu, confraternitatis, sodalitatis ac religionis quomodolibet unitas et incorporatas, sub hac ordinatione nostra comprehendi, et comprehensos, et comprehensas esse fore et intelligi debere et haberi. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, et Apostolicae Sedis Nuntios et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritatè, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et cancellariae nostrae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, et quibusvis aliis apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Ceterum volumus et praecipimus, ut in ipso archiepiscopatu a nobis, ut supra innuimus, erecto et instituto, omnia a Concilio Tridentino praescripta exacte serventur, constitutiones omnes sive a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sive a nobis ipsis promulgatae, accurate custodiantur debitaeque executioni dentur, atque ut Archiepiscopus pro tempore existens habeat et libere exerceat omnes et singulas facultates, quas et sacri canones Episcopis tribuunt et concedunt, et laudata Tridentina Synodus Ordinariis locorum tamquam delegatis apostolicis impertitur. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX. martii MDCCLIV., pontificatus nostri anno XIV.

dem militantis Ecclesiae honorem, conspicimus in Domino salubriter expedire.

§ 1. Sane etc. *Sequitur narratio suppressionis patriarchatus Aquileiensis, eiusque dioecesis et provinciae divisos in duos archiepiscopatus;* (1) ac alias prout in literis nostris apostolicis pontificatus nostri anno undecimo desuper expeditis plenius et uberius continetur. Nos propterea erectioni archiepiscopatus Goritiensis huiusmodi modum et formam imponere, eamdemque erectionem per nos, ut praefertur, factam, apostolica auctoritate praefata confirmare cupientes, quique dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeret, et in unionibus semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest; motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, in dicta civitate Goritiensi valde conspicua, et in sui amplitudine circuitus duorum milliarum et ultra, in qua civitate Goritiensi, eiusque suburbiis, plures, ut pariter accepimus, reperiuntur ecclesiae, videlicet presbyterorum regularium Societ. Iesu cum publico gymnasio, ac fratrum Ordinis Minorum conventualium Sancti Francisci, et Cappuccinorum, et Carmelitarum discalceatorum nuncupatorum, praeter duo monialium monasteria, unum sub Sanctae Clarae, alterum vero sub Sanctae Ursulae respective regulis, et tres utriusque sexus Christifidelium confraternitatum ecclesiae, scilicet Sanctissimi Sacramenti, et Sanctorum Angelorum Custodum, et Sancti Ioannis Nepomuceni nuncupati, nec non ecclesia fratrum Misericordiae nuncupatorum, ut iure merito archiepiscopalis civitatis nomine nuncupari valeat, parochialem ecclesiam Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti, cum ei annexis altera parochiali ecclesia de Salcano nuncupata Goritien., ac perpetuo simplici beneficio ecclesiastico sub invocatione Sanctae Annae in parochiali, seu alia ecclesia dictae civitatis Goritiensis, quae, sicut etiam accepimus, de iurepatronatus laicorum nobilium et illustrium, videlicet praefatae Mariae Theresiae reginae, ex fundatione vel dotatione existit, et quam quondam cognominatus comes Coronini primodictae parochialis ecclesiae rector, dum viveret, obtinébat, quaeque per obitum dicti cognominati comitis, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, ad praesens vacat, sive, ut praefertur, sive alias quovis modo etc. Illiusque titulum collativum ac denominationem, naturam et essentiam parochialis ecclesiae collativae, ita quod ex nunc illa collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum conferri aut impetrari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones huiusmodi nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, nullique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, eadem apostolica auctoritate, de consensu praefatae Mariae Theresiae reginae, perpetuo supprimimus et extinguimus: illisque sic suppressis, et extinctis eamdem parochialem ecclesiam Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti, in sua structura valde elegantem, et ob eius pulchritudinem, ac praecipue septemdecim marmoreorum altarium in ea existentium magnificentiam, dignam propterea ut titulo et honore archiepiscopalis ecclesiae decoretur, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, ac Beatae Virginis Mariae, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, necnon fidei catholicae exaltationem, et totius ecclesiae militantis gloriam, in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam Goritiensem nuncupandam, et in ea archiepiscopalis et metropolitani praesulis Goritiensis sedem et provinciae caput, pro uno deinceps Archiepiscopo Goritiensi, qui pallii et crucis usum aliorum Archiepiscoporum more habeat, cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa archiepiscopali, omnibusque aliis insigniis archiepiscopalibus, nec non privilegiis, honoribus et praerogativis Archiepiscopis debitis et concessis, ac iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus et indultis realibus, et personalibus, et mixtis, quibus aliae metropolitanae ecclesiae, earumque praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, seu ex indulto aut privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt, similiter perpetuo erigimus et instituimus, ac nomine, titulo et honore archiepiscopali et metropolitano decoramus, necnon pro tempore existentem ecclesiae praefatae Goritiensis praesulem in

Parochialis ecclesia Exaltationis S. Crucis, et S. Viti una cum aliis supprimitur, et extinguitur.

Eaque erigitur in ecclesiam archiepiscopalem et metropolitanam, cum omnibus iuribus.

(1) Vide supra const. *Postquam per alias — Iniuncta nobis.*

Archiepiscopum declaramus, eique, ut ipse caetera singula, prout Metropolitanis in eorum civitatibus, dioecesibus et provinciis a iure indultum extitit, facere, exercere et administrare, et exequi possit, eadem auctoritate concedimus et indulgemus.

Assignantur ecclesiae suffraganeae, in quas ius metropoliticum obtineat.

§ 2. Praeterea eidem ecclesiae Goritiensi ecclesias episcopales Tridentinam, ac Tergestinam et Petinensem, necnon Comensem, patriarchatus olim Aquileiensis per nos, ut praefertur, suppressi et extincti suffraganeas, ac ven. fratres nostros modernos, ac pro tempore existentes earum respective Episcopos, pro Archiepiscopi Goritiensis pro tempore existentis suffraganeis, qui tanquam membra capiti eidem Archiepiscopo Goritiensi iure metropolitico subsint: ita quod Archiepiscopus Goritiensis pro tempore existens praefatus, in Tridentina, ac Tergestina, ac Petinensi, necnon Comensi civitatibus et dioecesibus, ius metropoliticum sibi vindicet; necnon Tridentina, ac Tergestina et Petinensis, ac Comensis ecclesiae praefatae eidem Archiepiscopo et Metropolitano Goritiensi ad omnia et singula teneantur et sint adstrictae, ad quae suffraganei suis metropoliticis ecclesiis et Metropolitanis tenentur et obligati sunt, ut iudicentur iuxta canonicas sanctiones; ac eidem Archiepiscopo Goritiensi praefatos suos suffraganeos consecrandi, ad provinciales Synodos evocandi, ac cum eis etiam ecclesiastica negotia terminandi, et causas quarumcumque appellationum, sive querelas, alias ad eum tamquam Metropolitanum, iuxta decreta Concilii Tridentini devolutas, ac alias iuxta sacrorum canonum statuta spectantes, cognoscendi, omniaque alia et singula quaecumque, quae de iure vel consuetudine, aut alias quovis modo ad Archiepiscopos et archiepiscopale munus spectare et pertinere solent et debent, gerendi, faciendi et exercendi, plenam et omnimodam auctoritatem concedimus et facultatem.

Alia designantur Goritiensis provinciæ membra.

§ 3. Provinciae quoque Goritiensis clerum et populum universum, ac omnia loca, ecclesias et monasteria ac oratoria et pia loca, necnon confraternitates a parte imperii existentes olim praefato Aquileiensi patriarchatui per nos, ut praefertur, suppresso et extincto subiecta et subiectas, pro eorumdem ecclesiae et Archiepiscopi Goritien. provincialibus, pariter perpetuo concedimus et assignamus, ac deinceps perpetuis futuris temporibus praefatas Tridentinam et Tergestinam, ac Petinensem, necnon Comensem ecclesias, dictae ecclesiae Goritien. suffraganeas censendas, ac tam eas, quam illarum civitates et dioeceses respective universas, sub ipsa provincia Goritiensi comprehensas et nullatenus ab ea exemptas, nec dictae Sedi Apostolicae immediate, neque ulli alteri, nisi tantum Goritien. ecclesiae et illius Archiepiscopo praefatis, quoad archiepiscopalia, metropolitica, ac provincialia iura et iurisdictiones, subiectas esse et fore, dicta auctoritate declaramus. Pro residentia vero et habitatione Archiepiscopi Goritien. pro tempore existentis praefati, in eadem civitate Goritien. domum conspicuam et mobilibus decenter instructam, cum suis cappella, necnon viridario et vinea propinquis, seu annexis, et ad hunc effectum a pia liberalitate quondam tunc in humanis agentis Augustini Codelli, dum viveret, donatam et destinatam, concedimus et assignamus.

Et archiepiscopales Aedes.

Capitulum in nova metropolitana dignitatibus et Canonicis constitutum, nec non Mansionariis, aliique tituli eriguntur.

§ 4. Utque eadem parochialis ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti in archiepiscopalem ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta, ex omni parte perfectior reddatur, condignoque capitulo et canonicorum et dignitates in ea obtinentium, ac mansionariorum numero condecoretur, in ea unam praeposituram, quae inibi post pontificalem maior, ac de infrascripto iure nominandi regio semper existat, pro uno presbytero dictae parochialis ecclesiae Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti in archiepiscopalem ecclesiam Goritien., ut praefertur, erectae praeposito, qui illius capituli, ut infra erigendi, caput existat, et in choro, capitulo, processionibus, caeterisque functionibus, et actibus capitularibus publicis et privatis dictae ecclesiae, praeeminentiam et primum locum habeat, et unum decanatum, qui secunda, quemque pro tempore obtinens praepositus ad Sanctum Stephanum denominari debeat, attento quod in Gradiscae territorio quaedam ecclesia olim filialis ecclesiae patriarchalis Aquileiensis per nos, ut praefertur, suppressae et exstinctae, titulo praepositurae decorata reperitur, pro uno clerico seu presbytero futuro dictae ecclesiae decano, et unum primiceriatum, qui tertia, dignitates inibi respective existant, quemque pro tempore etiam obtinens abbas Belinge seu de Belluna vel Bulegna denominari similiter debeat, attento quod in eodem Gradiscae territorio quaedam ecclesia pariter olim filialis praefatae ecclesiae Aquileiensis titulo abbatiae decorata

reperitur, pro uno clerico seu presbytero futuro dictae ecclesiae primicerio; ac quinque canonicatus, totidemque praebendas, pro totidem clericis seu presbyteris futuris in ea canonicis; ac sex mansionariatus, pro sex presbyteris futuris in ea mansionariis; ac unam et alteram perpetuas sine cura cappellanias, pro duobus presbyteris ut infra nominandis, qui tamen in patriarchali ecclesia Aquileiensi, per nos, ut praefertur, suppressa et extincta praefata, pro celebratione infrascriptarum missarum remanere debeant; cum capitulo, stallo, mensa capitulari, arca, bursa et sigillo communibus, ac omnibus et singulis aliis capitularibus signis et insigniis, alii metropolitanis ecclesiis, earumque capitulis de iure, usu, consuetudine, privilegio aut alias quomodolibet, non tamen ex indulto seu privilegio particulari, competentibus, quique praepositus, ac decanus et primicerius, necnon canonici praefati, capitulum inter se constituant, et tam ipsi quam mansionarii praefati apud dictam ecclesiam personaliter residere, ac in ea singulis diebus, et debitis temporibus, horas canonicas, ac missam conventualem seu maiorem semper pro benefactoribus applicandam, caeteraque divina officia solita et consueta, cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina, ac infrascriptis ordine et praecedentia omnino servatis, videlicet quod praepositus semper primum, ac decanus secundum, ac primicerius tertium locos habeant, deinde iuxta antianitatem quinque canonici, et successive etiam iuxta antianitatem seu mansionarii praefati succedant, qui mansionarii nunquam de gremio capituli censeri debeant, minusque vocem aut votum in capitulo ac sessionibus capitularibus habere valeant, sed, ultra ecclesiae servitium ferialibus diebus, canonicis ac dignitates in ea obtinentibus, omnes vero Archiepiscopo Goritiensi pro tempore existenti, prout in Cathedralibus et metropolitanis ecclesiis practicari solet, inservire teneantur, psallere, decantare, recitare et respective celebrare, et alias dictae ecclesiae in divinis laudabiliter deservire debeant et teneantur, dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus et instituimus. Illisque sic erectis et institutis pro mensarum archiepiscopalis et respective capitularis praefatae parochialis Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti ecclesiae in archiepiscopalem ecclesiam Goritiensem ut praefertur erectae, nec non archiepiscopatus et praepositurae, ac decanatus et primiceriatus, ac quinque canonicatuum, totidemque praebendarum, nec non sex mansionariatuum, ac unius et alterius cappellaniarum, ut praefertur, erectorum et erectarum huiusmodi, respective dote, illumque ac illos et illas pro tempore respective obtinentium congrua sustentatione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione omnia et singula fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta universa ex infrascriptis monasterio ac parochialibus ecclesiis et beneficiis, ut infra, supprimendis et extinguendis, et fundationibus seu legatis piis, etiam ut infra, applicandis; ita tamen, ut Archiepiscopo Goritiensi sexmille sexcenti, ac praeposito, praeter infrascriptae domus habitationis usum, mille, et decano octingenti, ac primicerio sexcenti, singulis vero ex quinque canonicis quadringenti et quinquaginta, ac singulis ex sex mansionariis pro tempore existentibus praefatis biscentum, nec non singulis ex duobus cappellanis praefatis centum et quinquaginta floreni monetae currentis in ditionibus Austriacis, annuatim assignentur, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus et appropriamus: ita quod liceat futuris Archiepiscopo Goritiensi ac praeposito, et decano, ac primicerio, et quinque canonicis, nec non mansionariis praefatae ecclesiae in archiepiscopalem, ut praefertur, erectae pro tempore existentibus, illarum et illorum omnium fructuum, redditurum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum huiusmodi, veram, realem et actualem possessionem, per se, vel alium, seu alios, eorum, ac dictarum mensarum archiepiscopalis et respective capitularis nominibus, propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque percipere, exigere, levare, ac in eorum et mensarum archiepiscopalis et respective capitularis huiusmodi usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita.

Ordo praecedendi, incumbentia onera.

Et praebendales redditus unicuique assignantur, ac definiunt.

§ 5. Praeterea monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Petri de Rosacio Ordinis S. Benedicti olim Aquileien. dioecesis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, cuius fructus, redditus et proventus, ad trecentos trigintatres florenos auri, cum uno tertio alterius floreni similis in libris Camerae Apostolicae, ut etiam acce-

Divisio commendae monasterii Sancti Petri de Rosacio nuncupati in duas commendas, quae duobus Archiepiscopis Goritien. cum suis respective fructibus perpetuo conceduntur.

pimus, taxati reperiuntur, quodque dilectus similiter filius noster Angelus Maria praefatae S. R. E. Cardinalis Quirinus nuncupatus modernus Episcopus Brixiensis in commendam ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis ad praesens obtinet, ac in similem commendam ex pari concessione apostolica ad vitam obtineri consuevit, ex nunc prout ex tunc, et cum primum illud per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem, dicti Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi, aut alias quovis modo ex eius persona, commenda praefata cessante, vacare contigerit, etiamsi etc., firmo remanente titulo commendae huiusmodi, in duas partes, seu duas deinceps commendas per nos ut infra erigendas, quorum una, quae redditus ex bonis in Austriaca ditione consistentibus in summa florenorum mille et centum monetae praefatae, ut pariter accepimus, ad praesens habet, Goritiensis; altera vero, quae redditus ex bonis in Veneto dominio existentibus etiam ad praesens habet, Utinensis respective dioecesis denominari, ac primodicta Goritiensi, secundo dicta vero commendae ut infra erigendae, Utinensi Archiepiscopis pro tempore existentibus, et non aliis personis in commendam apostolica auctoritate praefata concedi et assignari debeant, dividimus et separamus, et respective in unam et alteram commendas Ordinis et denominationis, seu tituli eiusdem monasterii S. Petri de Rosaccio, ut praefertur, divisas et separatas, quae tamen noviter in libris Camerae Apostolicae praefatae, habito respectu ad earum respective fructus, taxentur, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Utique dioecesi assignantur monasteria et commendae.

§ 6. Declarantes nihilominus unam Abbatiam Belinge, seu de Belluna vel Bulegna, et alteram praeposituram Sancti Stephani, respective nuncupatas ecclesias supradictas, in praefato territorio Gradiscae, ut praefertur, existentes sub dioecesi Goritiensi praefata, versaque vice monasterium Abbatiam nuncupatum Sancti Galli de Mozio seu Mosacen. praefati Ordinis Sancti Benedicti, cuius fructus, redditus et proventus ad trecentos florenos auri similes in libris eiusdem Camerae Apostolicae, ut pariter etiam accepimus, taxati reperiuntur, quodque dictus Daniel praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Patriarcha Delfinus nuncupatus, ac monasterium, Abbatiam etiam nuncupatum, S. Mariae de Sexto, praefati Ordinis S. Benedicti, eiusdem Aquilejensis respective dioecesis, per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, ac cuius fructus, redditus et proventus ad biscentum sexaginta florenos auri pares in eisdem libris praefatae Camerae Apostolicae, ut similiter accepimus, taxati reperiuntur, et quod dilectus pariter filius noster Hieronymus praefatae S. R. E. Cardinalis Columna nuncupatus, in commendam, ad eorum respective vitam, ex concessione et dispensatione apostolicis ad praesens respective obtinent, quaeque in similem commendam ex pari concessione apostolica ad vitam obtineri consueverunt, sub dioecesi Utinensi deinceps respective comprehendi debere; quodque futuri capitulum et canonici ecclesiae Utinensis per alias nostras literas in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam erigendi, imposterum teneantur et obligati existant, vice summae vigintisex ducatorum auri de camera cum tribus quartis alterius ducati similis, conficientium scuta quadragintasex et obulos octoginta monetae romanae, singulis quindenniis, officialibus Cancellariae Apostolicae, ratione unionis perpetuae parochialis ecclesiae S. Pauli de Lovaino olim Aquilejensis dioecesis, necnon ratione alterius unionis perpetuae thesaurariae, praefatae Patriarchalis olim ecclesiae Aquilejensis dignitatis, inibi non tamen post pontificalem maioris existentis, eidem patriarchali ecclesiae, seu illius mensae patriarchali aut capitulari pariter, per nos, ut praefertur, suppressis et extinctis alias apostolica auctoritate respective factarum, ad alteram, solutiones summae sexaginta unius ducatorum auri similium, cum tribus quartis alterius ducati paris, conficentium summam centum et octo scutorum monetae praefatae, et obulorum quinque eiusdem monetae, eisdem cancellariae praefatae officialibus etiam singulis quindenniis respective debitorum, respective faciendas.

De solutione quindenniorum opportune statuitur.

Onera missarum et anniversaria in suppressa patriarchali relicta, ubi et quomodo adimplenda.

§ 7. Considerantes itaque dignum esse, quod in praefata ecclesia Goritiensi, ut praefertur, erecta, usque ab eius exordio pro Christifidelium ad eam concurrentium commoditate aliquis maior missarum celebrandarum numerus reperiatur; quodque in olim patriarchali ecclesia Aquilejensi per nos, ut praefertur, suppressa et extincta, ob exiguum presbyterorum inibi remanentium numerum, solita anniversaria celebrari nequibunt, decernimus, quod impo-

sterum celebrentur, ut prius, ab infrascriptis presbyteris, ut infra nominandis, quotannis missae privatae quingentae et sexaginta, videlicet etc. etc. Sequentia vero anniversaria per eosdem pro tempore existentes capitulum et canonicos praefatae ecclesiae in archiepiscopalem Goritiensem, ut praefertur, erectae, quotannis, seu et per praefatos mansionarios celebranda, ad eam apostolica auctoritate praefata transferimus, videlicet etc. etc.

Parochialis patronata ecclesia S. Mariae de Romans supprimitur.

§ 8. Praeterea parochialem ecclesiam, Sanctae Mariae de Romans nuncupatam, Goritien., quae, sicut similiter accepimus, de eodem iurepatronatus laicorum nobilium et illustrium, videlicet praefatae Mariae Theresiae reginae, ex fundatione vel dotatione existit, quaeque per obitum quondam Ioannis Baptistae Caterini, dum viveret, illius rectoris, qui extra dictam curiam diem clausit extremum, ad praesens vacat, sive ut praefertur, sive alias quovis modo etc., illiusque titulum collativum ac denominationem, naturam et essentiam parochialis ecclesiae collativae, ita quod ex nunc collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum conferri aut impetrari non possit, et si illam deinceps conferri aut impetrari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones huiusmodi, nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, nullique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant, eadem apostolica auctoritate, de consensu praefatae Mariae Theresiae reginae, etiam perpetuo supprimimus et extinguimus, illamque sic suppressam et extinctam, una cum omnibus et singulis secundodictae parochialis ecclesiae bonis, rebus et proprietatibus, illorumque fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, cuiuscumque nominis, naturae, speciei, qualitatis et quantitatis existant, eisdem mensis archiepiscopali et respective capitulari praefatae parochialis ecclesiae Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti in archiepiscopalem ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erectae: ita quod liceat futuris Archiepiscopo ac illius capitulo et canonicis, eorum ac utriusque mensae huiusmodi respective nominibus, omnium et singulorum secundodictae parochialis ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae bonorum, rerum, proprietatum, fructuum etc. possessionem etc. apprehendere et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus etc. percipere, exigere, levare, ac in eorum et utriusque mensae huiusmodi usus et utilitatem convertere, cuiusvis licentia desuper minime requisita; supportatis tamen per futuros Archiepiscopum ac capitulum et canonicos praefatos omnibus et singulis secundodictae parochialis ecclesiae, ut praefertur, suppressae et extinctae oneribus, dicta apostolica auctoritate, de simili consensu praefatae Mariae Theresiae Reginae modernae et unicae secundodictae parochialis ecclesiae patronae praefatae, pariter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Et una cum omnibus fructibus et proventibus archiepiscopali et capitulari mensae unitur.

Curae animarum utriusque parochiae, tam suppressae quam in metropolitanam erectae, cumulate consulitur.

§ 9. Et insuper, ne cura animarum dilectorum quoque filiorum parochianorum tam primodictae Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti in archiepiscopalem ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erectae, quam secundodictae, ut praefertur, suppressae et extinctae parochialium ecclesiarum huiusmodi, aliquod in eius exercitio, caeterisque eiusdem muneribus, oneribus et obligationibus, patiantur detrimentum, unam in primodicta, ac alteram in secundodicta parochialibus ecclesiis huiusmodi vicarias perpetuas, pro uno et altero presbyteris saecularibus, futuris primo et secundodictarum parochialium ecclesiarum huiusmodi vicariis perpetuis, per dictam Mariam Theresiam reginam eiusque filios et descendentes nominandis, et ab Ordinario loci ad curam animarum exercendam approbandis, atque in dictis vicariis ad nominationem huiusmodi per ipsum Ordinarium instituendis, qui vicarii sic in illis instituti, apud primo et secundodictas parochiales ecclesias huiusmodi personaliter respective residere, ac curam animarum parochianorum praefatorum laudabiliter exercere, eisque ecclesiastica Sacramenta administrare, aliaque onera primo et secundodictis parochialibus ecclesiis huiusmodi quomodolibet incumbentia, subire et adimplere, prout rectores primo et secundodictarum parochialium ecclesiarum huiusmodi pro tempore existentes facere debebant et tenebantur, similiter et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, etiam debeant et teneantur, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus; illisque sic erectis et institutis, pro illarum respective congrua et competenti dote, illasque pro tempore obtinentium congrua sustentatione, et onerum illis

Constitutis ibi duobus Vicariis perpetuis cum congrua ad formam constitutionum apostolicar. definienda.

incumbentium supportatione, ex fructibus dictarum mensarum archiepiscopalis et capitularis respective, summam futuris vicariis praefatis ab eodem Ordinario loci iuxta sacrorum canonum et Concilii Tridentini praefati decreta, nec non constitutiones Pii Papae V. etiam praedecessoris nostri, super declaratione assignationum vicariis perpetuis faciendarum editae, dispositionem, quotannis assignandam et per futuros Archiepiscopum ac capitulum et canonicos Goritienses praefatos persolvendam, apostolica auctoritate praefata, etiam perpetuo applicamus et appropriamus.

Alia archiepiscopalis et capitularis mensae accessio ex suppressione beneficii simplicis.

§ 10. Et, quia, sicut etiam accepimus, alias, videlicet de anno eiusdem domini millesimo sexcentesimo octogesimo sexto, quondam tunc in humanis agens Vitus Gullini presbyter, in eius postremo, sub quo ab humanis decessit, elogio, nonnulla eius bona, quorum redditus ad praesens ad valorem annuum duorum millium florenorum monetae illarum partium, ut pariter accepimus, ascendunt, intuitu erectionis cathedralis ecclesiae Goritiensis reliquit, et deinde de anno praefati domini millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, bonae memoriae Sebastianus Antonius, dum viveret, praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Tanarius nuncupatus, tunc dictae Sedis Apostolicae Nuncius Viennae commorans, ex bonis a praefato Vito, ut praefertur, relictis, unum simplex, et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum in parochiali seu alia ecclesia civitatis Goritiensis praefatae, iuxta decretum Congregationis tunc existentium praefatae S. R. E. Cardinalium decretorum dicti Concilii Tridentini interpretum, erexit et fundavit: nos provide considerantes, attenta erectione archiepiscopalis ecclesiae Goritiensis huiusmodi per nos, ut praefertur, facta, piam praefati Viti intentionem et fundationem suum plenarium effectum iam consequutam esse, beneficium, ut praefertur, ad tempus destinatum, erectum et fundatum huiusmodi, non obstante quovis dissensu seu obstaculo moderni illius titularis, praevia illius tituli collativi, quatenus opus sit, perpetua suppressione et extinctione, una cum omnibus et singulis illius bonis, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et emolumentis universis, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, mensis archiepiscopali et respective capitulari praefatis, supportatis tamen per futuros Archiepiscopum et capitulum et canonicos Goritienses omnibus et singulis dicti beneficii, ac praesertim unius missae privatae, quam per dictos futuros capitulum et canonicos in suffragium animae praefati Viti quotannis celebrari mandamus, oneribus, pariter perpetuo unimus, annectimus et incorporamus.

Dos archiepiscopalis ecclesiae quanta, et unde conficienda.

§ 11. Insuper ex praefatis dismembrationibus et suppressionibus, ac respective unionibus et applicationibus, per nos, ut praefertur, factis, certam et fixam dotem, tam archiepiscopalis, quam capitularis Goritien. mensarum huiusmodi destinare intendentes, pro tempore existenti Archiepiscopo Goritiensi, in computum praefatorum sex millium sexcentorum florenorum annuorum pro eius manutentione, ut praefertur, assignatorum, redditus patriarchalis ecclesiae praefatae Aquilejensis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, ad quatuorm ille et quadringentos florenos huiusmodi annuatim, ut similiter accepimus, ascendentes; ac ex nunc prout ex tunc, et e contra, postquam dictum monasterium Sancti Petri de Rosacio ex persona praefati Angeli Mariae Cardinalis et Episcopi quovis modo, illius commenda praefata, ut praefertur, cessante, vacare contigerit, eiusdem monasterii S. Petri de Rosacio fructus, redditus et proventus ex bonis in Austriaca ditione existentibus provenientes, et ad summam mille centum florenorum monetae illarum partium etiam annuatim, ut pariter accepimus, ascendentes; ac etiam quibus patriarchatus Aquilejensis per nos, ut praefertur, suppressus et extinctus, illiusque Patriarcha pro tempore existens a parte imperii fruebatur, in summa quadringentorum sexaginta quatuor florenorum similium annuorum; necnon redditus, secundodictae parochialis ecclesiae S. Mariae de Romans, ut praefertur, suppressae et extinctae, ac etiam, ut praefertur, unitae, annexae et incorporatae, ad sexcentos florenos similiter annuatim, ut etiam accepimus, ascendentes, similiter perpetuo concedimus et assignamus. Et quamvis ad complendam integram summam dictorum sex millium et sexcentorum florenorum monetae praefatae pro congrua Archiepiscopi Goritiensis pro tempore existentis praefati assignatorum, trigintasex floreni similes annuatim deficiant; nihilominus eadem summa, ut praefertur, assignata, tamquam integra computari debebit, tum quia bona, ut par est, diligenter administrata, maiores

producere poterunt redditus, tum etiam quia pro tempore existens Archiepiscopus Goritiensis praefatus exemptus semper erit a solutione quindenniorum Sedi Apostolicae praefatae capitulo et canonicis patriarchalis ecclesiae Aquilejensis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae antea solvi solitorum, pro bonis nonnullorum monasteriorum illius mensae capitulari alias unitorum, ad quorum solutionem capitulum et canonici ecclesiae Goritiensis, ut praefertur, erectae pro tempore existentes praefati, ex nunc imposterum tenebuntur et obligati existent. Quibus itidem pro eorum particulari dote, onerumque eis pro tempore incumbentium supportatione, infrascriptos redditus, ad summam octo millium ducentorum et quatuor florenorum dictae monetae annuatim, ut pariter accepimus, ascendentes, scilicet florenos mille et quingentos ex praefata parochiali ecclesia Exaltationis Sanctae Crucis et Sancti Viti, ut praefertur, suppressa et extincta, et in archiepiscopalem ecclesiam Goritiensem, ut praefertur, erecta; ac florenos bismille ex praefato beneficio pariter, ut praefertur, suppresso et extincto; ac florenos quatuormillia ex bonis haereditariis dicti quondam Augustini Codelli, licet bona haereditaria huiusmodi, ex dispositione praefati Augustini, pro erectione episcopatus seu cathedralis ecclesiae Goritiensis relicta fuerint, necnon florenos similes septingentos quatuor ex communibus redditibus capituli et canonicorum olim ecclesiae patriarchalis Aquilejensis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, annuatim respective provenientes; et quemcumque alium fundum, quatenus existat, pro dote et annuo adimplemento missarum et anniversariorum destinatum, etiam pariter concedimus et assignamus. Cum hoc tamen, quod administratione omnium bonorum huiusmodi apud capitulum et canonicos praefatae ecclesiae Goritiensis pro tempore existentes praefatos remanente, teneantur ipsi capitulum et canonici ex illorum redditibus subministrare annuatim florenos mille praeposito, qui etiam fruatur habitatione domus ab eodem quondam Vito Gulini, ut similiter accepimus, relictae, ac octingentos decano, et sexcentos primicerio, ac quadringentos quinquaginta cuilibet ex quinque canonicis praefatis, ac ducentos cuilibet ex sex mansionariis huiusmodi, necnon centum quinquaginta florenos similes cuilibet ex duobus presbyteris cappellanis nuncupandis, qui praeter sacristam, annuos redditus trecentorum florenorum similium separatim habentem, inservient, et insimul missas celebrabunt in antiqua patriarchali ecclesia Aquilejensi per nos, ut praefertur, suppressa et extincta, semper tamen Sedi Apostolicae praefatae immediate subiecti et delegato apostolico, prout ordinatur in praefatis nostris literis apostolicis incipientibus — *Iniuncta nobis* — pridie nonas iulii, pontificatus nostri anno undecimo, ut praefertur, expeditis.

Quanta itidem dos capitularis mensae et quomodo inter dignitates et canonicos, reliquosque mansionarios, et cappellan. partienda.

Quae reliqua est summa, in quos usus eroganda.

§ 12. Et quia, iuxta supradictum computum, annuatim superabundare videntur mille sexcentiquatuor floreni similes, isti erogari debebunt in adimplementum onerum missarum et anniversariorum translatorum, et ut superius ordinatorum, inter quas missas una annuatim privale celebranda erit in suffragium animae praefati quondam Viti Gulini, necnon in manutentionem praefatae ecclesiae Aquilejensis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, ac novae ecclesiae archiepiscopalis Goritiensis, pro medietate cum Archiepiscopo Goritiensi pro tempore existente et pro salariis ministrorum, aut alterius occurrentis solutionis, onerum, et similiter pro prompta et integra satisfactione quindenniorum praefatae Sedi Apostolicae debitorum pro praefato monasterio de Belinga seu Belluna, vel Bulegna, ac dicta praepositura ad Sanctum Stephanum, praefati territorii Gradiscae in Austriaco dominio, mensae capitulari praefatae ecclesiae patriarchalis Aquilejensis per nos, ut praefertur, suppressae et extinctae, alias unitis, videlicet florenos auri de camera septuagintaduos, et solidos novem pro eodem supradicto monasterio de Belinga seu Belluna, vel Bulegna, eorumdem fratrum nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium collegio, qui ad monetam romanam reducti conficiunt summam centum vigintinovem scutorum dictae monetae et obulorun octoginta duorum, singulis quindenniis; et Cancellariae Apostolicae officialibus septuaginta quinque ducatorum auri de camera huiusmodi, qui sunt in moneta romana praefata scuta centumviginti septem, et obuli septuaginta quinque; necnon camerae apostolicae florenos vigintinovem, qui conficiunt summam scutorum quinquagintaduorum dictae monetae; itaut in totum debeantur in decursu annorum quindecim scuta trecenta novem, et obuli septuagintaduo cum dimidio alterius obuli paris; et

ulterius praefatae Cancellariae Apostolicae officialibus, pro praefata praepositura ad Sanctum Stephanum Gradiscae, ut supra, unita singulis pariter quindenniis, ducatos auri de camera similes centum et tres, qui conficiunt summam centum octoginta scutorum dictae monetae, et obulorum viginti-quinque; itaut ambabus dictis partitis computatis, pro tempore existentes capitulum et canonici praefatae archiepiscopalis ecclesiae Goritiensis per nos, ut praefertur, erectae tenebuntur et obligati erunt solvere singulis quindenniis scuta quadringenta octoginta novem, et obulos nonaginta septem praefatae monetae, quae singulis annis repartita, quolibet anno constituunt summam scutorum trigintaduorum, et obulorum sexaginta sex cum dimidio alterius obuli similis.

Conceditur facultas capitulo condendi, reformandi, ac corrigendi statuta pro oeconomica bonorum administratione, et ecclesiae servitio.

§ 13. Praeterea eisdem futuris, et pro tempore existentibus ecclesiae Goritiensis Archiepiscopo, capitulo et canonicis, et dignitates praefatas obtinentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae ecclesiae Goritiensis, ac illius mensae capitularis, sacristiae et fabricae, earumque rerum et bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero felicique statu, regimine, gubernio et directione, ac onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum diurnarum et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum, processionum, funeralium et anniversariorum celebratione, ac de dignitatibus, canonicatibus et praebendis, ac mansionariis praefatis, aliisque ministeriis ecclesiasticis, inibi pro tempore providendorum receptione et admissione, personali residentia, distributionum etiam quotidianarum et emolumentorum quorumcumque repartitione et amissione, poenarum per absentes a divinis officiis et functionibus, suis loco, tempore non interessentes, seu onera et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione atque incursu, singulorum praesentiis et absentiis notandis, caeremoniis et functionibus in praefata ecclesia, illiusque choro, capitulo, processionibus et aliis actibus servandis, necnon praefatae ecclesiae ministris deputandis et amovendis, salariis et stipendiis, eorum cuilibet assignandis, ac quibusvis aliis rebus, in praemissis et circa ea quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta et sacris canonibus, ac praefati Concilii Tridentini decretis et constitutionibus apostolicis non contraria, concedere et edere, conditaque et edita, pro temporum et rerum varietate et qualitate, mutare, limitare, corrigere, declarare et interpretari, ac in meliorem formam redigere, seu alia de novo etiam ex integro concedere, et per eos, ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contrafacientes statuendis, observari facere, libere et licite valeant, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus et impertimur.

Ac dignitatibus et canonicis cappae magnae, mansionariis autem almutiae usus.

§ 14. Ulterius futuris praefatae ecclesiae in archiepiscopalem, ut praefertur, erectae praeposito et decano, ac primicerio et quinque canonicis, necnon sex mansionariis praefatis, eorumque in praepositura et decanatu et primiceriatu, ac singulis canonicatibus et praebendis, necnon sex mansionariatibus huiusmodi successoribus respective pro tempore existentibus, ut ipsi praepositus videlicet, ac decanus et primicerius, ac quinque canonici praefati, cappam magnam violacei coloris cum pellibus armellinis subsutam, et rocchettum; mansionarii vero praefati almutiam, tam in praefata ecclesia in archiepiscopalem, ut praefertur, erecta, quam extra eam, et tam in processionibus, quam aliis actibus et functionibus quibuscumque publicis et privatis, etiam extra civitatem Goritiensem praefatam, ac ubique locorum, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, generalibusque conciliis, ac etiam in praesentia dictorum venerabilium fratrum nostrorum praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium de latere Legatorum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Ordinarii etiam proprii, ac aliorum quorumcumque, ac etiam in ipsius ecclesiae choro et capitulo, quibusvis anni temporibus et diebus deferre et gestare, illisque respective uti libere et licite valeant, et possint.

Universa denique iura caeteris Capitulis quomodolibet competentia.

§ 15. Eisdem quoque praeposito et decano, ac primicerio et quinque canonicis, necnon sex mansionariis pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi eorumque officiales ac ministri, ac res, bona, proprietates et iura quaecumque, omnibus et singulis tam spiritualibus, quam temporalibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, quibus aliarum similium archiepiscopalium et me-

tropolitanarum ecclesiarum illarum partium capitula, dignitates, canonicatus et praebendas, ac mansionariatus in eis obtinentes, eorumque officiales et ministri, ac bona, iura, res et proprietates, de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, aut uti, frui, potiri et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter, ac aeque principaliter et ubique, absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus et praefati Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri et gaudere libere et licite etiam possint et valeant, perinde ac si eis nominatim et expresse concessa fuissent, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus et ingulgemus.

Ius nominandi ad metropolitanam ecclesiam, dignitates, canonicatus, mansionariatus, et cappellanias reservatur favore Reginae Hungariae, eiusque filiorum, et descendentium.

§ 16. Et insuper, attentis praefatae Mariae Theresiae Reginae peculiaribus meritis, dum ipsa pro erectione novae archiepiscopalis ecclesiae Goritiensis huiusmodi consensum praestitit unioni beneficiorum aliquot ecclesiasticorum de suo iure-patronatus existentium, ac considerabilibus muneribus et donativis eidem archiepiscopali ecclesiae Goritiensi per eam factis, sperantes etiam quod in posterum, pro eius singulari liberalitate, alia similia aut maiora facere possit, eidem Mariae Theresiae Reginae, eiusque filiis et descendentibus, ius nominandi ad praefatam archiepiscopalem ecclesiam tam hac prima vice, a primaeva illius erectione et institutione per nos, ut praefertur, factis, pastoris solatio destitutam, quam deinceps, quoties eam pro tempore quomodolibet, non tamen per obitum apud Sedem Apostolicam praefatam, etiam pastoris solatio destitui contigerit, personam idoneam, per nos, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, ad nominationem huiusmodi, eidem ecclesiae Goritiensi in Archiepiscopum praeficiendam, necnon ad praeposituram et decanatum et primiceriatum, et quinque canonicatus et praebendas, ac sex mansionariatus praefatos, necnon ad unam et alteram perpetuas cappellanias in praefata ecclesia patriarchali Aquilejensi per nos, ut praefertur, suppressa et extincta, pro celebratione missarum et anniversariorum praefatorum, inibi per unum et alterum presbyteros, cappellanos nuncupandos, obtinendas, destinatos et, ut praefertur, erectos et erectas huiusmodi, quandocumque et quotiescumque illos et illas de caetero, quibusvis modis, et ex quorumcumque personis, etiam nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis, seu quorumvis praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam tunc viventium, familiaribus et continuis commensalibus, seu praefatae Romanae Ecclesiae et curiae officialibus, aut alias reservationem et affectionem inducentibus, seu per liberas, etiam ex causa permutationis, resignationes de illis in Romana Curia praefata, etiam in nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel extra eam quomodolibet, respective factas et admissas, aut assequutionem aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quavis auctoritate collatorum, seu illos et illas pro tempore respective obtinentium in aliquo ex mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti praefato ac eidem Sedi Apostolicae reservatis, non tamen per obitum apud Sedem eamdem, decessum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, religionis ingressum, et professionis in ea emissionem, matrimonii contractum, aut alias quomodocumque et qualitercumque vacare contigerit, personas itidem idoneas, in praepositura per nos, ut praefertur, erecta praefata, quovis modo, et in quibusvis mensibus pro tempore vacante, per Ordinarium loci; in primiceriatu vero, ac singulis quinque canonicatibus, totidemque praebendis, ac sex mansionariatibus, necnon una et altera cappellaniis per nos, ut praefertur, erectis huiusmodi, non tamen in infrascriptis sex mensibus pro tempore vacan., neque in dicto decanatu quovis modo, et in quibusvis mensibus etiam pro tempore vacante, etiam per eumdem Ordinarium loci respective instituendas, simili apostolica auctoritate pariter perpetuo reservamus, concedimus et assignamus; necnon ius nominandi huiusmodi tam ad dictam ecclesiam Goritiensem, quam ad praeposituram, et decanatum, et primiceriatum, et quinque canonicatus, totidemque praebendas et sex mansionariatus, ac unam et alteram cappellanias per nos, ut praefertur, erectas et erectos huiusmodi, regium existere, eidemque Mariae Theresiae reginae, eiusque filiis et descendentibus praefatis, semper et perpetuo competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem,

validitatem et roboris firmitatem iuris nominandi regii huiusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praestantissimis et efficacissimis clausulis et decretis, in quacumque dispositione etiam per viam constitutionis, legis, regulae Cancellariae Apostolicae, aut alias quomodocumque facta, nullatenus comprehendi, neque illi ullo umquam tempore et ex quavis causa derogari posse, neque debere, ac collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de praepositura, et decanatu, ac primiceriatu et quinque canonicatibus, totidemque praebendis, ac sex mansionariatibus, necnon una et altera cappellaniis, ut praefertur, erectis huiusmodi, absque ipsius Mariae Theresiae Reginae, eiusque filiorum et descendentium praefatorum consensu seu nominatione, pro tempore factas, processusque desuper habendos, et inde sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi, nec ius, aut coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui posse decernimus.

Quando expediendae sint literae apostolicae, et cum quibus expressionibus.

§ 17. Cum hoc tamen, quod quoties praefatam ecclesiam Goritiensem pastoris solatio destitui, ac decanatum praefatum quovis modo, et in quibusvis mensibus, praefatum vero primiceriatum, ac quinque canonicatus, totidemque praebendas et sex mansionariatus, ac unam et alteram cappellanias, ut praefertur, erectos et erectas huiusmodi, in sex mensibus, scilicet ianuarii, martii, maii, iulii, septembris et novembris, Sedis Apostolicae praefatae iuxta concordata Germaniae reservatis, vacare contigerit, ad illam et illos ac illas nominatio huiusmodi, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, tantum fieri debeat, et ad illos et illas respective, ut praefertur, pro tempore nominati, literas apostolicas, cum expressione tamen fructuum tam decanatus, quam primiceriatus, ac quinque canonicatuum, totidemque praebendarum, necnon sex mansionariatuum, et unius et alterius cappellaniarum huiusmodi, in vigintiquatuor ducatis auri de camera huiusmodi, iuxta stylum Germaniae, expedire teneantur; ad ecclesiam praefatam vero Goritiensem pro tempore etiam nominati pariter literas apostolicas expedire, ac iura praefatae camerae apostolicae et aliis propterea debita, iuxta taxam, quae ab eorumdem Cardinalium collegio praefato, habito respectu ad praesentes redditus mensae archiepiscopalis Goritiensis praefatae, necnon ad aliam taxam correspondentem redditibus a praefato monasterio Sancti Petri de Rosacio, ut praefertur, dismembratis, et pro tempore existenti Archiepiscopo Goritiensi assignatis, in summa septingentorum florenorum auri huiusmodi, statuta fuit, et quam in eadem summa in libris camerae apostolicae praefatae describi volumus; et in qua taxa florenorum septingentorum comprehendi debeat taxa communis dicti monasterii Sancti Petri de Rosacio Goritiensis dioecesis, quae ab Archiepiscopis Goritiensibus pro tempore, utpote in provisione ecclesiae archiepiscopalis solvenda, in literis apostolicis commendae eiusdem monasterii desuper expeditis persolvi non debebit, persolvere similiter teneantur.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§ 18. Praesentes quoque literas semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, nec ullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in ius vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per nos et Sedem Apostolicam praefatam, sub quibuscumque tenoribus et formis, et sub quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, pro tempore factis et faciendis, comprehendi vel confundi, sed tamquam ad fidei catholicae exaltationem, divinique cultus incrementum, et animarum aedificationem et solatium, factas et emanatas, semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, per futuros et pro tempore existentes Archiepiscopum et Capitulum ac canonicos Goritienses praefatos, ac alios, quorum favorem eaedem praesentes literae quomodolibet concernunt, quandocumque eligenda, concessas, validasque fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: et sic ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes,

Aliter iudicari prohibetur.

etiam causarum palatii apostolici auditores, eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vicelegatos, dictaeque Sedis Nuncios, et quoslibet alios quavis praerogativa et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et si secus super his a quodam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane motu pari similiter decernimus etc. etc. etc.

Derogatio contrariorum.

§ 19. Non obstantibus priori voluntate nostra praefata, ac piae memoriae Bonifacii Papae Octavi etiam praedecessoris nostri de una, et Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, ac quibusvis aliis, etiam in synodalibus, provincialibus generalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon nostris et Cancellariae Apostolicae praefatae regulis de iure quaesito non tollendo ac de gratiis ad instar non concedendis, necnon Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones et applicationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, ac, quatenus opus sit, primodicti monasterii et Ordinis praefati, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, quibusvis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet, etiam pluries et iteratis vicibus concessis, confirmatis, approbatis et innovatis, necnon praefata ultima dicti quondam Augustini Codelli voluntate et dispositione. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, alias de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita et peculiaris forma servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validitatis effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, ac latissime et plenissime harum quoque serie, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus derogamus, contrariis quibuscumque etc.

Sanctio poenalis.

§ 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, perpetuae suppressionis, extinctionis, erectionis, concessionis, dismembrationis, separationis, assignationis, unionis, declarationis, applicationis, annexionis, incorporationis, facultatum impartitionis, indulti, iuris nominandi, reservationis et extensionis, decreti, mandati et commissionis, collationis, provisionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, quartodecimo kalendas maii, pontificatus nostri anno XII.

CXXXVI.

Confirmat et ampliat concessiones Clementis XII. pro Ordine Eremitarum S. Augustini Provinciae Mexicanae.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Petitionis expositio.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Emanuelis Gutierres, fratris expresse professi, ac Procuratoris provinciae Mexicanae sub invocatione SSmi Nominis Iesu Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, nomine eiusdem provinciae Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum exposito, quod ipsa provincia plures habet sibi subiectas parochias Indorum, quae doctrinae appellantur, in quibus institui debent in parochos ii dictae provinciae professores, callentes diversa idiomata, quibus utuntur Indi illarum parochiani, ut eis sacramenta, aliaque ad salutem necessaria administrent: quam ob rem ipsa provincia, ad effectum

incitandi suos alumnos ad addiscenda illa idiomata, nonnulla pro tempore praemia constituerat iis, qui curam animarum in huiusmodi parochiis exercerent; et signanter sibi concedi obtinuerat a fel. record. Clemente Papa. XII. praedecessore nostro per quasdam in simili forma Brevis die XXVIII. maii MDCCXXXVIII. expeditas literas incipientes: *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas etc.*, ut quatuor dictarum doctrinarum seu parochiarum antiquiores Rectores omnibus iuribus, privilegiis, gratiis et exemptionibus, quibus provinciales absoluti gaudent, uti, frui et gaudere valerent, nonnullis praescriptis conditionibus; prout in dictis literis, quarum tenorum praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, plenius dicitur contineri: et in eadem expositione subiuncto, quod (cum dicta provincia nuper satius meliusque esse cognovisset, ad effectum idoneoribus et habilioribus animarum curam in posterum committendi) easdem Clementis praedecessoris literas ampliari et extendi plurimum desiderabat; ita, ut iis, quatenus ampliationi et extensioni huiusmodi obstent, minime obstantibus, ac cum expressa clausula et conditione de non ferendo praeiudicium ullum iis, qui actualiter reperiuntur in possessione seu quasi possessione huiusmodi privilegiorum, praerogativarum, et exemptionum, concedere dignaretur, ut, cessantibus per illorum omnium aut singulorum cessum vel decessum dictis privilegiis, gratiis, praerogativis et exemptionibus; si inter eos, qui pro tempore exercuerint dictam curam animarum, aliquis existat, qui antea lector aut praedicator de numero extiterit, is praeferatur caeteris omnibus, qui sese in lectura aut praedicatione numquam exercuerint, ad dictum effectum praecisum assequendi dicta privilegia, praerogativas et exemptiones, quibus semper quatuor dumtaxat ex huiusmodi alumnis parochis, et non plures, gaudere possint et debeant; sequentibus tamen conditionibus:

I. Ut ex lectoribus, vel praedicatoribus iubilatis a iure, sive praesentatis ad magisteria, ad tramites constitutionum et consuetudinum dictae provinciae, et per spatium sex annorum curam in dictis Indorum parochiis, doctrinis nuncupatis, exercentibus antecedenter ad tempus, quo eventura sit aliqua vacatio dictarum exemptionum, antiquior in iubilatione sive praesentatione praeferatur caeteris aliis, etiamsi antiquiores fuerint in exercitio curae animarum, ad effectum assequendi dictas exemptiones.

II. Quod, si inter exercentes huiusmodi animarum curam nullus lector aut praedicator iubilatus sive praesentatus ad magisteria extiterit; tunc ex simplicibus lectoribus aut praedicatoribus, ad eumdem effectum, is praeferatur, qui antea se, in lectura quidem per sexennium, in praedicatione vero per octo annos, exercuerit, curamque animarum a decem annis antecedenter ad tempus vacationis gesserit.

III. Quod inter plures sic qualificatos, antiquior in lectura vel praedicatione minus antiquo praeferatur; etiamsi minus antiquus in dictis muneribus foret antiquior in exercitio curae animarum: et, quatenus in muneribus lecturae aut praedicationis essent aequales, tunc quidem ad antiquioritatem exercitii curae animarum in dictis parochiis, et in casu omnimodae aequalitatis in dictis muneribus et exercitio, tunc ad antiquioritatem professionis in religione: ac tandem, si adhuc reperirentur aequales, ad maiorem aetatem et potiora merita respective attendatur, et secundum supradicta requisita unus prae alio gratificetur.

IV. Quod, etiamsi aliquis, ut praefertur, qualificatus supradictas exemptiones adeptus fuerit, nihilominus nequeat huiusmodi curae animarum exercitium dimittere aut deserere; nisi, postquam pervenerit ad sexagesimum suae aetatis annum; vel, si in priorem provincialem canonice electus fuerit: in quo posteriore casu, nedum desistat ab exercenda dicta animarum cura; sed insuper, eo ipso, quod sic electus extiterit, censeantur vacare exemptiones, quas pro dicto exercitio curae animarum obtinebat; et procedatur ad adiudicationem dictarum exemptionum favore alterius, qui dictis qualitatibus, ordine, quo supra, insignitus reperiatur.

V. Quod, si, evenientibus vacationibus dictarum exemptionum, nullus reperiatur, qui modo praemisso qualificatus existat; exemptiones tunc vacantes adiudicentur antiquiori inter illos, qui simpliciter exercuerint curam animarum in dictis parochiis, qui pariter subiiciatur adimplemento praecedentis quartae conditionis.

VI. Demum, quod diiudicatio qualitatum et in recensitis casibus aequalitatis, gratificatio unius prae alio ex adspirantibus ad dictas exemptiones, istarumque adiudicatio,

privative ad priorem provincialem pro tempore existentem, una cum suo definitorio, spectet atque pertineat; assignando tamen supradictis sic exemptis locum immediate sequentem post Patres ex-Provinciales, qui provinciam gubernarint, aut deinceps gubernaturi sint (1). Edidit decretum tenoris sequentis, videlicet: « *In Audientia Sanctissimi habita ab infrascripto domino secretario sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium sub die* XXII. *martii* MDCCLII., *Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, iuxta petita, arbitrio pleni Definitorii provinciae. Romae etc. C. A. Cardinalis Cavalchini. Ioseph Maria Archiepiscopus Damasci secretarius. Loco sigilli* ». Quoniam autem dictus Emanuel Procurator, quo praemissa firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere exoptat:

Concessio. § 2. Nos, ipsum Emanuelem procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes; et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes; supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis firmitatis robur adiicimus.

Clausulae. § 3. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, eiusdem Clementis praedecessoris literis praefatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac Ordinis et provinciae huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. aprilis MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXXXVII.

Concedit Praefecto et V. Praefecto missionis FF. Capuccinorum in Insulis Americanis facultatem ad viginti annos conferendi Confirmationem, etiam chrismate veteri, si desit novum, dummodo interim ibidem non constituantur Episcopi, vel, ipsis impeditis, de eorum licentiâ; item singulis missionariis, quoad fideles suarum paroeciarum in periculo mortis constitutos; tandem Praefecto ac V. Praefecto semel benedictionem apostolicam fidelibus impertiendi (2).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Immensa Iesu Christi, cuius supremas in terris vices plane immerentes gerimus, caritas, quemadmodum quidem facit, ut nos de aeternâ animarum praetioso Sanguine quasi Agni Immaculati redemptarum salute soliciti, maximopere laetemur, cum audimus, barbaros infidelesque utriusque sexus homines ab ipsâ Europâ longissime remotos accepisse verbum Dei et per sacrum regenerationis lavacrum in Christo renatos viam mandatorum Dei currere; ita urget nos etiam, ut minime patiamur opportuna apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae commoda ab ipsis catholicam fidem amplexis desiderari; quibus et ad eamdem fidem strenue profitendam, et ad pugnam contra potestatem tenebrarum fortiter sustinendam, per Spiritus Sancti plenitudinem

---

(1) Videtur aliquid deesse.

(2) Ex Bull. Capuc. vol. VII., coll. cum Reg. Vat.

sacramento Confirmationis collatam, magis magisque roborentur et confirmentur.

Petitio. § 1. Quoniam autem dilectus filius Carolus Franciscus à Rothomago Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum frater expresse professus et provincialis provinciae Normandiae, qui praefectus missioni in Insulis americanis carissimo in Christo filio nostro Francorum Regi christianissimo subiectis per eiusdem Ord. fratrum Min. Capuccinorum alumnis peragendae constitutus, ad missionem huiusmodi visitandam illuc profectus, inde munere suo laudabiliter perfunctus in Gallias rediit, nuper per epistolam Rothomagi die XII. mensis martii proxime elapsi currentis anni ad nos datam, atque a dilecto pariter filio Cherubino de Noves laudati Ordinis fratre itidem expresse professo ac definitore generali eiusdem missionis in hac almâ urbe nostra procuratore nobis exhibitam, ita de statu, conditione et profectu illius missionis nos edocuit, ut non leve pontificio animo nostro, propter persecutiones adversus alias missiones in Sinis, Cocincinâ, aliisque regnis et ditionibus motas exagitato, allatum fuerit solatium; nonnulla propterea statuta et sanctiones, quas pro missione Americanâ antedicta ipse Carolus Franciscus praescripserat, eidem epistolae adligavit: atque insimul exposuit, in memoratis nimirum insulis americanis Gallicae ditioni subiectis, non solum nullum adhuc Antistitem constitutum esse, verum etiam nullum ad easdem insulas penetrasse, a quo neophyti sacramentum Confirmationis hactenus insigniri potuerint; unde fere omnes sacro Baptismatis lavacro dumtaxat abluti, aliisque muniti sacramentis, viam universae carnis ingressi sunt, et deinceps quoque, nisi aliter provisum fuerit, caeteros Christifideles sine sacrâ Confirmatione ex humanis fore excessuros, non est dubitandum: eapropter supplices insuper preces addidit, ut hac in parte de apostolicâ benignitate et auctoritate, ut infra, providere et indulgere dignaremur.

Concessio. § 2. Nos itaque, a quibus supremo pastorum Principi Iesu Christo aeterno Iudici ipsius in terris vices gerentibus gravissima omnium animarum suo sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, aerumnas ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, apostolicis laudibus commendantes, supplicationibus ab eodem Carolo Francisco a Rothomago super hoc humiliter porrectis inclinati, ipsumque Carolum Franciscum nec non caeteros inibi missionarios Capuccinos amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, attentis praesertim praemissis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, modernis et pro tempore praefecto et vice-praefecto eiusdem missionis Americanarum Insularum existentibus, ac praefecti et vice-praefecti huiusmodi muneribus durantibus, ut sacramentum Confirmationis sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusqe sexus Christifidelibus illarum dumtaxat paroeciarum, quae reperiuntur sub curâ et regimine FF. Capuccinorum eiusdem missionis, iuxta Ritualis Romani ritum, libere et licite conferre et administrare possint et valeant, eâ tamen lege, qua ad viginti dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo praesentes nostras in formâ Brevis literas acceperint, computandos, tribuimus et impertimur; ut, si interea temporis nempe viginti annorum contingat in iisdem insulis Americanis Gallicae ditioni subiectis vel residentiales Antistites vel Apostolicos Vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos ab eâdem Apostolicâ Sede deputari, impertita huiusmodi facultas nulla sit, et nullius prorsus roboris ac momenti habeatur; secus vero, rata ac firma intelligatur, cum vel residentiales Antistites, vel Apostolici Vicarii charactere et auctoritate episcopali insigniti, legitimis canonicisque impedimentis detenti, iisdem praefecto et vice-praefecto pro tempore concesserint, ut in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto ac tempore accedere voluerint, sacramentum Confirmationis, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vitâ migrare contingat, conferre possint.

§ 3. Insuper omnibus et singulis eiusdem missionis missionariis sacerdotibus Capuccinis eamdem conferendi sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum

dumtaxat paroeciarum in periculo vel articulo mortis constituto facultatem tribuimus.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia intra praescriptum viginti dumtaxat annorum spatium existere et fore etc. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuncios etc.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis Minor. Capuccin. etiam iuramento confirmatione apostolica etc.

Fides transumpti.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo eiusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 7. Ceterum, caelestis praesidii auspicem ipsi Carolo Francisco praefecto ceterisque missionariis illarum insularum apostolicam benedictionem, quam cum plenariis Indulgentiis peccatorum remissionibus coniunctam ab ipsis dumtaxat praefecto vel vice-praefecto semel Christifidelibus suarum paroeciarum in unum, in diversis licet locis, convenientibus, nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. aprilis MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXXXVIII.

Renovat ad XX. *annos facultates concessas tam provincialibus Societatis Iesu, quam locorum Ordinariis, dispensandi cum neophytis Indiarum, aliarumque orientalium regionum, in omnibus consanguinitatis et affinitatis gradibus, praeter primum; sanat in radice matrimonia cum hisce impedimentis contracta ob dispensationem ab iisdem concessa post expiratas facultates; et ab omnibus censuris et poenis ecclesiasticis absolvit illos qui hasce dispensationes concesserant* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Petitio.

§ 1. Cum dudum fel. rec. Pius PP. IV. praedecessor noster inter alia, ut Societatis Iesu provinciales, vel ab eis deputati presbyteri, cum neophytis Indiarum aliarumque Orientalium regionum, in quocumque seu quibusvis a iure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis, ut, impedimentis huiusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere et solemnizare, seu in iam etiam scienter contractis matrimoniis huiusmodi remanere, valerent in partibus, ubi Ordinarii locorum facile adiri poterant, in foro conscientiae tantum perpetuo, et insuper ibidem, infra tamen viginti annos tunc proxime futuros, quod ipsi locorum Ordinarii de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praefatis, et ubi eorum commode potuisset haberi copia, consilio, et cum illis etiam in iudiciali foro, in reliquis autem provinciis Ordinariorum praesentia destitutis, vel ab eis remotis, quod iidem provinciales et deputati presbyteri cum eisdem neophytis etiam in utroque foro auctoritate apostolica gratis dispensare libere et licite valerent, plenam et liberam facultatem sub certis modo et forma tunc expressis concesserit, et alias prout in ipsius Pii praedecessoris nostri litteris desuper in simili forma Brevis die XV. iunii MDLXIII. expeditis uberius continetur, et successive alii Romani Pontifices praedecessores nostri facultatem huiusmodi, tam presbyteris, quam Ordinariis praefatis, non perpetuo, sed ad certa limitata tempora, ac novissime die IX. sept. MDCCXXXIV. recol. mem. Clemens Papa XII. praedecessor itidem noster ad viginti annos tunc proximos per suas respective in eâdem formâ Brevis litteras sub certis modo et forma in illis expressis inter alia prorogaverit seu de novo concesserit; et, sicut pro parte dilecti filii procuratoris generalis eiusdem Societatis Iesu nobis nuper expositum fuit, praedicti viginti anni, ad quos memorata facultas ab ipso Clemente praedecessore prorogata, seu de novo concessa,

(1) Ex App. ad Bull. de Prop. Fide, pag. 166.

fuerat, iamdudum expiraverint, seu brevi expiraturi sint, ipseque procurator generalis dubitet, ne in procul dissitis illis regionibus aliqui seu aliquis e missionariis, credentes facultatem eiusmodi ab Apostolicâ hac S. Sede fuisse renovatam, cum neophytis praefatis in dictis gradibus bonâ fide dispensaverint, et eâ de causâ aliqua sint censurâ innodati, cupiatque propterea dictus procurator generalis, nedum eamdem facultatem ad aliud nobis bene visum tempus prorogari, sed etiam provincialibus illarum partium et confessariis ab ipsis delegatis indulgeri, quatenus omnes et quoscumque, qui dictâ facultate, postquam expiraverat, usi fuerint, in foro conscientiae absolvere, ac dispensationes bonâ fide concessas ratas habere possint:

Facultatum confirmatio.

§ 2. Hinc est, quod nos, populorum illorum ex gentilitatis tenebris et erroribus ad veri luminis agnitionem et christianae fidei veritatem conversorum, et a Sede praefatâ remotissimorum animarum saluti et spiritualibus necessitatibus pro pastoralis officii nostri curâ prospectum esse cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ republica christiana generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum consilio, tam provincialibus et ab eis deputandis presbyteris, quam locorum Ordinariis praefatis, cum dictis neophytis in quocumque seu quibusvis, non tamen in primo, consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, dictis quidem presbyteris in locis et regionibus, ubi Ordinarii non adsunt, vel ultra duas diaetas, iuxta constitutionem similis mem. Pauli Papae III. etiam praedecessoris nostri editam, existunt; nec non eisdem presbyteris et Ordinariis, servatis locorum circumstantiis et limitationibus huiusmodi cum eisdem neophytis in primo gradu etiam rectae lineae affinitatis ex copula illicita resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere, similiter valeant, in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, gratis etiam dispensandi, et eos qui in primo affinitatis gradu huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationibus aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in foro conscientiae tantum gratis similiter absolvendi, dictisque Ordinariis alios presbyteros idoneos a se prius approbatos in locis, ubi non adsint missionarii similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui locum subdelegandi licentiam et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et impertimur. Praesentibus ad viginti annos a die illarum datae computandos tantum duraturis, ac uno eodemque tempore tam quoad provinciales et presbyteros Societatis Iesu, quam quoad Ordinarios praefatos expiraturis; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium. Praeterea eorum, qui matrimonia huiusmodi post expiratam facultatem a Clemente praedecessore nostro, sicut praemittitur, prorogatam, seu de novo concessam, in gradibus huiusmodi forsan contraxerint, dispensationemque respective ad id concesserint, statui et conscientiarum quieti providere volentes, omnia et singula matrimonia, quae vigore dispensationis super praedictis gradibus seu impedimentis per missionarios seu etiam Ordinarios illarum partium post expiratam facultatem sic prorogatam quomodolibet concessae alias tamen rite et legitime contracta fuerint, auctoritate et tenore praefatis revalidamus, ac valida et legitima decernimus in omnibus et per omnia, perinde ac si ab initio et in eorum radice praevia sufficienti dispensatione contracta fuissent, absque eo quod illi, qui sic contraxerint, matrimonia de novo contrahere, seu novum consensum praestare ullo modo debeant aut teneantur; dictis vero provincialibus Societatis Iesu, et presbyteris ab eis deputandis, nec non Ordinariis locorum, illos, qui expirata facultate huiusmodi interim usi fuerint, ut praefertur, a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis, quas propterea quomodolibet incurrerunt, pro hac vice tantum, absolvendi dicta auctoritate harum serie facultatem similiter tribuimus et impertimur.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere: ac irritum et inane, si se-

cus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, quibusvis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici, vel secretarii dictae Societatis Iesu subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. maii MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXXXIX.

Metropolitam Ruthenor. laudat ob translatum in praesidem generalem monachorum S. Basilii ius quo potiebatur in monasteria suae dioecesis; cupit monachos in unam congregationem coalescere; quod mandatum pontificium in proximis comitiis exequatur (1).

Venerabili fratri Athanasio Kioviae Archiepiscopo totius Russiae Metropolitano,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Opinionem, quam iampridem habuimus de fraternitatis tuae eximio cultu catholicae religionis exhibitâque Romanae Sedi omnium Ecclesiarum matri ac magistrae obedientiâ, confirmarunt obsequentissimae tuae literae VI. cal. octobris Leopoli datae. In iis enim gratissima documenta accepimus penitus addicti nobis veraeque religioni animi tui, ac te sedulo curare, ut Rutheni Episcopi tecum et cum supremo Ecclesiae Antistite ad sui gregis salutem coniungantur. Hinc enimvero non mediocrem a nobis laudem retulisti plurimamque benevolentiam. Et illinc praeterea nostram tibi gratiam conciliasti, quod ad fovenda mmonasticam disciplinam, quae facilius domesticâ vigilantiâ retinetur, omni cesseris iure quo in Basilianorum tuae dioecesis monasteria utebaris, illudque transtuleris in eorumdem primarium praesidem, atque exemplo praeieris ceteris tuae communionis Episcopis. Id summopere nobis placuit. Putamus enim ita splendidius florere posse eorumdem monachorum apud vos Ordinem, unde sperare licet, eos diligentius excultos utiliorem daturos operam revocandae vestrae genti ad verum Christi Domini ovile, mortiferoque schismati penitus abolendo. Quocirca et nos adiecimus praecipuam curam ad Ordinem ipsum firmius constabiliendum. Cum autem certum compertumque habeamus in id maxime conferre posse, si dispersa in varias societates Ruthena huiusmodi monachorum monasteria in unum coetum redigantur, de consilio venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium qui munus gerunt Propagandae Fidei statuimus, Basilianos omnes, quotquot in Russiae coenobiis degunt, in unam congregari familiam sub nomine Sanctissimae Trinitatis Unitorum istamque ab uno generali praefecto seu Protoarchimandritâ gubernari: reservato tamen tibi ac reliquis tibi coniunctis Episcopis iure, quod apostolicae constitutiones ac Tridentina Synodus, cui pariter maiores vestri fidem suam astrinxerunt, Ordinariis permittunt in suae dioecesis regulares, scilicet exemptos. Erit modo tuae in nos perspectae observantiae obedientiaeque curare, ut ex huiusmodi nostrâ providentiâ omnis in Russiâ monasticus Ordo in unum collectus quotidie magis efflorescat, catholicamque veritatem suos inter cives prolatare ac tueri annitatur, simul autem ut apud suffraganeos Antistites eadem sedulo cura sit. Id abs te confidentius postulamus, quo comperimus te vestigiis

(1) Ex Reg. Vat. Epist. ad Principes etc.

inhaerere decessoris tui Archiepiscopi Valentiani, bene idcirco meriti de vestris civibus. Cum autem eorumdem monachorum comitia brevi cogenda sint iisque ipse praesidere debeas, facile tibi erit urgere collectos ibi coenobiorum praesides ut, quam ipsis praescripsimus normam suae moderandae reipublicae, apprime teneant, ex eâque Ruthenorum sempiternae saluti consulant. Idque nobis argumento erit eos prorsus cum Romanâ Sede consentire. Interim fraternitati tuae apostolicam benedictionem pignus propensae ad tua commoda voluntatis nostrae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII. maii MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXL.

Praefecto Apostolico et missionariis Societatis Iesu, in insulis Americae Meridionalis, Martinica, Guadalupa pro tempore existentibus, concedit facultatem conferendi sacramentum Confirmationis, cum quibusdam conditionibus, clausulis et circumstantiis.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Exordium. Immensa Iesu Christi, cuius supremas in terris vices plane immerentes gerimus, caritas, quemadmodum quidem facit, ut nos de aeterna animarum pretioso sanguine quasi Agni immaculati redemptarum salute solliciti maximopere laetemur, cum audimus barbaros infidelesque utriusque sexus homines ab ipsa Europa longissime remotos accepisse verbum Dei, et per sacrum regenerationis Lavacrum in Christo renatos viam mandatorum Dei currere; ita urget nos etiam, ut minime patiamur opportuna apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae commoda ab ipsis catholicam fidem amplexis desiderari, quibus et ad eamdem fidem strenue profitendam, et ad pugnam contra potestatem tenebrarum fortiter sustinendam per Spiritus Sancti plenitudinem sacramento Confirmationis collatam, magis magisque roborentur et confirmentur.

Petitio. § 1. Quoniam autem dilectus filius Guillelmus Cuillin presbyter regularis Societatis Iesu, praefectus apostolicus missionis in Insulis Americanis, Martinica, Guadalupa, aliisque, charissimo in Christo Filio nostro Francorum Regi christianissimo subiectis per eiusdem Societatis Iesu alumnos peragendae constitutus nobis humiliter exponi fecit; et dilectus itidem filius Ignatius Vicecomes laudatae Societatis Praepositus generalis fusius explicavit, confirmavitque in memoratis nimirum Insulis Americanis Galliae ditioni subiectis nullum adhuc Antistitem constitutum esse, a quo neophyti sacramento Confirmationis hactenus insigniri potuerint; unde fere omnes sacro baptismatis lavacro dumtaxat abluti, aliisque muniti sacramentis, viam universae carnis ingrediantur. Eapropter, supplices uterque addidit preces, ut hac in parte de apostolica benignitate et auctoritate, ut infra, providere et indulgere dignaremur.

Concessio. § 2. Nos itaque, a quibus supremo pastorum principi Iesu Christo aeterno Iudici ipsius in terris vices gerentibus gravissima omnium animarum suo sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, aerumnas ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, apostolicis laudibus commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsumque Guillelmum Guillin, necnon caeteros inibi missionarios dictae Societatis Iesu, de catholica Ecclesia et aeterna Christifidelium salute imprimis commendatissimae, amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, attentis praemissis et insignibus eiusdem Ignatii Praepositi generalis religiosis virtutibus et meritis, atque filiali sua erga nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia et obedientia, auctoritate apostolica tenore praesentium moderno et pro tempore praefecto tantummodo eiusdem missionis Americanarum Insularum existenti, ac praefecti huiusmodi munere durante, ut sacramentum Confirmationis

sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat Paraeciarum, quae reperiuntur sub cura et regimine alumnorum dictae Societatis Iesu eiusdem missionis, iuxta Ritualis Romani ritum libere et licite conferre et administrare possit et valeat, ea tamen lege, ad viginti dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo praesentes nostras in forma Brevis literas acceperit, computandos, tribuimus et impertimur, ut, si interea temporis, nempe viginti annorum, contingat in iisdem Insulis Americanis Galliae ditioni subiectis vel residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos ab eadem Sede Apostolica deputari, impertita huiusmodi facultas nulla sit et nullius prorsus roboris ac momenti habeatur; secus vero, rata ac firma intelligatur, cum vel residentiales Antistites, vel Apostolici Vicarii charactere et auctoritate episcopali insigniti, legitimis canonicisque impedimentis detenti, eidem praefecto pro tempore concesserint, ut in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto ac tempore accedere valuerint, sacramentum Confirmationis, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, conferre possit. Insuper omnibus et singulis eiusdem missionis missionariis sacerdotibus saepedictae Societatis Iesu eamdem conferendi sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum dumtaxat paraeciarum in periculo vel articulo mortis constituto, facultatem tribuimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque, firma, valida et efficacia intra praescriptum viginti dumtaxat annorum spatium existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios, et alios quoslibet, quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus et specialibus constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Societatis Iesu, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides exemplorum.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel manu et sigillo praefecti pro tempore existentis missionis praefatae eiusdem Societatis Iesu munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Caeterum coelestis praesidii auspicem ipsi Guillelmo Guillin praefecto, caeterisque missionariis illarum Insularum, apostolicam benedictionem, quam cum plenariis indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus coniunctam ab ipso dumtaxat praefecto semel Christifidelibus suarum paraeciarum in unum, in diversis licet locis convenientibus, nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. iulii MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CXLI.

Delegat ad decennium praefecto pro tempore missionum Ordinis Capuccinorum in Moscovid, Cassan, Astrakan et locis adiacentibus potestatem conferendi sacramentum confirmationis cum facultate adhibendi etiam chrisma vetus (1).

(1) Ex Bull. Ordinis Minorum Capucc.

Dilecto filio moderno et pro tempore existenti praefecto missionum apostolicarum in provinciâ Moscoviae, Cassan, Astrakan et in locis adiacentibus Georgiam versus, Ordinis fratrum Minor. S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales.

§ 1. Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, qui (ut accepimus) frater expresse professus Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, necnon missionum apostolicarum in provinciâ Moscoviae, Cassan, Astrakan et in locis adiacentibus Georgiam versus, praefectus existis, facultatem conferendi sacramentum confirmationis ex speciali huius Apostolicae Sedis delegatione per nos concedi plurimum desideras, attento, quod in districtu tuae praefecturae Episcopi ritus catholici istarum partium sacramento confirmationis huiusmodi privati remanent; nos, te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis absolutum fore censentes etc., supplicationibus etiam dilecti filii Ludovici a Taurino procuratoris et commissarii generalis dicti Ordinis, quem paternis complectimur affectibus, nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi seu pro tempore existenti missionum praedictarum praefecto, ut ad decennium proximum tantum intra limites tuae missionis, seu praefecturae huiusmodi, donec necessitas id postulaverit, videlicet donec aliquis catholicus Episcopus in illis partibus habeatur, facultatem extraordinariam ac potestatem conferendi sacramentum confirmationis huiusmodi, receptis Oleo et Chrismate etiam antiquis, si nova haberi non possunt, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae praefatae habentem benedictis, iis, qui sacerdotibus latinis baptismum acceperunt et septimum saltem suae aetatis annum attigerunt, nisi forte periculum mortis immineat, ne ingravescente morbo sine hoc sacramento decedant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et de speciali gratiâ delegamus.

§ 2. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. septembris MDCCLII., pontif. nostri anno XIII.

CXLII.

Potestatem tribuit ad viginti annos Praefecto pro tempore missionum Thibeti conferendi sacramentum confirmationis, additâ facultate utendi chrismate antiquo, si novum haberi nequeat (1).

Dilecto filio moderno et pro tempore existenti praefecto missionum apostolicarum Thibeti nuncupatarum, Ordinis fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum nuncupatorum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Religionis zelus, vitae ac morum honestas etc. *(Reliqua, uti in praecedenti).*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII. septembris MDCCLII., pontificatus nostri anno XIII.

CXLIII.

Confirmat constitutiones praedecessorum adversus duellantes, et damnat quinque propositiones abusui duellorum faventes.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Detestabilem ac divina naturalique lege damnatum duellorum abusum, a barbaris gentibus atque superstitiosis, non sine ingenti corporum animarumque clade, in chri- **Assiduum Romanor. Pontificum studium in eliminando duellorum abusu.**

(1) Ex Bull. Capucc.

stianam rempublicam auctore Diabolo invectum, cum semper execrata sit atque improbarit Ecclesia, tum praecipuo in eam curam studio, vigilantia, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices, ut a fidelium coetu longissime arceretur. Nam, ut antiquiora mittamus praedecessorum nostrorum Nicolai I. (1), Coelestini III., Innocentii II., Eugenii III., Alexandri III. (2), Innocentii IV. (3) adversus singulares pugnas decreta, extant recentiores Apostolicae Sedis constitutiones, quibus Romani Pontifices Iulius II. (4), Leo X. (5), Clement VII. (6), ac demum Pius IV. (7), gravissimas poenas antea statutas confirmarunt, aliasque de novo addiderunt contra duellantes ex quacumque causa, etiam per saeculares regionum aut locorum leges forsan permissa, adiecta infamia, bonorumque proscriptione, etiam adversus complices ac participes et qualemcumque operam iisdem praebentes.

Poenae per Tridentinum indictae in exhibentes locum ad monomachiam, patrinos et pugnantes.

§ 1. Tridentina vero Synodus (8) latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores et Reges, Duces ac Principes, caeterosque dominos temporales, si locum ad monomachiam in terris suis concesserint, ac iurisdictione et dominio loci, in quo duellum fieri permiserint, quem ab Ecclesia obtineant, eo ipso privatos declaravit. Committentes vero pugnam, eorumque patrinos, excommunicationis ac omnium bonorum proscriptionis, nec non perpetuae infamiae poenam incurrere statuit; et, si in ipso conflictu decesserint, ecclesiastica sepultura perpetuo carituros decrevit.

Gregor. XIII. poenales omnes sanctiones a solemnibus ad privata duella protendit.

§ 2. Cum vero praefatis saluberrimis legibus iudicialia dumtaxat ac solemnia duella comprehensa ac proscripta viderentur, piae memoriae praedecessor noster Gregorius Papa XIII. (9) huiusmodi poenas adversus eos omnes extendit, qui nedum publice, sed etiam privatim ex condicto, statuto tempore et loco, monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullaeve provocatoriae literae, aut denunciationis chartulae praecesserint.

Et Clem. VIII. iisdem obnoxios afficit omnes consilium, operam et indemnitatem praestantes, etiam pugna non secuta.

§ 3. Denique fel. record. Clemens Papa VIII. etiam praedecessor noster, apostolicas Romanorum ante se Pontificum leges omnes et poenas in eis statutas, sua constitutione, quae incipit *Illius vices*, data XVI. kal. septembris anno MDXCII. diserte complexus, easdem extendit ad omnes non solum duello certantes, sed etiam provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus praebentes, comitantes; chartulas, libellos, manifesta mittentes, scribentes vel divulgantes, aut quomodolibet circa ista cooperantes; socios, patrinos, de industria spectatores, fautores, criminis demum participes, illudque permittentes vel, quantum in ipsis est, non prohibentes, ac delinquentibus veniam et impunitatem concedentes, quique se praedictis quoquomodo immiscuerint; etiamsi neque pugnae effectus, neque accessus ad locum sit subsequutus.

Assertiones ab Alexandro VII. et Innocent. XI. damnatae.

§ 4. His tam sapienter, tam aperte, atque perspicue ab Ecclesia et ab Apostolica Sede constitutis, dubitari iam nullo modo posse videbatur, quin duella omnia tam publica, quam privata, et naturali et divino et ecclesiastico iure prorsus illicita, vetita atque damnata censeri deberent. Sed nonnulli earum legum interpretes, per benignitatis speciem humanis pravisque cupiditatibus plus aequo faventes, apostolicas sanctiones ad corrupta hominum iudicia inflectentes ac temperantes, *licere*, docuerunt, (10) *viro equestri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat:* (11) *Fas esse defensione occisiva, vel ipsis clericis ac religiosis, tueri honorem, dum alia declinandae calumniae via non suppetat;* (12) *propulsare damna, quae ex iniqua iudicis sententia certo imminent;* (13) *defendere non solum quae possidemus, sed etiam ea, ad quae ius inchoatum habemus, dum alia via id assequi non valeamus,* Quas quidem assertiones duellis faventes, Apostolica Sedes censura notavit, reiecit, proscripsit.

Instauratae laxiores opiniones foventes duellorum abusum

§ 5. Et nihilominus extiterunt quam proxime recentiores alii, qui etsi duella, vel odii vel vindictae vel honoris tuendi causa vel levioris momenti res fortunasque servandi, fateantur illicita, aliis tamen in circumstantiis et casibus vel amittendi Of-

(1) Epist. L. ad Carolum Calvum.
(2) In Concil. Lateranensi cap. 1 et 2 *de Torneamentis*, ubi trium praedecessorum decreta citantur.
(3) In Epist. ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque ecclesiasticos regni Franciae, apud Raynal. ad ann. MCCLI. num. 31.
(4) Constit. incip. *Regis pacifici.*
(5) Constit. *Quam Deo et hominibus.*
(6) Constit. *Consuevit Romanus Pontifex.*
(7) Constit. *Ea, quae a praedecessoribus.*
(8) Sess. 25, cap. 19, de Reform.
(9) Constit. *Ad tollendum.*
(10) II. Prop. ex damnatis ab Alexandro VII.
(11) XVII. Prop. ex damnatis ab eodem.
(12) XVIII. Prop. ab eodem damnata.
(13) XXXII. Prop. ex damnatis ab Innocentio XI.

ficii et sustentationis, vel denegatae sibi a magistratu iustitiae, defensionis innoxiae titulo, ea licere pronunciant. Laxas et periculi plenas opiniones huiusmodi, ex vulgatis eorum libris ad nos delatas, ubi primum accepimus, earum examen nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus et quibusdam dilectis filiis sacrae Theologiae magistris, specialiter ad id per nos deputatis, commisimus: qui, re mature discussa, latis coram nobis tum voce tum scripto suffragiis, infrascriptas propositiones censura et proscriptione dignas existimarunt:

PRIMA PROPOSITIO.

Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abiectus et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humane vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiae acceptans duellum, ex gravi metu amissionis famae et officii.

IV.

Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum iactura propulsari nequit.

V.

Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, iustitia aperte denegatur.

Damnantur, et sub censuris defendi prohibentur,

§ 6. Auditis itaque, super unaquaque earum propositionum, dictorum Cardinalium et consultorum iudiciis, atque omnibus rite et mature consideratis, nos ipsas, praesentium literarum tenore et apostolica auctoritate, tamquam falsas, scandalosas ac perniciosas reiicimus, damnamus ac prohibemus, itaut quicumque illas aut coniunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis, etiam disputandi gratia, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in mortis articulo) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi ab existente pro tempore Romano Pontifice absolvi.

Necnon in praxim induci.

§ 7. Insuper stricte, in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii, prohibemus omnibus Christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis et status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant.

Constitutiones praedecessorum Pontificum de duellis confirmantur.

§ 8. Iam vero, ut exitiosam duellorum licentiam, in christiana, ac praesertim militari republica, non obstantibus providis legibus a plerisque etiam saecularibus principibus et potestatibus ad eamdem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem, validiore manu coerceamus, gravissimumque scelus apostolicae districtionis gladio magis magisque insequamur, omnes et singulas dictorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones superius enunciatas, quarum tenores, ac si praesentibus de verbo ad verbum insertae forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, apostolica auctoritate confirmantes et innovantes, ad hoc ut poenarum gravitas et severitas maiorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, nostro motu proprio, ac de apostolicae auctoritatis plenitudine, earumdem praesentium literarum serie, statuimus atque decernimus, ut si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere in duello accepto, huiusmodi homicida, tamquam interficiens proximum suum animo praemeditato ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis praedecessoris nostri Benedicti Papae XIII., quae incipit *Ex quo divina*, data VI. Idus iunii anno Domini MDCCXXV., ab ecclesiasticae immunitatis beneficio exclusus et repulsus omnino censeatur; ita ut a cuiuscumque sacri aut re-

Insuper publico vel privato duello interficiens alterum asyli iure privatur.

ligiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de iure servandis, extrahi et iudicis competentis curiae pro merito puniendus, tradi possit et debeat; super quo nos Episcopis, aliisque superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet et pertinebit inposterum, nenessarias et opportunas facultates praesentium quoque tenore impertimur. Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere et legum severitatem evadere posse prospiciatur; volumus et respective permittimus, ut, quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitae periculum* adesse retulerint, percussor ipse, praevio semper decreto Episcopi et cum assistentia personae ecclesiasticae ab eodem Episcopo deputatae, ab huiusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur; ea tamen lege iudicibus indicta, ut illum Ecclesiae restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quae de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem poenas incidant, quae in memoratis Benedicti XIII. literis constitutae sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis, ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum, restituere recusent, postquam is in suis defensionibus huiusmodi indicia diluerit.

Vivente adhuc saucio, quando et qua forma percussor e loco immuni extrahi debeat.

Interfecto autem sepultura sacra denegatur, licet extra locum pugnae, et praeobtenta absolutione obierit.

§ 9. Praeterea, simili motu et auctoritate decernimus ac declaramus, sepulturae sacrae privationem a sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam iudicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis et Ordinariis locorum super hac poena interpretandi ac dispensandi facultate, quo caeteris documentum praebeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiae legibus obedientiam praestandi.

Hortatio ad Principes, ut in monomachiam eradicandam efficaciter incumbant.

§ 10. In huius demum sollicitudinis nostrae societatem vocantes carissimos in Christo filios nostros, imperatorem electum, cunctosque catholicos reges, nec non principes, magistratus, militiae duces atque praefectos, eos omnes et singulos, pro sua in Deum religione ac pietate, enixe obtestamur in Domino, ut, coniunctis studiis et animis, exitiosae duellorum licentiae, qua regnorum tranquillitas, populorum securitas atque incolumitas, neque corporum solum, sed, quae nullo pretio aestimari potest, aeterna animarum vita certo periclitatur, omni nisu et constantia vehementer obsistant. Neque sibi suaeque in Deum fidei, munerisque rationi fecisse satis intelligant, quod optime constitutis legibus, indictisque gravissimis poenis, horrendum scelus proscriptum sit; nisi accuratam ipsarum legum, poenarumque executionem naviter urgeant ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos qui talia agunt, diligenter exhibeant. Nam, si delinquentes aut oscitanter ferant aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius sanguinis reos se constituent, quem ita crudeliter inultum effundi permiserint. Vani enim falsique honoris idolo humanas litari victimas non impune feret supremus omnium iudex Deus; rationem ab iis aliquando exacturus, quorum est divina et humana iura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum Iesus Christus effudit.

Exemplorum auctoritas.

§ 11. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, notarii publici manu subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ubique, etiam in iudicio, fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si originaliter forent exhibitae vel ostensae; utque eaedem praesentes in consuetis locis publicis huius almae Urbis per cursores nostros, ut moris est, publicatae et affixae, omnes et singulos, quos concernunt seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Sanctio.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum prohibitionis, damnationis, praecepti, statuti, declarationis, facultatum impertitionis, obtestationis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae MDCCLII., quarto Idus novembris, pontificatus nostri anno XIII.

CXLIV.

Indiarum Orientalium Vicariis Apostolicis Episcopis, non habentibus coadiutorem cum futurâ successione nec Vicarium generalem, iniungit, ut illico sibi constituant Vicarium generalem (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis sollicitudo in omnes etiam longe dissitas ecclesias.

Ex sublimi hac sacrosancti Apostolatus speculâ, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, impositam imbecillitati nostrae omnium ecclesiarum solicitudinem et omnium animarum Iesu Christi sanguine redemptarum procurationem assidue cogitantes, advigilare ac providere adnitimur, ut opportunas apostolicae caritatis potestatisque nostrae partes, in regionibus praesertim et provinciis ab Europâ tam longe dissitis, quoad nobis integrum est, desiderari minime patiamur.

§ 1. Quoniam autem non sine gravissimâ pontificii animi nostri molestiâ accepimus, saepe accidisse, aliquem scilicet ex vobis, venn. fratres, istarum Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis episcopali titulo et charactere insignitum, sed sine coadiutore cum futurâ successione, viam universae carnis ingressum ad repositam in caelis coronam apostolicis laboribus paratam evolasse, ac neminem, qui ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico iurisdictionem exerceret, repertum aut deputatum fuisse; hinc est, quod omnibus et singulis Vicariis Apostolicis huiusmodi iniungimus et mandamus ut, qui neque Episcopum coadiutorem cum futurâ successione, neque Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari generalem habent, statim atque ad unumquemque eorum praesentium nostrarum literarum certa notitia pervenerit, deputent Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari generalem, habilem tamen atque idoneum, qui, eveniente cuiusvis apostolici Vicarii sine coadiutore cum futurâ successione obitu, tamquam Apostolicae huius S. Sedis Delegatus, teneatur assumere et obire regimen et gubernium Apostolici Vicariatus usque ad captam eiusdem Vicariatus Apostolici huiusmodi possessionem novo Vicario Apostolico, quem eadem haec S. Sedes constituerit, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsâ S. Sede ineundam ordinationem.

Vicarii Apostolici Episcopum coadiutorem non habentes iubentur assumere Vicarium generalem, qui ipsis obeuntibus Vicariatus regimen assumat.

§ 2. Porro Vicario generali huiusmodi per Apostolicum quemque Vicarium sibi, ut praemittitur, deputando, nos earumdem praesentium tenore, nunc pro tunc, apostolica auctòritate nostrâ concedimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis capitularibus cuiusvis cathedralis ecclesiae, sede vacante, inesse et de iure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concedimus, pariterque impertimur usum et exercitium earum facultatum, quibus utebatur et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus, iis dumtaxat exceptis, quae requirunt ordinem et characterem episcopalem vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeat, saepedicto Vicario generali potestatem etiam indulgemus et damus, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum sacris oleis omnino ab Episcopo benedictis.

Amplissimae designato Vicario facultates tribuuntur.

§ 3. Itaque, venn. fratres, ex apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentaneâ, a nobis susceptâ atque unicuique vestrum praeceptâ, animadvertite, quanta sit apostolici muneris unicuique vestrum iniuncta cura: atque eapropter satagite, ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem solicitudinemque contendatis, ne quispiam Christifidelium vobis commissorum, et de quibus ratio supremo pastorum Principi aeterno iudici reddenda est, pereat: sed potius ut omnes aeternam salutem consequantur, ut vobis merces vestris meritis debita a iusto remuneratore Deo tribuatur. Nos interim caelestis praesidii auspicem apostolicam benedictionem, in populos etiam vestrarum dioecesum et provinciarum redundaturam, fraternitatibus vestris peramanter impertimur.

Cohortatio ad Apostolicos Vicarios.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis et a Congregationis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei prae-

Exemplorum fides.

---

(1) Quomodo Pontifex id ad alios vicariatus et dioeceses extenderit vid. inferius constitutione *Quam ex sublimi.*

positorum Praefecto et Secretario pro tempore existentibus subscriptis, et sigillo eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. ianuarii MDCCLIII., pontif. nostri anno XIII.

CXLV.

Quas facultates an. MDCCLI. concesserat missionariis Soc. Iesu provinciae Quitensis, confirmationem conferendi, dispensandi a proclamationibus matrimonii et celebrandi festum Praesentationis B. M. V. ritu dupl. 2. classis, easdem largitur quoque missionariis eiusdem Societatis in insulis Philippinis, et in provinciis Mexicana, Peruensi, Chilensi, Paraquaria et Granatensi (1).

Dilecto filio Ignatio Vice Comiti moderno et pro tempore existenti Praeposito generali Societatis Iesu,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. Quo luculentioribus religiosarum virtutum exemplis, ac praesertim singulari erga nos et Apostolicam hanc S. Sedem observantiae et obedientiae in dies increscere te, dilecte fili, et inclytam Societatem Iesu, cui tanta cum nominis tui laude praeesse et advigilare pergis, magna cum pontificii animi nostri laetitiâ intelligentes gratulamur, eo amplioribus apostolicae benignitatis potestatisque argumentis par aequumque esse ducimus, ut te, eiusdemque Societatis tuae religiosos alumnos in vastissimis provinciis catholico Hispaniarum Regi subiectis, necdum ad orthodoxam fidem adductis, assiduos labores, sedulamque operam navantes prosequamur.

Petitio. § 1. Quoniam autem dilectus filius Iosephus de Lara eiusdem Societatis tuae presbyter et assistentiae Hispanae procurator nuper nobis humiliter exposuit, quod eadem ferme momenta, quibus nos adducti fuimus, ut pro nonnullis missionibus provinciae et praefecturae Quitensis in America ad suam Hispanam assistentiam pertinentibus quamplurimas apostolicae benignitatis auctoritatisque largiti sumus facultates, reperiantur in reliquis eiusdem assistentiae provinciis, nempe Insularum Philippinarum in Asiâ, Mexicanâ, Peruensi, Chilensi, Paraquariâ, et novi Regni Granatensis seu S. Fidei in Americâ, quas ven. fratres residentiales Antistites vel nunquam aut per seipsos aut per alios visitarunt, vel raro accidit, ut quispiam Episcopus ad illas visitandas accesserit: eapropter nobis humiliter supplicavit, ut easdem provincias suae assistentiae Hispanae, prout in praesentia sunt, sed ad eas quoque provincias et missiones, quae ex mutua concordiâ aut permutatione inter carissimos in Christo filios nostros Hispaniarum regem catholicum et Portugalliae et Algarbiorum regem fidelissimum sive iam factâ sive faciendâ ad eiusdem regis catholici dominium fortasse pervenerint et memoratae Societatis Iesu missionariis commissae fuerint, sub iisdem modo, formâ, conditionibus et limitationibus extendere et concedere de benignitate et auctoritate apostolicâ dignaremur.

Concessio. § 2. Nos itaque te, dilecte fili, tuamque inclytam Societatem atque eiusdem religiosos viros in excolendâ Iesu Christi vineâ adlaborantes apostolicae laudationis praeconiis celebrantes, nec non maioribus gratiarum favoribus adaugentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus ab eodem dilecto filio Iosepho de Lara procuratore nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, superioribus cuiuscumque missionis antedictarum pro tempore existentibus, et eorumdem superioritatis muneribus durantibus, cum ad visitandas huiusmodi missiones accesserint, ut sacramentum confirmationis Chrismate etiam antiquo, si novum haberi non possit, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus uniuscuiusque missionis iuxta Ritualis Ro-

(1) Ex Reg. Vat. Epist. ad Princ., f. 177.

mani ritum libere et licite conferre et administrare possint ac valeant, facultatem ea tamen lege tribuimus et impertimur, ut in iis quidem missionum provinciis, quae habentur in districtu dioecesum et sub iurisdictione missio illa reperitur, licentia semel, quoad ipse ordinarius Antistes vixerit, petatur; hoc autem defuncto, ab eiusdem pro tempore successore pari modo semel etiam petatur, gratis semper concedenda; in iis vero missionum provinciis, quae nullius Antistitis iurisdictioni subiectae ipsis dumtaxat Societatis eiusdem missionariis ab hac Apostolica Sede creditae sunt, antedicta licentia minime necessaria est, nisi fortasse aliquando contingeret in iisdem provinciis vel residentiales Antistites, vel Apostolicos Vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos, ab eadem Apostolica Sede deputari, a quibus, cum illuc accedere non valeant, tunc licentia antedicta pari modo peti et concedi debet.

§ 3. Praeterea, si forte evenerit, ut superior quilibet cuiusvis missionis quibuscumque legitimis canonicisque impedimentis detentus sit, quominus iniunctum sibi Visitationis ministerium explere valeat, auctoritate et tenore paribus concedimus et facultatem impertimur ipsi superiori impedito, ut unum vel plures digniorem vel digniores eiusdem Societatis missionarios, a quo vel quibus sacramentum confirmationis, ut praemittitur, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, administrari possit, pro suo arbitrio et conscientia, durantibus tamen impedimentis, deputet et constituat.

§ 4. Insuper omnibus et singulis earumdem missionum missionariis sacerdotibus laudatae societatis eamdem conferendi sacramentum confirmationis cuilibet Christifideli in evidenti periculo vel articulo mortis constituto facultatem tribuimus.

§ 5. Praeterea tenore et auctoritate paribus facultatem tribuimus et impertimur cuilibet missionario eiusdem Societatis in saepedictis locis vicem parochi fungenti, ut cum Indis fidelibus dispensare possit super tribus proclamationibus ante matrimonium contrahendum fieri solitis, dummodo ea intercesserint momenta, propter quae dispensatio huiusmodi prudenter tamen adhibenda necessario concedi posse existimatur. Insuper omnibus et singulis earumdem provinciarum et insularum Societatis Iesu sacerdotibus, atque iis, qui ad Horas Canonicas tenentur, tenore et auctoritate similibus indulgemus, ut festum Praesentationis B. M. V. quotannis sub ritu duplici secundae classis cum Octava tam quoad Horas Canonicas, quam quoad missam recitare et celebrare valeant ac possint.

§ 6. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios et alios quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibu sconstitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dictae Societatis Iesu, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel manu et sigillo alicuius superioris missionum praefatarum vel provincialis provinciae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Interim tibi, dilecte fili, ipsi Iosepho procuratori, ceterisque superioribus et missionariis antedictarum provinciarum, ad prosperi successus auspicium et orthodoxae religionis incrementum, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. martii MDCCLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CXLVI.

Facultates, de quibus supra, largitur etiam missionariis Soc. Iesu in Brasilia et Maranonia.

Dilecto filio Ignatio Vice Comiti moderno et pro tempore existenti praeposito generali Societatis Iesu,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quo luculentioribus religiosarum virtutum etc. *(sequitur prout in anteced. literis mutato tantum nomine supplicantis, qui erat Ioannes Honorato, eiusdem S. I. sacerdos, provinciae Brasilianae procurator.)*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die III. martii MDCCLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CXLVII.

Confirmata constitutione Greg. XIII. de erectione collegii apostolici Wilnensis, praecipit excludendos esse ab eo alumnos latini ritus et ad illud advocandos tantum esse Ruthenos et Moschovit. atque quatuor alumnos ex monachis Sancti Basilii (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Eximium Gregorii XIII. studium in erigendis et dotandis collegiis ad adolescentes instituendos et erudiendos.

Commendatissimum studium et incredibilem apostolicae solicitudinis zelum fel. record. Gregorii Papae XIII. praedecessoris nostri, qui ad perenne orthodoxae Religionis praesidium atque incrementum tot collegia, seminaria nuncupata, tam in hac almâ Urbe pro remotissimarum nationum adolescentibus, quam alibi in Germaniâ, Bohemiâ, Poloniâ, Transylvaniâ, atque in civitate quoque Wilnâ provinciae Lithua-

---

(1) Ex Bull. P. de P. F. pag. 296, Coll. cum Reg. Vatic. Consulenda etiam quoad hosce alumnos inferius constitutio *Quae*. Ex eodem Tabulario Cong. de P. F. depromimus hanc quae sequitur constit. Greg. XIII. quâ collegium erigebat.

GREGORIUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Quanto membra Christi longius ab Ecclesiae suae capite absunt, tanto impensius oportet ea fidei calore fovere, ne, infidelitatis algore confectis, insitus pietatis amor penitus adimatur, nec uno tantum anno, sed perpetuis temporibus fructuum spes et maturitas quam ex christiana plantatione et cultura expectamus, in caeleste horreum recondenda, depereat, quod nobis sollicite considerantibus, et saepe alias, et nunc maxime, ante oculos obversatur misera illa Ruthenorum et Moschovitarum regio, quae a turcis schismaticisque obsessa a verae religionis tepore segregata est, asperaque eam circumeuntia infidelitatis obstacula ita fidei soli officiunt, ut in frigore et tenebris multos iam annos iacuerit et iaceat in praesenti. Quare nos periclitatae huic provinciae, quantum in nobis est, succurrere volentes, nec ignari quam utilis in pietate et moribus instruenda iuventute veneranda Iesu Societas existat, quantaeque orbis regiones eius virorum labore et industria, in fidei catholicae cognitione et cultura optimisque praeceptis susceperint incrementa, motu proprio et ex certa scientia nostra in civitate Wilnensi, quae inter alias provinciae Lituaniae civitates caput sedesque regalis existit, unum collegium seminarium appellandum, in quo iuvenes scholares Rutheni et Moschovitae fidem ipsam catholicam et doctrinam christianam ac bonas litteras condiscant, optimisque moribus et disciplinis erudiantur, et alias instar aliorum collegiorum seminariorum, quae nos iam in Bohemiae, Poloniae, Germaniae et Transilvaniae regionibus ereximus, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus, ac illud sic erectum et institutum curae, regimini et administrationi pro tempore existentis rectoris collegii dictae Societatis in praedicta civitate Wilnensi nuper erecti per eum, seu eius ex ipsa Societate, quem idem rector suffecerit suscipiendis atque obeundis tam circa huiusmodi regimen et administrationem, quam etiam correctionem scholarium per praesentes erecti collegii, illiusque bonorum administrationem, et alumnorum in eo pro tempore recipiendorum admissionem et dimissionem, statutorumque observationem perpetuo subiicimus, ac eidem collegio sic per praesentes erecto, eiusque rectori et alumnis concedimus, ut omnibus et quibuscumque privilegiis, exemptionibus, praerogativis, facultatibus, favoribus et gratiis aliisque huiusmodi collegiis per nos erectis, concessis, quibusque illa utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt, quomodolibet in futurum omnino uti, potiri, et gaudere libere et licite valeant ac si illis specialiter concessa fuissent. Insuper ipsi collegio sic pro Ruthenis et Moschovitis per praesentes erecto pensionem annuam ab omni et quocumque onere ordinario et extraordinario etiam pro Cruciata Sancta, et expeditione etiam defensiva contra infideles haereticos, aliosve hostes, seu etiam pro tuitione Urbis et status temporalis S. Romanae Ecclesiae, et ex quacumque alia causa etiam graviori et urgentissima, etiam motu simili ac consistoriali pro tempore impositis liberam, immunem, et exemptam mille et ducentorum scutorum auri in auro super omnibus et quibuscumque pecuniis et iuribus undecumque provenientibus et proventuris officii datariatus nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis, super quibus nos pridem diversas alias pensiones annuas ad quantitatem septem millium et ducentorum diversis aliis collegiis seu seminariis, et personis, ac etiam hodie unam aliorum mille et ducentorum similium huiusmodi collegio Colosnaviensi in Transilvania a nobis pariter erecto motu simili reservavimus, etiamsi super illis aliae pensiones annuae, etiam S. R. E. Cardinalibus, vel aliis personis aut collegiis et locis piis assignatae, ac cuiuscumque quantitatis et summae sint, eidem collegio per praesentes erecto illiusque rectori vel eius procuratori ad id ab eo speciale mandatum habenti per dilectum filium nostrum et pro tem-

niae a fundamentis erigenda, consentaneis legibus munienda, et annuis redditibus pro adolescentibus inibi educandis instituendisque dotanda curavit, semper, etiam dum in minoribus essemus, admirati, adhuc in supremâ sacrosancti Apostolatus Cathedrâ per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, constituti suscipimus et apostolicis laudibus prosequentes vehementer dolemus, quod propter asperas temporum rerumque calamitates aemulari non valeamus.

Eorum fundationis leges conservare necessarium agnoscit Pontifex.

§ 1. Etsi autem maximi momenti opus esse non ambigitur, huiusmodi collegia sive seminaria bene constituere; non minimi tamen ponderis est adlaborare, ut eadem collegia, sive seminaria, iuxta intentam primaevae fundationis institutionem conditasque providâ maturitate regulas, sarta tectaque serventur et administrentur. Ab initâ sane summâ catholicae ecclesiae procuratione, inter gravissimas tot negotiorum undique sese aggerentium curas non omisimus sedulam vigilemque operam impendere, ut de omnium eiusmodi collegiorum sive seminariorum rationibus, tum ad rectam piorum morum sacrarumque doctrinarum disciplinam, tum ad fidelem bonorum temporalium administrationem pertinentibus, plenissime edoceremur, et apostolicae providentiae auctoritatisque partes, ubi opus erat, opportune collocaremus.

In Seminarium Wilnense pro Ruthenis et Moschovitis erectum, loco Moschovitarum recipiuntur alumni latini ritus.

§ 2. Quoniam autem, sicut accepimus, in pontificium Collegium sive Seminarium, quod a laudato Gregorio praedecessore nostro Wilnae erectum et institutum fuit, ut iuvenes scholares Rutheni et Moschovitae fidem ipsam catholicam et doctrinam ac bonas literas condiscerent, optimisque moribus et disciplinis erudirentur, amplius iuvenes Moschovitae, fortasse ob vitae poenam quibuscumque Moschovitis catholicam religionem amplectentibus ac profitentibus, iuxta suas leges infligendam, non recipiuntur et admittuntur; inde factum esse existimatur, ut pluribus abhinc annis, praeter quatuor monachos Ordinis S. Basilii Magni ex natione Ruthenâ in eodem collegio sive seminario educari solitos, superiores ipsius collegii sive seminarii, loco et vice adolescentium Moschovitarum, alios latini ritus iuvenes in eodem collegio sive

pore existentem datarium eiusque depositarium, singulis mensibus pro rata, eademque in principio cuiusque mensis, et ante alias omnes pensiones reservatas et reservandas ad quindecim annos integros a kal. aprilis proxime venturis numerandos, etiam successorum nostrorum Romanorum Pontificum temporibus integre persolvendam eisdem auctoritate et tenore reservamus constituimus et assignamus. Decernentes praesentem et futuros nostros datarios ac ipsorum depositarios ad illius solutionem eidem collegio per praesentes erecto, illiusque rectori et administratoribus vel procuratori quindecim annis integris praedictis durantibus, ac alias, ut praefertur, nulloque alio mandato a nobis vel successoribus nostris praedictis desuper expectato, remotaque omni et quacumque exceptione, dilatione vel excusatione faciendam, efficaciter obligatos fore, nec ipsam pensionem eidem collegio illiusque rectori et administratoribus vel procuratori, ut praefertur, reservatam ex praedictis aliisque causis quantumcumque gravibus, urgentibus et necessariis ad minorem summam reduci, nec huiusmodi reservationem annullari, nec illam praesentesque litteras revocari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari vel impugnari unquam posse, sed eidem collegio eiusque alumnis et personis aeque suffragari debere, ac si ipsa pensio per praesentes reservata consistorialiter consulentibusque et supplicantibus eiusmodi Rom. Eccl. Cardinalibus reservata fuisset, nec quemquam ad praesentandum, insinuandum, et registrari faciendum, easdem praesentes litteras in camera apostolica iuxta constitutionem fel. rec. Pii PP. IV. praedecessoris nostri desuper editam, aut alias unquam teneri, nec propterea illas irritas esse, sed omnino valere, ac si constitutio praescripta et alia contraria nunquam emanassent; sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et praedictos Cardinales in quavis instantia sublata eis et eorum cuilibet quamvis aliter iudicandi et interpretandi auctoritate et facultate, ubique iudicari et definiri debere, nec non irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac nostra de consensu in pensionibus praestando, ac aliis apostolicis constitutionibus, nec non officii datariatus et camerae praedictorum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis illis eorumque praesidentibus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu et scientia similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua et expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram erectionis, institutionis, subiectionis, concessionis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti et derogationis infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXXII., nonis februarii, pontificatus nostri anno XI.

seminario alendos instituendosque suscipiant.

Plures tamen causae praeferendos suadent Ruthenos graeci ritus,

§ 3. Huiusmodi vero providentiae ratio etsi non contemnenda, haud tamen talis est ut, expressae tanti pontificis fundatoris voluntati praescriptaeque legi superiores memorati collegii sive seminarii pro suo arbitrio derogantes, iniuncto salutari operi satisfacere valeant, cum Apostolicam hanc S. Sedem consulere debuissent et loco ac vice adolescentium Moschovitarum non amplius concurrentium subrogari potius debuissent totidem adolescentes nationis Ruthenae graeci ritus, eâ potissimum de causâ, quod et episcopale seminarium pro adolescentibus ritus latini Wilnae atque alia alibi erecta instructaque reperiantur; nec tanta quoad ritum latinum urgeat necessitas, quanta omni procul dubio est illa nationis Ruthenae. Haec enim non solum plures complectitur dioeceses, sed ipsae etiam dioeceses tot refertae sunt parochialibus ecclesiis, ut in solâ Metropolitanâ Kioviensi earumdem parochialium ecclesiarum numerus sit millium nongentarum vigintiquinque. Accedit quoque maxima Ruthenorum Antistitum inopia, propter quam collegia sive seminaria dioecesana sibi erigere et instruere haud valent. Insuper, ut maior inter ipsos Ruthenae nationis ecclesiasticos viros, maxime rerum ecclesiasticarum sacrarumque doctrinarum, peritia floreat; cum amplissimae dioeceses orthodoxis schismaticisque hominibus permixtae reperiantur.

Praesertim nationis Ruthenæ necessitates.

Pontifex. de consilio Congregationis de Propaganda Fide, statuit, ut infra.

§ 4. Porro de hisce omnibus certiores facti, venn. fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationi Propagandae Fidei praepositis per duas generales congregationes accuratissime examinanda commisimus. Hinc factum est ut, attentis tot rationum tam a nobis quam ab ipsis Cardinalibus discussarum gravissimis momentis, de eorumdem Cardinalium pariter consilio, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, prout infra, statuamus et decernamus.

Gregorii XIII. litteras confirmat.

§ 5. Ac primum quidem memoratas Gregorii praedecessoris literas quoad omnia et singula in ipsis contenta et statuta, dummodo iis quae per easdem praesentes nostras literas, ut infra, statuuntur et decernuntur, non adversentur, quatenus opus sit, confirmamus et apostolicae firmitatis praesidio munimus.

Ruthenos et Moschovitas solummodo in collegium recipi deinceps iubet.

§ 6. Deinde vero omnibus et singulis modernis et pro tempore existentibus saepedicti Collegii sive Seminarii pontificii Wilnensis superioribus et officialibus districte inhibemus, ut deinceps nullum omnino adolescentem in ipsum collegium sive seminarium nisi nationis Ruthenae et Moschovitae (si quando aliquem eiusdem nationis Moschoviticae adolescentem recipiendum admittendumque contingeret) recipiant et admittant.

Rutheni quibus ex dioecesibus sint cooptandi.

§ 7. Porro dioeceses nationis Ruthenae, ex quibus adolescentes in collegium sive seminarium antedictum deinceps admittendos recipiendosque dumtaxat (dummodo ex natione Moschoviticâ non sit, qui admitti et recipi petat), esse statuimus et districte mandamus, sunt Kyoviensis et Haliciensis metropolitana totius Russiae, Polocensis et Vitebscensis archiepiscopatus, Smoloscensis archiepiscopatus, Wladimiriensis et Brestensis episcopatus, atque episcopatus Chelmensis. Tres vero episcopatus Luceoriensem, Premisliensem et Samboriensem, ac Leopoliensem, inter diœceses eiusdem nationis Ruthenae adscriptos, ideo exclusos esse statuimus et mandamus, quod pro nonnnullis uniuscuiusque eorumdem adolescentibus alumnis statutus sit locus in collegio sive seminario Leopoli pro Ruthenis et Armenis fundato, cui annuum, nec mediocre, ab eâdem Congregatione Propagandae Fidei pro dictis alumnis subsidium solvitur; unde par aequumque videtur, ut de hisce tribus dioecesibus, quae huiusmodi commodum habent, nullus admittatur recipiaturque, sed de primodictis solummodo dioecesibus, in quibus maior necessitas urget.

Alumnorum numerus admissionis vicenarius statuitur.

§ 8. Verum, ut deinceps quoad admissionem receptionemque alumnorum nulla suboriantur dissidia et partium studia, cum numerus viginti alumnorum in laudato collegio sive seminario de praesenti existentium sit, quamvis de praeterito idem numerus, iuxta maiorem vel minorem rerum abundantiam vel inopiam, interdum maior interdum minor fuerit; ipsum viginti alumnorum numerum, quomodolibet in posterum sese habeat annona, nunquam minorem, sed, si reditus et proventus augeantur, maiorem etiam esse volumus et statuimus: cum oeconomiae ratio postulet, ut inopia unius anni suppleatur alterius anni abundantiâ.

Fit locorum distributio, iuxta decretum Congr. de Propag. Fide.

§ 9. Ab hoc itaque constituto, ut praemittitur, viginti alumnorum numero, exceptis quatuor Ordinis S. Basilii Magni monachis in eodem collegio sive seminario,

ut pariter praemittitur, retineri et educari solitis (quos semper in futurum ex eodem Ordine et Congregatione Ruthenâ admittendos recipiendosque pari modo et formâ volumus et mandamus, ut magistros et praeceptores habeant aptos et idoneos), reliquos sane sexdecim alumnos, qui admittendi recipiendique sunt, distributos esse volumus et mandamus iuxta decretum eiusdem Congregationis Propagandae Fidei, quod est tenoris sequentis:

In Congregatione generali de Propagandâ Fide habitâ die XII. *februarii* MDCCLIII. *decretum fuit, ut sequitur: Ad Collegium Wilnense, ultra quatuor monachos Basilianos, et donec aliter provideatur, esse in posterum admittendos Ruthenos tantum ex infrascriptis dioecesibus: nempe ex Archiepiscopali Kyoviensi sex, quorum unus ex Palatinatu Wilnensi, alter vero ex Palatinatu Novogrodensi, et alter ex Palatinatu Minscensi; alii vero tres ex reliquâ eiusque dioecesis Kyoviensis parte, et praesertim ex Ukraina. Ex dioecesi archiepiscopali Polocensi duo, quorum unus ex Palatinatu Polocensi, alter ex Palatinatu Vitebscensi. Ex dioecesi archiepiscopali Smoloscensi duo. Ex dioecesi episcopali Uladimirensi duo, quorum unus pro Uladimiriensi seu Podlachiae parte, alter ex Palatinatu Brestensi. Ex dioecesi Chelmensi duo, quorum unus ex terra Chelmensi, alter ex Palatinatu Belzensi. Ex dioecesi episcopali Pinscensi duo.*

Distributionem autem eorumdem sexdecim alumnorum ex qualibet dioecesi respective eligendorum, per praeeinsertum dictae Congregationis decretum factam, tamquam utilem et salutarem non solum approbamus et apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus, verum etiam districte servandam esse praecipimus et mandamus.

Alumni quo ordine sint prima vice recipiendi.

§ 10. Praeterea, ad omnem penitus e medio tollendam dissensionem confusionemque, statuimus et ordinamus, ut distributio ita omnino et non aliter fiat, nimirum ut, cum quilibet alumnus ritus latini in saepedicto collegio sive seminario commorans, sive elapso tempore quo inibi educari debet, sive aliter quomodolibet, ex eodem collegio sive seminario egressus fuerit, statim in illud admittatur recipiaturque alumnus ex Metropolitanâ Kyoviensi nationis Ruthenae, et sic deinceps usque ad numerum pro eadem Matropolitana Kyoviensi, iuxta praeinsertum decretum supra statutum; deinde ex dioecesi archiepiscopali Polocensi, atque eodem pacto et ordine ex aliis dioecesibus antedictis. Postquam vero integrum sexdecim alumnorum numerum completum esse constiterit, cum vacatio cuiusvis alumnatus evenerit, non admittatur recipiaturque nisi adolescens nationis Ruthenae ex illâ dioecesi, ex qua alumnus antecedens locum dedit vacationi.

Exequutores designantur.

§ 11. Caeterum, ut praescripta et praemissa omnia debitae exequutioni demandentur, ven. fratri ordinario nostro et Apostolicae huius S. Sedis in Poloniâ Nuntio et dilecto filio regenti eiusdem collegii sive seminarii, modernis et pro tempore existentibus, iniungimus ut, salvâ semper dictae Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum auctoritate, omnia et singula in hisce nostris in formâ Brevis literis, quas etiam typis impressas in conspicuâ dicti collegii sive seminarii parte, ut ab omnibus legi possint, apponi volumus et mandamus, contenta et expressa exacte servari faciant et curent.

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§ 12. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuntios et quosvis alios quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus

Derogatio contrariis.

Gregorii praedecessoris nostri literis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum fides.

§ 13. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die v. aprilis MDCCLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CXLVIII.

Monachos Ruthenos S. Basilii solvit a lege emittendi votum de non ambiendis episcopatibus vel archimandriis, et revocat constitutionem Benedicti XIII. inhabiles reddentem Monachos ambientes, ac rem ad ius commune revocat, monitis tamen tum monachis de vetito dignitatum ambitu, tum patronis de nominandis dignioribus (1).

Dilectis filiis, Proto-Archimandritae, Archimandritis, et Monachis Ordinis S. Basilii Magni nationis Ruthenae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontificis studium pro Basiliani Ordinis utilitatibus et incrementis.

Inclytum quidem S. Basilii Magni Ordinem non minus antiquitate quam religiosâ pietate, sacrâ doctrinâ, disciplinâque regulari in catholicâ Ecclesiâ commendatissimum, singulari semper, etiam dum in minoribus essemus, studio prosequuti, ex quo ad sublimem sacrosancti Apostolatus Cathedram, meritis licet imparibus, evecti fuimus, non omisimus quamplurimis apostolicae auctoritatis benignitatisque documentis ornare. Congregationem vero vestram nationis Ruthenae, quae eiusdem S. Doctoris institutum tantâ cum laude, praesertim in florentissimo Poloniae regno et Lithuaniae ducatu, profitetur, paribus pontificiae caritatis, ubi opportuna sese dedit occasio, testimoniis complecti studuimus, fore in Domino confisi, ut vestra Congregatio maiori alacritate et constantiâ, non solum schismaticis eiusdem Ordinis Basiliani monachis sese opponeret, verum etiam eosdem ad orthodoxae fidei sinum allicere ac perducere adniteretur. Quoniam autem veremur, ne ea in ipsâ Congregatione vestrâ accidere possent, quae non tam exoptata a nobis religiosarum virtutum incrementa impedire, quam gravia quoque detrimenta afferre valeant, eapropter haud patimur consentanea apostolicae providentiae potestatisque officia a vobis desiderari.

Episcopatibus et archimandriis nationis Ruthenae soli monachi S. Basilii praeficiuntur.

§ 1. Ac primum quidem vobis notum esse cupimus, nos, quemadmodum non ignorare consuetudinem illam in natione Ruthenâ vigentem, nimirum vacantibus cathedralibus ecclesiis et archimandriis eiusdem nationis Ruthenae non praeficiendi Antistites et Archimandritas, nisi solos monachos ex Ordine vestro professos, ita perspectum habere, tum ipsas cathedrales ecclesias ad regiam nominationem conferri, tum Archimandrias vel regiae nominationis vel iurispatronatus nobilium personarum esse et haberi.

Quartum votum monachis praescriptum.

§ 2. Deinde nobis facile persuademus, non aliam fortasse ob causam a superioribus congregationis vestrae quartum tribus aliis votum fuisse additum in solemni cuiusque monachi professione emittendum, ne scilicet quisque monachorum episcopatus vel archimandrias sibi quomodolibet procuraret, neque, si ad illos vel illas quomodolibet etiam nominari vel promoveri contingeret, nisi prius approbationem assensumque suorum superiorum impetrasset, omnino acciperet, quam ut omni ambitioni occluderetur aditus. Quo firmius praeterea eiusmodi a superioribus vestris statuta quartum votum addendi lex subsisteret, a fel. rec. Benedicto Papa XIII. praedecessore nostro procurator tunc temporis existens generalis laudati Ordinis S. Basilii Magni apostolicas in simili formâ Brevis literas die XV. men. decembris an. MDCCXXVIII. hac super re dandas curavit, quarum vigore ad officia et dignitates monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expresso superioris generalis seu Proto-archimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, episcopatus, archimandrias, aut quascumque alias dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles esse ac fore declarabatur.

Sanctio poenalis Benedicti XIII. contra voti transgressiones.

§ 3. Insuper eam profecto, quae ex statutis decretisque antedictis redundatura reputabatur, utilitatem et regularis disciplinae observantiam non solum minime provenisse ex certis documentis rescivimus, verum etiam maximopere dolemus, duas inde non leves sed gravissimas ortum habuisse inordinationes. Ac prima quidem, quod monachi ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias promoveri cupientes, praeter illas, quas prius apud eos, qui ius nomi-

Ambitus per eam non tollitur, sed augetur.

(1) Ex Bull. de P. F. pag. 298, collat. Vide Bened. XIII. const. *Cum, sicut* vol. II., huius op.

nandi habebant, ut nominarentur adhibebant partes, preces et officia, novis quoque partibus et officiis apud superiores Ordinis contendunt, ut ab hisce licentiam novâ lege praescriptam consequantur. Altera vero inordinatio ex primâ omnino exsurgit, quod ii, quibus nominandi sive praesentandi ius inesse non ambigitur, merito queruntur, debitum sibi eiusmodi ius propter novam antedictam legem plurimum imminutum esse, cum ablatam sibi experiantur pristinam libertatem nominandi sive praesentandi ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias eos monachos Ordinis vestri professos, quos sibi in Domino existimant benemeritos atque idoneos, sed illos dumtaxat, qui a superioribus suis saepedictam licentiam obtinuissent.

Quaerelae pro iure nominandi, seu praesentandi.

Sublato proinde voto, et poenis, sanctiones restituuntur.

§ 4. Eapropter praecipuum apostolici ministerii nostri munus esse intelligimus, non minorem pro rectâ disciplinâ a nobis adhibendam esse curam, quam ut dissensiones maxime omnes auferantur et omnia pro aequitate ac iustitiâ procedant, neque ullae prorsus audiantur querimoniae. Cum autem per sacros catholicae Ecclesiae canones satis superque consultum sit, ut omnis, quoad consequendos archiepiscopatus, episcopatus, ceterasque dignitates ecclesiasticas, excludatur ambitus, statutis inflictisque etiam contra ambitiosos poenis; cupientes nos omnia et singula, prout harum praesentium nostrarum in formâ Brevis literarum tenore apostolicâ auctoritate nostrâ reducimus, ad commune ius sanctionesque canonicas reducere; proindeque tenore et auctoritate paribus, nec non motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnibus et singulis statutis et consuetudinibus antedictis, atque ipsis memoratis Benedicti praedecessoris literis derogantes et derogatum esse declarantes, volumus et districte mandamus, ut deinceps id omne unice servetur et exacte custodiatur, quod per sacros canones praescriptum ubique debitae exequutioni mandatur, nec aliae poenae hac in re locum habeant, quam quae in ipsis sacris canonibus statutae sunt.

Firmis tamen manentibus legibus de ambitu poenisque in iis decretis.

§ 5. Porro monachis Ordinis vestri professis notum esse volumus et aperte declaramus (ne sua illos eapropter falsa decipiat opinio), non eam sibi per nos libertatem restitui, per quam ipsis liceat ad archiepiscopatus et quascumque dignitates Ecclesiae et Ordinis sui niti et officiis omnibus contendere, sed potius in memoriam illis revocamus, quod, si ambitus ad saeculares etiam dignitates et honores a civilibus legibus prohibetur laicis, quanto magis ambitus ad archiepiscopatus, episcopatus et dignitates ecclesiasticas prohibitus esse debeat clericis et religiosis viris. *Nullus itaque* (verba sunt *can. Nullus* I. *q.* I.) *per ambitum ad episcopalem honorem permittatur accedere; nam cum hic excessus in laicâ conversatione culpetur, quis putat, quin religiosis et Deo servientibus incutiat opprobrium.* Nec ob eorum oculos abiicere omittimus praeclara exempla SS. Cypriani, Augustini, Fulgentii, Caesarii, Epiphanii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Theodoreti et Ioannis Chrysostomi, ut ceteros praetereamus, qui, quamvis meritis eximiis insigniti, tamen tantum abest ut ad episcopatum assequendum contenderint, quin omnem imo operam studiumque adhibuerint, ne vel inviti ad episcopatum pertraherentur.

Episcopatu indignus est, qui illum petit, vel appetit.

§ 6. Neque unusquisque ignorare debet, a peccati culpâ immune non esse desiderium ipsum Episcopatus, tum quia, quamvis desiderium aliis iuvandi, in his praesertim quae ad Deum sunt et salutem animarum, laudabile est et maximopere commendatur, tamen, cum hoc adiumentum praestari non valeat sine ipsâ episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitae de suis viribus praesumptionis ortum habet; tum quia nemo se iis virtutibus, quae ad episcopatus ministerium necessario requiruntur, ornatum esse sine peccato existimare potest; atque huiusmodi desiderium semper est vitiosum, iuxta Angelici Doctoris doctrinam, *2-2, quaest. 183, art. 1 in corpore, in Quodlibet. 2, art. 11 in corpore, in Quodlib. 13, art. 9 in corpore.* Atque haec communis est doctrina omnium eorum, quos retulimus in tractatu nostro *de Canonizatione Sanctorum, lib. 3, c. 31, num. 6 et seqq.* Demum eorumdem oculis exponimus auream S. Basilii Caesareae Episcopi inclyti Ordinis vestri fundatoris doctrinam traditam in constitutionibus monasticis *cap. 9, tom. 2* editionis monachi Ioannis Garnier. *Ceterum,* inquit S. Doctor, *nequaquam convenit, ut asceta cupiat unquam ingredi in clerum* (ecce episcopatus desiderium) *aut fratribus praefici* (ecce desiderium archimandriae): *nam diabolica haec pestis est labesque libidinis dominandi, quae res summae diaboli nequitiae insigne est.* Et postquam gravissi-

ma ex huiusmodi desiderio provenientia damna explicavit, addit: *Cognito itaque detrimento, hanc absurdam cupidinem fugiamus.* Denique hoc capitulum hisce absolvit verbis: *Quod si Deus aliquando eligat quempiam ad eiusmodi munera, novit, cum sit industrius ac sagax, quemadmodum etiam ipsum praestiturus sit dignum. Nos autem conscii esse debemus nobismetipsis, nunquam nos aliquid tale appetivisse, neque ullo modo eiusmodi desiderium in animo habuisse: nam et hic animae morbus gravissimus est, et facit ut a bonis excidamus.*

Ad ecclesiasticas dignitates digniores sunt cooptandi.

§ 7. Tandem, cum apostolica huiusmodi nostra dispositio ac sanctio eorum quoque ius respiciat, qui ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias nominandi vel praesentandi ius quomodolibet habere dignoscuntur, iisdem salutare S. Bernardi monitum indicimus, reputandi nimirum ecclesiasticis dignitatibus indignum eum, qui vel per se ipsum vel per alios ad earumdem dignitatum consequutionem sese commendat. *Alius pro alio, alius forte et pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus: qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est.* Verba sunt eiusdem S. Bernardi *lib. 4 de considerat., cap. 4,* quibus apprime consonant verba S. Thomae Aquinatis *2-2, quaest. 100, art. 5 ad tertium: Si vero aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus.* Postremo addere praestat verba Concilii Tridentini *sect. 24 de reform. cap. 1.* « Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque ius quacumque ratione a Sede Apostolicâ habent, aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et Ecclesiae gubernanadae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint. »

Clausulae pro praemissorum firmitate.

§ 8. Haec sane sive statuenda sive mandanda sive monenda habuimus, decernentes omnia et singula in iisdem praesentibus nostris litteris contenta, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Sedis Apostolicae Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§ 9. Non obstantibus praefati Benedicti praedecessoris nostri litteris et quibuscumque statutis et decretis in contrarium praemissorum in conciliis et synodis nationis Ruthenae forsan editis, et Ordinis vestri etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Exemplorum auctoritas.

§ 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Interim vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XII. aprilis MDCCLIII. pontificatus nostri anno XIII.

CXLIX.

Regulas tradit missionibus Angliae regendis, praesertim vero statuit quae debeat esse dependentia missionariorum Regularium a Vicariis Apostolicis quaeque

sit illorum exemptio; insuper quid observandum quoad eorum numerum, qualitates, regimen internum, et indulgentias sui Ordinis; Vicariis Apostolicis curam et directionem missionariorum saecularium commendat (1).

Venerabilibus fratribus, Episcopis Vicariis Apostolicis, et dilectis filiis sacerdotibus tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam Societatis Iesu, regularibus, missionariis apostolicis Anglicanarum missionum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Maturae charitatis studium in primis exposcit Apostolicum Ministerium.

Apostolicum ministerium, quod vos, venerabiles fratres, dilecti filii, tantâ cum alacritate suscepistis, satis superque admonere vos et assidue in memoriam revocare non dubitamus, praeceptum mandatumque supremi pastorum Principis Iesu Christi Apostolos suos edocentis, cuius divinâ legatione in procurandâ aeternâ Christifidelium salute fungimini cooperatores; nimirum ut, mutuâ vosmetipsi invicem caritate diligentes, opus vobis iniunctum consumare satagatis, quo debitam laboribus vestris mercedem in caelis a iusto remuneratore Deo recipere valeatis. Nobis sane, qui gravissimas sacrosancti apostolatus curas et omnium ecclesiarum solicitudinem gerentes pene deficimus, nihil accidere potest molestius, quam cum accipimus scissuras esse inter vos, propter quas propagatio catholicae fidei et Christifidelium salus retardatur.

Dissidiorum causas examinat Pont. cum consilio Congregat. de Propag. Fide, ac denique statuit, ut infra.

Eapropter, ut opportunum consentaneumque praescindendis et e medio auferendis dissidiis, quae iamdudum inter vos exorta saepe saepius emergere ac magis invalescere plenissime docti vehementer dolemus, et pristinae animorum concordiae conciliandae et in perpetuum confirmandae remedium afferremus, primum quidem non solum exhibita nobis utriusque partis rationum momenta per nos ipsos accurate expendimus, sed nonnullis etiam venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Congregationis Propagandae Fidei praepositis examinanda mandavimus; deinde vero, iisdem Cardinalibus ad nos accitis, eorumdem sententiam consiliumque requisivimus. Quos postquam nobiscum convenire et consentire comperimus, haec, quae sequuntur, statuimus, decrevimus et a vobis districte servanda proponimus et mandamus.

Quatuor Vicariis Apostolicis commendata remaneat Anglicanae missionis administratio.

§ 1. Cum ab anno MDCLXXXVIII. constitutum fuerit, ut missio Anglicana per quatuor Apostolicos Vicarios administretur, qui Episcopi in partibus infidelium existant; cumque sui limites et confinia praescripta sint, in quibus ipsorum singuli suo munere perfungantur, nihil omnino immutetur in iis omnibus, quae pertinent ad eosdem Vicarios Apost., eorumque deputationem et limites, quos modo indicavimus.

Collegia erecta ad erudiendos pro Anglicanis missionibus alumnos, optimis legibus firmantur.

§ 2. Cum nonnulla seminaria et collegia instituta sint, ex quibus missionarii cleri secularis in Angliam mittuntur, nulla diligentia et cura praetermittatur, ut alumni ad sacras missiones obeundas destinati, optimis moribus, pietate, ingenio, doctrinâ exornentur, et ut periti sint in exercendis functionibus ecclesiasticis et cantu Gregoriano, quantum fieri poterit, imbuti. Praeses Collegii Duacensis in Belgio, literis datis die XV. ianuarii, Congregationem de Propagandâ Fide sincere certiorem fecit de ratione, qua alumni in praedicto Collegio instituuntur. Hisce proinde literis perhonorificum responsum redditum fuit. Romae existit Collegium Anglicanum a S. Thoma nuncupatum, curae ac disciplinae patrum Societatis Iesu commissum, cuius visitationem susceperunt iussu praedecessoris nostri Clementis XII. duo Cardinales vitâ iam functi, Davia scilicet et Riviera, sustinuitque Secretarii munus Cardinalis Monti vitam adhuc agens, qui id temporis munus a Secretis Congregationis de Propagandâ Fide gerebat. Itaque plurima statuta fuere, peculiari decreto summi Pontificis confirmata, quod die XXVIII. septembris anno MDCCXXXIX. in lucem emanavit. Sancitum in primis est, ut eodem in Collegio duo praeceptores in posterum commorentur, quorum unus controversiis et sacris Scripturis explanandis, alter theologiae morali tradendae incumberet, eorumque lectiones Anglicanae missionis utilitati forent maxime accommodatae. Quamobrem operam suam impendet Cardinalis, cuius in fide et patrocinio Collegium *pro tempore* recipitur, ut executioni mandentur quae eâdem in visitatione salubriter decreta fuere, atque illud in primis, quod paulo ante innuimus, quippe quod ad finem propositum unice con-

(1) Vide infra, suo loco, quae pro Anglia Pius IX. statuit.

ducere videantur. Pariter compertum est, collegium Ulyssipone pro Anglis recipiendis erectum esse, alterum Parisiis, Hispali unum, Vallisoletti alterum. Verumtamen cum eorumdem institutio atque existentia nihil praeterea innotescat, curae erit a Secretis Congregationis de Propagandâ Fide, consiliis cum Cardinale primo pontificiae ditionis administro collatis, ut dentur literae Nunciis Apostolicis in Lusitaniâ, Galliâ et Hispaniâ commorantibus, ut impensius de praedictis Collegiis inquiratur, eorumque gubernatio omnino explorata fiat. Neque id eo tendere opinandum est, ut quidquam detrahatur auctoritati vel regimini cuiuscumque, qui legitimâ ipsorum fruatur possessione; sed eo dumtaxat fine, ut inter nos eosdemque plenissime conveniat iis in rebus, quae ad alumnos spectant ex Seminariis in Angliam ad missiones obeundas profecturis.

Regulares idonei in Angliam mittantur ad certa dumtaxat officia exercenda, et ex iis tantum ordinibus, qui propriæ nationis coenobia in catholicis regionibus habent.

§ 3. Quoniam vero versantur in Anglia missionarii ex familiis regularibus, scilicet Societatis Iesu, S. Benedicti, S. Dominici, S. Francisci, Carmelitarum Excalceatorum; cavere omnino debent earum provinciales, ne in missionarios deligant, nisi viros numeris omnibus absolutos, singulari nimirum pietate, ingenii dotibus praeditos, quae ad tantam provinciam tamque laboriosam requiruntur. Quamobrem ne ob immodicum eorum numerum perturbationes et incommoda oboriantur, ipsis regularium provincialibus immutabiliter praescribitur, ut eos dumtaxat in Angliam mittant, qui vel sacellis regiis praefici debeant, aut apud aliquem nobili sanguine natum versari, aut in locis, quae pro regularibus fundata et constituta sunt. Porro a missionibus Anglicanis se repelli intelligant regulares, qui ex propriâ natione non obtinent coenobium vel provinciam in catholicis regionibus: iis tamen, qui ibidem in praesentiarum commorantur, revertendi necessitas non infertur. Enimvero cum Hiberni sacerdotes ad sustinendam Insulae eiusdem missionem deputentur, quae plurimos sapientesque expetit operarios, cumque in Angliâ permulti sint sacerdotes indigenae tam seculares quam regulares, consentaneum esse arbitramur, si iidem ipsâ in patriâ labores suos potissimum impendant, et praedicti Hiberni sacerdotes missionariis Anglis tunc solum cooptentur, cum horum paucitas id exigere videatur; ideoque a Vicariis Apostolicis Angliae ad missionem exoptentur et evocentur.

Hiberni missionibus Angliae non adhibeantur, nisi a Vicariis Apost. in subsidium vocentur.

Vicariorum Apostolicor. ordinaria et delegata auctoritas pro regionis necessitate sufficiens.

§ 4. Sed ut ad Vicarios Apostolicos revertamur, praeter eam omnem auctoritatem quae ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet Ordinario in suâ civitate et dioecesi, Apostolica S. Sedes facultates *formulae secundae* ipsis elargitur, cum potestate illas simplicibus sacerdotibus, qui idonei videbuntur, communicandi, iis tamen exceptis, quae vel ordinem episcopalem unice spectant, vel exerceri sine sacrorum oleorum usu minime possunt. Nihil proinde recensitis Vicariis deest, quod ad sanum regimen et directionem tam regularium quam cleri secularis conducat, qui nullas in hanc diem controversias excitavit, quae debitam Vicariis Apostolicis obedientiam et subordinationem labefactarent.

Regulares et privil. ab ordinaria Episcopi iurisd. exempti.

§ 5. Attamen, quoniam inter privilegia, quibus gaudent regulares, cuilibet peculiari Ordini a summis Pontificibus attributa, illud annumeratur, per quod regulares familiae ab episcopali vel ordinariâ auctoritate eximuntur, vel S. Sedis iurisdictioni immediate subiiciuntur, ne altercationes eâ de re in posterum enascantur, quas plurimas elapsis temporibus constat extitisse et in dies suboriri, necessitas postulat, ut finis aliquando iis imponatur: quod ita praestari oportet quemadmodum inferius exponemus.

Attamen missionarii regulares se Vicariis Apostolicis sistere et testimoniales superiorum exhibere tenentur.

§ 6. Itaque regulares missionarii cum provinciam adventaverint, ubi sacras missiones obire debent, Apostolicum Vicarium convenient, uti facere semper consueverunt, in cuius ditione ministerium apostolicum suscepturi sunt. Siquidem institutum canonicum est sacri Concilii Chalcedonensis auctoritate firmatum, nemini advenae in sacris constituto licere, ordinem, quo se insignitum asserit, exercere, adeoque sacrum peragere, si sacerdotem se esse profiteatur, nisi literas authenticas Ordinarii palam faciat, testimoniumque exhibeat, se nullo suspensionis vel irregularitatis vinculo irretiri. Ita *canon. 7, dist. 71,* cui apprime consentit sacrum Concilium Tridentinum *sess. 22 de sacrificio Missae* decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae, et cap. 13, Sess. 23, de Refor.* Porro huiusmodi praescriptum regulares etiam respicit, quoties extra dioecesim versantur, in qua ad sacros ordines promoti fuere, proindeque susceptum ordinem exercere minime possunt, praesertim in ecclesiis quae ad propriam sodalitatem non spectant, nisi prius Episcopis, aut Vicariis

generalibus vel foraneis, superiorum suorum documenta proferant, quibus et obtenti ordinis testimonium, et libertas ab omni canonico impedimento irregularitatis vel suspensionis perspecta fiat. Quamobrem id etiam est in mandatis regularibus missionariis, ut nimirum Vicariis Apostolicis, eâ ratione qua dictum est, sese exhibeant, ubi ad missionis locum pervenerint.

Regulares aeque ac saeculares sacerdotes, ad excipiendas saecular. confessiones, approbatione indigent Ordinarii loci,

§ 7. Nullus saecularis sacerdos Poenitentiae sacramentum administrare potest, qui actualis parochus non existat, vel idoneus ad id in praemisso examine repertus non fuerit, quod Ordinarius loci, ubi confessiones excepturus est, de eo habere potest. Idem et regularibus sacerdotibus edicitur, quoties velint saecularium confessiones audire, quemadmodum ad literam decernitur a Concilio Tridentino *sess. 23, cap. 15, de Reformat.*, quo in loco derogat sacrum Concilium privilegio cuicumque et consuetudini immemorabili, quae contrarium praeseferet, inquiens: *Privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.* Idque eo vel magis, quod a summo Pontifice S. Pio V. eâ in constitutione, cui initium est *Romani Pontificis, 133, Bullarii Romani tom. 2,* declaratum est, praedictam Concilii Tridentini sanctionem ad omnes quoscumque regulares extendi, vel mendicantes vel non mendicantes, quamvis lector atque magister in sacrâ theologiâ praefulgeat et potestas saecularium confessiones excipiendi illi facta fuerit a suis superioribus regularibus. S. Pio V. omnino consonat Urbanus VIII. in constitutione quae incipit: *Cum sicut accepimus, 92, Bullarii tom. 4,* per quam amplissime rescidit privilegium quodcumque alias regularibus attributum, cuius praetextu saecularium confessiones exciperent, priusquam examen sustinuerint, et consensum ab Ordinario dioecesano impetraverint. Ac ne regularium familiae, quae nisi expresse nominentur se minime comprehendi putant, ab eâdem constitutione immunes se iactarent, eas nominatim et singulas recensendas optimum duxit. Ultimo tandem summus Pontifex Clemens X. editâ constitutione *Superna, 7 in Bullario Romano tom. 6,* § *4,* ita firmavit: ***Religiosos ab Episcopo ad confessiones saecularium in suâ dioecesi audiendas approbatos, non posse in aliâ dioecesi eas absque Episcopi dioecesani approbatione audire, quamvis poenitentes subditi sint eius Episcopi, a quo ipsi religiosi iam fuerant approbati.***

Qui potest utrosque ad examen vocare.

§ 8. Quare si instamus canonicis institutis, quae superius numeravimus, nullum afferri potest impedimentum Ordinario, quominus examen indicat sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus, per quos Poenitentiae sacramentum in locis ipsius iurisdictioni subiectis administrandum est: regulares, inquam, in examen vocare potest Ordinarius, si velint saecularium confessiones excipere. At vero, quoniam missionarii, et imprimis regulares, longa et difficilia suscipiunt itinera, relictis coenobiis in quibus versantur, ut in Angliam ad obeundas missiones se conferant, ne dubietas admissionis ad confessiones audiendas in subeundo examine illos ab apostolico munere deterreat, cavebunt inposterum, antequam relinquant monasteria in quibus degunt et in Angliam tendant, cavebunt, inquam, examen ad confessiones saecularium audiendas subire coram Ordinario et examinatoribus loci in quo situm est monasterium, et consequi testimonium quo idonei declarentur; quod insuper poterit indicari Vicariis Apostolicis in Angliâ commorantibus per literas Ordinarii, qui ad examen eos excepit, et peritos idoneosque iudicavit. Quod si cuiquam ex regularibus commodius atque itineri opportunius videretur, Bruxellis ante Apostolicum Nuncium propriae scientiae periculum facere, id erit eorum in libitu, cum utrâque ratione duplex auferatur incommodum; unum scilicet, ne regulares animum mentemque dimoveant a missionibus Anglicanis eo timore, ne a Vicariis Apostolicis admittantur ad saecularium confessiones excipiendas; alterum vero, ne iidem Vicarii destituantur auctoritate adprobandi illos, qui intra limites suae iurisdictionis Poenitentiae sacramentum velint administrare. Etenim duos omnino actus complectitur adprobatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus, debitâ ac necessariâ scientiâ in examinato deprehensâ illum confessionis muneri obeundo aptum existimare. At nonnisi voluntatis est, facultatem confessionum audiendarum liberam plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui adprobatori subiicitur. Primum itaque ab examinatore praestatur, cuius fidei et integritati innititur atque acquiescit, qui confessiones audiendi facultatem in limitibus et confiniis sibi assignatis impertitur. Alte-

Anglicanis tamen missionariis datur, ut coram Nuntio Apost. Bruxell. constituto, vel coram Episcopo loci, ubi situm est eorum monasterium, examinentur.

rum immediate peragitur ab ipsomet superiore, cuius est praedictam facultatem concedere.

Verum facultas audiendi confessiones a Vicariis Apost. obtinenda.

§ 9. His itaque constitutis, cum regularis examinatus iam et idoneus iudicatus, uti diximus, sese offerat Vicariis Apostolicis, cumque id perpendi minime debeat tamquam urbanitas aliqua seu caeremonia, cum insuper Vicarius Apostolicus opportunam facultatem elargiri intelligat ad suscipiendas fidelium confessiones, qui ditione suâ continentur; absoluta penitus hac ratione controversia omnis iudicari deberet. Caeterum confessarii munus regularibus deferri potest sine temporis determinatione, vel cum limitatione: quod luculenter constat tum ex Brevi a summo Pontifice Urbano VIII. dato Cardinali de Sandoval anno MDCXXXIX. inserto a Cabasutio in *Theoriâ et Praxi Iuris Canonici, lib. 1, c. 10, n. 13,* tum ex recensitâ constitutione Clementis X. *Superna ad* § *4.* Porro huiusmodi facultates ad praestitutum tempus collatas, post elapsum temporis intervallum, ius competit Ordinario vel abrogandi, vel eas renovando sacerdotem ad novum examen compellendi. Facultates vero nullâ cum temporis limitatione delatae, nonnisi cum ipso officio desinunt, nec suspendi propterea possunt sine novâ causâ, quae confessiones directe respiciat, quemadmodum patet ex constitutione: *Cum sicut accepimus,* ab Innocentio X. in lucem editâ *32,* § *2, Bullarii tom. 4. An Episcopus regularem pro confessionibus semel approbatum, sine novâ causâ suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? Respondetur: Regulares alias libere ab Episcopo, praevio examine, approbatos ad audiendas confessiones personarum saecularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine novâ causâ, eaque ad confessiones ipsas pertinente.* Quae cum ita sint, ut omni dissidio aditus occludatur, decernimus atque statuimus, ut facultas superius exposita, a Vicariis Apostolicis regulari examinato et approbato concedenda, ad sexennium extendatur, atque ad aliud sexennium sine praevio examine confirmetur, cum regulares missionarii, iis peractis, quae *num. 20* exponentur, Anglicanae missionis exercitium denuo suscipient.

Sed cum eadem et indefinite et cum praefinitione temporis dari possit,

Statuitur, ut missionariis ad sexennium concedatur, et ad aliud sexennium prorogetur absque novo examine.

Privilegia super hoc ab Urbano VIII. regularibus concessa praesenti temporum conditioni aptari non possunt.

§ 10. In medium igitur proferri minime potest tam Breve summi Pontificis Urbani VIII. quod incipit: *Britannia,* vulgatum anno MDCXXXI., quam Bulla eiusdem Pontificis: *Plantata,* edita anno MDCXXXIII., aut aliud quodcumque documentum ad firmandam regularium independentiam a Vicariis Apostolicis in administratione Poenitentiae sacramenti aliorumque sacramentorum. Brevia enim et huiusmodi documenta emissa fuere, antequam quatuor Vicarii Apostolici in Angliâ constituti forent cum omni auctoritate, quae competit cuilibet Ordinario in suâ civitate et dioecesi. Quamobrem, sancito libero et tranquillo ordinariae Episcoporum auctoritatis exercitio, ex ipso desinit regularium immunitas pro sacramentis administrandis, quae tunc temporis iisdem concessa fuit, cum praedictum liberum exercitium nullatenus permittebatur, quemadmodum regulares ipsi luculenter agnoverunt et confessi sunt in celebri disputatione Parisiis habita, quae in *Collectione Iudiciorum, tom. 3, pag. 45,* continetur. Accedit praeterea, quod idem prorsus decretum fuit pro statuendo Indiarum Orientalium regimine, nequicquam refragantibus amplis S. Pii V. et Gregorii XIV. privilegiis, ut legere cupienti innotescet ex nostrâ constitutione: *Quamvis ad confirmandum, tom. 2 nostri Bullarii.* Eâdem plane ratione, cum in praesentiarum constitutum sit regimen Vicariorum Apostolicorum, finem habere debet recensita regularium missionariorum immunitas iis delata, antequam praedictis Vicariis Apostolicis regimen et ordinaria auctoritas tribueretur, et sua cuilibet confinia assignarentur. Notae et pervulgatae sunt controversiae agitatae et discussae in Congregatione de Propagandâ Fide anno MDCCI. et MDCCII. inter Macai Episcopum, Vicarios Apostolicos Sinarum, atque regulares missionarios, qui tueri conabantur, ob sua privilegia licitum sibi esse sacramenta administrare et quolibet parochiali officio perfungi, quin ab Episcopo et Vicariis Apostolicis dependerent. Porro cum sapienter Congregatio animadvertisset, ab Innocentio XII. fel. rec. suos praefinitos fuisse limites cuilibet Vicario Apostolico, decrevit atque mandavit, ne cuiquam missionario vel saeculari vel regulari in posterum liceret Poenitentiae sacramentum saecularibus impertiri, vel aliis parochialibus officiis fungi, quidquid in contrarium praeseferrent privilegia iis concessa, quin prius facultatem obtinuisset ab ecclesiastico superiore; ab Episcopo nimirum quoties sacramenta administranda essent in eius dioecesi, vel a Vicario Apostolico si in ipsius ditione id foret peragendum. Haec enim

Similia privilegia abrogata fuerunt, quoad regiones Indiarum aliasque, ubi Ordinarii, aut Vicarii Apostol. iurisdictionem libere exercent.

habet decretum vulgatum die XIV. februarii anni MDCCII.: ***Missionariis autem, sive saecular. sive regular., etiam Societatis Iesu, non liceat etiam vigore suorum privilegiorum sacramenta administrare aut alia munia parochialia obire, nisi de licentiâ praefatorum Ordinariorum sive Vicariorum Apostolicorum, in quorum respective provinciis aut dioecesibus eiusdem missionarics commorari contigerit.*** Haec profecto luculenter ostendunt, nullatenus esse provocandum ad immunitatis privilegia Anglicanis missionariis concessa, antequam in Angliâ Vicarii Apostolici constituerentur. Idque discussum etiam fuit in peculiari Congregatione de his negotiis habitâ die VI. octobris anno MDCXCV., cuius decreta Innocentius XII. brevi dato die V. octobris anno MDCXCVI. confirmavit. Accedit decretum emissum ab universâ Congregatione de Propagandâ Fide die XVI. augusti anno MDCCXLV. quod nostro Brevi sub die V. septembris anno MDCCXLV. firmatum fuit.

Facultates pro Angliae missionibus opportunae solis Vicariis Apost. immediate ab Ap. Sede conceduntur, adiecta facultate subdelegandi.

§ 11. Cum ab hac S. Sede animadversum sit, plurima saepe contingere in regionibus longe dissitis, quibus ut consulatur, peculiares dispensationes et privilegia, quandoque opportuna quandoque etiam ad animarum regimen necessaria, requiruntur, ad quae obtinenda difficile est Romam confugere, eadem S. Sedes in more habuit, habetque in praesenti, Episcopis in remotioribus provinciis commorantibus quasdam facultates impertiri, quibus uti possint vel immediate vel per inferiores sacerdotes a se designatos: atque idem plane cum missionum praefectis atque Apostolicis Vicariis facere consuevit. Verumtamen, cum nec Episcopi, nec missionum praefecti in Angliâ hoc tempore versentur, supervacaneum est, facultates recensere, quae his vel illis deferuntur. Sedem habent in Angliâ Vicarii Apostolici, qui sibi commissis provinciis praesunt, atque iis dumtaxat *formulae secundae* facultates tribuuntur; proindeque regulares Angliae missionarii iis solum facultatibus perfruuntur, quas obtinent ab Apostolicis Vicariis, qui sane eas communicare aliis possunt, uti ex *formulâ secundâ* manifestum est: ***praedictas facultates communicandi, non tamen illas, quae requirunt ordinem episcopalem vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis, qui in eius dioecesi laborabunt.*** In recensitis notatu dignum imprimis est vocabulum illud *idoneis*, quo cognitio indicatur, quam largitor facultatum habere debet de illo qui ipsas consequitur, an videlicet idoneus existimetur. Hinc et arbitrium examinis de illo instituendi subsequitur, quoties eius scientia ad facultatem exrcendam aliunde non innotescat. Observationem illud etiam exigit, quod necessitas non infertur Vicario Apostolico ut omnino praedictas facultates communicet; sed veluti commodum quoddam huiusmodi potestas illi delata est pro animarum utilitate: quod quidem nunquam non opportunum, saepius etiam necessarium est, cum superior omnia per se praestare minime valeat. In arbitrio Vicarii Apostolici positum quoque est vel omnium suarum facultatum sacerdotem participem facere, vel aliquas tantummodo communicare. Nam Vicarius Apostolicus in hoc facultatum genere specialis S. Sedis delegati personam gerit, cui liberum est subdelegare, nedum ex communi iure, verum etiam ex singulari auctoritate illi demandatâ: cumque in delegantis potestate constitutum sit suspendere, vel omnino etiam auferre factam delegato procurationem, ex his omnibus illud consequitur, in Angliâ scilicet, quod iam dictum est, eas tantum facultates per Vicarium Apostolicum collatas a missionariis exerceri posse. Ille siquidem cum apostolicus depositarius earumdem existat, communes eas facturus cum sacerdotibus saecularibus aut regularibus, ius retinet (quod repetere supervacaneum non erit) dignoscendi, an revera idonei sint, aliquas tantummodo, non omnes communicandi, ac denique eas suspendendi penitusve auferendi. Attamen summopere commendatur humanitas in examine peragendo; insuper debita et prudens cautio in suspendendis vel adimendis facultatibus quae semel concessa fuerunt. Nec opus est, ut facultates exprimantur, quas Vicarius sibi reservare, aut quas sacerdotibus saecularibus vel regularibus elargiri debet, quaeve uni potius quam alteri sint impertiendae: id enim arbitrio relinquitur Vicarii Apostolici, qui cum in loco consistat, et personas dignoscat quibus facultates conceduntur, animarum necessitates animadvertat et casuum frequentiam, decernere facilius potest, quae magis opportuna et salutaria videantur. Inter caeteras illa adnumeratur facultas, per quam copia fit sacerdoti bis sacrum peragendi uno eodem die, licet id expresse prohibeatur *cap. Consuluisti de celebratione Missa-*

Hinc ante subdelegationem missionarios examinare possunt, atque his facultates magis vel minus amplas conferre, suspendere, et adimere.

Facultas bis celebrandi eodem die, sola necessitatis populi causa concedi debet.

rum, cui tamen derogatur ob necessariam causam, videlicet ob sacerdotum paucitatem, vel cum eorum numerus, qui diebus festis tenentur sacris assistere, talem exhibeat necessitatem ut, nisi alicui sacerdoti duas missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato plures non satisfacerent: quod copiose declaratum est *constitutione 3* in praesenti nostro pontificatu emissâ et Oscensi Episcopo inscriptâ *tom. 2 Bullarii.* Hinc facile apparet abusio intolerabilis, quae patraretur, si cuiquam sacerdoti rem divinam faciendi bis in diem facultas tribueretur eum in finem, ut duplici eleemosynâ decentius se sustentaret, quantoque magis sacerdos peccaret, si missae sacrificium bis uno die conficeret sine opportunâ Vicarii Apostolici concessione, vel sub populi necessitatis praetextu eam peteret atque obtineret, licet reipsa plurium eleemosynarum cupiditate ad id moveretur.

§ 12. Adprobationis necessitatem, quam diximus competere cuilibet Vicario Apostolico in suâ provinciâ, non solum quoad saeculares, sed etiam quoad regulares sacerdotes, qui saecularium confessiones sint excepturi, necessitatem pariter ab ipsis accipiendi facultates *Formulae secundae,* quae praedictis Vicariis Apostolicis a S. Sede tribuuntur, una cum potestate eas communicandi sacerdotibus saecularibus et regularibus, ut illis solummodo missionarii utantur, quemadmodum superius exposuimus, has, inquam, necessitates subsequitur actualis administratio curae animarum et sacramentorum; ac proinde in iis, quae ad utrumlibet horum capitum spectant, nedum missionarii saeculares, sed etiam regulares subiiciuntur iurisdictioni et correctioni Vicariorum Apostolicorum. *Personae tam regulares quam saeculares, huiusmodi curam exercentes, subsint immediate in iis, quae ad eamdem curam et administrationem sacramentorum pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi sitae sunt.* Haec ferme habet *Concil. Tridentinum sess. 25 de Regularibus, cap. 11.*

Vicariorum iurisdictioni et correctioni subsunt missionarii etiam regulares.

§ 13. Quamvis autem in hoc *cap. 11.* non derogetur privilegiis, quae hanc in rem producere possent regulares, nihilo tamen minus, quia huiusmodi derogatio apertis verbis exprimitur *cap. 22 novissimo ipsius sessionis 25 de Regularibus,* ideo haec ipsa complectitur singula capita anteriora *ipsius sessionis 25 de Regularibus,* ac propterea recensitum etiam caput undecimum, quemadmodum enunciatum est constitutione Innocentii XIII. quae incipit, *Apostolici ministerii,* confirmatâ a Benedicto XIII. in alterâ, quae incipit: *In supremo,* data anno MDCCXXIV. *num. 23. Sciant omnes derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite* (idest XXII.) *continentur, sed etiam ad alia, quae in singulis superioribus* (adeoque etiam in cap. XI.) *eiusdem sessionis constituta sunt.*

Contrariis regularium privilegiis derogavit Tridentinum.

§ 14. Superioribus annis suscitata a nonnullis fuit infirma nimis controversia, nempe in dubium revocata fuit praedicta Concilii Tridentini dispositio, et contendebatur eos tantum regulares affici, qui parochi existant, alios vero regulares sacerdotes, qui licet parochi non sint, tamen sacramentum aliquod saecularibus administrent, vel nullimode comprehendi, vel, si comprehendantur, id referendum esse ad eos solummodo, qui rem *de facto* agerent et sine praeviâ Ordinarii facultate: verum Gregorii XV. editâ constitutione *Inscrutabili,* quae est *17 Bullarii Romani t. 3,* declaravit regulares sacerdotes, qui vel parochi sunt, vel aliquod administrant sacramentum, *sive alia ecclesiastica sacramenta, aut unum ex iis ministrent,* sive id praestent *praeviâ Episcopi licentiâ et approbatione,* aut agant *de facto absque ullâ auctoritate,* subesse debere in iis omnibus, quae curam vel administrationem sacramentorum spectant, iurisdictioni et correctioni Ordinarii tamquam Sedis Apostolicae Delegati: *in his, quae huiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae Delegati, plene in omnibus subiiciuntur.* Idem prorsus renovatum est in Bullâ *Cum sicut 34* Innocentii X. § *4, in Bullario Romano tom. 5,* tum in constitutione *Firmandi 109,* § *3, Bullarii tom. 1* in praesenti pontificatu evulgatâ.

Idque obtinet sive regularis curam animarum exerceat, sive unum sacramentum administret.

§ 15. Ius huiusmodi in regulares sacerdotes delegatum, in iis quae animarum curam sacramentorumque administrationem concernunt, cessare certum est, cum eorum quiquam sui regularis instituti observantiam aliquo modo violaret; id enim Ordinarii muneris non est, sed respectivi superioris regularis: *cuius quidem agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis insti-*

Regularium exemptio manet in iis quae respiciunt regularem observantiam.

tuti, non est Episcopi inquirere, cum ad ipsum superiorem *regularem privative id pertineat.* Verba ipsa sunt recensitae constitutionis *Firmandis,* § *8.* Non ignoramus sacrum Concilium Tridentinum, *sess. 6, cap. 3, de Reformatione,* nullâ admissâ distinctione decrevisse, quod regularis *extra monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii praetextu, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valet:* atque hinc factum esse, ut dubium a nonnullis proponeretur, utrum commorantes missionarii regulares apud privatos, atque ut plurimum seorsim, ut in Angliâ contingit, utrum, inquam, praedicti regulares veluti religiosi extra monasteria viventes censendi sint, ac propterea Ordinarii iurisdictioni tamquam Apostolici Delegati in omnibus subiecti, quod definitum est in allatâ Innocentii X. constitutione 34, *Cum sicut,* § *15.* Quandoquidem tamen illud perpendi debet, regulares, scilicet Anglicanae missioni destinatos, illuc proficisci in bonum sanctae nostrae religionis, eorumque mansionem in privatis domiciliis, non item in monasteriis, ex publici regiminis legibus dimanare, quibus coenobia quaecumque prohibentur; aequum profecto est, ut recenseri non debeant adinstar illorum, qui extra proprium monasterium vitam agunt, atque hinc subsunt omnimodae Ordinarii iurisdictioni, quemadmodum sancitum fuit a summo Pontifice Clemente VIII. in suis literis apostolicis in formâ Brevis editis anno MDCI. quae incipiunt: *Quorumcumque religiosorum,* recensitis in constitutione *Quamvis;* quae ordine est *prima* praesentis nostri pontificatus *tom. 2 Bullarii.* Quamobrem cum iis potius procedendum est veluti cum regularibus in propriis monasteriis degentibus, qui, si aliquod crimen foris patrarent scandalum populo afferens, insistente Ordinario ut puniantur, plecti debent a suo superiore regulari, qui insuper tenetur inflictam castigationem ipsi Ordinario indicare: *Regularis intra claustra monasterii degens, si extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab Episcopo praefigendum severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus, a suo superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit:* haec habet sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25 de Regularibus cap. 14.* Quibus apprime insistens ipsemet summus Pontifex Clemens VIII. alteram vulgavit constitutionem, cui initium fecit *Suscepti muneris, 39, Bullarii Rom. tom. 3,* ubi accurate animadvertit, atque enunciavit quidquid ad eorum executionem conducere videretur.

Nisi habitent extra claustra.

In Anglia tamen missionarii regulares perinde habendi ac si in claustris degerent.

Eorumque correctio, si forte deliquerint, a superioribus regularibus expetenda.

§ 16. Harum ope regularum, quae non ad libitum efflctae, nec recentes, sed iuris canonici et sacri Tridentini Concilii auctoritate suffultae, nec non anteriorum Pontificum constitutionibus firmatae sunt, dubitandum non est, quin perfecta interesse debeat confessio inter Episcopos et regulares missionarios eorumque superiores, dummodo reipsa in eorum animis vigeat, quod iuvat sperare, verum pacis et concordiae desiderium. Atque ea animorum coniunctio eo vel magis speranda, quod ipsorum iuri atque auctoritati certi limites et confinia praefinita sint. Siquidem non deest superioribus regularibus privativum ius in proprios religiosos, qui sui instituti observationem perfregerint. Quod si ab iisdem quodquam gravioris notae crimen perpetretur, atque in primis si contra bonos mores deliquerint, non destituuntur superiores eos castigandi facultate: nec conquerendi locus Vicario Apostolico relinquitur, si ab eodem superiore post acceptam facti notionem debita punitio non omittatur; adeo ut Vicarius Apostolicus, quod supra indicatum est, se in eam rem ingerere nullatenus possit, nisi forte contingeret, ut regularis superior vel nihil praestaret vel aequas poenas a reo minime desumeret. Habent itidem Vicarii Apostolici, utpote S. Sedis Delegati, potestatem supra regulares in iis omnibus, quae animarum curam et sacramentorum administrationem respiciunt. At vero huiusmodi ius non solum iis competit, verum etiam regularibus superioribus, quibus concessum est suos religiosos animarum regimen sive sacramentorum administrationem male exercentes punire. Porro ius privativum Ordinarii complecitur tantum actus, quos ipse ratione ministerii sui teneatur peragere in bonum populi disciplinae regularis parochi demandati.

Privativa et cumulativa iurisdictio Vicarii Apostolici, et superioris regularis definitur.

§ 17. Ne autem de iure cumulativo, quod habent tam Vicarii Apostolici quam regulares superiores in regulares, qui vel parochi existunt vel qui sacramenta administrant, ulla oboriatur disceptatio, decretum iam est, ut dissidente Ordinario superiore,

Norma exercendae iurisdictionis cumulativae.

vel Episcopus ille sit sive Vicarius Apostolicus, a regulari superiore, prioris sententia alterius praestet opinioni: itidemque, ut cum velit superior regularis ab animarum regimine et sacramentorum administratione regularem sibi subditum removere, efficere id possit, quin prius Ordinarium de causâ certiorem faciat: quod vicissim ab Ordinario fieri posse tenendum est, secluso debito causam patefaciendi regulari superiori. Adeatur superius recensita constitutio *Firmandis* CIX., § *10 et 11, Bullarii tom. 1* praesentis nostri Pontificatus, ubi auctoritate veterum decretorum id fusius declaratum et confirmatum est. Nec regularis ab officio suspensus vel amotus ullimode valet appellationis beneficio mandati executionem impedire vel protrahere; sed post praestitam obedientiam, ad proprium tuendum nomen innocentiamve vindicandam, si eam laesam existimaret, reclamationibus unice locus erit et excusationibus suo iudici competenti ferendis, uti praescribitur in superius allatâ constitutione: *Inscrutabili,* Gregorii XV., atque in aliâ posteriori, cui initium *Ad militantis,* in praesenti nostro pontificatu scilicet XVIII. § *19, Bullarii tom. 1.*

Regulari ab officio suspenso non datur suspensiva appellatio.

Saeculares missionarii quibus rebus incumbere, et a quibus abstinere debeant: alioquin a Vicariis severe puniendi.

§ 18. Ne felici Britanniae missionum regimini quicquam deesse videatur, subsequentes adnectuntur regulae, quibus praetermissis haud omnino obtineretur, quod vehementer exoptatur. Sedulo igitur incumbant Vicarii Apostolici, ut missionarii saeculares probe honesteque in omnibus se gerant, quo aliis bono exemplo sint et in primis sacris officiis celebrandis, opportunisque institutionibus populo tradendis, atque infirmis operâ suâ sublevandis praesto sint, ut a publicis otiosorum coetibus et cauponis omnimode caveant, aeditâ etiam suspensionis poenâ cuilibet, si quis ad easdem divertere non vereretur. At potissimum ipsimet Vicarii, omni qua possunt ratione, severe tamen, illos puniant, qui de publico regimine cum honore sermonem non haberent. Quandoquidem illi in Angliâ versantur, non ad rumores et perturbationes excitandas, sed sanctae catholicae Religionis servandae causâ, eosque excipiendi, qui, divino Spiritu afflati et sanctae fidei mysteriis apprime instructi, se promptos paratosque ad eam amplectendam exhibent; cum interim a quibuslibet conversionibus debeant abstinere, quae, utpote sine praeviis debitisque conditionibus peractae, non modo nullam utilitatem, sed damna potius et incommoda plurima solent afferre. In iis autem quae missionarios regulares spectant, munus suum Vicarii Apostolici prae oculis semper ferant, quo tenentur in eorum actiones intendere semper in illis, quae animarum curam sacramentorumque administrationem respiciunt; necnon auctoritatem pariter sibi delegatam comminiscantur. Caeteras vero praedictorum regularium corruptelas, si quae contigerint, si nimirum eorum quisquam cauponas et coetus frequentaret, seu publico regimini obloqueretur, sive denique alienis negotiis sese immisceret, has, inquam, corruptelas reparare studeant remediis superius expositis, atque a Concilio Tridentino desumptis, quibus regulares afficiuntur in monasteriis degentes, et qui extra septa ipsius monasterii scandalum aliquod committunt.

Regulares circa eadem deficientes, quomodo corripiendi.

Horum delectus habendus per superiores regulares: unusque visitator caeteris praeficiendus.

§ 19. In primis curae sit superioribus regularibus missionarios indistincte nequaquam mittere, sed, quod dictum iam est, eos deligere, qui et vitae probitate atque sufficienti opportunae doctrinae copiâ tales existant, ut sibi traditum ministerium probe complere valeant. Praeterea studeant praeficere in Angliâ unum ex religiosis, cui visitatio sibi subditorum singulos in annos obeunda committatur, qui diligenter eorum vivendi rationem ad examen revocet, et congestarum eleemosynarum usum perscrutetur. Sic enim fiet, ut quaelibet negotiationis suspicio de medio tollatur, incommodis quibuslibet et malis provide consulatur. Porro visitator ipse de his quae gerenda sunt, conferat cum Vicariis Apostolicis, ut et ipsi auxiliarem manum praebeant, atque ita scandalis quibuslibet aditus occludatur.

Post sexennium ad regiones catholicas et ad propria monasteria se recipiant, vacaturi spiritualibus exercitiis.

§ 20. Quandoquidem, degentibus missionariis regularibus in Angliâ extra monasteria in privatis domiciliis, et saeculares vestes adhibentibus et eâ libertate utentibus, qua sane carerent, si in monasteriis degerent, inauditum minime esset, si etiam religiosa corda mundano pulvere sordescerent; ideo edicitur cuilibet missionario, ut post singula sexennia ad catholicas regiones sese restituat, propriae familiae regularis claustra subeat, religiosum induat habitum, ibique per tres integros menses commoretur, atque interim spiritualibus exercitiis per quindecim dies sedulo incumbat. Hinc est, quod Vicarii Apostolici, quorum arbitrio atque prudentiae, uti expositum est, committitur potestas communicandi missio-

Ideo statutum, ut facultates ad sexennium tantummodo ipsis delegentur.

nariis facultates *formulae secundae,* ipsam *ultra sexennium* non debebunt prorogare, sed impertiri ad summum *ad sexennium, et interim ad libitum,* eamque, si consentaneum iudicaverint, simili modo restituere, cum regulares, absoluto iam praescripti secessus tempore, ad missionem revertentur.

Remotiones missionar. regul., quantum fas erit, communi consensu fiant, et sine missionis detrimento.

§ 21. Etsi regularis superior, qui statuit aliquem ex suis religiosis a sacramentis administrandis sive a missionibus exercendis removere, ex superius allatis, non teneatur remotionis causam Vicario Apostolico significare, et eâdem ratione liberum sit Vicario Apostolico, insciis atque inconsultis iisdem superioribus, contra missionarios regulares, quos delinquentes in sacramentis administrandis, vel ineptos atque rudes negligentesve in suo munere adimplendo deprehenderit, animadvertere prout ipsi expedire videbitur, tamen consentaneum erit, si unanimi voluntate et consensu rem gerant, ne missiones operariis destituantur, et uni missionario amoto alter continuo subrogetur, qui eius subeat vices; idemque exhibeatur officium a superioribus regularibus cum Apostolicis Vicariis, ubi velint suos in alium locum transferre, vel eos revocare in catholicas regiones, atque uno eodemque tempore successores expediant, videlicet ne missio necessariis operariis careat.

Fundationes unicuique requisitae possessoribus maneant.

§ 22. De fundationibus nihil omnino innovetur; sed tam saeculares quam regulares in earum possessione perseverent, quas in praesentiarum obtinent; atque adeo sacramenta, etiam confessionis, omnibus indiscriminatim per eos administrentur in urbibus et oppidis muro circumdatis, ubi limites praefiniti non sunt, eâ plane ratione, qua in nostris civitatibus ad confessionem adprobati ab Episcopo sine ullâ loci vel peculiaris ecclesiae limitatione, in qua confessiones possint excipere, in qualibet urbis ecclesiâ confessiones audiunt, debitis tamen officiis cum ipsius rectore antea persolutis.

Sacramenta a sacerdotibus approbatis in urbibus et oppidis sine limitatione administrantur.

In pagis et agris nemo deputationis suae limites transcendat.

Verum missionariis in pagis et apud ruricolas commorantibus non liceat sacramenta, nec etiam Poenitentiae, extra praescriptos limites administrare, cum ad confessiones extra confinia excipiendas necessaria omnino sit Vicarii Apostolici licentia, cui illa subiicitur provincia. Etenim apud nos etiam confessarius ab Episcopo pro saecularibus adprobatus in suâ dioecesi, extra dioecesim eam facultatem exercere nequit sine alterius Episcopi adprobatione, in cuius ditione Poenitentiae sacramentum administratur, etiamsi poenitens subsit Episcopo, qui illum ad confessiones excipiendas adprobavit. Idque constat ex Bullâ *Superna* Clementis X., quae est *6, tom. 6 Bullarii Romani;* § *4,* solus enim parochus a moralis theologiae scriptoribus eximitur, qui, si forte extra dioecesim versetur, sui parochiani ibi degentis confessiones potest audire, quamvis ab Episcopo loci, ubi sui parochiani se praebet confessarium, adprobationem ad confessiones non obtinuerit. Necessaria igitur omnino est Vicariorum Apostolicorum licentia, ut missionarii in pagis vel agris commorantes Poenitentiae sacramentum ministrent intra limites cuilibet illorum respective subiectos. Attamen ipsosmet Vicarios Apostolicos hortari non praetermittimus, ut meminerint valde consentaneum esse (nisi aliqua legitima causa contrarium persuaserit) facultates illis elargiri saltem ad confessiones excipiendas.

Vicariis Apostolicis suadetur facilitas in delegatione facultatum.

Quandoquidem vero licentiae administrandi sacramenta, quae conceduntur missionariis campestribus, ut plurimum certis limitibus arctari solent, extra quos nulla ipsis ministrandi facultas permittitur, quamvis locus, ubi sacramenta vellent conferre, intra limites Vicario Apostolico subiectos contineretur, qui permissionem ministrandi impertitus est; tamen Vicarium Apostolicum adhortamur, ut facilem se praebeat missionario campestri sacramenta aliquando conferendi extra limites ipsi praefinitos, nisi forte legitimum aliquod impedimentum id fieri prohibeat.

De indulgentiis.

§ 23. Haec omnia proficuam animarum curam et pacem, concordiamque inter missionarios, faustum denique Vicariorum Apostolicorum regimen respiciunt. At quoniam a viris optimis et fidei dignis indicatum fuit, consentaneum fore, si definiatur, utrum regularibus, qui vel in regiis sacellis, vel in locis pro illis fundatis, sive apud nobiles, commorantur, liceat indulgentias suis Ordinibus concessas evulgare, ideo, ut omnes molestae tricae evitentur, sequens regula proponitur, quae executioni demandari omnino debet: In bonum Anglicanae missionis adprobantur quilibet pietatis actus, preces, ieiunia, atque opera meritoria, quae a S. Romanâ Ecclesiâ comprobantur.

Suspenduntur in Anglia indulgentiae regularibus.

Ad indulgentias quod spectat ipsis operibus adnexas ratione privilegiorum, quae uni vel alteri regularium Ordini a summis Pontificibus concessa fuerunt, suspenduntur, atque ut fideles spirituali sanctarum indul-

Vicariis Apostolicis delegatur largitio indulgentiae plenar. quater in anno.

gentiarum emolumento tranquille et copiose simul perfruantur, cuilibet Vicario Apostolico auctoritas in ditione sui Vicariatus conceditur, ut quater in annum in iis solemnitatibus, quae ipsis magis opportunae videbuntur, indulgentiam plenariam impertiantur, quam lucrari possint quicumque Poenitentiae sacramento expiati et sacrâ Eucharistiâ refecti sacellum aliquod visitabunt, ubi missae sacrificium celebratur, pacem Ecclesiae suae a Deo rogabunt, paratique erunt pauperes aliquâ eleemosynâ pro suis viribus sublevare, vel catechismo et sacris concionibus frequenter interesse, quoties absque gravi incommodo id fieri liceat, sive infirmis aut morti proximis operam suam christiana caritate praebere; et quoniam non deerunt qui, vel carcere aut gravi morbo sive aliâ legitimâ causâ impediti, praescripta pietatis officia minime poterunt adimplere, singuli Vicarii Apostolici potestatem habeant ea commutandi, et alia, quae perfici valeant, decernendi. Porro ne morientes e vitâ decedant sine benedictione *in articulo mortis,* et sine indulgentiâ ipsi coniunctâ, iisdem Vicariis Apostolicis facultas conceditur, ut illam impertiantur, atque etiam sacerdotes alios subdelegare possint, qui eam morientibus elargiantur, servatâ tamen formâ, quae indicitur in constitutione huius nostri Pontificatus tempore in lucem evulgatâ, quam hisce regulis ad maiorem commoditatem adiungimus (1).

Et in articulo mortis.

Suadetur Legatis principum et nobilibus catholicis ne ullos in suis sacellis celebrare et ministrare permittant, nisi a Vicariis Apostol. approbatos.

§ 24. Ultimo tandem, cum Anglicanae missionis perduratio principum catholicorum ministris, nobilibus catholicis, fundationibusque iam constitutis accepta referri debeat; eos magnopere adhortamur, ut illos tantum sacerdotes saeculares vel regulares suis sacellis inservire permittant, qui se prius obtulerint Vicariis Apostolicis, et obtentas ab illis adprobationes exhibuerint: secus enim contingere posset, ut praeter eorum voluntatem admittatur celebrando missae sacrificio in sacellis et ministrandis sacramentis, qui vel sacerdos minime existat, vel, si fuerit sacerdos, suspensionis fortasse vel irregularitatis vinculo obstringatur.

Clausulae et derogationes.

§ 25. Porro omnia et singula huiusmodi a nobis, prout praemittitur, statuta et decreta, quo firmius subsistant et serventur exactius, tenore praesentium apostolicâ auctoritate, quatenus opus sit, confirmamus et apostolicae firmitatis robore communimus, et districte servanda praecipimus et mandamus, salvâ tamen in praemissis nostrâ successorumque nostrorum Romanorum Pontificum, et eiusdem Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei, auctoritate. Decernentes, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et a vobis et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. Cardinales eorumdemque Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis sive sub plumbo, sive in simili formâ Brevis expeditis, quorumcumque praedecessorum nostrorum literis, et praesertim fel. rec. Urbani Papae VIII. quarum initium est: *Britannia non minus etc.* necnon: *Plantata in agro dominico etc.,* aliisque constitutionibus et ordinationibus; necnon quorumcumque Ordinum, Congregationum, et Institutorum, etiam Societatis Iesu, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 26. Caeterum vos, venn. fratres, dilecti filii, per Domini nostri Iesu Christi caritatem, qui animas nostras pretioso sanguine redemit, rogamus et in Domino hortamur, ut non in contentione et aemulatione, sed induentes eumdem Dominum

Animorum concordia commendatur Vicariis Ap. et missionariis in Anglia.

(1) Scilicet constit. *Pia mater* superius allat.

nostrum Iesum Christum, perficiatis opus vestrum. Ad cuius prosperi successus auspicium apostolicam benedictionem, studiosae nostrae voluntatis pignus, vobis, venn. fratres, dilecti filii, peramanter impertimur.

Fides habenda transumptis.

§ 27. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis et ab eiusdem Congregationis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Praefecto et Secretario pro tempore existentibus subscriptis, ac sigillo eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. maii MDCCLIII., pontificatus nostri anno XIII.

CL.

Confirmatis suis literis apostolicis Cum nuper *de cura animarum conferenda etiam clericis saecularibus in Indiis, decernit, ex Pii V. literis* Exponi nobis, *nullum ius regularibus competere ad beneficia curata obtinenda vel retinenda.*

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Catholici regis alias proposita petitio.

Cum alias, nempe de anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo, ex parte charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi VI. Hispaniarum regis catholici nobis repraesentatum fuisset, non eas adhuc in Indiarum Occidentalium regnis atque provinciis ipsius dominio subiectis rerum circumstantias subsistere, ob quas olim sanctae memoriae Pius V., ad istantiam tunc existentis catholici Hispaniarum regis, aliique deinceps Romani Pontifices praedecessores nostri statuerunt, earum regionum parochias, doctrinas, aliaque munia et officia ad animarum curam pertinentia, per regulares personas obtineri et administrari debere, quin immo saecularem clerum illarum partium a multo iam tempore adeo et numero excrevisse et moribus, atque doctrina conspicuum, proindeque ad obtinenda et gerenda eiusmodi munia idoneum se praebere, ut nihil iam obstare videretur, quo minus earumdem parochiarum, doctrinarum, aliorumque officiorum provisio et dispositio, ad eam, quae generaliter per orbem vigere dignoscitur, ecclesiasticae disciplinae formam, prout non solum ipse Ferdinandus rex, sed etiam Archiepiscopi et Episcopi per easdem Indiarum regiones constituti magnopere optabant, revocari posset; nos, omnibus mature perpensis, quum regiam hanc petitionem non modo generalibus Ecclesiae institutis, verum etiam praedicti Sancti Pii aliorumque Pontificum praedecessorum nostrorum menti, ac saepe declarato Sedis Apostolicae sensui, conformem agnoverimuus; per nostras sub plumbo editas litteras, quarum initium est: *Cum nuper,* datas apud S. Mariam Maiorem, an. Incarnationis dominicae MDCCLI. sexto idus novembris, pontificatus nostri anno XII., decrevimus, atque permisimus, ut, non obstantibus dicti Sancti Pii V. praedecessoris litteris, aliisque in earum confirmationem ab Apostolica Sede emanatis (quibus etiam, quatenus opus esset, expresse derogavimus), saeculares etiam clerici, seu presbyteri quicumque, quos scilicet praedicti Archiepiscopi et Episcopi, aliique locorum Ordinarii in Indiis Occidentalibus constituti, praevio examine, iuxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles reperissent, ad parochias, doctrinas et alia quaecumque munia et officia ad animarum curam pertinentia, in posterum admitti et assumi, eisque etiam parochiales ecclesiae huiusmodi aliaque ecclesiastica perpetua beneficia, quibus animarum cura imminet, in titulum conferri possent et valerent; prout in dictis litteris nostris latius continetur.

Pontificis decreta per litteras apostolicas edita a. MDCCLI.

Catholici regis propositum saecularibus clericis favorabile.

§ 1. Cum autem nuper idem Ferdinandus rex nobis exponi fecerit, quod ipse, cui ex iuribus suae regiae coronae, ius patronatus, ac nominandi et praesentandi ad omnia dictarum regionum beneficia ecclesiastica, et officia curata huiusmodi ex fundatione seu dotatione, aut privilegiis apostolicis actu vigentibus, aliisque legitimis titulis, competit, in dies magis magisque agnoscens ad rectum disciplinae ordinem et ad promovenda in clero saeculari dictarum partium sacrarum doctrinarum studia, aliosque communis utilitatis effectus, magnopere proficuum fore, si saeculares huiusmodi clerici, seu presbyteri ad

omnia vel pleraque beneficia et officia praedicta, per ipsum eiusque successores catholicos reges, nominentur et praesententur, decreverit et constituerit, praedictis S. Pii V. aliorumque Romanorum Pontificum indultis et facultatibus, in favorem regularium, vel nullo modo, vel saltem parcissime, et in locis et casibus dumtaxat, in quibus forsan saecularium clericorum defectus reipsa subsistere dignoscatur, in posterum uti; ideoque easdem priores litteras nostras, novo ac perpetuo confirmationis nostrae munimine roboratas, uberius per nos declarari et, ut infra, super his provideri desideret: nos eiusdem Ferdinandi regis supplicationibus inclinati, praesentium tenore et auctoritate simili, primodictas nostras apostolicas litteras, cum omnibus et singulis decretis et declarationibus in ipsis contentis et expressis, perpetuo confirmamus, ac iterato apostolicae auctoritatis nostrae robore communimus; decernentes, nullum in posterum ius, nullamque actionem, aut exceptionem, in vim praedictarum litterarum Sancti Pii Papae V., aliarumque, ut supra, ab aliis Romanis Pontificibus editarum, praedictis regularibus competere, ut sive in petitorio iudicio, sive in possessorio, privativam facultatem obtinendi et administrandi parochias et doctrinas eiusmodi, aliaque officia animarum curam concernentia, sibi suisque ordinibus asserere, aut se in illarum illorumque possessione confovere possint; sed tam eos, qui nunc parochias, doctrinas et officia praefata obtinent, quam quibus forsan in posterum eiusmodi curata beneficia et officia, servatis de iure servandis, committi et demandari contigerit, tamquam ad nutum amovibiles, posse tum ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis, tum etiam a propriis regularibus superioribus, iustis concurrentibus causis (super quarum subsistentia illorum conscientiam oneramus, sed nunquam illos ad earum declarationem, aut verificationem compelli posse volumus et decernimus), ab earundem parochiarum, doctrinarum et officiorum regimine et exercitio removeri; eveniente autem remotione, liberum fore catholicis regibus, alios quoscumque idoneos saeculares, aut regulares clericos seu presbyteros, iuxta legitima eorum regii patronatus iura, ad huiusmodi curata beneficia et officia nominare et praesentare, ac respective Episcopis aliisque locorum Ordinariis, huiusmodi clericos seu presbyteros, praevio examine, aliisque servatis de iure servandis ad illa admittere et assumere, seu, quatenus saeculares fuerint, ipsis etiam in titulum eadem conferre et de iis providere.

Eiusdemque nova instantia pro editarum litterarum confirmatione, ampliatione et declaratione.

Pont. annuendo declarat, nullum ius neque in petitorio, neque in possessorio, regularibus competere ad beneficia et officia curata Indiarum occid. obtinenda aut retinenda.

§ 2. Volumus autem, ut omnes et singuli, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam expresse nominandi, regulares, qui huiusmodi parochiarum, doctrinarum et officiorum regimine et exercitio retinebuntur, seu quos ad eadem inposterum assumi et admitti contigerit, (iuxta ea, quae tam in citatis nostris litteris incipientibus: *Cum nuper*, quam in aliis anno incarnationis dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, decimo kal. decembris editis, quarum initium est: *Firmandis, atque asserendis*, a nobis decreta et declarata fuerunt) noverint, se in iis quidem, quae concernunt eorum regularis instituti observantiam, Episcopis aliisque locorum Ordinariis nullatenus subiectos esse, sed a suis superioribus regularibus quoad haec privative dependere. In his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum, vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent, Episcopis quoque aliisque Ordinariis locorum praesulibus subiectos esse; ideoque ab iisdem Episcopis et Ordinariis, nec non Vicariis et visitatoribus ab iis deputatis, aeque ac a suis regularibus superioribus in his omnibus iudicari et corrigi posse; et quidem ea lege, ut, quatenus unius et alterius superiorum huiusmodi iudicia inter se non conveniant, episcopalis seu ordinariae curae processus, atque sententia, regularis praelati iudicio et actis omnino praevalere debeant; ac reipsa praeferantur et executioni demandentur.

Regulares huiusmodi parochiis vel officiis praepositi, quibus in rebus superiori regulari privative subiiciantur;

In quibus autem Ordinarii iurisdictioni et correctioni cumulative subsint.

Ordinarii praerogativae in casu discrepantiae iudicii.

§ 3. Praesentes quoque literas, et in eis contenta quaecumque, nulla umquam ex causa, colore et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis ius vel interesse habentes aut habere praetendentes, cuiusvis status aut Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut consensus interesse habentium, aliove quolibet defectu notari, impugnari, aut in controversiam et iudicium etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris, aut restitutio-

Superius statuta confirmantur.

nis in integrum, adduci posse; sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari, atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari, volumus et decernimus. Sicque, et non aliter, in praemissis iudicari et censeri per quoscumque ordinarios et delegatos iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, eorumque Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Legatos seu Nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros; sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium iudicari et decerni, seu scienter vel ignoranter attentari contigerit.

Aliter iudicari prohibetur.

Contrariis amplissime derogatur.

§ 4. Non obstantibus praedictis Sancti Pii V. aliisque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in eorumdem confirmationem, etiam in forma specifica, editis literis, nostraque et Cancellariae Apostolicae regula de non tollendo iure quaesito, aliisque apostolicis seu in universalibus, provincialibus aut synodalibus Conciliis editis generalibus aut specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non quarumcumque ecclesiarum seu Ordinum, Congregationum et Institutorum, etiam specialiter exprimendorum, quantumvis iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut sub quibusvis formis et verborum tenoribus, seu clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie, etiam motu proprio et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, aut ad regum aliorumque supremorum principum instantiam, vel peculiarium quorumcumque meritorum intuitu, aliove titulo, etiam oneroso, quibuscumque personis, collegiis, locis, Ordinibus etiam militaribus, Congregationibus, Societatibus et Institutis, etiam Societatis Iesu, vel Sancti Ioannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet, in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro expressis, insertis et specificatis habentes, pari motu et apostolicae auctoritatis plenitudine, ad praemissorum effectum, plenissime derogamus, eaque respective, quatenus praesentibus adversantur, de medio tollimus et abolemus per praesentes. Quarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem ubique locorum et gentium in iudicio et extra haberi volumus, quae eisdem praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Transumptorum fides.

Sanctio.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, declarationum, decretorum et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. dioecesis anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, quinto idus iulii, pontificatus nostri an. XIII.

CLI.

Certas firmasque regulas tradit de librorum examine et condemnatione ab Universali R. Inquisitione et Indicis Congregatione perpetuo servandas.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Cura praedecessorum Pontificum in proscribendis noxiis libris.

Sollicita ac provida Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vigilantia in eam semper curam incubuit, ut Christifideles ab eorum librorum lectione averteret, ex quibus incauti ac simplices detrimenti quidpiam capere possent, imbuique opinionibus ac doctrinis, quae vel morum integritati vel catholicae religionis dogmatibus adversantur. Nam (ut vetustissimum mittamus Sancti Gelasii I. Decretum, quaeque iam pridem a Gregorio IX., aliisque Pontificibus hac de re statuta fuerunt) ignorare neminem arbitramur, quae fuerint a praedecessoribus nostris Pio IV., Sancto Pio V. et Clemente VIII. diligentissime praestita, ut saluberrimum opus a

Sacrosanctae Tridentinae Synodi patribus susceptum, mature discussum, ac pene ad exitum perductum, de vetitae lectionis librorum Indice conficiendo atque vulgando, non absolverent solum atque perficerent, sed sapientissimis etiam decretis ac regulis communirent. Quod quidem negotium Apostolica Sedes continenter urget ac promovet, ad id deputatis duabus S. R. E. Cardinalium Congregationibus, quibus onus inquirendi in pravos noxiosque libros impositum est, cognoscendique, quibus emendatio, et quibus proscriptio debeatur. Id muneris Congregationi quidem Romanae Universalis Inquisitionis a Paulo IV. commissum perhibent, idque adhuc ab ea exerceri pergit, ubi de libris ad certa rerum genera pertinentibus iudicandum occurrit. Certum est autem, Sanctum Pium V. primum fuisse Congregationis Indicis Institutorem, quam subsequentes deinde Pontifices Gregorius XIII., Sixtus V. et Clemens VIII. confirmarunt, variisque privilegiis et facultatibus auxerunt: eiusque proprium, ac fere unicum, officium est, in examen libros vocare, de quorum proscriptione, emendatione vel permissione capienda est deliberatio.

Haec cura delegata est tum Congr. Univ. Inquisit., tum alteri Indicis a S. Pio V. institutae.

Utriusque Congregationis circumspectio in proscribendis libris.

§ 1. Qua maturitate, consilio, ac prudentia in Congregatione Universalis Inquisitionis de proscribendis vel dimittendis libris deliberetur, cum neminem latere putamus, tum nos ipsi plane perspectum, ac diuturna experientia compertum habemus; nam in minoribus constituti, de libris nonnullis in ea censuram tulimus et consultoris eiusdem Congregationis munere diu perfuncti sumus, postremo inter S. R. E. Cardinales cooptati, Inquisitoris generalis locum in ea obtinuimus; ac demum ad Apostolicam Sedem, meritis licet imparibus, evecti, non modo censorum animadversiones in libros nonnullos aliquando legere ac ponderare, sed etiam in Congregationibus, quae singulis feriis quintis coram nobis habentur, Cardinalium sententias atque suffragia, antequam de iisdem libris quid decernatur, audire et excipere consuevimus. Haud minoris diligentiae testimonium ferre possumus, adeoque debemus, pro altera Congregatione Indicis, cui generaliter incumbit, ut supra diximus, de quorumvis librorum proscriptione decernere. Dum enim in minoribus versaremur, cum primi, tum secundi censoris, seu relatoris, officium in ea Congregatione non semel obivimus; ex quo autem supremum pontificatum gerimus, nullius libri proscriptionem ratam habuimus, nisi audito congregationis secretario, qui libri materiem, revisorum censuras, Cardinalium iudicia et suffragia, accurate nobis exponeret.

Pont. certas ad id regulas perpetuo servandas statuere deliberat.

§ 2. Sed quoniam compertum est nobis atque exploratum, multas librorum proscriptiones, praesertim quorum auctores catholici sunt, publicis aliquando iniustisque querelis in reprehensionem adduci, tamquam si temere ac perfunctorie in tribunalibus nostris ea res ageretur; operae pretium duximus, hac nostra perpetuo valitura constitutione, certas firmasque regulas proponere, iuxta quas deinceps librorum examen iudiciumque peragatur; tametsi plane affirmari posset, idipsum iampridem, vel eadem prorsus ratione vel alia aequipollenti, constanter actum fuisse.

Inquisitionis Congregatio quibus viris constet, quibusve de rebus in ea agatur.

§ 3. Porro Romanae Universalis Inquisitionis Congregatio ex pluribus constat S. R. E. Cardinalibus a Summo Pontifice delectis, quorum alii sacrae Theologiae, alii canonici iuris doctrina, alii ecclesiasticarum rerum peritia, munerumque Romanae Curiae exercitatione, prudentiae demum ac probitatis laude, conspicui habentur. His adiungitur unus ex Romanae Curiae praesulibus, quem assessorem vocant; unus etiam ex Ordine Praedicatorum sacrae Theologiae magister, quem commissarium appellant; certus praeterea consultorum numerus, qui ex utroque clero saeculari ac regulari assumuntur; alii demum praestantes doctrina viri, qui, a Congregatione iussi, de libris censuram instaurant, iisque qualificatorum nomen tributum est. De variis in praefata Congregatione, iisque gravissimis rebus agitur, in primis autem de causis fidei ac de personis violatae religionis reis. At cum librum aliquem ad eam, tamquam proscriptione dignum, deferri contigerit (nisi ad Indicis Congregationem, ut fieri plerumque solet, iudicandum remittat, sed pro rerum temporumque ratione sibi de illo cognoscendum esse arbitretur); nos, inhaerentes decreto lato ab eadem Congregatione feria quarta kalendis iulii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, atque a nobis confirmato feria quinta insequente, hac ratione et methodo iudicium institui mandamus:

Methodus a Congregat. Inquisitionis servanda in librorum proscriptione.

§ 4. Primo nimirum, uni ex qualificatoribus aut consultoribus a Congregatione designando, liber tradatur, quem is attento animo legat ac diligenter expendat; tum censuram suam scripto consignet, locis in-

dicatis et paginis, in quibus notati errores continentur. Mox liber cum animadversionibus revisoris ad singulos consultores mittatur, qui in congregatione pro more habenda singulis feriis secundis in aedibus Sancti Officii, de libro et censura sententiam dicant. Ipsa deinde censura, cum libro et consultorum suffragiis, ad Cardinales transmittantur, ut hi in Congregatione, quae feria quarta haberi solet in fratrum praedicatorum coenobio Sanctae Mariae supra Minervam nuncupato, de tota re definitive pronuncient. Post, ab assessore Sancti Officii acta omnia ad Pontificem referantur, cuius arbitrio iudicium omne absolvetur.

Ulteriores cautelae adhibendae, si de auctoris catholici libro agatur.

§ 5. Cum autem sit veteri institutione receptum, ut auctoris catholici liber non, unius tantum relatoris perspecta censura, illico proscribatur; ad normam praefati decreti mensis iunii anni millesimi septingentesimi quinquagesimi, volumus eam consuetudinem omnino servari; ita ut, si primus censor librum proscribendum esse iudicet, quamvis consultores in eandem sententiam conveniant, nihilominus alteri revisori ab eadem Congregatione electo liber et censura tradantur; suppresso primi censoris nomine, quo alter iudicium suum liberius exponat. Si autem secundus revisor primo assentiatur, tunc utriusque animadversiones ad Cardinales mittantur, ut, iis expensis, de libro decernant. At si secundus a primo dissentiat, ac librum dimittendum existimet, tertius eligatur censor, cui, suppresso priorum nomine, utraque censura communicetur. Huius autem relatio, si a priore consultorum sententia non abludat, Cardinalibus immediate communicetur, ut ipsi, quod opportunum fuerit, decernant: sin minus, iterum consultores perspecta tertia censura suffragium ferant; idque, una cum omnibus praefatis relationibus, Cardinalibus exhibeatur, qui, re ita mature perpensa, de controversia denique pronunciare debebunt. Quotiescumque autem Pontifex, vel ob rei, de qua in libro agitur, gravitatem, vel quia id auctoris merito aliisque circumstantiis tribuendum censeat, libri iudicium coram se ipso in congregatione feriae quintae habendum decrevit; quod saepe a nobis factum fuit et quoties ita expedire iudicabimus, in posterum quoque fiet: tunc satis fuerit exhibere Pontifici et Cardinalibus libri censuras et consultorum suffragia, omisso examine congregationis feriae quartae, eiusque relatione, quam per assessorem Pontifici faciendam diximus: nam Cardinalium suffragiis coram ipso Pontifice ferendis, atque huius definitiva sententia, vel alio opportuno consilio in eadem congregatione capiendo, res absolvetur.

Indicis Congregatio, certaque eiusdem munera.

§ 6. Altera quoque Indicis Congregatio plures complectitur Cardinales ipsi a Pontifice adscriptos, iisdemque dotibus praeditos, quibus S. Officii Cardinales pollere solent; quum etiam eorum aliquos in utraque Congregatione locum habere contingat. Ex iis unus eiusdem Congregationis praefectus existit; assistens vero perpetuus est magister sacri palatii; secretarius autem, a prima Congregationis institutione usque in praesentem diem, ex Ordine fratrum Praedicatorum a summo Pontifice pro tempore eligi consuevit. Sunt praeterea ex utroque clero saeculari et regulari eiusdem Congregationis consultores et relatores selecti; et quidem, ubi aliquis librorum relationes coram Congregatione semel, bis, tertio, laudabiliter peregerit tum ipsa Congregatio Pontificem rogare solet, ut eius auctoritate in consultorum numerum referatur.

Iterata Pontificis consilia de statuendis certis regulis, quae in librorum proscriptione serventur.

§ 7. Sub ipsa pontificatus nostri primordia, ea nos subiit cogitatio, ut certam aliquam et immutabilem methodum pro examine iudicioque librorum in hac Indicis Congregatione servandam statueremus. Qua de re non modo consilium exquisivimus dilecti filii nostri Angeli Mariae S.R.E. Cardinalis Quirini nuncupati eiusdem S. R. E. Bibliothecarii, et dictae Congregationis praefecti, qui pari prudentia et doctrina suum nobis sensum scripto declaravit; verum etiam antiquiores aliquot eiusdem Congregationis consultores coram dilecto filio Iosepho Augustino Orsi Ordinis Praedicatorum, tunc ipsius Congregationis secretario, nunc autem palatii apostolici magistro, convenire iussimus, suamque sententiam aperire, quae pariter scripto concepta, nobis iam tunc exhibita fuit. Cumque haec omnia diligenter apud nos asservata fuerit, nunc demum veterem deliberationem nostram resumentes, quemadmodum ea, quae ad librorum examen atque iudicium in primodicta Congregatione Sancti Officii peragendum, pertinent, auctoritate nostra constabilivimus; ita etiam ea, quae ad Congregationem Indicis, et eiusdem generis negocia apud eam tractanda facere possunt, opportunis decretis constituere volentes, praelaudati Cardinalis praefecti consiliis, dictorumque consultorum votis in-

haerendo, haec deinceps servanda decernimus:

Primum sibi examen instituendum a Congregationis Secretario et duobus designatis consultoribus cum relatore ad id assumpto.

§ 8. Cum Congregatio Indicis ad librorum censuram unice, ut dictum est, instituta, non ita crebro convocari soleat, ut altera Sancti Officii Congregatio, quae, ob causarum et negociorum multitudinem, singulis hebdomadis ter haberi consuevit; illius propterea secretario peculiare munus et officium recipiendi librorum denunciationes, ut fieri iam ante consuevit, committimus et demandamus. Is autem a libri relatore percontabitur diligenter, quas ob causas illum prohiberi postulet; tum librum ipsum haud perfunctorie pervolvet, ut de propositae accusationis subsistentia cognoscat; duobus etiam in eam rem adhibitis consultoribus, ab ipso, praevia summi Pontificis, aut Cardinalis praefecti, vel eius, qui praefecti vices supplet, approbatione eligendis. Quorum collato consilio, si liber censura et nota dignus videatur, unus aliquis relator ad ferendum de eo iudicium idoneus, illius nempe facultatis, de qua in libro agitur, peritus, eâdem, quam nuper innuimus, ratione eligendus erit, qui scripto referat animadversiones suas, adnotatis paginis, quibus singula ab ipso reprehensa continentur. Sed antequam eius censura ad Cardinalium Congregationem feratur, haberi volumus privatam consultorum Congregationem, quam olim *parvam* dixerunt, nos autem *praeparatoriam* vocavimus, ut, relatoris animadversionibus ad librum collatis, de earum pondere iudicium fiat. Huiusmodi Congregatio semel omnino singulis mensibus, aut etiam saepius, si oportuerit, ab ipso Congregationis secretario convocanda erit, vel in suis cubiculis vel opportuniore, ut ipsi videbitur, loco, intra praedicti coenobii aedes, ubi is commoratur. Eique semper intererit magister sacri palatii pro tempore existens, una cum sex aliis e numero consultorum singulis vicibus, pro qualitate argumenti et materiae, de qua disputandum erit, ut supra de primis duobus consultoribus et de relatore constitutum est, a secretario eligendi; praeter secretarium ipsum, cuius partes erunt in tabulas referre consultorum sententias, quas deinde ad Congregationem Cardinalium mittet, cum relatoris censura. In generali demum Congregatione omnia illa servari debebunt, quae superius statuta sunt pro Congregatione Sancti Officii circa librorum examen. Ac, quemadmodum ad assessorem Sancti Officii pertinet, de actis in Congregatione Summum Pontificem certum reddere; ita ad secretarium Congregationis Indicis spectabit, quoties haec librum aliquem proscribendum aut emendandum censuerit, eiusdem Pontificis assensum, praevia diligenti actorum omnium relatione, exquirere.

Subsequitur Congreg. praeparatoriae examen.

Quinam huic intersint, et quando ac ubi convocanda.

Postremum generalis Congregationis iudicium a Secretario Pontifici deferendum.

Clausula, *donec liber corrigatur*, quando proscriptionis decreto apponenda.

§ 9. Quoniam vero in Congregatione Indicis de sola librorum prohibitione agitur, nonnulla hoc loco adiungenda iudicavimus, eidem Congregationi potissimum usui futura, quae tamen ab altera etiam Congregatione Sancti Officii, dum in huius quoque generis causis se immiscet, ubi similes rerum circumstantiae se offerant, aeque observanda erunt. Quotiescumque agatur de libro auctoris catholici, qui sit integrae famae et clari nominis vel ob alios editos libros vel forte ob eum ipsum qui in examen adducitur et hunc quidem proscribi oporteat, prae oculis habeatur usu iamdiu recepta consuetudo prohibendi librum, adiecta clausula: *Donec corrigatur,* seu: *Donec expurgetur,* si locum habere possit, nec grave quidpiam obstet, quo minus in casu, de quo agitur, adhiberi valeat. Hac autem conditione proscriptioni adiecta, non statim edatur decretum, sed, suspensa illius publicatione, res antea cum auctore, vel quovis altero pro eo agente et rogante, communicetur, atque ei quid delendum, mutandum corrigendumve fuerit, indicetur. Quod si nemo auctoris nomine compareat, vel ipse, aut alter pro eo agens, iniunctam correctionem libri detrectet, congruo definito tempore decretum edatur. Si vero idem auctor, eiusve procurator, Congregationis iussa fecerit, hoc est novam instituerit libri editionem cum opportunis castigationibus ac mutationibus, tunc supprimatur proscriptionis decretum; nisi forte prioris editionis exemplaria magno numero distracta fuerint; tunc enim ita decretum publicandum erit, ut omnes intelligant, primae editionis exemplaria dumtaxat interdicta fore, secundae vero iam emendatae permissa.

Auctor catholicus libri ad examen delati non necessario, sed recte tamen auditur, vel operis defensor ex officio deputatur.

§ 10. Conquestos scimus aliquando nonnullos, quod librorum iudicia et proscriptiones, inauditis auctoribus, fiant, nullo ipsis loco ad defensionem concesso. Huic autem querelae responsum fuisse novimus, nihil opus esse auctores in iudicium vocare, ubi non quidem de eorum personis notandis, aut condemnandis agitur, sed de consulendo fidelium indemnitati, atque avertendo ab ipsis periculo, quod nocua

librorum lectione facile incurritur. Si qua vero ignominiae labe auctoris nomen ex eo aspergi contingat, id non directe sed oblique ex libri damnatione consequi. Qua sane ratione minime improbandas censemus huiusmodi librorum prohibitiones, inauditis auctoribus, factas; quum praesertim credendum sit, quidquid pro se ipso, aut pro doctrinae suae defensione, potuisset auctor afferre, id minime a censoribus atque iudicibus ignoratum neglectumve fuisse. Nihilo tamen minus, quod saepe alias, summa aequitatis et prudentiae ratione, ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum ab ea servari magnopere optamus, ut, quando res sit de auctore catholico, aliqua nominis et meritorum fama illustri, eiusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse posse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum ex cònsultoribus designet, qui *ex officio* operis patrocinium defensionemque suscipiat.

Casus proponuntur, in quibus licet a datis regulis nonnihil recedere.

§ 11. Quemadmodum vero, ubi de Congregatione Sancti Officii agebamus, eidem nos semper interfuturos recepimus, quotiescumque de libro, cuius materia gravioris momenti sit, iudicium agatur; quod erit nobis facillimum, quum eadem Congregatio qualibet feria quinta coram nobis habeatur; sic et Indicis Congregationi praesentiam nostram impendere parati sumus, quoties rei gravitas id promereri videbitur. Neque enim id opus esse dicendum est, quum vel haeretici hominis liber denunciatur, in quo auctor errores catholico dogmati adversantes consulto tradit aut tuetur; vel opus aliquod in examen adducitur, quo rectae morum regulae labefactantur, ac vitiis et corruptelis fomenta praebentur. In his enim casibus ne illas quidem, quas supra scripsimus, accuratiores cautelas adhibere necesse erit; sed, haeretico dogmate vel pravo moris incitamento semel comperto, proscriptionis decretum illico sanciendum erit, iuxta primam, secundam et septimam Indicis regulas, sacrosancti Tridentini Concilii iussu èditas atque vulgatas.

Secretum omnibus in Congregatione Indicis sententiam ferentibus imponitur, ad instar Congregat. S. Officii.

§ 12. Cum in praelaudata Congregatione Sancti Officii severissimis legibus cautum sit, ne de rebus eiusdem Congregationis quisquam cum alio extra illam loquatur; nos hanc eamdem silentii legem a relatoribus, consultoribus et Cardinalibus Congregationis Indicis religiose custodiendam praecipimus. Illius tamen secretario potestatem facimus, ut animadversiones in libros censurae subiectos, eorum auctoribus vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem decreti lege communicare queat; suppressis semper denunciatoris censorisque nominibus.

Quales esse oporteat revisores et consultores Congregationis.

§ 13. Examinandis corrigendisque libris peropportuna sunt, quae decem regulis Indicis a patribus Tridentinae Synodi confectis atque editis continentur. In instructionè autem fel. recor. Clementis PP. VIII. eiusdem regulis adiecta, *Tit. de correctione librorum* § *V.*, Episcopis et Inquisitoribus cura committitur, ut ad librorum edendorum examen ***spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae daturos, nihil odii, sed, omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectaturos, et fidelis populi utilitatem.*** His porro virtutibus animique dotibus, si non maiori, at pari certe de causa, praestare oportet huius nostrae Congregationis revisores et consultores. Cumque eos omnes, qui nunc huiusmodi munera obtinent, tales esse non ignoremus, optandum sperandumque est, non absimiles deinceps futuros, qui ad id eligentur; homines nimirum vitae integros, probatae doctrinae, maturo iudicio, incorrupto affectu, ab omni partium studio, personarumque acceptione alienos; qui aequitatem libertatemque iudicandi cum prudentia et veritatis zelo coniungant. Cum autem eorum numerus nunc certus et constitutus non sit, ab eiusdem Congregationis Cardinalibus consilium expectabimus atque capiemus, num eum pro futuris temporibus definire oporteat vel expediat: hoc tamen iam nunc decernentes, quatenus eorum numerus definiatur, ut tam relatores, quam consultores, ex utroque clero, saeculari nempe et regulari, assumantur, alii quidem theologi, alii utriusque iuris periti, alii sacra et profana eruditione praestantes, ut ex eorum coetu, pro varietate librorum, qui ad Congregationem deferuntur, idonei viri non desint ad ferendum de unoquoque iudicium.

Eorum numerus indefinitus, ex utroque clero eligendus.

Regulae in ferendo iudicio ab iis servandae.

§ 14. Ipsos autem relatores, consultoresque, tam nunc existentes, quam in posterum quandocumque futuros, monemus ac vehementer hortamur, ut in examine iudicioque librorum sequentes regulas diligenter inspiciant, accurateque custodiant:

Ut rectum illud sit, ac in neutram partem declive.

§ 15. I. Meminerint, non id sibi muneris onerisque impositum, ut libri ad examinandum sibi traditi proscriptionem modis omnibus curent atque urgeant; sed ut, diligenti studio ac sedato animo ipsum expendentes, fideles observationes suas verasque rationes Congregationi suppeditent, ex quibus rectum iudicium de illo ferre, eiusque proscriptionem, emendationem aut dimissionem pro merito decernere valeat.

Ne quis de re sibi plane non perspecta sententiam ferat.

§ 16. II. Tametsi hactenus cautum sit, cavendumque deinceps non dubitemus, ut ad referendum et consulendum in praedicta Congregatione, ii solum admittantur, qui scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant (decet enim de artibus solos artifices iudicare); nihilominus, si forte eveniat, ut alicui per errorem materia aliqua discutienda committatur, ab illius peculiaribus studiis aliena, idque a censore aut consultore electo ex ipsa libri lectione deprehendatur, noverit is, se neque apud Deum neque apud homines culpa vacaturum, nisi quamprimum id Congregationi aut secretario, aperiat, seque ad ferendam de huiusmodi libro censuram minus aptum professus, alium magis idoneum ad id muneris subrogari curet. Quo tantum abest, ut existimationis suae dispendium apud Pontificem et Cardinales passurus sit, ut magnam potius probitatis et candoris opinionem et laudem sibi sit conciliaturus.

Neque ad proprii instituti sive scholae opinionem, sed ad Ecclesiae dogmata. et communem catholicorum doctrinam exigatur.

§ 17. III. De variis opinionibus atque sententiis in unoquoque libro contentis, animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant; studia partium seponant; Ecclesiae Sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum Generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus, et orthodoxorum patrum atque doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant; hoc de caetero cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni scholae, instituto, aut nationi certo certiores videntur, et nihilominus, sine ullo fidei aut religionis detrimento, ab aliis catholicis viris reiiciuntur atque impugnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quae unamquamque opinionem huiusmodi in suo probabilitatis gradu relinquit.

Omnibus perspectis ac simul expensis efformetur.

§ 18. IV. Hoc quoque diligenter animadvertendum monemus, haud rectum iudicium de vero auctoris sensu fieri posse, nisi omni ex parte illius liber legatur; quaeque diversis in locis posita et collocata sunt, inter se comparentur; universum praeterea auctoris consilium et institutum attente dispiciatur; neque vero ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa, vel seorsim ab aliis, quae in eodem libro continentur, considerata et expensa, de eo pronunciandum esse. Saepe enim accidit, ut quod ab auctore in aliquo operis loco perfunctorie aut subobscure traditum est, ita alio in loco distincte, copiose ac dilucide explicetur, ut offusae priori sententiae tenebrae, quibus involuta, pravi sensus speciem exhibebat, penitus dispellantur, omnisque labis expers propositio dignoscatur.

Ambigua dicta catholici probatique auctoris in aequam partem accipiantur.

§ 19. V. Quod si ambigua quaedam exciderint auctori, qui alioquin catholicus sit et integrâ religionis doctrinaeque famâ, aequitas ipsa postulare videtur, ut eius dicta benigne, quantum licuerit, explicata, in bonam partem accipiantur.

§ 20. Has porro, similesque regulas, quae apud optimos scriptores de his agentes facile occurrent, semper animo propositas habeant censores et consultores; quo valeant, in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiae suae, auctorum famae, ecclesiae bono et fidelium utilitati consulere. Duo autem reliqua sunt in eum finem plane opportuna, quae hoc loco adiungenda omnino esse iudicamus.

Quid de libris statuendum, in quibus reprobata dogmata afferuntur, nec refutantur.

§ 21. Prodeunt aliquando libri, in quibus falsa et reprobata dogmata, aut systemata, religioni vel moribus exitiosa, tanquam aliorum inventa et cogitata, exponuntur et referuntur, absque eo quod auctor, qui opus suum pravis huiusmodi mercibus onerare sategit, ea refutandi curam in se recipiat. Putant vero, qui talia agunt, nulli sese reprehensioni aut censurae obnoxios esse, propterea quod de alienis, ut aiunt, opinionibus nihil ipsi affirment, sed historice agant. At, quidquid sit de eorum animo et consilio, deque personali in eos animadversione, de qua viderint, qui in tribunalibus ad coercenda crimina institutis ius dicunt, dubitari certe non potest, magnam eiusmodi libris in Christianam Rempublicam labem ac perniciem inferri; quum incautis lectoribus venena propinent, nullo exhibito vel parato, quo praeserventur, antidoto. Subtilissimum hoc humanae malitiae inventum ac novum seductionis genus, quo simplicium mentes facile implicantur, quam diligentissime revisores advertant, ac censurae subiiciant; ut vel hu-

iusmodi libri, si aliqua ex ipsis capi possit utilitas, emendentur, vel in vetitorum Indicem omnino referantur.

Iurgia et convicia a dissidentibus auctoribus adhibita expungantur.

§ 22. In ea, quam superius laudavimus, praedecessoris nostri Clementis Papae VIII. instructione, *Tit. de correctione libror.* § *2,* sapientissime cautum legitur, ut *quae famae proximorum, et praesertim ecclesiasticorum, et principum, detrahunt, bonisque moribus et christianae disciplinae sunt contraria, expungantur.* Et paulo post: *Facetiae etiam, aut dicteria, in perniciem aut praeiudicium famae et existimationis aliorum iactata, repudientur.* Utinam vero in aspectum lucemque hominum libri eiusmodi in hac temporum licentia et pravitate non efferrentur, in quibus diffidentes auctores mutuis se iurgiis conviciisque proscindunt; aliorum opiniones nondum ab Ecclesia damnatas censura perstringunt; adversarios eorumque scholas ac coetus sugillant et pro ridiculis ducunt, magno equidem bonorum scandalo, haereticorum vero contemptu, qui digladiantibus inter se catholicis, seque mutuo lacerantibus, plane triumphant. Etsi vero fieri non posse intelligamus, ut disputationes omnes e mundo tollantur, praesertim cum librorum numerus continenter augeatur, *Faciendi enim plures libros nullus est finis,* ut est apud Ecclesiasten *cap. 12;* compertum praeterea nobis sit, magnam aliquando utilitatem ex iis capi posse; modum tamen in defendendis opinionibus, et christianam in scribendo moderationem, servari merito volumus. *Non inutiliter* (inquit Augustinus in Enchirid. cap. 59. prope finem) *exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se credere, quod nesciunt.* Qui veritatis studium et purioris doctrinae zelum, quo suarum scriptionum mordacitatem excusent, obtendere solent, ii primum intelligant, non minorem habendam veritatis, quam evangelicae mansuetudinis, et christianae caritatis rationem. Caritas autem de corde puro, patiens est, benigna est, non irritatur, non aemulatur, non agit perperam, (utque addit idem Augustinus, lib. contra litteras Petiliani cap. 29, num. 31) *sine superbia de veritate praesumit, sine saevitia pro veritate certat.* Haec magnus ille non veritatis minus, quam caritatis Doctor, et scripto et opere praemonstravit. Nam in suis adversus Manichaeos, Pelagianos, Donatistas, aliosque tam sibi quam Ecclesiae adversantes, assiduis conflictationibus, id semper diligentissime cavit, ne quempiam eorum iniuriis aut conviciis laederet, atque exasperaret. Qui secus scribendo vel disputando fecerit, is profecto nec veritatem sibi praecipue cordi esse, nec caritatem sectari se ostendit.

Nec cuiquam liceat suas opiniones veluti Ecclesiae dogmata venditare, alienas erroris insimulare.

§ 23. Ii quoque non satis idoneam iustamque excusationem afferre videntur, qui ob singulare, quod profitentur, erga veteres doctores studium, eam sibi scribendi rationem licere arbitrantur; nam, si carpere novos audeant, forte ab laedendis veteribus sibi minime temperassent, si in eorum tempora incidissent; quod praeclare animadversum est ab auctore operis imperfecti in Matthaeum Homil. 42. *Cum audieris,* inquit, *aliquem beatificantem antiquos Doctores, proba qualis sit circa suos Doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorasset: si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, et illos contempsisset.* Quamobrem firmum ratumque sit omnibus, qui adversus aliorum sententias scribunt ac disputant, id quod graviter ac sapienter a ven. servo Dei praedecessore nostro Innoc. Papa XI. praescriptum est in decreto edito die secunda martii anni millesimi sexcentesimi septuagesimi noni. *Tandem,* inquit, *ut ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicumque, in posterum abstineant, ut paci et caritati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctae Obedientiae eis praecipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus ac praedicationibus, caveant ab omni censura et nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quae adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a Sancta Sede recognitae sint, et super eis iudicium proferatur.* Cohibeatur itaque ea scriptorum licentia, qui, ut aiebat Augustinus lib. 12 Conf., cap. 25, num. 34, *Sententiam suam amantes, non quia vera est, sed quia sua est,* aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter etiam notant, atque traducunt. Non feratur omnino, privatas sententias, veluti certa ac definita Ecclesiae dogmata, a quopiam in libris obtrudi, opposita vero erroris insimulari; quo turbae in Ecclesia excitantur, dissidia inter Doctores aut feruntur aut foventur, et christianae charitatis vincula persaepe obrumpuntur.

Angelici Doctoris exemplum proponitur.

§ 24. Angelicus scholarum princeps, Ecclesiaeque Doctor, S. Thomas Aquinas, dum tot conscripsit nunquam satis laudata volumina, varias necessario offendit philosophorum theologorumque opiniones, quas veritate impellente refellere debuit. Caeteras vero tanti Doctoris laudes id mirabiliter cumulat, quod adversariorum neminem parvipendere, vellicare, aut traducere visus sit, sed omnes officiose ac perhumaniter demereri; nam, si quid durius, ambiguum obscurumve eorum dictis subesset, id leniter benigneque interpretando, emolliebat atque explicabat. Si autem religionis ac fidei causa postulabat, ut eorum sententiam exploderet ac refutaret, tanta id praestabat modestia, ut non minorem ab iis dissentiendo, quam catholicam veritatem asserendo, laudem mereretur. Qui tam eximio uti solent ac gloriari magistro (quos magno numero esse, pro singulari nostro erga ipsum cultu studioque, gaudemus), ii sibi ad aemulandum proponant tanti doctoris in scribendo moderationem, honestissimamque cum adversariis agendi disputandique rationem. Ad hanc caeteri quoque sese componere studeant, qui ab eius schola doctrinaque recedunt. Sanctorum enim virtutes omnibus in exemplum ab Ecclesia propositae sunt: cumque Angelicus Doctor Sanctorum albo adscriptus sit, quamquam diversa ab eo sentire liceat, ei tamen in contrariam in agendo ac disputando rationem inire omnino non licet. Nimium interest publicae tranquillitatis, proximorum aedificationis, et caritatis, ut e catholicorum scriptis absit livor, acerbitas atque scurrilitas, a christiana institutione ac disciplina, et ab omni honestate prorsus aliena. Quamobrem in huiusmodi scriptorum licentiam graviter pro munere suo censuram intendant Congregationis Cardinalibus cognoscendam subiiciant, ut eam pro zelo suo et potestate coerceant.

Ediciturque ut nimia coerceatur scriptorum licentia.

Religiosa iniungitur praemissorum observantia.

§ 25. Quae hactenus a nobis proposita ac constituta sunt, praedecessorum nostrorum decretis plane consona, Congregationum quoque nostrarum legibus et consuetudinibus comprobata, in librorum examine ac iudicio instituendo, apostolica auctoritate deinceps servari decernimus: mandantes universis et singulis, qui in praefatis Congregationibus locum obtinent, seu illis quomodolibet operam suam praestant, ut adversus praemissa sic a nobis statuta nihil edicere, innovare, decernere aut intentare praesumant, absque nostra vel successorum nostrorum pro tempore existentium Romanorum Pontificum expressa facultate.

Derogatio contrariis.

§ 26. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam apostolicis, constitutionibus et ordinationibus, necnon earundum Congregationum, etiam apostolica auctoritate seu quavis firmitate alia roboratis decretis, usibus, stilis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Sanctio.

§ 27. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, mandatorum, statutorum, voluntatum ac derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCLIII., VII. idus iulii, pontificatus nostri anno XIII.

CLII.

Impense commendat Episcopis Ruthenis instructionem cleri Regularis valde neglectam, eisque suggerit ut id per officia presbyteris saecularibus ac nominatim alumnis a Collegio Vilnensi egredientibus committenda obtinere nitantur (1).

Venerabilibus fratribus Metropolitae, Archiepiscopis et Episcopis nationis Ruthenae in regno Poloniae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Quae, venn. fratres, pro pristino inclytae nationis vestrae Ruthenae decore conservando, confirmandâ catholicae religionis adversus schismaticos constantiâ vestrâ, dissidiis sive componendis sive propulsandis, rationibusque dioecesum vestrarum adaugendis, a nobis nostroque nomine a Congre-

(1) Ex Bull. P. de Prop. Fide pag. 319, coll. cum Reg. Vat. Vide supra const. *Commendatissimum.*

gatione venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum adhibita fuerunt apostolicae providentiae remedia et auctoritatis officia, nos facile adducunt ut credamus, vobis satis superque comprobasse, quanti nationem vestram faciamus.

Specialiter pro clericorum Ruthenorum educatione in Seminario Wilnensi.

§ 1. Verum fore in Domino confidimus, ut incredibilem pontificiae caritatis, qua eamdem catholicam nationem Ruthenam prosequimur, magnitudinem magis magisque intelligatis ex aliis apostolicis nostris in simili formâ brevis literis die v. aprilis MDCCLIII. pontificatus nostri anno XIII. ad futuram rei memoriam datis, quarum initium est *Commendatissimum studium,* et quarum exempla, typis eiusdem Congregationis impressa, una insimul hisce nostris, typis etiam dictae Congregationis impressis, adligata ad vos transmittenda mandamus. Porro praeter easdem literas nostras in mandatis dedimus, ut pro magis consentaneo adolescentibus vestrae nationis in Collegio Wilnensi iuxta ritum vestrum instituendis profectu a laudatâ Congregatione de Propagandâ Fide constitutiones et regulae edantur, quae ad maiorem utilitatem, quemadmodum nobis in Domino auguramur, profuturae censentur.

Cuius constitutiones et regulae quamprimum edendae nunciantur.

Episcoporum zelus excitatur, ut cleri saecularis praecipuam curam suscipiant.

§ 2. Sed omnia et singula a nobis, sive statuta huiusmodi sive statuenda, timendum est, ne exoptatum a nobis sortiantur effectum, nisi provida etiam fraternitatum vestrarum sollicitudo, assidua vigilantia et accurata diligentia accesserit. Eapropter vos, venn. fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut primum omnium maximam cleri saecularis, in cuius subsidium clerus regularis vocatus fuit, curam alacriter suscipiatis, susceptamque strenue urgere satagatis.

Clerus in ignorantia torpet, ubi mag. caret, et in offic. distributione negligitur.

§ 3. Vobis sane praesentibus magis, quam nobis absentibus, compertum est ac rebus ipsis exploratum, quanta apud vos sit cleri saecularis ignorantia; quam non aliunde ortum causamque habere non ambigimus, quam partim ex magistrorum illos edocentium penuriâ, partim ex nullâ ipsis iniunctâ rerum gerendarum curâ, partim ex nullâ erga eosdem illorum qui praesunt diligentiâ et solicitudine, qua suaviter fortiterque ad studia capessenda et negotia ecclesiastica obeunda oblectentur et incitentur.

Synodus Zamosciae decrevit, ut quilibet Episcopus officialem saecularem haberet.

§ 4. Ad haec omni procul dubio venn. fratres vestros, qui synodum Zamosciae tantâ cum nationis vestrae laude atque utilitate celebrarunt, extirpanda mala et bona semina spargenda respexisse pro certo habemus, cum sess. 6, tit. 7 *de Officialibus* statuerunt, ut quilibet Episcopus officialem habeat saecularem, si inter saeculares quispiam ad hoc officium idoneus inveniatur.

Episcopi Rutheni non sine causa regularibus potius utuntur.

§ 5. Quoniam autem in suâ quisque vestrum dioecesi (sunt tamen qui plures habent ecclesias cathedrales) quamplures retinere debet ministros et officiales, quorum operâ in rectâ earumdem dioecesum vestrarum procuratione et negotiis uti valeatis, fraternitates vestrae viros regulares potius quam saeculares ad ministeria huiusmodi substinenda eligere optatis: nec nos, qui aequâ lance res expendimus, fallit, fraternitates vestras ideo hanc tenere rationem, quod regulares magis apti et idonei apud vos reperiantur; nec propterea susceptum consilium institutumque vestrum damnamus; imo, sicut laudamus, ita ob oculos vobis ponere non omittimus, ex neglectu, ut ita dicamus, cleri saecularis eiusdem provenire ignorantiam. Quisque enim ex clero saeculari animum despondet otioque diffluit, cum cogitat, regulares potius constitui in iis muneribus obeundis, quae quilibet saecularis, non repente sed paulatim, sub magistri et praeceptoris disciplinâ instructus et idoneus, aliquando exercere possit.

At saeculares negligendo horum otium et ignorantiam fovebunt.

Itaque ipsis suadetur, ut aliqua ecc. officia demandent alumnis Seminarii Wilnensis,

§ 6. Pastoralis itaque solicitudinis vestrae partes hac in re adimplendas esse in Domino existimamus, ut curam omnem studiumque vestrum collocetis, ne adolescentes alumnos nationis vestrae ex memorato Wilnensi Seminario deinceps, exacto studiorum curriculo, egressos, aliquâ ecclesiastici ordinis et officii procuratione destitui patiamini: sed statim quodcumque opus, quodcumque ministerium ad ecclesiasticas res pertinentia illis demandetis oportet, ut iniuncto quisque priori muneri satisfacere, deinde ad maiora per gradus etiam gravissima promoveri possit officia. Haec profecto agendi ratio, tamquam lucidissimum exemplum ab aliis spectata, unicuique (ducitur enim iuventus maximâ spe gloriae et utilitatis) erit incitamento non levi, ut quisque, dummodo non sit ingenio malo pravoque praeditus, bellum otio vitiisque indicat, et ad labores perferendos virtutesque assequendas hilari promptoque animo contendat et adnitatur. Verum commendationem hanc nostram et exhortationem pro alumnis Collegii Wilnensis ad officia et munera in curiis vestris, quoad vobis integrum erit, promovendis

non ita accipiendam esse volumus et declaramus, ut iidem alumni existiment, se ad illa officia et munera dumtaxat eligi debere, sed in primis teneri, imo, quatenus opus fuerit, cogi etiam ad sustinenda et administranda parochorum onera et animarum salutem procurandam.

Qui tamen noverint se praecipue ad animarum curam destinatos esse.

§ 7. Caeterum, venn. fratres, dum maiora nobis a perfectâ sapientiâ, prudentiâ zeloque vestro pro certo pollicemur hac in re argumenta, fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem studiosae nostrae voluntatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. augusti MDCCLIII., pontif. nostri anno XIII.

CLIII.

Vindicat, hac epistola ad R. P. Nicolaum Lercari a Secretis Cong. de P. F., sanctitatem et cultum S. Maronis Abbatis, Maronitarum patroni, contra dicteria Cyrilli Patriarchae Antiocheni Graecorum Melchitarum (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Inter cetera scripta nobis exhibita, cum nuper ad nos accessisti, illud deprehendimus, quod ad cultum S. Maronis Abbatis pertinet. Scripsit enim ad Congregationem de Propagandâ Fide dilectus filius fr. Desiderius a Casabasciana Min. Osberv., quem nos Ablegatum nostrum misimus ad ven. fratrem Patriarcham Maronitarum, scripsit, inquam, imagines S. Maronis Romae impressas, a ven. fratre Patriarchâ Graeco-Melchita Cyrillo discussas fuisse, et palam ab ipso declaratum, S. Maronem inter sanctos minime numerari, quippe qui haereticus vixerit atque obierit, idque gravibus

Attentata adversus S. Maronis cultum et imagines, exortaque inde dissidia recensentur.

---

(1) Ex Append. Bull. de Prop. Fide, pag. 321 collat. etc. Quantum gratissima fuit Maronitis haec pontificia S. Maronis vindicatio patet ex sequenti lit. ad Patriarcham, an. MDCCLIV., quam invenimus in Reg. ep. anni XIV., p. 293, in qua denuo dicit de Anna Agemi, et concordiam praecipit cum missionariis Soc. Iesu.

Venerabili fratri Simoni Petro
Patriarchae antiocheno Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Benedictus Deus et Pater D. N. Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ac praesertim consolatus est nos Deus in adventu dilecti filii Desiderii a Casabasciana fratris Minorum Ordinis S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quem nostrum ad fraternitatem tuam ceterosque nationis tuae Maroniticae elapso anno Apostolicum Ablegatum dimiseramus. Non solum autem in adventu eius, benedicente Domino, sospitis et incolumis, sed etiam in consolatione, qua consolatus est istic, referens nobis, te, ven. frater, bene valere et prospere agere; quod sane nuntium maximâ pontificium animum nostrum replevit voluptate. Nec minori etiam laetitiâ affecti sumus audientes, praeclara tuae erga eumdem Desiderium Ablegatum nostrum exhibita humanitatis benevolentiaeque testimonia, pro quibus gratam obstrictamque tibi nostram voluntatem profitentes, opportunam rebus ipsis fraternitati tuae rependendi occasionem praestolamur. De pristinâ vero pace et concordiâ tecum, ven. frater, et dilectis filiis presbyteris regularibus Societatis Iesu, apostolicis istic missionariis nostris, restitutâ quale quantumque gaudium ceperimus, non possumus satis aptis verbis explicare; sed bonorum omnium largitori Deo gratias agimus immortales, atque insimul fraternitatem tuam, quibus valemus in Domino adhortationibus ac precibus etiam rogamus et obtestamur, ut omnem operam studiumque conferas, quo pax et concordia huiusmodi magis magisque confirmetur. Ad opus enim Dei operandum, nempe ad aeternam Christifidelibus procurandam salutem quisque nostrum districte tenetur; quod haud facile, imo nunquam consequemur, nisi pax illa, quae exuperat omnem sensum, et caritas Christi diffusa per Spiritum Sanctum conglutinet, custodiat et tueatur corda nostra. Porro, quemadmodum non dubitamus, quin ab ipso Desiderio Ablegato nostro fraternitati tuae coram fuerit comprobatum, qua apostolicâ benignitate, qua caritate, quo zelo prosequi pergamus te, ven. frater, aliosque itidem venn. fratres Antistites ceterosque dilectos filios inclytae nationis tuae, ipsamque nationem Maroniticam, quae S. Maroni maiorem in catholicâ fide eruditionem, perennitatem atque incrementum acceptum referre gloriatur. Nobis omni procul dubio, qui nationis tuae studiosissimi sumus, permolestum accideret eiusdem S. Maronis sanctitatem, eiusque cultum a nonnullis tam male haberi; unde, postquam a calumniis vindicavimus, apostolicâ quoque nostrâ auctoritate confirmavimus; quod istic omnibus periucundum, opportunum ac salutare fuisse ab eodem Desiderio Ablegato nostro ingenti cum gaudio accepimus. Denique quoad dilectam in Christo filiam Annam Agemi puellam Aleppinam muneris tui partes esse ducimus, ut ipsa a piis prudentibusque animarum directoribus instruatur atque adsistatur, ut procul absit a publicâ hominum frequentiâ, plausu et acclamatione, ne vel levis umbra vanitatis virtutem ipsius offendat ac periculis exponat, neque novis dissidiis, dissensionibus et offensionibus detur occasio. Ceterum si quidquam amplius hac in re opus fuerit, non omittemus fraternitati tuae significare. Interim caelestis praesidii auspicem, nostrasque erga te, ven. frater, universamque nationem tuam propensae voluntatis pignus esse cupimus apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam fraternitati tuae universisque Maronitis elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. martii MDCCLIV., pontificatus nostri anno XIV.

dissidiis Maronitas inter et Graeco-Melchitas occasionem praebuisse; timendum insuper, ne huiusmodi turbae quotidie magis ingravescant, neque tumultum sedari et compesci potuisse, tum quia post suum discessum a locis, ubi ignem restinguere curaverat, nonnulli praesbyteri palam dixerant, eum nullam auctoritatem habere quaestionis definiendae, utrum Maro sanctus extiterit an haereticus; cum praesertim eorum Patriarchâ assereret, Maronem, cum inter vivos ageret, et cum e vitâ decessit, haeresi pollutum fuisse; tum quia per Moncalles, ubi residet Patriarcha Graeco-Melchita, quum iter fecisset ut cum eo colloqueretur, ipsum non invenerat, et aliquibus de causis permissum sibi non fuerat, ut ulterius ad eum assequendum progrederetur.

Factum improbat Pontifex.

§ 1. Non solum admiratione nos affecit, sed maxime commovit, quod temere atque inconsulte factum est a ven. fr. Patriarchâ Cyrillo, qui, ut eruditionem fortasse ostentaret, suâ agendi ratione, non dicam restaurare, sed auctoritate suâ controversiam iam extinctam definire tentavit: quasi vero eiusdem conditio vel meritum nobis aut Congregationi minime innotescant, et, quod deterius est, Sancti nomine et cultu eum, quoad potuit, privare, qui a pluribus iam saeculis cum Apostolicae Sedis approbatione huiusmodi honore decoratur.

Theodoreti et Chrysostomi testimonia de Maronis sanctitate.

§ 2. Ut tibi compertum est, S. Maro vixit sub finem saeculi quarti et initium quinti. Theodoretus, qui auctor coaevus dici potest, cum circa dimidium saeculi quinti floruerit, vitam illius scripsit, in qua heroicae S. Maronis virtutes et insigniter gesta enarrantur. Theodoretus Cyri Episcopus extitit, librum composuit *de vitis Patrum,* inscriptum *Philotheus,* sive *religiosa historia;* cuius duae sunt latinae versiones, quarum una habetur in vitis Patrum, auctore Rosveido, altera Gentiani Herveti in *tom. 3* operum eiusdem Theodoreti editionis Sirmondi. Porro sex distinctis locis Theodoretus collaudat sanctitatem S. Maronis, quemadmodum videre est in editione Rosveidi *de Vitis Patrum cap. 16, pag. 827 et 828, et cap. 21, pag. 832, et cap. 22, pag. 838, et cap. 24, pag. 840, et cap. 30, pag. 850.* Legitur quoque inter epistolas S. Ioannis Chrysostomi trigesima sexta inscripta ipsi Abbati Maroni, in qua ipsius virtutes laudibus prosequitur, eiusque orationibus sese commendat. Porro, ut os occludatur quibusdam non admodum sanae cognitionis, qui conati sunt auctoritatem adimere vitis a Theodoreto conscriptis, quorum numero adnecti possunt Andreas Rivetus in suo lib. *Criticus Sacer lib. 4, cap. 21,* Robertus Cocus in suâ *Censurâ quorumdam scriptorum veterum pag. 390,* Fridericus Spanhemius in *Historiâ Christianâ saeculi quinti § 10, col. 1030,* non defuerunt viri sublimis doctrinae atque accuratae critices, qui ad ipsius historiae integritatem sartam tectam tuendam operam suam mentemque contulerint, in quorum numero recensendi sunt Labaeus in dissertatione de Theodoreto in opere Bellarmini *de Scriptoribus ecclesiasticis* edit. Venetae *anno 1728, pag. 156;* Garnerius in *dissert. 2 de libris Theodoreti tom. 5* operum ipsiusmet Theodoreti editionis Parisiensis *anno 1684, pag. 199;* Tillemontius in *Vitâ Theodoreti art. 48, tom. 15, pag. 329;* Natalis Alexander in *Historiâ ecclesiasticâ saeculi V., cap. 4, art. 28, § 1, n. 1,* atque novissimus eruditus Ceillier in *Historiâ universali Auctorum sacrorum et ecclesiasticorum tom. 14, cap. 14, art. 2, § 6, num. 2, in fine pag. 94.*

Fides et auctoritas patrum vitis Theodoreto scriptis vindicata.

Et praesertim vitae S. Maronis, accuratior. consensu, et Clem. VIII. facto comprobatae.

§ 3. Et, quod gravioris momenti esse debet, nostri scriptores et historici accuratiores, et quidem non admodum creduli neque ingenti acumine destituti, fidem quam maximam praebuerunt vitae S. Maronis a Theodoreto descriptae, cum ipsius virtutes factaque gloriosa ita singillatim referant, quemadmodum a Theodoreto enarrantur et commendantur. Proinde S. Maronis vitae, quae a Theodoreto scripta est, omnimodam adhibent fidem. Adeantur Bollandistae *die 14 februarii, tom. 2 eiusdem mensis,* Bailletius *in suis vitis Sanctorum eâdem die,* Tillemontius *tom. 12 suae historiae ecclesiasticae in vitâ praedicti Sancti pag. 412 et sequen.* Neque illud ullo modo conticendum est, quod Pontificatum administrante Clemente VIII. cum Romae typis consignatum fuisset missale Maronitarum, cum eius nationis patrocinium sustineret fel. mem. Gabriel Cardinalis Palaeotus, evulgandi facultas a Summo Pontifice eâ conditione solum obtenta est, ut sub eiusdem initio poneretur vita S. Maronis deprompta ex Theodoreti historiâ, sicuti diligenter observatum fuit, quemadmodum clarissimus Card. Iacobus Perronius testatus est: *Verba feci cum SSmo Domino nostro de vulgando missali Maronitarum, quod typis iam pri-*

dem excusum est, annuitque Sua Sanctitas, ut praefixâ hac praefatione (quae est vita S. Maronis desumpta ex Theodoreto) *publicaretur.*

Alia testimonia de virtutibus et sanctitate Maronis.

§ 4. Accedit, quod insigne fuit coenobium S. Maronis, ut liquet ex epistolâ Archimandritarum Syriae secundâ ad Hormisdam Pontificem datâ *anno* DXVII., in qua se in primis subscripsit Alexander *Archimandrita* vel, quod idem est, *Abbas S. Maronis,* ut apparet *ex tom. 5* collectionis Conciliorum Labbaei edit. Venetae, *p. 598,* ex Annalibus Card. Baronii *ad annum Christi 517, n. 53.* Et in actis Concilii Constantinopolitani, habiti *an. 536,* mentio habetur de eodem coenobio, ibique semper sancti vel beati nomine Maro nuncupatur, ut legenti constabit *cit. tom. 2, pag. 967, pag. 978, 994, 999, p. 1075, 1083, 1099, 1111 et pag. 1223.* Insuper Pagius in Criticâ ad Annales Card. Baronii *ad annum 400, num. 17 et sequen.,* postquam commemoravit virtutes S. Maronis, orationem convertit ad coenobium ipsius S. Maronis, laudibusque prosequitur religionem catholicam illorum monachorum, ac veluti firmum quoddam catholicae religionis universo in Oriente adversus haereses propugnaculum praedicat; martyrium scilicet indicans, quod imperante Anastasio pro Concilii Chalcedonensis defensione tercentum quinquaginta ex illis monachis fortiter pertulerunt; eorum quippe mentio habetur in Romano Martyrologio *die 31 iulii,* quo in loco extant praeterea adnotationes venerabilis Card. Baronii. Neque praetereundum est in ecclesia Collegii Maronitarum huius almae Urbis imaginem S. Maronis in tabula maioris altaris depictam publice coli, eiusque diem festum quotannis celebrari.

Unde illius festus dies spiritualibus indultis a Pont. decoratus.

§ 5. Haec omnia mirifice illustrant sanctitatem S. Maronis, tum etiam ostendunt, quam recte atque legitime rogatu ven. fratris Simeonis Patriarchae Antiocheni, et exemplo eorum quae peracta fuere in literis apostolicis praedecessoris nostri Clementis XII., ostendunt, inquam, quam iuste in quodam Brevi a nobis emisso *die* XII. *augusti anno* MDCXLIV. largiti sumus indulgentiam plenariam utriusque sexus Christifidelibus, qui confessione et sacrâ communione expiati *die* IX. *februarii,* quo a Maronitis celebratur festum S. Maronis eorum primarii patroni, adibunt sacras aedes monachorum et monialium Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationum tam Montis Libani quam S. Isaiae, et concordiam inter principes christianos, haeresis excidium, et sanctae matris Ecclesiae exaltationem a Deo enixe rogabunt: quae singula luculenter patefaciunt, quam illegitime (ut loquamur remissius) ven. frater Patriarcha Cyrillus adversus S. Maronis cultum se gesserit.

Occasio indicatur erroneae sententiae de S. Marone inventae.

§ 6. Neque erit difficile rationes investigare, quae ven. fratrem Patriarcham Cyrillum eam in rem impulerunt. Affirmant Maronitae a S. Abbate Marone se originem ducere, et a catholicâ religione nunquam recessisse, nec ab Ecclesiae unitate se unquam disiunxisse: addunt praeterea, quod, cum ipsi unionem cum Ecclesiâ Romanâ renovaverint, id minime interpretari debet, quasi catholicam religionem aliquando deseruerint iterumque ad ipsam reversi fuerint. At vero alii contrarium senserunt, arbitrati nimirum sunt, Maronitas de Monotelitarum scholâ prodiisse, Maronem eorum caput extitisse, eumdemque haeresi adhaesisse, atque solummodo an. MCLXXXII. ab Aimeto tertio Patriarchâ latino Antiocheno Maronitas fuisse ad Romanam Ecclesiam revocatos. Haec omnia videre est apud lexicum universale gallicum et latinum *tom. 5* ad verbum *Maronitae,* et apud magnum lexicum Morerii editionis Parisiensis *anno* MDCCXLVII., *tom 6,* ad verbum *Maronitae.*

Willelmi et Eustac. narrationes de monacho nomine Marone haeretico deque eius coenobio.

§ 7. Willelmus Archiepiscopus Tyri, *lib. 22 Sacri Belli, cap. 8,* narrat, ea, quae paulo ante indicavimus, ab alterius opinionis sectatoribus produci. Verum, quoniam auctoritas Willelmi satis minime foret ad sententiam, quae Maronitis opponitur, roborandam, et fortasse ipse quoque Willelmus id agnovit, ea de re provocatum est *ad tom. 2* Annalium Eutychii Alexandri, qui *pag. 191* ita scripsit: *Fuit tempore Mauritii Imperatoris Romanorum monachus quidam nomine Maron, qui aiebat, duas esse Christi Domini nostri naturas et unam voluntatem, unam operationem, unamque personam etc. Cumque mortuus esset Maron, incolae urbis Hamath (Apameae) monasterium in Hamath excitarunt, quod dair Marum, id est coenobium Maronis appellarunt, fidemque Maronis professi sunt.*

Minus vera probatur.

§ 8. Negligentiam minime praesetulerunt scriptores Maronitae in exponendis et palam faciendis erroribus, in quos inciderunt Eutychius Alexandrinus, Willelmus Archiepiscopus Tyri, aliique eorum secta-

tores. Id innotescet, si legatur dissertatio Fausti Naironis *de origine, nomine, ac religione Maronitarum,* quaeque praestanti eruditione a dilecto filio Iosepho Simonio Assemano praelato nostro domestico declarata fuere in suo *tom. 1 Bibliothecae Orientalis, pag. 498,* quibus accedit Pagius Gallus scriptor in suâ criticâ ad annales Card. Baronii *ad annum Christi* MCLXXXII. Atque, ut verum dicamus, quando error unius in Christo voluntatis atque operationis exordium habuit, ut omnibus notum est, regnante Heraclio, quomodo fieri potuit, ut idem error Mauritii tempore viguerit? qui dici potest, quod ait Eutychius, coenobium excitatum fuisse post mortuum illum Maronem, de quo ipse sermonem habet, cum ducentis antea annis aedificatum iam deprehendatur, atque dicatum S. Maroni Abbati? quandoquidem scribit Procopius Caesariensis *lib. 5* de aedificiis Imperatoris Iustiniani, ab eo restauratum coenobium S. Maronis; compertumque est, et e vivis decessisse Iustinianum *anno 565,* atque Mauritium mortuum esse *anno 602.*

Et quatenus vere, evincerent duos extitisse Abbates Marones.

§ 9. Paternam Sedis Apostolicae benevolentiam erga Maroniticam nationem desiderari non patiemur. Nos quippe in unum congessimus laudes nostrorum praedecessorum, atque etiam nostras consociavimus in quadam Allocutione Consistoriali editâ in appendice nostri Bullarii *tom. 2, pag. 42.* At omisso in praesentiarum quocumque partium studio erga Maroniticam gentem, atque eruditis eius nationis scriptoribus, qui Romae etiam versantur, curâ remissâ ab adversariorum telis vindicandi perpetuam stabilitatem sanctae catholicae religionis in suis regionibus, si id necessitas (quod non credimus) postulet, atque Maronitarum originem a S. Abbate Marone propagatam; his, inquam, praetermissis, id unum reponimus, quod nempe, etiamsi veritati consentanea videantur, quae narrat Eutychius, aliud inde nequit inferri, nisi duos Abbates Marones extitisse, sanctum unum, alterum haereticum. Porro cum eiusdem nominis appellatio non evincat, sanctum fuisse haereticum, aut haereticum sanctum, neque etiam cultum exhibitum sancto praestitum etiam aut praeberi haeretico, inde manifeste consequitur, ven. fratrem Patriarcham Cyrillum auferentem beato Abbati Maroni cultum non solum suae auctoritatis limites excessisse, verum etiam se irreligiosum praestitisse adversus hominem, qui tot iam saeculis inter sanctos habitus est, ad cuius etiam cultum publicum promovendum non destiterunt Romani Pontifices populos allicere, indulgentias superius commemoratas impertiendo.

Probatur id ex ipsa temporum collatione.

§ 10. Paulo ante dictum est, quod, etiamsi concedatur verum esse quòd refert Eutychius, aliud exinde non sequitur, nisi duos Abbates Marones, sanctum unum, haereticum alterum, extitisse. Haereticus ille erit, de quo ipse loquitur, quique, ipso teste, vixit tempore Mauritii Imperatoris, vitâ functi, quod indicatum iam est, *anno* DCII. At sanctus ille est, qui vixit, imperium gerente Arcadio, qui ab anno CCCCXCV. usque ad annum CCCCVIII. principatum obtinuit; atque eius vitam scriptis complexus est Theodoretus, scriptor coaevus non exiguae auctoritatis. Affirmavimus eiusdem nominis appellationem causam non esse, cur sanctus haereticus existat aut haereticus sanctus, vel cur honor sancto habitus, traditus haeretico intelligatur; atque haec propositio adeo naturae lumine perspicua est, ut confirmationibus non egeat.

Afferuntur exempla, quibus non semel contigit, ut uno nomine et sanctus et haereticus designarentur.

Itaque solummodo indicabimus, exemplum confusionis unius et alterius Abbatis Maronis unicum et singulare nequaquam esse, cum duo pariter Raymundi Lullii, duo Ioannes Cantii extiterint, de quibus prolixius verba fecimus in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum.* Ex Raymundis unus martyrii famâ praedicatur, at non alter, qui infelicem vitam ac mortem sortitus est. Unus pariter Ioannes Cantius beati nomine insignitur, et approbatione Apostolicae Sedis publicâ gaudet veneratione; alter veluti haeresi inquinatus execratur. Quamobrem manifeste apparent irreligiosi conatus ven. fratris Patriarchae Cyrilli, qui sub specie interdicendi cultum Maroni haeretico, quem nominat Eutychius, revera ademit Maroni catholico, de quo mentionem facit Theodoretus; quandoquidem S. Sedes in suis constitutionibus unice semper intellexit colere beatum illum Abbatem Maronem, de quo scribit Theodoretus, idemque ut ab aliis coleretur, praescripsit.

Nec tamen proinde exorta in cultu exhibendo confusio.

Idque liquido constat ex iis quae superius a Pontifice Clemente VIII. peracta esse commemoravimus. Tuum erit omnia enunciare Congregationi, atque necessarias easque opportunas facultates accipere, atque de eiusdem nostroque etiam mandato literas dare ven. fratri Patriarchae Cyrillo, ut ea revocet quae patravit, neque audeat publicâ veneratione B. Abbatem Ma-

Turbatus temere S. Maronis cultus restitui iubetur.

ronem privare, nec discordias serere Graeco-Melchitas inter et Maronitas. Quod si consentaneum iudicabitur hanc epistolam, quam tibi dedimus, ad ipsum mittere, ut certior fiat de nostrâ voluntate, id praestare liberum tibi erit. Nos interim apostolicam benedictionem tibi impartimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. septembris MDCCLIII., pontificatus nostri anno XIV.

CLIV.

Ad preces Provinciae Goanae ampliat indulgentias aliis suis literis concessas in festo S. Francisci Xaverii Indiarum patroni (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis clementia in gratiis confirmandis et ampliandis.

§ 1. Apostolicae procurationis ministerium, quod a supremo pastorum Principe Iesu Christo per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam imbecillitati nostrae impositum est, et apostolicae providentiae ratio iure ac merito a nobis exigit, ut, quae alias per nos ipsos etiam concessa atque in aliis apostolicis nostris litteris sive in simili forma Brevis sive sub Plumbo expeditis contenta sunt, eadem in unam coniuncta, quo non solum firmius subsistant et serventur exactius, verum etiam tutius custodiantur et omnia insimul universis nota fiant, de novo deinceps approbare et supremo apostolicae auctoritatis nostrae praesidio, quatenus opus sit, munire, novoque pontificiae benignitatis documento vel commutare vel extendere et ampliare, sive de novo etiam concedere, non dedignemur.

Eiusdem apostolicae litterae de S. Francisco Xaverio electo in Patronum principaliorem Indiarum.

§ 2. Alias nos sane dedimus primum nostras in simili forma Brevis literas tenoris sequentis:

Benedictus Papa XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

S. Franciscus Xaverius a toto christiano orbe Indiarum Apostolus meruit praedicari.

« Indiarum gentibus beati Francisci Xaverii Societatis Iesu (qui, apostolicis charismatibus affluenter decoratus, novarum gentium apostolus unanimi totius Orbis Christiani consensu meruit appellari) praedicatione et miraculis ex tot tamque dissitis regionibus catholicae Ecclesiae aggregatis, ut gloriosa eiusdem merita alacrius venerantes, et relicta sibi quoque praeclara virtutum exempla ardentius imitantes praesentissimum illius in coelis apud mirabilem in sanctis suis Deum sibi patrocinium certo polliceri valeant, ipsum S. Franciscum novis honorum incrementis colendum novoque titulo in terris decorandum invocandumque proponimus atque mandamus.

Eumque miraculis et praedicatione celebrem Pontifex impensius colendum proponit.

Ioannes V. Rex fidelissimus pietate et religione illustris hoc ipsum rogat.

« Etsi autem pro singulari pietate et incredibili erga res sacras, sacrosanctae religionis rationes et sanctorum reverentiam zelo suo carissimus in Christo filius Ioannes Portugalliae et Algarbiorum Rex illustris, per dilectum filium Emmanuelem Pereira de Sampaio, Militiae Iesu Christi commendatorem, eiusdem Ioannis Regis negotiis apud nos et Apostolicam hanc S. Sedem expediendis praepositum, nobis supplicavit, ut tanti Indiarum apostoli cultum et venerationem in terris, quantum nobis ex alto conceditur, adaugere satagamus;

Ad hoc idem Pontificem exstimulat persecutio in Sinarum regno contra Christifideles mota.

« Ipsa tamen in Sinarum maxime Regno in Christifideles ibi degentes mota, atque in evangelicae praesertim praedicationis operarios saeviens persecutio, ut, piis laudati Ioannis Regis votis ac precibus paterna benignitate obsecundantes, id praestemus alacrius, vehementer urget et exstimulat.

Pontifex S. Franciscum Xaverium Patronum principaliorem ac Protectorem Indiarum cum omnibus praerogativis declarat.

« Itaque ad maiorem Dei laudem, divinique cultus augmentum, auctoritate apostolica tenore praesentium S. Franciscum Xaverium patronum principaliorem ac protectorum Indiarum, quae numerantur a Capite *Bonae Spei* dicto usque ad Regna Sinarum et Iaponiae, eisque adiunctarum provinciarum et adiacentium Insularum, cum omnibus et singulis praerogativis, quae iuxta Breviarii et Missalis Romani rubricas sanctis patronis principalioribus et protectoribus competunt, habendum, invocandum et colendum esse statuimus, declaramus atque iubemus.

Eius officium et missa sub ritu duplicis primae classis cum octava praescribit.

« Praeterea, ut imposterum solemnis tanti patroni memoria maiori, quam antea celebrabatur, pietate ac debitis laudum praeconiis quotannis recolatur, volumus et omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, auctoritate et tenore paribus indulgemus atque mandamus, ut annua ipsius Sancti Fran-

---

(1) Ex Reg. Vat. Epist. ad Principes et alios, vol. 14, pag. 29-31.

cisci Xaverii dies sub ritu duplici primae classis cum octava peragatur.

Clausulae pro litterarum apostolicarum validitate.

« Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque.

« Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis adhibenda.

« Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. februarii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII. »

Aliae litterae apostolicae.

§ 3. Deinde alias nostras in pari itidem forma Brevis literas tenoris, qui sequitur:

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Conceditur Christifidelibus sepulchrum S. Francisci Xaverii visitantibus semel in anno indulgent. plenaria.

« Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam clericorum regularium Societatis Iesu civitatis Goanae, ad quam, ut asseritur, devotionis causa magnus christiani populi, et praesertim peregrinorum, fit concursus, in quocumque anni die devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat per quemlibet Christifidelem quolibet anno lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Clausulae pro litterarum apostolicarum validitate.

« Praesentibus ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint.

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI. iulii MDCCLI. pontificatus nostri anno XI. »

Aliae litterae apostolicae.

§ 4. Praeterea alias quoque in simili itidem forma Brevis literas tenoris sequentis:

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Visitantibus quamcumque ecclesiam Soc. Iesu per decem ferias sextas in honorem Sancti Francisci Xaverii conceditur in una ex ipsis indulgentia plenaria.

« Cum, sicut accepimus, in ecclesiis clericorum regularium Societatis Iesu pia erga S. Franciscum Xaverium, praesertim in decem feriis sextis eiusdem sancti festum immediate praecedentibus vel subsequentibus, devotio introducta fuerit, prout de praesenti etiam viget; nos ad eam confovendam et augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifilibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Societatis Iesu in una ex praedictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligenda devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

In aliis novem feriis sextis septem anni et totidem quadragenae.

« In reliquis vero feriis sextis huiusmodi eisdem Christifidelibus vere pariter poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, aliquam ex praedictis ecclesiis, ut supra, visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria praedictarum id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis, poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Clausulae pro litterarum apostolicarum validitate.

« Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus etiam, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; quodque praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici

subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. ianuarii MDCCLI., pontif. nostri anno XI. »

Supplex libellus SS. D. N. porrectus.

§ 5. Insuper cum nobis humiliter porrectus fuisset supplex libellus tenoris qui sequitur:

Beatissime Pater

« In ecclesia Societatis Iesu civitatis Goanae in Indiis situm est Corpus Sancti Francisci Xaverii; cumque in illis partibus dictum unicum sanctuarium sit, et ad quod omnes fideles veniunt pro aliqua a Deo obtinenda gratia,

Supplicatur pro indulgentia quadraginta dierum visitantibus sepulchrum Sancti Francisci Xaverii.

«Ideo, ad augendam fidelium devotionem, supplicatur humiliter Sanctitas vestra pro indulgentia quadraginta dierum acquirenda toties quoties quisque fidelis utriusque sexus dictum sanctuarium visitaverit. Et Deus etc.»

Conceditur gratia ad tempus determinatum.

Praeinserto huiusmodi supplici libello rescribendum mandavimus: « Ex audientia Sanctissimi die XIII. augusti MDCCLI., Sanctissimus benigne annuit pro indulgentia quadraginta dierum semel lucranda qualibet die per utriusque sexus Christifideles, ecclesiam, de qua in precibus, devote visitantes. Ad decennium. Ioseph Livizzani secretarius: Loco ✝ Sigilli. »

Archangelus de Oregny Societatis Iesu provinciae Goanae Procurator incredibili pietate et zelo incensus S. Francisci Xaverii sepulchrum magnificentius ornavit, et sacris supellectilibus ditavit.

§ 6. Quoniam autem dilectus filius Archangelus de Oregny presbyter regularis Societatis Iesu provinciae Goanae in Indiis eiusdem Societatis Iesu procurator, qui quamplurima dictae provinciae negotia curaturus ad hanc almam Urbem nostram advenerat, hisce feliciter expeditis, ad muneris sibi iniuncti partes obeundas redire cogitans; et singulari erga eumdem Sanctum Franciscum Xaverium pietate et incredibili erga suam provinciam zelo incensus, eiusdem S. Francisci Xaverii cultum promovere, ipsiusque sepulchrum magnificentius ornare, sacrisque supellectilibus ditare pergit.

Ad gloriam Dei in Indiis promovendam octoginta missionarios nec non artemque typographicam et peritos homines illuc transmisit. Et supradictas gratias confirmari et ampliari curavit.

§ 7. Et, ad ipsam provinciam magis magisque excolendam, non solum octoginta circiter interea misit operarios, sed etiam, quo libri spirituales ad populos illos in mysteriis catholicae fidei instituendos et christiana pietate inflammandos utiles et opportuni illic ederentur, omnia typograficae artis instrumenta omnibus numeris absoluta, et magno pretio comparata, illuc una simul cum nonnullis eiusdem typographicae artis peritis hominibus transmittenda curavit; suo eiusdemque provinciae nomine nuper nobis humiliter supplicari fecit, ut non solum praeinsertas nostras literas et rescriptum iterum in perpetuum confirmare et, quatenus opus sit, iterum concedere, verum etiam alia quidem commutare, alia vero, ut infra, ampliare de benignitate et auctoritate apostolica dignaremur.

Pontificis studium in favorem eorum qui in vinea Domini feliciter laborant.

§ 8. Nos itaque haec omnia mature considerantes, quantum iis in regionibus profutura sint, quantumque ex iisdem cathotica religio susceptura sit verae pietatis decus et incrementum, et memoratum Archangelum procuratorem ipsiusque provinciae missionarios et omnes dictae Societatis religiosos alumnos inibi in Vinea Dei Sabaoth adlaborantes amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati,

Auctoritate apostolica omnes praedictas gratias confirmat, et extendit in perpetuum.

§ 9. Auctoritate apostolica, tenore praesentium, primum quidem omnia et singula praeinserta in iis, quae infra statuendis non sint contraria, iterum in perpetuum approbamus et confirmamus;

Festum Sancti Francisci Xaverii aliquandoin Indiis commodius transferri oportet.

§ 10. Deinde vero, cum festus dies eiusdem Sancti Francisci Xaverii ubique locorum diei tertiae mensis decembris addictus celebretur, atque in Indiis in unaquaque civitate et loco haud facile ob concursum populorum celebrari ita possit, ut eorumdem populorum pietati, praesertim in suscipiendo Sanctissimae Eucharistiae sacramento et lucrandis indulgentiis, satisfieri possit,

Unde concedit ut Episcopi in locis ubi iudicaverint illud transferre possint cum missa, officio et indulgentia.

§ 11. Eapropter venerabilibus fratribus Antistitibus earumdem partium Ordinariis committimus, ut pro suo zelo et prudentia eumdem inibi festum S. Francisci Xaverii diem ad alium sibi benevisum pro ecclesiis respective diem, stabilem tamen, nec ad ipsorum placitum deinceps permutandum, transferendum et consignandum, una cum festivitate, recitatione Officii Divini, celebratione Missae et consecutione

indulgentiarum eadem die tertia decembris concessis permutent, transferant et consignent.

Confirmat etiam Pont. privilegium quotidianum perpetuum altaris S. Francisci Xaverii in Goana ecclesia.

§ 12. Porro privilegium quotidianum perpetuum, quo alias altare eiusdem S. Francisci Xaverii in praefata ecclesia Goana situm decoravimus, iterum, quatenus opus sit, auctoritate et tenore paribus in perpetuum concedimus et confirmamus.

Indulgentias pro decem feriis sextis supra relatas aliquando non lucrantur homines praesertim in Indiis agrorum culturae addicti.

§ 13. Praeterea, cum indulgentias plenarias, aliasque septem annorum, ac totidem quadragenarum, quas in forma Ecclesiae consueta concessimus iis omnibus Christifidelibus, qui in decem sextis feriis ante vel post festum diem S. Francisci Xaverii confessi ac sacra Communione refecti quamcumque ipsorum Regularium Presbyterorum ecclesiam visitassent, haud lucrari valeant praesertim in Indiis homines tam culturae agrorum, quam aliis negotiis addicti,

Pontifex concedit ut ferias sextas in quamcumque aliam diem commutare possint singuli Christifideles.

§ 14. Eapropter, ut etiam die dominica, vel alia quacumque die infra hebdomadam ad unius cuiusque libitum eligenda, dummodo omnia in praeinsertis nostris literis praescripta adimpleverint, easdem indulgentias pari modo et forma lucrari possint et valeant, in perpetuum concedimus et indulgemus.

Clausulae pro litterarum apostolicarum validitate.

§ 15. Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Omnibus interdicitur quaecumque aliter iudicandi facultas.

§ 16. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores S. R. E. Cardinales et Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque, et declaratur has gratias esse perpetuas.

§ 17. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae nostra Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptis adhibenda fides.

§ 18. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die VI. octobris MDCCLIII., pontif. nostri anno XIV.

CLV.

Monachis Maronitis SS. Petri et Marcelli in villam Paganicam translatis concedit, ut obligationibus missarum, etiam cum privilegio altaris in fundatione requisito, satisfacere possint primum in oratorio villae, deinde in novâ ecclesiâ extruendâ, cuius altare maius privilegiatum erit pro cunctis quotidie et in perpetuum, atque ut in novo monasterio frui possint privilegiis a Clemente obtentis (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Alias porrectus nobis fuit supplex libellus tenoris sequ.: « Bmo Padre, D. Tommaso Budi, D. Emmanuele Alipio e D. Gioacchino Chaudum monaci Siro-Maroniti dell'Ordine di S. Antonio Abbate della Congregazione di Monte Libano prostrati a' piedi della S. V. dopo avere alla medesima rese le più umili grazie per tante beneficenze, che si è degnata compartirgli; si fanno arditi di supplicarla a voler continuare verso di loro gli atti del suo paterno amore col trasferire i pesi dei legati pii di messe, che si facevano soddisfare nella vecchia chiesa de' Ss. Marcellino e Pietro all'oratorio, che essi monaci faranno nel nuovo monastero di Roma alla villa già Paganica da loro comprata, finchè ivi sia fabbricata la chiesa, ed indi nella nominata chiesa, quando sia già in istato da potervisi celebrare il santo sagrificio. E siccome tra i legati da soddisfare vi sono due cappellanie, una lasciata dalla bo. me. del Cardinal Nicola Spinola, l'altra da Tommaso Merolli coll'obbligo di celebrare la messa all'altare privilegiato di detta vecchia chiesa; supplicano V. Beatitudine a voler dichiarare privilegiato tanto

(1) Ex Reg. Vat. Epist. ad Princ., an. XIV., f. 104.

l'altare dell'oratorio per quel tempo che in esso si celebreranno le suddette messe, quanto l'altare maggiore della chiesa allorchè sia terminata, almeno per i detti due benefattori, quando non voglia accordare loro la grazia che l'altare della chiesa sia privilegiato per tutti i defonti. Inoltre si fanno arditi di ossequiosamente supplicare la S. V. che si degni confermargli le grazie accordate loro dalla s. m. di Clemente XI. e confermate dalla s. m. d'Innocenzo XIII., acciò per la traslazione del monastero, e per il cambiamento del nome di PP. de' Ss. Pietro e Marcellino in quello di monaci Siro-Maroniti dell' Ordine di S. Antonio Abbate della Congregazione di Monte Libano, non gli possano un giorno essere o negate o controverse, giacchè la retta e santa intenzione di V. Beatitudine non è stata di privarli di ciò, che per beneficio della S. Sede godono al presente, ma di confermargli piuttosto le grazie de' suoi predecessori, e fargli sperimentare gli effetti della sua paterna clemenza, come sperano, mentre intanto non cesseranno di pregare S. D. M. per la prospera e lunga conservazione della S. V. Che etc. »

§ 2. Praeinserto autem supplici libello rescribendum mandavimus, prout sequitur: « Ex Audientia SSmi die XXVI. septembris MDCCLIII. SSmus, petitis benigne annuendo pro gratiâ, altare illud in quo, durante fabricâ pro ecclesiae constructione, missae in satisfactionem duarum cappellaniarum, de quibus in precibus, celebrabuntur, pro eisdem missis tantum privilegiatum esse concessit, qua fabricâ absolutâ ac plene constructâ ecclesiâ, altare maius eiusdem ecclesiae privilegiatum pro cunctis, quotidianum et in perpetuum esse clementissime declaravit atque concessit, quocumque alio simili privilegio inibi cessante. In reliquis annuit pro confirmatione iuxta petita. – Ioseph Livizzani Secretarius. » Verum rescriptum huiusmodi praeinsertum, quo firmius subsistat et serveter exactius, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et perpetuo apostolicae firmitatis robore munimus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis tam de iure quaesito non tollendo, quam de non concedendis ingulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. decembris MDCCLIII., pontificatus nostri anno XIV.

CLVI.

Fratribus Ordinis S. M. de Monte Carmelo in insulis Americae Meridionalis confert potestatem administrandi sacram. Confirmationis in articulo et periculo mortis fidelibus suarum paroeciarum, in absentia vero canonica Antistitum (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Prooemium. Immensa Iesu Christi, cuius supremas in terris vices, plane immerentes, gerimus, caritas, quemadmodum quidem facit, ut nos de aeterna animarum pretioso sanguine quasi Agni Immaculati redemptarum salute solliciti, maximopere laetemur, cum audimus, barbaros infidelesque utriusque sexus homines ab ipsa Europa longissime remotos accepisse Verbum Dei, et per sacrum Regenerationis lavacrum in Christo renatos viam mandatorum Dei currere; ita urget nos etiam, ut minime patiamur opportuna apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae commoda ab ipsis catholicam fidem amplexis desiderari; quibus et ad eamdem fidem strenue profitendam, et ad pugnam contra potestatem tenebrarum fortiter substinendam per Spiritus Sancti plenitudinem sacramento Confirmationis collatam magis magisque roborentur et confirmentur.

Petitio. § 1. Quoniam autem dilectus filius Felix a Sancto Arsenio, frater expresse profes-

(1) Ex Tabulario Cong. de Prop. Fide.

sus et provincialis provinciae Turoniae fratrum Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo primi Instituti, ac praefectus missionibus in Insulis Americanis, nempe Guadalupae, Maria Galante, Sancto Dominico, Sancto Christophoro et Sanctis, charissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi christianissimo subiectis, per eiusdem Ordinis de Monte Carmelo alumnos peragendis, constitutus nobis humiliter exponi fecit, in memoratis nimirum Insulis Americanis Gallicae ditioni subiectis nullum adhuc Antistitem constitutum esse, a quo neophyti sacramentum Confirmationis hactenus insigniri potuerint; unde fere omnes sacro Baptismatis lavacro dumtaxat abluti, aliisque muniti sacramentis viam universae carnis ingrediantur. Eapropter supplices addidit preces, ut hac in parte de apostolica benignitate et auctoritate, ut infra providere et indulgere dignaremur.

Concedit iuxta modum.

§ 2. Nos itaque, a quibus supremo pastorum Principi Iesu Christo aeterno Iudici, ipsius in terris vices gerentibus, gravissima omnium animarum suo Sanguine redemptarum ratio reddenda est, summas tot populorum angustias, aerumnas ac tantam infelicitatem ex animo commiserantes, atque eosdem missionarios, qui suam pro lucrandis fratribus suis animam ponunt, apostolicis laudibus commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ipsumque Felicem a Sancto Arsenio, caeterosque inibi missionarios dicti Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo de Catholica Ecclesia et aeterna Christifidelium salute in primis commendatissimi, amplioribus gratiarum favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, attentis praemissis, auctoritate apostolica tenore praesentium modernis et pro tempore praefecto et vice-praefecto eiusdem missionis Americanarum Insularum existentibus, ac praefecti et vice praefecti huiusmodi muneribus durantibus, ut sacramentum Confirmationis sacro Chrismate, etiam antiquo, si novum haberi non possit, per catholicum Antistitem gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem benedicto, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus illarum dumtaxat paroeciarum, quae reperiuntur sub cura et regimine fratrum Sanctae Mariae de Monte Carmelo eiusdem missionis, iuxta Ritualis Romani ritum libere et licite conferre et administrare possint et valeant, ea tamen lege ad viginti dumtaxat annos ab eo tempore, ex quo praesentes nostras in forma Brevis litteras acceperint, computandos tribuimus, et impertimur, ut, si interea temporis nempe viginti annorum contingat in iisdem Insulis Americanis Gallicae ditioni subiectis vel residentiales Antistites vel Apostolicos Vicarios episcopali charactere et auctoritate insignitos ab eadem Apostolica Sede deputari, impertita huiusmodi facultas nulla sit et nullius prorsus roboris ac momenti habeatur, secus vero rata ac firma intelligatur, cum vel residentiales Antistites, vel Apostolici Vicarii charactere et auctoritate episcopali insigniti, legitimis canonicisque impedimentis detenti iisdem praefecto et vice-praefecto pro tempore concesserint, ut in iis locis dumtaxat, ad quae ipsi Antistites nullo pacto ac tempore accedere valuerint, sacramentum Confirmationis, ne Christifideles eodem destitutos ex hac vita migrare contingat, conferre possint.

§ 3. Insuper omnibus et singulis eiusdem missionis missionariis sacerdotibus saepedicti Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo eamdem conferendi sacramentum Confirmationis cuilibet Christifideli suarum dumtaxat paroeciarum in periculo vel articulo mortis constituto, facultatem tribuimus.

§ 4. Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firma valida et efficacia intra praescriptum viginti dumtaxat annorum spatium existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter, in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, S. R. E. Cardinales, et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios et alios quoslibet quacumque auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis au-

ctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et, quatenus opus sit, dicti Ordinis Sanctae Mariae de Monte Carmelo etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel manu et sigillo praefecti pro tempore existentis missionis praefatae eiusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 7. Caeterum, caelestis praesidii auspicem ipsi Felici a Sancto Arsenio praefecto, caeterisque missionariis illarum Insularum, apostolicam benedictionem, quam cum plenariis Indulgentiis, peccatorum remissionibus, poenarumque relaxationibus coniunctam ab ipso praefecto et vice-praefecto semel Christifidelibus suarum paroeciarum in unum, in diversis licet locis convenientibus, nostro nomine elargiri volumus, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. ianuarii MDCCLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CLVII.

Patriarchae Maronitarum, et per eum ceteris Episcopis eiusdem nationis, commendat residentiam prout in Synodo Libanensi decreta fuerat: declarat constitutionem de Oleorum sacrorum distributione gratis faciendâ ad omnes Episcopos extendi; illumque monet, ut curet reditus ecclesiasticos non ad propinquos augendos, sed ad usus per canones definitos impendi (1).

Venerabili fratri Simoni Evodio Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam, ven. frater, ita sane comparatum est et ipsa rerum humanarum experientia docet, ut ea, quae alias sanctissime decreta, constituta et praecepta fuerunt, ne ulla temporum iniuriâ aut hominum oblivione aut desuetudine aboleantur, sed debitae executioni mandentur, frequenter omnium auribus mentibusque infigi et saepius in mentem omnium revocari oporteat: itaque Apostolica haec S. Sedes, cui per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, ac potissimum post Concilium Tridentinum consuevit et mandavit, ut quamplurimae ordinationes constitutionesque super gravissimis rebus sancitae et editae semel in quolibet anno in publicum proponerentur et affigerentur; maxime autem illae, quae de residentiâ Episcoporum in propriis ecclesiis et dioecesibus habenda agunt; cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab his praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.

§ 1. Eapropter te, ven. frater, rogamus et in Domino hortamur, ut non solum fraternitas tua, sed omnes quoque et singuli Antistites patriarchatus tui Antiocheni Maronitarum, memores divinorum praeceptorum, factique forma gregis, et in propriis attributisque sedibus residentes, in iudicio et veritate creditum unicuique gregem pascatis et regatis. Porro in Appendice Cap. XLI. post Synodum Montis Libani die XXX. septembris anno MDCCXXXVI. celebratam, atque iuxta alias nostras in simili formâ Brevis literas die XIV. februarii anno MDCCXLII. datas a nobis apostolicâ auctoritate approbatam et confirmatam, quoad

(1) Ex Reg. Vat. ep. ad Principes et alios, f. 135.

Metropolitanorum et Episcoporum sedes et limites statuitur et unicuique assignatur, ac praesertim de sede patriarchali praescribitur: *Patriarcha Antiochiae ac totius nationis Maronitarum sedem habet in Monte Libano in coenobio, quod Cannubinense dicitur.* Sedem itaque patriarchalem in dicto coenobio Cannubinensi, utpote loco ad maiorem omnium Antistitum, parochorum, sacerdotum, clericorum, monachorum et saecularium hominum ad fraternitatem tuam qualibet ex causâ accedentium utilitatem et commodum magis opportuno et consentaneo a te fixam atque ab aliis quoque venn. fratribus tuae nationis Antistitibus suas in suis respective dioecesibus sedes fuisse positas et constitutas, in iisque quemque vestrum residere gaudentes, apostolicâ quoque auctoritate nostrâ, tenore praesentium, confirmamus.

§ 2. Praeterea quod in memoratis literis nostris quoad distributionem sacrorum oleorum gratis omnino et sine ulla prorsus vel pecuniae vel alterius cuiuscumque rei etiam a sponte dantibus receptione vel exactione faciendam fuit praescriptum, non solum pari auctoritate ita semper fieri et servari mandamus, verum etiam aperte declaramus huic apostolico mandato nostro obnoxios esse, in eoque comprehendi, cum ipso Patriarchâ, omnes et singulos Archiepiscopos et Episcopos nationis Maronitarum.

§ 3. Tibi certe, ven. frater, nunquam persuasum esse poterit, nos memores Apostoli Pauli scribentis ad Timotheum, *manus cito nemini imposueris,* quantum advigilemus, quantum adlaboremus, quantum admoneamus et in Domino adhortemur omnes et singulos Antistites, ut, ubi nullam adesse et urgere noverint gravissimam necessitatem sacris quemcumque, etiamsi meritissimum, initiandi, nunquam sive ad clericatum sive sacerdotium admittant. Ea-propter te quoque, ven. frater, rogamus et admonemus, ne plures sacerdotes et Episcopos, quam quos sacri canones ordinandos esse statuunt, deinceps ordinare pergas.

§ 4. Quoniam vero ab ecclesiastico ordine omnis avaritiae suspicio abesse debet, atque in iis praesertim maxime culpanda est, qui pecuniarum summas ex bonis ecclesiasticis sibi ad maiorem propinquorum utilitatem et commodum coacervare student; quae quidem iuxta Ecclesiae occidentalis orientalisque sacros canones non in alios usus, quam in propriam moderatamque suae vitae substentationem, ecclesiarum restaurationem et ornatum, atque in pauperum refectionem impendi et erogari debent; opus esse ducimus, ut fraternitas tua ab isto patriarchatu procul eliminare satagat et contendat.

§ 5. Ceterum, ven. frater, quem praecipuâ apostolicâ caritate complectimur, plurimi facimus magnoque in honore et pretio habemus, haec ad fraternitatem tuam perscribenda esse existimamus, ut ipsa et fraternitas tua primum debitae executioni mandare studeat, et a ceteris Antistitibus tuis adimplenda curet et exigat, quo tam nos, quibus supremum sacrosancti Apostolatus onus impositum est, quam fraternitas tua cum omnibus et singulis animarum curam gerentibus ministerio cuiusque proprio satisfacientes invicem gratulemur, et cum apparuerit Princeps pastorum et Episcopus animarum nostrarum Iesus Christus aeternus iudex districtam de administratione unicuique nostrum commissâ rationem exacturus, repòsitam legitime laborantibus coronam in caelis largiatur. Interim ad prosperi successus auspicium apostolicam benedictionem tamquam studiosae nostrae ad fraternitati tuae ac venn. fratribus Antistitibus universaeque nationi Maronitarum opportune gratificandum voluntatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI. martii MDCCLIV., pontif. nostri anno XIV.

CLVIII.

Episcopo Babylonensi committit ut, iuxta Constitutionem Demandatam, *Latinizantes Graeco-Melchitas interroget in quo ritu deinceps vivere velint, eisque denunciet, ritui quem eligant perpetuo aggregandos esse* (1).

Venerabili fratri Episcopo Babylonis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiasticae Graeco-Melchitarum disciplinae probatisque religiosis Institutis in-

(1) Ex Reg. Vat. Ep. ad Princ. et alios, an. XIV., f. 137.

staurandis aut retinendis plura statuimus, quae, descripta nostris literis XXIV. decembris superioris anni MDCCXLIII. datis ad ipsorum Patriarcham Antiochenum et ad omnes eiusdem gentis catholicos Episcopos ei subiectos, observanda mandavimus. Inter cetera decrevimus qua normâ utendum sit cum iis, quos Latinizantes vocant et frequenter Damasci esse perhibentur. Huiusmodi sunt quotquot graecis parentibus nati et a latinis latino ritu baptizati dum illic nullus adesset graecus sacerdos, in latino deinceps ritu permanserunt, et dubium erat isto–ne, an suae nationis more divinum cultum obire debeant. Denuntiavimus autem nos, alicui negotium daturos, ut, illuc profectus, singulos tali baptismate initiatos interroget, quo alterutro ritu christianam Religionem sectari velint, atque indicet, in eo, quem elegerint, manendum sibi perpetuo esse. Filiis vero, qui ab istis post habitam declarationem oriantur aut iam orti ad usum rationis nondum pervenerint, in eo vivendum quem parens uterque acceperit, si una ambobus electio fuerit, et, si diversa, quam pater sequatur. Hoc fungi munere fraternitatem tuam constituimus tuâ prudentiâ freti, nec ignari, illud te pro tuâ pietate libenter suscepturum ac prompte solerterque gesturum. Quod, ut nullo impedimento exequaris, omnes tibi facultates opportunas et necessarias concedimus, quae istiusmodi rem agendam respiciant. Iter itaque aggredere catholicae ei genti perutile, nec dubites hac navatâ operâ benevolentiae nostrae compotem fore, cuius indicium apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. aprilis MDCCLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CLIX.

Decernit matrimonium contractum inter Christinam Marskasy postquam haeresim eiuraverat et Michaelem Dosa, etsi adhuc viveret primus Christinae vir, validum esse, eo quod primum Christinae matrimonium nullum fuerit ob conditionem expresse appositam donec in honestate permanseris (1).

Venerabili fratri Sigismundo Episcopo Transylvaniae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Christina Marskásy, ex calvinismo ad catholicam fidem conversa, post recursum habitum ad s. Congregationem Concilii humillime nobis per epistolam supplicavit, quatenus declaravimus: an matrimonium ab ipsâ cum Michaele Dosâ catholico ritu contractum sit validum non obstante, quod eadem Christina illud contraxerit vivente Stephano Várady calviniano, cui ipsa, quum eodem errore detineretur, nupserat sub famosâ illâ conditione « donec in honestate et puritate permanseris » atque coram curione et testibus calvinianis?

Proponitur dubium super validitate matrimonii a duobus Calvinistis contractum cum conditione *donec in honestate permanseris.*

§ 2. Nos igitur debito muneris, quod humilitati nostrae inscrutabile Dei iudicium imposuit, consentaneum esse ducentes iustis petitionibus annuere ac sacramenti matrimonii indemnitati consulere, omniumque pastorali nostrae solicitudini commissorum tranquillitati providere (quod sane utrumque enunciata petitio complectebatur), causam istam a s. Congregatione Concilii ad nos ipsos immediate avocavimus, ac sedulo perpendentes tum iuris tum facti producti circumstantias omnes, informationem item a fraternitate tuâ et venn. fratribus nostris Episcopis Agriensi et Weszprimiensi ad s. Congregationem Concilii transmissam prae oculis habentes, tum auditis plurimis viris nedum in sacrâ theologiâ et iure canonico peritissimis, sed apprime etiam instructis de modo, formâ et consuetudine, quibus Calviniani in hisce regionibus matrimonia contrahunt; inhaerentes alias decreto a nobis edito I. aug. MDCCXLVIII., quod fraternitati tuae ex tuamet informatione innotuisse deprehendimus, declaravimus, uti per haec apostolica scripta declaramus, matrimonium inter Christinam Marskásy et Stephanum Várady calviniano ritu contractum irritum ac nullum fuisse, ac proinde validum esse illud catholico ritu contractum inter eamdem Christinam ad catholicam fidem conversam et Michaelem Dósa.

Nullo declarato primo matrimonio ob conditionem appositam, validum declarat alterum coniugium contractum a muliere ad catholicam fidem conversa, servatis servandis coram Ecclesia.

§ 3. Equidem, ven. frater, non te latent quae in *Cap. fin. de condit. app.* le-

Conditio calviniana opponitur indisso-

(1) Ex Tabulario Supremae Inquisitionis. Vide Bened. XIV. De Synodo Dioec. lib. XIII., c. XXII.

Iubilitati matrimonii.

guntur: « Si conditiones contra substantiam matrimonii inseruntur, puta, si alter dicat alteri: *Contraho tecum donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem;* matrimonii contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu ». An non aeque opponitur indissolubilitati proindeque substantiae matrimonii conditio illa, *donec inveniam aliam ditiorem,* de qua laudatus canon, atque ista sub qua contrahunt Calviniani, *donec in honestate permanseris?* Nec sane quoties huiusmodi expressa conditio inseritur, ad intentionem generalem recurri potest, quod contrahant valide ac iuxta legem Christi: potuisset enim generalis haec intentio in casu laudati canonis facillime allegari, et tamen non fuit a patribus attenta, neque nos illam attendimus, qui iuxta canones iudicamus.

Nec relevat conditionem proferri post iuramentum; est enim actus unicus et continuatus.

§ 4. Minus autem valet quod fraternitas tua ex calviniano rituali subnectit; conditionem nempe illam proferri a contrahentibus non immediate post prolatum verbum *accipio,* sed post praestitum ab iisdem iuramentum. Si namque totam illam contrahendi formulam mature consideraveris, perspicies ex praecedentibus responsionibus et ex immediate subsequenti iuramento, unicum et continuatum actum resultare, sic ad pauciora verba redactum: *Accipio te et iuro quod non te deseram, donec in honestate permanseris.* Quapropter praefata conditio consulto a Calvinianis adiecta limitat atque restringit consensum praestitum per verbum *accipio* ad tempus tantum servatae honestatis. Neque, ven. frater, in hac significatione calvinianâ subiiciendâ moraberis, quoties animum tuum ad ipsosmet haereticos tuae dioecesis convertes, qui solent passim matrimonia quoad vinculum dissolvere, si mulier in honestate non permanserit; quin imo, (si verum est, quod cives Claudiopolitani iureiurando testantur) Consistorium ipsum Transylvaniae non semel Calvinianis ad orthodoxam fidem conversis potestatem fecisse ad alia vota convolandi viventibus adhuc respective prioribus coniugibus, eâ quidem ratione, quod sectarii huiusmodi istic degentes solubiliter contrahant.

§ 5. Haec, ven. frater, scribenda censuimus fraternitati tuae, ut scias teneasque, matrimonium inter Christinam Marskásy et Michaelem Dósa contractum ratum et validum esse, ac proinde, omni cunctatione abiectâ, permittas faciasque eosdem tamquam veros et legitimos coniuges cohabitare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX. maii MDCCLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CLX.

Albaniae Episcopis tradit methodum, qua satagant, ut a catholicis illius regionis sua ecclesiis bona restituantur vel aliquo modo super illis transigatur; et si neutrum queat obtineri, facultas sit Episcopis derelinquendi fundos fructusque possessoribus, eosdemque absolvendi a censuris.

Venerabili fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodiensi Congreg. Propagandae Fidei secretario,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Consulti Albaniae Episcopi de periculo, quod subesset, si ab Eccl. sua bona vindicari vellent, quae ab illegitimis possessoribus detinentur.

§ 1. Cum Encyclicas literas, sicut nos tibi praecepimus, et Congregationis de Propaganda Fide sententia fuit, cuius te ipsum praestas emeritum secretarium, ad Albaniae Antistites dederis, nempe ad ven. fratres Archiepiscopum Antibari, Episcopos Scodrae, Sappae, Lissi et Pullariarum, ut ab iis innotesceres, an proposita ab ecclesiis suarum dioecesium vindicatione suorum bonorum, exindeque perceptorum fructuum, in detentores, qui illa a Turcis occupata emerunt, vel ab emptoribus iure haereditario, aliove titulo sunt consecuti, aut in eos, qui eadem bona, quasi res derelictas, ipso, ut inquiunt, facto invaserunt; pertimescendum sit ne, si id Turcis compertum fiat, graves exinde concitentur turbae; persecutioni, vel alicui gravissimae indictioni recludatur aditus; neve aliquis, temporalium rerum cupiditate obcaecatus, a Sancta Religione catholica ad Mahumetismum deficiat, ut fundis fructibusque, elusa vindicatione, fruatur.

Vide hac de re literas editas *Urbem Antibarum.*

Persecutionis vel Apostasiae periculum pertimescendum esse iidem Episcopi retulerunt.

§ 2. Cumque omnes recensiti praesules, explorato prius suarum dioecesium statu, unanimi consensu retulerint, ingens, heu nimis, subesse alterutrius, et nonnunquam utriusque infortunii periculum, suadentes, ut aliquem periclitantibus rebus adhiberemus modum, in quem nos iam animo paratiores noverant, quotiescumque illo opus esse videretur; hinc nos probantes, quod

etiam Congregationi Propagandae Fidei, dum iustae affuissent causae, probabatur, quodque suaserunt locorum Ordinarii, nunc prae caeteris modum rebus adhibendum existimamus.

Ideo Summus Pont. concedit Episcopis, ut super illis transigere, vel etiam eadem integre possessoribus possint relinquere, a censuris absolvendo.

§ 3. Erit itaque uniuscuiusque ex praedictis Episcopis, sua in dioecesi, vel per se vel per confessarios et sacerdotes prudentes atque expertes, bonis ut inquiunt verbis atque monitis efficiendi, ut detentores bonorum mente percipiant sibi incumbentem rerum fructuumque restituendorum obligationem; illacrimabilem, in quem abrepti sunt, statum, quippe qui censuris irretiantur inflictis per sacros canones in invasores detentoresque bonorum Ecclesiae. Ita vero siquem, divina affulgente gratia, facti poeniteat, negligere haud debet Episcopus, quive ab eo fuerit delegatus, quin illi suadeat, nisi universae, rei saltem alicuius restitutionem; vel etiam, ut fundis sibi habitis, obligationem suscipiat alicuius annuae praestationis ecclesiae pensitandae; si autem fundorum restitutioni, moxque indicatae aequitati, obsistatur, tunc restitutio omnium, vel partis fructuum attentetur. Verum quoties nec desit, qui ex imbecillitate virium, vel ex improba voluntate nil horum praestare velit, hunc tantummodo pernoscens sermonem, habendi nimirum etiam imposterum, quod hactenus habuit, producendique in futura quoque tempora, quam superioribus obtinuit, universorum fructuum perceptionem; hisce nostris literis unicuique Episcopo quoad suam dioecesim impertimur auctoritatem, quam et ipse aliis, uti monuimus, delegare poterit, eximendi ab onere fundorum fructuumque restituendorum detentores bonorum Ecclesiae, eosdemque absolvendi a censuris, quibus innodantur; sive cum iis agatur, qui se paratos exhibent ad partem bonorum aliquam restituendam vel ad transigendum de iis; sive cum aliis, qui universos, vel aliquorum saltem fructuum partem, offerunt; sive demum cum caeteris, quibus propositum est, nihil plane vel rerum soli vel fructuum restituere. Supervacaneum autem arbitramur monere, ne nostra haec facilitas evulgetur; haud enim difficile captu est, eadem perspecta, fieri perfacile posse, ut, nisi omnes, plerique saltem nihil plane restituendi propositum amplectantur, de absolutione a restituendi onere et censuris plane certi.

Papa qua supremus administrator quomodo possit dispensare de bonis Ecclesiae?

§ 4. Nostra haec facilitas exinde est, quod nos, qua Pontifex Summus, nisi domini, supremi certe quidem simus temporalium bonorum ecclesiae dispensatores: ***Res Ecclesiae sunt Papae, ut principalis dispensatoris, non ut domini et possessoris,*** inquit S. Thomas ***2-2, qu. 100, art. 1 ad septimum;*** ex quo porro sequitur, ut non quidem vel ad ditandos consanguineos vel ex arbitrariis causis fas sit nobis ecclesias suis nudare bonis, at illud quidem, ut quoties urgens subsit ratio, qualis indubie est removere praesens publicae calamitatis discrimen, ostium, quantum in nobis est, apostasiae intercludere et fluctuantibus animis conciliare tranquillitatem, nobis liceat, quod nunc facimus, imperare, ut probata licet ecclesiarum iura conticescant, utque illae ipsae, pro publica incolumitate ac religionis commodo, sacrificium quasi faciant suorum bonorum, quae non possident et quae publici luctus tempore iisdem fuerunt adempta. Quapropter Card. Caietanus ***in praeindicatum locum S. Thomae notabil. 13*** haec habet: ***Cum potestas Papae quoad res temporales Ecclesiae sit potestas non domini, sed dispensatoris, consequens est, ut plenitudo potestatis papalis circa bona Ecclesiae temporalia non exeat limites potestatis dispensativae etc. ac per hoc non potest Papa ad libitum donare res Ecclesiae, sed potest, tamquam habens apicem dispensativae potestatis, multo plus de iisdem dispensare, quam quicumque proximus alicuius ecclesiae praelatus etc. Ex eodem quoque fundamento, quod Papa non est dominus, sed dispensator, sequitur, quod de plenitudine potestatis non possit bona ecclesiae dare, cui voluerit, aut consanguineis etc. Sed tenetur prudenter dispensare, ut recta ratio suadet.*** Est et illud etiam nobis perspectissimum, communem esse canonistarum sententiam, Romanum Pontificem non distributorem, sed dominum esse rerum Ecclesiae. At nos huiusmodi disputationem intactam volumus, cum in rem praesentem vel id sufficiat, Pontificem supremum haberi dispensatorem; theologi quippe cum canonistis consentiunt, Papam quamvis etiam tantummodo in supremum distributorem agnoscatur, posse utique ad mox expressas facti circumstantias de ecclesiarum rebus libere decernere: ***Concurrente iusta causa, conveniunt omnes tam canonistae, quam theologi, Papam, uti supremum administratorem ac dispensatorem bonorum ecclesiasticorum, posse res uni ecclesiae auferre, et dare alteri:*** sunt

Canonistarum communiori suffragio Papa est etiam dominus.

haec concepta verba, quibus utitur celebris Fagnanus *in Cap. Relatum num. 21 ad 41 et praecipue num. 36. Ne clerici vel monachi etc.*, postquam iam expenderat quaestionem illam, an Pontifici sit suprema tantum administratio, vel potius dominium adiudicandum, et in canonistarum sententiam inclinaverat.

Exempla asserunt Pauli III. et Iulii III. qui idem praestiterunt de bonis Ecclesiae.

§ 5. Quae porro a nobis mox supra proposita est methodus, ut nimirum bonis verbis pertentetur, an ex possessoribus, bonorum pars aliqua, vel saltem fructuum recuperari possit, antequam illorum condonatio, atque censurarum relaxatio indulgeatur, non solum ratione, sed et praedecessorum nostrorum exemplis comprobatur. In secretiori Vaticano Archivio preces reperimus a Carolo V. Imperatore oblatas Paulo III. praedecessori nostro, ut ipse legatis, siquos in Germaniam ablegandos censuisset, amplissimam faceret auctoritatem transigendi cum iis, a quibus invasa ecclesiarum bona detinebantur; propterea quod eorum restituendorum onus conversiones quam maxime et reconciliationes cum Romana Ecclesia remoraretur. Eiusdem quoque consilii invenimus auctores extitisse Cardinales ad Tridentinum Concilium, dum Bononiae haberetur, Legati, in quo sese exhibuerunt propensiores in amplissimam quamque facultatem absolvendi a restitutione bonorum ecclesiarum, ea spe ducti, fore ut apostolici ministri huiusmodi indulto sapienter ac moderate uterentur. Denique nec latuit nos Pauli III. Constitutio lata pridie kal. septembris MDXLVIII. in qua hic Pontifex ablegans in Germaniam Nuncios Fanensem, Veronensem et Ferentinum Episcopos, iisdem limitatam indulsit facultatem trasigendi et paciscendi super fructibus, fundis tamen prius restitutis. Verum cum processu temporis experientia edocuisset, magni religionis interesse, ut quid amplius indulgeretur, dum ingens excreverat numerus eorum, qui haeresim eiurare detrectabant, quoties omnia vel ratam detentorum bonorum partem restituere fuissent adacti, nihil morati sunt Romani Pontifices, quin sua auctoritate in Germania utentes, provida liberalitate omnia donarent iis, qui reduces in Sanctae Ecclesiae gremium confugiebant. Nec secus in Anglia transacta res est, cum Cardinalis Polus, Regina Maria imperante, ad instaurandam inibi religionem adlaboraret. Namque Iulius III. Pontifex primum quidem ipsi facultatem delegavit conveniendi ac transigendi cum intrusis in Ecclesiae bona, super fructibus male perceptis, mox vero auctoritatem transigendi de ipsis quoque fundis, eosdem integre etiam relinquendo possessoribus, quoties haeresim eiurassent, uti videre est ex superioribus nostris literis, quas hac ipsa de re dedimus ad te die XIX. mensis martii MDCCLII. *n. 26* atque *n. 28,* plura insuper in iisdem horum similia exempla colligentes. Nec illud quoque ducimus praetereundum, quod post datas proximas literas offendimus in manuscripto P. Petri Alagona e Societate Iesu Vaticanae Basilicae Poenitentiarii; testatur enim ipse, suborta, Clemente VIII. Pontifice Maximo, quaestione, an liceret catholicis *emere ab haereticis terras, et bona quae fuerant monasteriorum,* sacram Poenitentiariam rescripsisse, *iustam esse causam dispensandi per Summum Pontificem:* ex quo illa apprime congruit animadversio, nimirum, si iusta proposita causa potest Summus Pontifex id dare catholico, ut ecclesiastica bona emat ab haeretico, aequo saltem iure poterit quoque, quoties iusta subsit ratio, facultatem facere catholico sibi habendi res ecclesiarum coemptas ab infidelibus.

Nec non decretum Sacrae Poenitentiar.

Parem rationem esse demonstrat inter casum, quo haeretici revocantur ad fidem, et alterum quo fideles ab impietate removentur.

§ 6. Fatemur mox allata praedecessorum exempla ad eos referri, qui ab Ecclesiae gremio profugi, reditum ad nos moliebantur, nec aliud eos morabatur impedimentum, quam onus restituendi, quae diu obtinuerant, ecclesiarum bona: fatemur similiter, rem nunc esse de iis, qui licet nobiscum sentiant, pertimescendum tamen est, ne a religione deficiant, si res ecclesiarum, fructusque rerum, quas possident vel a Turcis emptas, vel saevientibus concitationum bellorumque aestibus a se ipsis occupatas restituere adigantur: denique posset et aliquis subtilioribus nixus argumentis inter alteram et alteram facti speciem discrimen aliquod adinvenire, quod ipsi quoque innuimus in literis ad te datis, § 19. Attamen cum nos omnia aequa lance libraverimus, censuimus atque censemus, in rem praesentem faciendum plurimi timorem apostasiae, in quam plures prolaberentur, si acrius bonorum fructuumque restitutio urgeretur. In dies conspicimus veluti emolliri rigorem sacrorum canonum, fierique epicheiae locum, atque dispensationibus, quibusdam in rebus, ac praesertim in matrimonialibus, quoties qui relaxationem iuris expostulat, regionem incolat haereticis proximam vel mediis haereticis obversetur, propter timorem, ne caeco

animi impetu abreptus, a nobis deficiat, et quod inter Catholicos absque dispensatione inire prohibetur matrimonium, studeat contrahendum sese recipiendo in eum locum ac communionem, ubi nihil de dispensatione sollicitus, genio suo valeat indulgere. Accedit, in nostra hac facti specie, nos non sola impelli apostasiae formidine; torquet nos ea insuper sollicitudo, ne, si ecclesiarum petitio, quae sine turbis proponi haud facile potest, Turcis perspecta fiat, captent exinde ipsi opportunitatem alicuius excitandae insectationis, quae quousque protendi valeat, haud facile coniectura assequi possis, in maximum Christifidelium detrimentum, Sanctae Religionis ac tot insontium pauperum perniciem, qui licet nihil moliti, pro ipsorum libidine divexarentur.

Exemplis idem confirm.

§ 7. Huc autem re perducta, videtur nobis, debere quemlibet facile intelligere, quaecumque a nobis praestantur, ea optimo iure fieri, quamvis nunc non sit nobis negotium cum exteris, qui ad ecclesiam reditum maturent, sed cum iis, qui, licet a nobis stent, non levia tamen exhibent defectionis indicia, nisi assequantur quidquid subest nostrae auctoritati distribuendum. Congruit plane rei nostrae indultum a Pontifice Martino V. in Synodo Constantiae concessum Teutonicae nationi, quod affertur ab Harduino *tom. 8 Collectionis Conciliorum pag. 891, cap. 6,* cuius verba hic ideo non exscribimus, quod textus plurimum producitur. Universam Germaniam simoniaca lues iam plene obtinuerat, perplures quippe aderant catholici ecclesiastici, qui illicitis aperteque simoniacis artibus sacros Ordines et ecclesiastica beneficia fuerant consecuti: contagiosus morbus pene omnes infecerat; obstringebantur turpiter conscientiae; indubius erat in censuras, ac in ipsam quoque irregularitatem, lapsus; contendere autem, ut quicumque recensita methodo beneficia obtinuerat, eadem amitteret, dimissaque amplius adipisci non posset, ac insuper fructus omnes eousque perceptos restitueret, nil exinde aliud consecutum fuisset, quam ut eo ardentiori igne Germania conflagraret. Quapropter magnus ille Pontifex perpendens animo, ea iam incidisse tempora, quibus sua auctoritate uteretur, contrariis quibuscumque abrogatis, ampliorem confessariis potestatem indulsit absolvendi reos a poenis, quibus erant obnoxii, idoneos eos efficiendo, qui et obtentis frui et alia quoque beneficia assequi deinceps valerent, ipsamque etiam adimendo obligationem restituendi fructus iniuste perceptos, quoties restitutio eosdem ad inopiam adigere, infamia notare, atque offensionis occasionem afferre debuisset; suam autem indulgentiam ad praeterita cohibuit, ut pro viribus futura praecaveret incommoda.

Exempla pontificiae auctoritatis dum res erat cum christianis principibus,

§ 8. Fausta nimis, ven. frater, extitere illa tempora, quibus, propterea quod res esset transigenda cum christianis principibus, subditisque ecclesiam ex animo verentibus, Romani Pontifices, magna spe fecundioris exitus sibi proposita, poterant elata voce canonicarum sanctionum executionem indicere. Obtigit id S. Nicolao I. Pontifici Maximo, quo Petri Cathedram obtinet, cum in Gallia et Germania suis Ecclesiae bonis fuissent denudatae, quorum nonnulla per principes fuerant laicis distributa, reliqua vero ab ipsismet laicis occupata, non destitit, quin suam ipse epistolam daret, num. 59 impressam *tom. 5, praecit. Collectionis Conciliorum Harduini pag. 296: De his quidem rebus, quae semel Deo tributae atque dicatae sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur, sancimus, ut prius consulto principe, ad resecandam tam praesumptivam factionem, cognoscendum, utrum illius sit concessio, aut invasionis praesumptio? Quod si principis inordinata largitio, ipse sit princeps pro emendatione redarguendus; si autem invasoris declaretur praesumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus.*

Et cath. princip. religiosissimorum.

§ 9. Fausta itidem et illa fuere tempora, quibus cum principes vellent conscientiae suae plene consulere, quod ad occupationem bonorum Ecclesiae spectare videbatur, non satis ipsis fuit, nihil sibi habere, in pia opera velle omnia erogare; sed Summos Pontifices, quibus concredita est universalis administratio bonorum ecclesiarum inferiorum, adiere, ut per eos sibi liceret eadem huic potius, quam alteri pio operi addicere; optime scientes, quantumvis pie erogassent quaecumque ecclesiis abstulerant, non propterea satis sibi esse consultum, nisi factum illud, superaddita pontificia auctoritate, fuisset veluti obsignatum: iuxta celebres literas Alexandri III. ad Henricum Angliae Regem, relatas apud Card. Baronium *in Annalibus tom. 2 ad annum 1164: Si autem universa, quae in usus tuos per huiusmodi angarias de bonis ecclesiasticis convertuntur, in refe-*

Qui et integre bona ecclesiastica restituere et in designatos a Pontificibus usus pios erogare voluerunt.

ctionem pauperum, vel aliis pietatis operibus expenderes, obsequium non magis Deo gratum efficeres, quam si, altari quolibet discooperto, aliud cooperires, aut si Petrum crucifigeres, ut Paulum a mortis periculo liberares. Praeclara extant non adeo vetusta exempla unius et alterius ex Ducibus Neoburgi, nimirum Wulfangi Willelmi et Philippi Willelmi, qui nihil penitus ex occupatis ecclesiarum bonis retinere voluerunt, sed, Romanorum Pontificum explorata sententia, praeobtentaque approbatione, res rerumque fructus in sacram dotem constituerunt piis quibusdam Institutis, ac religionis operibus, de quibus cum ipsa Sancta Sede iam antea convenerant. Superioribus nostris literis *num. 27* de praeclaro hoc facto meminimus, tutissima autem ipsius monumenta suppeditarunt acta Congregationis Romanae Universalis Inquisitionis habitae sexto Idus februarii MDCLVII.

Normam praesenti casui exhibere nequeunt. et quare?

§ 10. Iniqua fert praesentis causae conditio, ut damna et incommoda, quae Mahumetani regionem obtinentes inferre possunt, serio expendere debeamus; atque praeterea cum agrestibus miserrimisque hominibus agendum esse consideremus: exinde nobis est dura illa necessitas efficiendi probandique, quod nunc praestamus, ne fiat lapsus in deteriora. Tu interim, qua praestas sedulitate, ne praetermittas, ad Cardinales Congregationis deferre haec omnia, ipsisque annuentibus, iteratas dare encyclicas literas ad Albaniae Praesules, ad quos sicuti superioris nostrae ad te datae epistolae die XIX. martii MDCCLII. exemplum transmisisti, ita dabis et huiusce ad te nostrae, quam, apostolicam tibi benedictionem impertientes, absolvimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXIV. maii MDCCLIV. pontificatus nostri anno XIV.

CLXI.

Regno Mexicano seu Novae Hispaniae concedit officium et missam propriam Beatae Mariae Virginis de Guadalupe (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

§ 1. Non est equidem quod nos in hoc ipso potissimum apostolicae omnium ecclesiarum sollicitudinis, et procurationis gravissimo ministerio imbecillitati nostrae a supremo pastorum principe Iesu Christo, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, imposito rite sancteque obeundo fere defessos magis reficere et recreare videtur, quam cum opportunae sese nobis offerunt occasiones, per quas pontificiae benignitatis auctoritatisque partes adhiberi a nobis petitur, ut filialis omnium Christifidelium erga Sanctissimam Virginem Mariam Immaculatam cultus et veneratio in regionibus praesertim ab Europa nostra longissime dissitis magis magisque foveatur atque adaugeatur. Oblatus siquidem nobis nuper fuit supplex libellus tenoris sequentis:

Beatissime Pater,

Petitio.

In illa Americae parte, quae nova Hispania nuncupatur, eximia viget in corde fidelium tenera devotio erga Beatissimam Virginem, quae iure merito de illis populis potest asserere – *Et radicavi in populo honorificato.* – Simul cum fide evangelica praedicationis lumine ingressa est erga Salvatoris nostri Matrem filialis reverentia, et amor ubique imaginis Beatissimae Virginis tam in ipsa Nova Hispania elaboratae, quam ex Europa translatae ad exemplar earum quae alibi celebrantur, in templis, sacellis, aliisque locis sacris conservantur, et a populorum frequentia et pietate variis obsequiis coluntur. Monstrant se esse filios tam Hispani, quam Indi, et clementissima Dei Genitrix monstrat se esse Matrem, innumerisque gratiis et prodigiis tam spiritualibus quam temporalibus fidelium necessitatibus peramanter subvenit. At inter praecipuos favores quos huic regioni concessit, illud celebratissimum est quod coram Episcopo Mexicano mirabiliter depicta apparuit, et ad hunc usque diem in celeberrimo Sanctuario dicto *de Guadalupe* praesens sit omnium auxilium et refugium. Brevem facti notitiam constanti traditione et auctorum testimonio sufflatam hic compendiose subiungimus.

Celebris apparitio B. M. V. de Guadalupe.

Decennio post subiugatum Christo Domino Imperium Mexicanum, sabbatho quinto idus decembris pius ex plebe Neophytus Ioannes Didacus nomine, e vicino oppidulo suo Mexicum ad Sancti Francisci aedes sacris assistendi audiendaeque catechesis adi-

(1) Ex Typographia Rev. Cam. Apost.

bat desiderio; cum, ex parvi Montis Mexici tria milliaria dissiti radicibus, qua iter est, caelestis armonia Ioannis oculos evocat in montis cacumen. In eo videt iri circumcinctam coeli Reginam, a qua vocatus, benignissimeque acceptus, iubetur Episcopum (qui postmodum primus Archiepiscopus Mexicanus fuit renuntiatus) venerabilem Ioannem de Sumarraga Minoritam adire, templumque ibidem loci suo sibi nomine postulare, quod profecto totius huius orbis foret asylum. Audita Episcopus legatione, metuens ne quid doli subesset, multa sciscitatus a legato, eum in praesentiarum dimisit, quasi rem maturius consulturus. Redit Ioannes ad Virginem in eodem montis cacumine illum expectantem, responsoque Episcopi exposito, suam causatus vilitatem, precatusque ut mitteret cui maior fides adhiberetur. Iussus bono animo esse, iubetur iterum altera die Episcopum adire, secundoque templum postulare.

Ad iteratam Episcopus legationem suspensus animo, mitius quam pridie legatum alloquitur, aitque illi se libentissime pariturum, accepto alio clariore signo virgineae voluntatis. Recipit Ioannes responsum et abiit. Mittit Episcopus e suis familiaribus duos, qui aliquanto a longe Ioannem sedulo observent, quo cum loquatur in monte. At ubi ad huius pervenit radices, ex eorum oculis evanuit, ut ab eis toto monte diligentissime quaesitus inventus non sit. Dum reduces apud Episcopum magiae neophytum criminantur, Beatissima Virgo responsum petitionemque Episcopi cognoscit ex Ioanne, signumque sequenti se die, feria scilicet secunda, daturam pollicetur. Ea Ioannes ad Virginem redire non potuit, invento domi Ioanne Bernardino patruo suo posito in extremis. Neque feria tertia ipse rediit, sacerdotem acciturus, qui patruo suo Ecclesiae Sacramenta ministraret moribundo. Ne igitur a Deipara detineretur, si eundem iter faceret, opposita pergit via sacerdotem vocaturus, sed frustra. Nam occurrens illuc piissima Virgo solatur illum, securumque reddit de patrui salute, quam illi tunc apparens concesserat, iubet illum montem subire, floresque legere, Episcopo ferendos in signum.

Ergo collectos flores virgineis ipsa Deipara manibus vili componit in ricinio, id est inopem pallium Indorum, praecipitque, ut ad Episcopum ferat, nullique ostendat in via. Ricinium per vim explicare conantes Episcopi familiares, nullum tamen florem tenere potuerunt, modo veros putantes, arte modo phrygia elaboratos. Ut coram Episcopo Ioannes pallium expandit, veris, pulcherrimis, recentique rore madidis floribus decidentibus, in eodem ricinio non modo supra, verum, et, contra omnia picturae praecepta, apparuit, quam veneramur Beatissimae Virginis Imago Guadalupana, parvo sufflata cherub., regio diademate insignis, manicata et infra talos promissa tunica, partim candida, partim coloris punicei: ad haec exigua cruce in collo depicta, iunctisque ad pectus manibus, vultu Indae puellae placidissimo, leniterque deiectis oculis, adeo ut illi quae in Apocalypsi describitur quam simillima esset; et sol centum et duodecim radiis picturae totam oram ambiat, et luna sub pedibus eius aspiciatur, nisi quod pro duodecim, quibus illa coronatur stellis, sex supra quadraginta in ceruleum eius peplum dispersae numerentur. In ea nihil non mirum est pictura et floribus media hyeme e solo summe sterili, et spinarum solum feraci collectis: in linteo adeo levidensi, ut a tergo velut per transennam templum videntibus facile pateat; quin post duo saecula nitrum vicini lacus, quod argentum, aurum, et aes erodit, summam eius pulcritudinem, vividissimosque colores, vel levissime violaverit.

Prodigiosa B. V. effigies.

In loco a Virgine Deipara designato, facto olim parvo sacello, Indus et eius patruus obsequio Beatissimae Virginis addicti praestiterunt usque ad mortem, donec crescente populorum devotione erectum est templum, quo deinde aliud multo magnificentius fuit extructum, in quo expensa fuerunt CDLXXV. millia ponderum argenti, quae totidem scuta romana fere conficiunt, praeter supellectilem et ornatum; omissis enim aureis artefactis et reliqua supellectile, res ex solo argento confectae sex millia librarum italicarum, seu novem millia librarum hispanarum (vulgo Marcos) circiter adaequant. Tabernaculum, in quo collocatur Imago, septuaginta septem millia ponderum constat. Nec mirum est, quod in die creverit devotio, cum praeter miracula, quae in tota Nova Hispania contigisse narrantur, ipsum Capitulum Mexicanum attestetur, posse sperari auxilium praesens, et liberationem ab epidemia (ut de facto evenit anno MDCCXXVII) intercessione Beatissimae Virginis, quia id experta fuerat civitas Mexicana iam an. MDCXCVI. et MDCXCVII.

Parvum Sacellum primo extructum in loco apparitionis, deinde insigne templum ex oblationibus.

Prodigia et miracula.

quo conversus populus ad Beatam Virginem ab immensa mortalitate liberatus est. Quod idem expertus fuit contra periculosam aquarum inundationem an. MDCLXV. et MDCLXVI. sed praecipue anno MDCLXIX. Addit praeterea Capitulum Metropolitanum Mexicanum, constantem et indubiam traditionem esse, quod, cum prius possessi et obsessi in magna copia illas regiones infestarent, et simulacra idolorum ope daemonis loquerentur, post Sanctissimae Imaginis apparitionem nulla huiusmodi mala eveniunt; quod et Indi et Hispani huic Sanctissimae Imagini acceptum referunt.

Regia munificentia inibi Collegiata dotata.

Unde ipse Rex catholicus specialem protectionem huius Sanctuarii sibi assumpsit, et ad augendum cultum Beatissimae Virginis insignem collegiatam inibi erexit, Matritique sub sua protectione accepit Congregationem sub eodem titulo erectam. Neque solum illa dioecesis Mexicana, sed lata illa pars Americae, quae Nova Hispania nuncupatur, insigni erga hoc Sanctuarium devotione afficitur.

B. Virgo de Guadalupe rite electa in patronam principalem Novae Hispaniae.

Inter alia pietatis officia illud praecipuum fuit, quod, cum anno MDCCXXXVII. per illam regionem pestis grassaretur, stabilivit tam gubernium saeculare, quam Capitulum, in dioecesibus Novae Hispaniae eligere in specialem et principalem Patronam Beatam Virginem sub hoc titulo *de Guadalupe,* quod per secreta suffragia factum est, et dies de praecepto ab Archiepiscopo Mexicano fuit indicta, et religiose observatur, remanente (ut exprimitur in litteris pastoralibus) recursu ad Sedem Apostolicam pro officio et missa cum octava. Et omnia facta videntur iuxta ea, quae Sanctitas Vestra praescribit in celebratissimo opere de Servorum Dei beatificatione etc. *tom. IV., part. 2, cap. 15.* Quod vero attinet ad publicationem de praecepto, ait Sanctitas Vestra *eodem cap. 15, n. 12, Potest Episcopus de consensu cleri et populi instituere festum de praecepto.*

His ita constitutis. P. Ioannes Franciscus Lopez Societatis Iesu procurator provinciae Mexicanae, in libro ad hunc effectum edito, omnia documenta collecta habet, eumque cum aliis etiam libris editis, qui de hoc argumento pertractant, Sanctitati Vestrae humillime offert, doletque non reperiri authentica documenta a testibus de visu, quae olim extitisse compertum est: adeo enim Archivium defectuosum est, ut neque ipsius primi Episcopi subscriptio aliqua in eo reperiatur: imo cum inveniat huius miraculi veritatem iam in hac Curia fuisse positam, nullum ex documentis tunc adductis modo reperire potest; ex constanti tamen et inconcussa traditione fretus ac iis documentis, quae modo collegit, nomine praesertim Archiepiscopi, totius Cleri Mexicani, Episcopi et Capituli Valisoletani caeterorumque Antistitum Novae Hispaniae, pietate erga Deiparam et desiderio promovendi eius cultum et Patronae principalis praerogativas ferventium, ut ex iisdem litteris ad Sanctitatem Vestram datis patet, in actu praesentandi Sanctitati Vestrae exemplum in omnibus simile et ante ipsam Sacram Imaginem (quod valde singulare est) delineatum et iustis mensuris expressum, rogat humiliter Sanctitatem Vestram sequentes gratias:

Petitur, primo, officium et missa propria.

Ut dignetur principalis Patronae titulum confirmare, approbando officium proprium et missam, quae ita sunt ordinata, ut ad Sanctuarium nostrum unice spectare videantur, addita in fine sextae lectionis brevi notitia Apparitionis Sacrae Imaginis, et electionis eiusdem in Patronam Novae Hispaniae;

Indulgentiae plenariæ et partiales.

Ut dignetur indulgentiam plenariam duodecim vicibus in anno concedere visitantibus celeberrimum Sanctuarium in diebus ab Archiepiscopo Mexicano designandis, in aliis duodecim anni diebus similiter ab Ordinario designandis septem annos et totidem quadragenas, et centum dies indulgentiae quotidianae visitantibus altare Beatissimae Virginis;

Confirmatio perpetui altaris privilegiati.

Ut dignetur iterum approbare et confirmare altare privilegiatum perpetuum a Sanctitate Vestra eidem ecclesiae iam concessum;

Indulgentiae pro confraternitate ibi erecta.

Ut confraternitati utriusque sexus Christifidelium in dicta ecclesia sive iam erectae, sive erigendae, dignetur concedere aliquas indulgentias et gratias spirituales;

Ut ecclesiae eiusdem Beatae Mariae Virginis sitae in vertice Montis *de Guadalupe* impertiri dignetur indulgentiam plenariam in diebus Apparitionis et Dedicationis S. Michaelis Arcangeli.

Etiam pro defunctis.

Quae omnes indulgentiae applicari valeant per modum suffragii defunctis fidelibus. Quod etc.

Officium vero et missa huiusmodi sunt tenoris sequentis (1).

(1) Brevitatis causa omittimus officium et missam.

Examen et approbatio S. Congregat. SS. Rituum.

§ 2. Praeinsertum vero officium ac missam huiusmodi ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus praepositam remisimus ad finem, ut accurate expenderent; quod cum praestitum fuisset, emanavit decretum tenoris sequentis:

Mexicana sive regni Novae Hispaniae.

Sanctissimus dominus noster Benedictus Papa XIV. ad satisfaciendum pietati, quam clerus et populus Mexicani, sive Novae Hispaniae, erga B. Virginem Mariam nuncupat. *de Guadalupe* Patronam principalem eiusdem regni profitetur, annuens precibus reverendissimorum Archiepiscopi Mexicani et Episcopi Michoacanen. per Patrem Franciscum Lopez Societatis Iesu Procuratorem provinciae Mexican. in Urbe existentem eorumdem nomine sibi porrectis, suprascriptum officium proprium et missam recitandum et respective celebrandam die duodecima decembris sub ritu duplici primae classis cum octava, ad mei secretarii relationem benigne approbavit.

Die XXIV. aprilis MDCCLIV.

D. F. Card. TAMBURINUS Praefectus.

Loco ✝ sigilli.

M. Marefuscus Sac. Rit. Cong. Secret.

Nova Pontificis confirmatio, et nova gratiarum concessio.

§ 3. Nos itaque, attentis iis omnibus quae in supplici praeinserto libello et decreto continentur, atque etiam intimo ac filiali pietatis studio, amore ac zelo, quo ad cultum venerationemque erga Beatissimam Virginem Dei Genitricem Mariam ubique gentium propagandam, excitandam atque confirmandam ferimur, supplicationibus huiusmodi inclinati, primum quidem ad maiorem Omnipotentis Dei gloriam, divinique cultus augmentum, eiusdemque Virginis Mariae laudem, auctoritate apostolica tenore praesentium electionem ipsius Sanctissimae Virginis Mariae sub invocatione *de Guadalupe*, cuius Sacra Effigies seu Imago in magnificentissima ecclesia collegiata et parochiali extra muros civitatis Mexicanae posita colitur, in principalem totius Novae Hispaniae patronam et protectricem communibus tum venerabilium fratrum ipsius regni Antistitum, cleri saecularis et regularis, et populorum illarum partium suffragiis factam, cum omnibus et singulis praerogativis, quae iuxta breviarii Romani rubricas sanctis patronis principalibus et protectoribus competunt; nec non praeinsertum officium et missam cum octava approbamus et confirmamus, atque eamdem Dei Genitricem Mariam *de Guadalupe* nuncupatam, uti principalem Novae Hispaniae patronam et protectricem habendam, invocandam et colendam esse statuimus, declaramus atque iubemus. Praeterea, ut in posterum solemnis tantae patronae ac protectricis memoria maiori, quam antea celebrabatur, pietate ac debitis laudum praeconiis quotannis recolatur, volumus, et omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, auctoritate et tenore paribus indulgemus atque mandamus, ut annua ipsius Beatissimae Virginis Mariae *de Guadalupe* festa die duodecima decembris in perpetuum sub ritu duplici primae classis cum octava peragatur, atque praeinsertum officium ac missa recitetur et celebretur. Praeterea, cum iniuncta nobis apostolicae servitutis ratio postulet, ut caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem imbecillitati nostrae credere dignatus est Altissimus, alacri libentique animo fideliter erogamus, cum eosdem ad magis augendam Christifidelium pietatem erga eamdem Dei Genitricem semper Virginem Mariam Immaculatam, et procurandam animarum salutem confidimus fore profuturos: hinc est, quod nos omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui eamdem collegiatam et parochialem ecclesiam Beatae Mariae Virginis *de Guadalupe* prope et extra civitatem Mexici, in duodecim anni diebus, per Ordinarium designandis, a primis vesperis usque ad occasum solis uniuscuiusque diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, in singulis iisdem diebus, quibus id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, ecclesiam praefatam in aliis duodecim anni diebus per eumdem Ordinarium itidem destinandis, ut supra visitantibus et orantibus, septem annos et totidem quadragenas; in reliquis vero anni diebus, iisdem Christifidelibus contritis, saepememoratam Ecclesiam itidem

ut supra visitantibus et orantibus, centum dies de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes ut per modum suffragii fidelibus defunctis applicare possint, concedimus et indulgemus. Porro nos duobus iam abhinc annis saepememoratam ecclesiam, et in ea situm altare, perpetuo quotidiano privilegio decoravimus per alias nostras in simili forma brevis litteras, quarum tenor est qui sequitur:

Benedictus PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Insertio praeced. concessionis altaris privilegiati.

Aeternae in caelis omnium saluti paterna caritate procurandae intenti, sacra interdum loca, atque ea praesertim, ad quae Christifideles ab hac alma Urbe nostra, et ipsa Europa, longissime positi ardentiori pietatis venerationisque studio undique confluunt, spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Iesu Christi eiusque Beatissimae Genitricis Mariae Virginis ac sanctorum suffragia meritorum consequi, atque illis adiutae ex purgatorii poenis ad sempiternam gloriam per ineffabilem divinae misericordiae abundantiam perduci valeant.

Quoniam autem prope civitatem Mexici in Indiis ecclesia alias in collegiatam erecta sub invocatione Beatissimae Virginis Immaculatae *de Guadalupe* nuncupata reperitur, ad quam accedentes opemque eiusdem Virginis Mariae implorantes, pro votis salutarem experiuntur; eapropter, volentes ipsam Ecclesiam collegiatam, in qua aliud altare privilegiatum sive ad tempus sive in perpetuum concessum non reperitur, et quatenus reperiatur per praesentes apostolica auctoritate revocamus, et in ea situm altare per Ordinarium loci semel tantum designandum hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ut *quandocumque sacerdos aliquis* saecularis, vel cuiusvis Ordinis congregationis et instituti regularis, missam defunctorum *pro anima cuiuscumque Christifidelis,* quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, itaut eiusdem Domini Nostri Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. maii MDCCLII., pontificatus nostri anno XII.

CAIETANUS AMATUS.

Confirmatio.

§ 4. Eapropter nos altare huiusmodi ab Archiepiscopo Mexicano iam designatum iterum approbamus et confirmamus, et quatenus opus sit de novo concedimus et elargimur. Caeterum, cum in catholica Iesu Christi Ecclesia, quam ipse Redemptor noster proprio sanguine fundavit, mortisque suae meritis usque ad aeternae gloriae revelationem in coelis perseveraturum fore promisit, nihil sit, quod immensam eiusdem Christi caritatem magis commendet atque illustret, quam religiosorum Ordinum institutae Societates, et saecularium hominum Congregationes et Sodalitates; propterea Romani Pontifices praedecessores nostri ad earum Societatum, Congregationum et Sodalitatum incrementum procurandum caelestium munerum thesauros erogare non destiterunt, iis autem maiori cum liberalitate, quibus Christifideles non solum ab hac alma urbe nostra, sed ab ipsa quoque Europa longe dissiti, sub Beatissimae Virginis Mariae patrocinio et tutela Omnipotenti Deo famulantes sese manciparunt. Quoniam autem in saepedicta collegiata et parochiali ecclesia Beatae Mariae Virginis *de Guadalupe,* una pia et devota utriusque sexus Christifidelium Congregatio seu Confraternitas sub titulo et invocatione eiusdem Beatae Mariae Virginis canonice erecta seu erigenda existit, cuius confratres et consorores quamplurima pietatis et caritatis opera exercere, eiusdemque Virginis Mariae cultum venerationemque promovere et fovere consueverunt, seu intendunt; nos, ut Congregatio seu Confraternitas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, auctoritate nobis a Domino tradita ac de Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam seu cappellam vel oratorium praefatae congregationis seu

Indulgentiarum concessio.

confraternitatis in duobus anni diebus, per confratres eligendis et ab Ordinario approbandis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus, qui dictam Congregationem seu Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et, confessi, eodem die, vel festo in die, aut dominica immediate ingressum huiusmodi sequenti, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ecclesia, cappella seu oratorio dictae congregationis, aut alibi sumpserint, plenariam; nec non tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Congregatione seu Confraternitate confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; atque iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae congregationis seu confraternitatis confratribus etiam vere poenitentibus, et confessis ac sacra Communione refectis, saepedictae Congregationis seu Confraternitatis ecclesiam in diebus Natalis et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, nec non Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem B. V. M. Immaculatae, ut supra, visitantibus et orantibus, plenariam itidem indulgentiam concedimus; et nihilominus iisdem confratribus qui ecclesiam, cappellam seu oratorium congregationis in iisdem diebus, in quibus iuxta statuta, regulas seu consuetudines confratrum conventus haberi solent, confessi ac sacra Communione refecti devote visitaverint, et ut supra oraverint, plenariam pariter indulgentiam semel tantum in mense, die ad uniuscuiusque libitum eligendo, itidem concedimus et impertimur. Quam quidem indulgentiam plenariam semel in mense concessam bis in anno lucrari poterunt iidem confratres, etiam si ecclesiam, cappellam seu oratorium saepememoratae congregationis non visitaverint, dummodo aliud templum visitent, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumant, et generalis confessio, vel totius anteactae vitae, vel ab ultima generali praecedat. Quotiescumque autem eiusdem congregationis seu confraternitatis praefectus seu rector, aliique sacerdotes congregati ad infirmorum curam deputati, infirmos confratres visitaverint, eosque spiritualibus monitis, sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini tamquam peccati stipendium libenter acceptandam adiuverint, et coram aliqua Crucifixi Salvatoris Nostri imagine ter saltem orationem dominicam et salutationem angelicam iuxta mentem Sanctae Matris Ecclesiae ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem infirmi sacram Communionem sumpserint, ut ipsis indulgentiam plenariam pariter applicare possint, similiter indulgemus. Quoties vero iidem confratres coetibus tum publicis, tum privatis, aut divinis officiis, vel spiritualibus colloquiis, et exhortationibus ubivis faciendis, aut Missae Sacrificio diebus feriatis interfuerint, vel conscientiam suam examinaverint vespere antequam cubitum eant, aut pauperes hospitio susceperint, vel infirmos sive detentos in carcere visitaverint, vel pacem inter inimicos composuerint seu componi fecerint, vel procuraverint; nec non quoties corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad ecclesiasticam sepulturam prosecuti fuerint, aut Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocumque, pro tempore deferetur, comitati fuerint; vel si, impediti, campanae signo dato, semel orationem dominicam et salutationem angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem et salutationem easdem pro animabus defunctorum recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefatorum operum exercitio septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis, poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus. Quas etiam omnes et singulas indulgentias lucrari poterunt iidem confratres ubivis locorum commorantes, si apud ecclesiam eorumdem locorum, aut alibi, ut poterunt, opera praestabunt, quae sunt servanda ad indulgentias huiusmodi consequendas. Indulgentias autem static-

num ecclesiis huius almae Urbis nostrae, sive intra sive extra muros illius, concessas, consequantur pariter iidem confratres, si diebus quadragesimae et aliis anni temporibus, et diebus stationum huiusmodi, ecclesiam, cappellam seu oratorium in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint, et septies angelicam salutationem recitaverint. Quas omnes indulgentias et peccatorum remissiones poenarumque relaxationes ut per modum suffragii fidelibus defunctis applicare possint, itidemque concedimus et indulgemus. Omnes autem gratias et indulgentias, per praesentes nostras litteras confratribus congregationis seu confraternitatis huiusmodi concessas, ad omnes et singulos ministros confraternitatis praedictae actu illi inservientes sub iisdem omnimodo et forma extendimus et ampliamus. Praeterea omnibus et singulis regibus, principibus, ducibus et comitibus supremam potestatem habentibus, eorumque consanguineis et affinibus primi et secundi gradus dumtaxat, qui confraternitati huiusmodi adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera, ut praemittitur, exercentibus, et aliquam ad eorumdem commodum et placitum ecclesiam visitantibus, easdem, ut supra, indulgentias, remissiones et relaxationes itidem concedimus et impertimur. Insuper, ut omnes et singuli Christifideles, qui expositioni Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in ecclesia, cappella seu oratorio saepedictae congregationis seu confraternitatis, spatio continui tridui per aliquod temporis spatium faciendae interfuerint, ibique oraverint, ac caetera iniuncta opera praestiterint, ut indulgentias, peccatorum remissiones, poenarumque relaxationes semel tantum consequantur, quas consequerentur si ecclesias, in quibus expositio Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet, visitarent, tenore et auctoritate paribus itidem concedimus et impertimur. Deinde, si fieri contingit, ut in ecclesia, cappella seu oratorio dictae congregationis seu confraternitatis exercitia spiritualia S. Ignatii, quae per octo dies fieri solent, rationabilibus de causis per integros octo dies supradictos peragi nequeant, sed ad quinque aliquando, vel sex, vel septem dies dumtaxat producantur, nihilominus indulgentias concessas iis qui per octiduum tantum illa frequentant, ab iisdem confratribus eadem per septem, vel sex, aut quinque saltem continuos dies peragentibus lucrari posse concedimus. Denique, ut, quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti regularis, sacrosanctum Missae Sacrificium ad quodlibet altare ecclesiae seu cappellae vel oratorii saepedictae confraternitatis pro anima cuiuscumque confratris et consororis congregationis huiusmodi celebraverit, anima ipsa de thesauro ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, itaut, eiusdem Domini Nostri Iesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Confratres autem sacerdotes et praefectus seu rector Confraternitatis ad quodcumque altare Missae Sacrificium pro animabus confratrum et consororum celebrantes, ut sacrificium huiusmodi perinde ipsis animabus suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisse celebratum, concedimus et indulgemus. Praeterea, cum in vertice saepedicti Montis *de Guadalupe*, ubi Beatissima Virgo Maria apparuisse fertur, erecta reperiatur ecclesia Deo in honorem eiusdem Beatae Mariae Virginis dicata, nos ecclesiam quoque huiusmodi spiritualibus indulgentiarum muneribus decorare volentes, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam praefatam in diebus Apparitionis et dedicationis S. Michaelis Archangeli a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Etiam pro defunctis applicand.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere debere, et illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari debere. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Aposto-

Clausulae confirmatoriae.

licae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulae derogatoriae.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac nostra et cancelleriae nostrae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, et, quatenus opus sit, dictae collegiatae et parochialis ecclesiae, etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere vel in specie, et alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides adhibenda transumptis.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xxv. maii MDCCLIV., pontificatus nostri anno XIV.

CLXII.

Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos hortantur, ut veteribus nova superaddant pastoralis sollicitudinis studia, et Christifideles in rudimentis fidei instituantur et erudiantur.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontif. cura ut instruantur, qui in Patriar. Basilicis pœnit. subeunt a dataria impositas.

Cum religiosi aeque ac divini cultus promovendi studiosi viri ad nos detulerint, optimum fore, si nostris S. Ioannis in Laterano, S. Petri in Vaticano et S. Mariae Maioris patriarchalibus Basilicis, certi constituerentur ministri, ad instruendos eos, qui a Dataria Apostolica in praefatas tres Basilicas ablegantur, ut ibi sese exerceant iis servilibus operibus, quae ipsis imponuntur obeunda perficiendaque, antequam iisdem concedatur matrimonialis impedimenti relaxatio, ad quam consequendam Romam advenere; eo autem huiusmodi institutionem dirigendam esse, ut rite utiliterque possent homines illi sacramentali Poenitentia abstergi, et Altaris Sacramento digne fieri participes, quae duo, praeter sacram ad septem ecclesias peregrinationem Sanctarumque Scalarum ascensum, ab ipsis exposcit Dataria: cumque ea de re opportuna ediderimus mandata, veluti perspicuum fit ex nostris literis encyclicis ad Cardinales praefatarum Basilicarum archipresbyteros datis decimoquinto kalendas februarii labentis anni; nobisque exinde certo constiterit, quanto zelo nonnulli ex canonicis, aliisque ecclesiasticis viris praefatarum basilicarum, momentoso operi manum admovere, alacri semper animo sollicitam mandatorum nostrorum executionem urgentes; gaudio quodam plane singulari perfundi nos sensimus; totoque animo debitas summo bonorum omnium auctori Deo gratias persolvimus.

Exinde detegitur, nonnullos necessaria ad salut. ignorare.

§ 1. Haud tamen expleri animus gaudio potuit, cum subinde relatum ad nos fuerit, huiusmodi homines, dum sacris instructionibus ad Confessionem sacramque Communionem parantur, detegi saepe saepius mysteriorum fidei, atque eorum etiam, quae *necessitate medii* noscenda sunt, ignaros, ideoque tales, qui Sacramentorum nequeant fieri participes. Cui quidem maximo malo quamvis memorati ministri opportuna non negligant remedia adhibere assiduis institutionibus; exinde tamen non fit, quin praeter sollicitudinem et laborem, quem evangelici illi operarii agnoscunt sibi necessario subeundum, quemque lubenti animo perferunt, idipsum moerore quodam non afficiat dispensationem exposcentes,

expectantesque, qui cum paupertate vexentur, suisque manibus sibi victum quaeritent, quamcitissime cupiunt Urbe excedere, in patrias reverti suas, optatoque sese iungere matrimonio, cuius causa iter arripuerunt, publicaeque, nec levis, poenitentiae incommoda non detrectarunt.

Ignoratio haec non Episcopor. culpae seu negligentiae, sed ipsorummet hominum vitio vertenda dicitur.

§ 2. Pontificatus nostri initio, encyclicas literas dedimus, quibus ven. fratrum nostrorum zelo stimulos veluti addidimus, ut quae christianae doctrinae sunt rudimenta et praecepta, in sua quisque dioecesi explananda curaret et addiscenda. Dioecesanas eorum Synodos legimus vetustiores ac recentiores; novimus eas instructionibus et adhortationibus plane refertas, nihilque in iis desiderari, quod ad gravissimum Christianae Doctrinae tradendae opus perficiendum conducere videatur. Quapropter ex animo affirmamus, persuasum nobis esse, inter ipsos reperiri plane neminem, qui apostolico sibi concredito muneri hac in re defuerit, et ignorantiam, in qua versari nonnullos ex suis Dioecesanis compertum est, haud quidem ipsis culpae vel negligentiae vertendam, sed repetendam plane vel ex eorumdemmet subditorum pervicacia, qua, neglectis superiorum mandatis, Christianae Doctrinae institutiones refugerunt et ad exaudiendum Dei verbum pro concione explanatum raro, vel fortasse nunquam, convenerunt; vel saltem ex hebeti nonnullorum ingenio in iis addiscendis, quae docentur; vel denique ex quo Christianae Doctrinae rudimenta primis aetatis suae annis exceperint, ubi vero aetate illa excessere, nihil exinde fuerint solliciti ad ea loca accedere, ubi percommode ac fructuosius fortasse etiam potuissent obfirmata aetate percipere, quae ipsis puerulis fuerunt tradita, adeo ut hi paulatim redigantur ad conditionem ei omnino similem, in qua obversantur quicumque nec prima aetate edocti, nec Christianae Doctrinae institutionibus umquam interfuerunt. Incommoda haec quidem sunt, quae quamvis obvenerint, obveniantque fortasse, curis omnibus per ven. fratres nostros adhibitis, non exinde tamen nos levant onere encyclicis hisce literis eorum zelum iterato excitandi; nec ipsi propterea eximuntur, quin studia sollicitudinesque eo semper maiores conferre debeant in id, unde concreditarum sibi animarum sempiterna salus pendere dignoscitur.

Affertur S. Caroli Borromaei exempl.

§ 3. Neminem fortasse reperire erit inter vos, ven. fratres, cui perspectum penitus non sit, quanta peregerit S. Carolus Borromaeus tum in ampla sua dioecesi Mediolanensi, tum in universa provincia, cui praeerat Metropolitanus, ut proficuam tradendae Christianae Doctrinae methodum constitueret; quantosque pertulerit labores, ut religiosum hoc institutum firmiter constabiliret: cumque animadvertisset, non eum cepisse ex tot laboribus fructum, quem exoptabat, haud despondit animum; sed veteribus novas superaddidit curas et sollicitudines, quemadmodum deprehenditur ex quinta Mediolanensi Synodo: *Nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, ut omnes et singuli Christifideles in fidei christianae rudimentorum institutione erudirentur; sed cum parum nos hucusque profecisse tanta in re cognoverimus, negotii periculique magnitudine adducti, haec praeterea decernimus.* Satis namque fuit Sanctissimo Praesuli perspectam fieri vigentem indigentiam, ut iterum manum operi admoveret, curas curis accumulando, parvipensis omnibus, quae satis multa eousque peregerat; ad eum plane modum, quo Assyriorum Rex satis habuit, delatum ad se fuisse, ignorare gentes praecepta Dei: *Nunciatumque est Regi Assyriorum, et dictum: gentes, quas transtulisti, et habitare fecisti in civitatibus Samariae, ignorant legitima Dei terrae;* ut statim illo mitteret sacerdotem, qui gentes illas Dei praecepta edoceret: *Praecepit autem Rex Assyriorum dicens: ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos abduxistis, et vadat et habitet cum eis, et doceat eos legitima Dei terrae:* quemadmodum legitur *lib. 4 Regum, c. 17.*

Ideoque excitantur Episcopi ad iterat. curas adhibendas.

§ 4. Nos itaque S. Caroli Borromaei exemplum prae oculis habentes, quamvis omne hactenus studium impenderitis atque sedulitatem, hortamur adhuc rogantes vos per Iesu Christi viscera, ne, in tanto opere tradendi christianae fidei rudimenta, animum despondeatis. Hoc agite, ut parochorum quisque, quae sacro Tridentino Concilio, quae vestris synodalibus statutis iubentur, sedulo exequatur: ut statis diebus scholarum magistri et magistrae doctrinam tradant christianam: ut confessarii, quae muneris sui sunt impleant, quoties quisquam se ipsorum tribunali sistit, ignorans quae *necessitate medii* sunt ad salutem necessaria; idipsumque praestent et parochi, antequam sponsos matrimonio coniungant: patres familias, atque domorum heri, serio moneantur de imposita sibi obli-

Recenset. complur.

gatione erudiendi per se, erudiendosque curandi Christianae Doctrinae praeceptis filios, suosque familiares: quibusque in dioecesibus receptus est, servetur, curetur que recipiendus, ubi hactenus non obtinuit, usus, iuxta quem, ante vel post parochialem missam, elata voce, per ipsummet parochum recitantur fidei, spei et caritatis actus recte compositi, populo interim parochi verba iterante. Nec etiam negligatur incumbens parocho onus, quo festis diebus, nisi concionem ad populum habere, certe quidem ex altari evangelium ei explanare, ipsumque praecipua Sanctae Religionis nostrae mysteria, Dei praecepta et Ecclesiae, ac quidquid demum opus est, ut Sacramentorum digne particeps fiat, edocere tenetur. Vestigia haec sectentur quoque concionatores, quibus salutare illud iteretur monitum, ut adhortationibus institutiones adiungant, quandoquidem utrisque indigent auditores. Denique quaenam sit optima methodus in rudibus hominibus Christiana Doctrina erudiendis, indigitatur a S. Augustino in libro de *Cathechizandis rudibus, cap. 10,* ubi inquit, proficuam prae caeteris eam esse, qua, post explanationem, familiares instituantur interrogationes; ex familiari quippe interrogatione compertum fit, an, quae quisque audivit, mente perceperit, vel an potius iterata explanatione opus sit; ut alieno captui res subiiciatur: *interrogatione quaerendum est, utrum is, qui catechizatur, intelligat; et agendum pro eius responsione, ut aut planius et enodatius loquamur, aut quae illis nota sunt, non explicemus latius etc. Quod si nimis tardus est, misericorditer succurrendus est, breviterque ea, quae maxime necessaria sunt, ipsi potissimum inculcanda.* Illud nobis persuasum est, fore, ut longe plura ipsi persequamini, quam encyclicis hisce literis nostris vobis indigitamus. Interim vobis, venerabiles fratres, concreditoque sollicitudini vestrae gregi, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Pro meth. docendi Doctrin. Christian. probatur usus interrogat. post explanat.

Datum ex Arce Castri Gandulphi, die XXVI. iunii MDCCLIV. pontificatus nostri anno XIV.

CLXIII.

Armenorum Ciliciae electum Patriarcham confirmat eidemque pallium tradit (1).

ALLOCUTIO.

Ecce iam tertio ex hoc loco de confirmatione electionis, seu postulationis Patriarchae Ciliciae Armenorum vobis verba facimus.

Neminem vestrum ignorare arbitramur, multis ab hinc saeculis Patriarcham Ciliciae Armenorum, transfugam ab hac Sancta

---

(1) Vita functo Iacobo Vartabiet Armenorum Ciliciae Patriarcha, qui Petri secundi nomen assumpserat, Archiepiscopi catholici Armeni ritus, simul congregati, Michaelem monachum in Archiepiscopum Alepi et Patriarcham Ciliciae Armenorum unanimi consensu elegerunt. Tum electores, cum ipse electus Patriarcha supplicibus datis litteris tam sanctissimo domino nostro Benedicto Papae XIV. quam eminentissimis Cardinalibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ea, qua par est, humilitate Sanctitati Suae supplicarunt, ut electionem seu postulationem eiusdem electi seu postulati monachi Michaelis admitteret et suprema sua auctoritate confirmaret, ac pallii honorem ei concederet, afferendo legitimas causas, quibus ad Urbem accedere posse praepediebatur. Totum negotium Sacrae Congregationi de Propaganda Fide discutiendum Sanctitas Sua commisit; qua consulente pro confirmatione et sanatione defectuum etiam substantialium, quatenus opus esset, sequenti edito decreto, Sanctitas Sua ad praefatae electionis confirmationem devenit.

DECRETUM

Sacrae Congregationis generalis de Prop. Fide habitae die VI. *maii* MDCCLIV.

Relatis per R. P. D. Nicolaum Lercarium Archiepiscopum Rhodiensem secretarium litteris Archiepiscoporum Armenorum catholicorum Armeniae minoris et Ciliciae, enixe supplicantium sanctissimo domino nostro, ut dignetur approbare et confirmare electionem seu postulationem Patriarchae catholici pro ecclesia patriarchali Armeniae minoris et Ciliciae, vacante per obitum Iacobi Petri Patriarchae, a praefatis Archiepiscopis unanimi consensu peractam de persona R. P. D. Michaelis Archiepiscopi Alepen. qui Petri nomen assumpsit, eminentissimi Patres habita ratione de orthodoxa fide, prudentia, zelo, caeterisque virtutibus eiusdem R. P. D. Michaelis, censuerunt, consulendum esse Sanctitati Suae pro admissione electionis seu postulationis, de qua agitur, cum sanatione quorumcumque defectuum etiam substantialium, quatenus opus sit, necnon ut, praevia absolutione a vinculo Ecclesiae archiepiscopalis Alepi, dignetur providere praedictae Ecclesiae Patriarchali Armeniae minoris et Ciliciae de persona memorati Michaelis Archiepiscopi.

Quam Sacrae Congregationis sententiam ab eodem domino secretario relatam sanctissimo domino nostro Benedicto PP. XIV. in audientia habita die XII. maii MDCCLIV. Sanctitas Sua in omnibus benigne approbavit et annuit. Datum ex aedibus dictae Sacrae Congregationis die XVIII. eiusdem mensis et anni.

S. Card. VALENTI Praefectus.

Apostolica Sede, in schisma atque haeresim ita defecisse, ut subiectos etiam sibi populos mortifera labe inquinaverit. Contigit autem, ut Petrus Abrahamus Vartabiet, Archiepiscopus Aleppensis, ad monasterium in Monte Libano situm confugiens, atque ad infidelium persecutionem declinandam a sua dioecesi profugus, repente fuerit ab Episcopis Armenis Orthodoxis Patriarcha Ciliciae Armenorum electus: post quae, cum Romam venisset, legitimum electionis suae documentum deferens, supplex a nobis petiit, ut illam auctoritate nostra confirmaremus, magnoque studio flagitavit, ut ipsi pallium quoque elargiremur. Nos vero quibusvis illum paternae benevolentiae significationibus excepimus; neque illi in gravissimo ac diuturno morbo, quo fuit in Urbe conflictatus, quidquam deesse passi sumus: eius deinde confirmavimus electionem; et, cum ad publicum consistorium accessisset, fideique professionem emisisset, nos ipsi pallium ipsius humeris imposuimus. Eumdem praeterea, cum esset discessurus, sacra supellectili ad pontificalia obeunda instruximus, eique viaticum ministravimus ad longum iter, quod suscepturus erat, necessarium, quo facilius ad sedem suam in Monte Libano reverteretur. Pervenit tandem feliciter idem Patriarcha Abrahamus Vartabiet, qui Petri I. nomen assumpsit, ad monasterium Montis Libani, unde discesserat, et in quo necessario consistere cogebatur. Ubi postquam Patriarchae munere per octo annos functus est, in communione Sanctae Catholicae Ecclesiae ex hac mortali vita migravit, mercedem accepturus (uti sperandum est) quam sibi in hoc vitae curriculo comparavit: multa siquidem passus est in exiliis, in carceribus et in cruciatibus, ut sedentes in tenebris et in umbra mortis ad lucem et unitatem Ecclesiae revocaret, atque ab haeresis abysso proriperet.

Quam ob rem Archiepiscopi Armeni catholici simul iterum congregati in demortui patriarchae locum suffecerunt Iacobum Vartabiet, Aleppi Archiepiscopum, qui Petri II. nomen assumpsit. Hic autem cum Romam se conferre nequivisset, ut suae postulationis confirmationem a nobis obtineret, acta necessaria legitimumque procuratorem misit, qui solemniter in consistorio pallium flagitavit. Quare, diligenter examinatis omnibus, quae proposita fuerant, postulationem confirmavimus, honoremque Pallii ipsi impertivimus.

Contigerunt haec anno universalis, quod proxime celebravimus, iubilaei. At, cum idem Patriarcha diem supremum obierit, iterumque catholici Archiepiscopi Michaelem Petrum monachum delegerint in Archiepiscopum Aleppi et Patriarcham Ciliciae Armenorum, tum electores tum electus suppliciter de more postularunt, ut et postulationem confirmaremus et pallii honorem concederemus. Electus vero cum legitimas afferre causas non omiserit, quibus ad Urbem accedere impeditur, totum negotium Congregationi de Propaganda Fide discutiendum commisimus; quae, post accuratum examen, admittendam esse electionem seu postulationem electi seu postulati monachi Michaelis censuit, eumque solvendum a vinculo Ecclesiae Archiepiscopalis Aleppensis, et defectum omnem, quamlibet substantialem, esse sanandum.

Porro de electi seu postulati persona nunquam dubitavimus; cum nobis perspectum sit, quatuordecim annorum spatio ipsum inter monachos Ordinis S. Antonii Abbatis multa cum pietatis fama fuisse versatum, doctrinae laude et sacrarum litterarum scientia esse praeditum, plurimosque impendisse labores, ut catholicam fidem tueretur, ac propagaret. Illud quoque laetitiam nobis attulit, quod monachus in Patriarcham delectus fuerit, iuxta firmam constantemque Ecclesiae Orientalis disciplinam, qua ad episcopatum assumi prohibetur, qui monachalem professionem non emiserit: hac quippe ratione contingere nequit, ut Episcopus fiat, qui uxorem habeat; quod sane eveniret, vel saltem evenire posset, si episcopalis dignitas simplici sacerdoti conferretur, qui professus inter monachos non esset: cum, iuxta totius Orientis et Ecclesiae Graecae consuetudinem, simplices presbyteri uxorem retineant, quam duxerunt, priusquam sacris Ordinibus initiarentur.

Illud vero grave ac difficile nobis visum est, quod monachus Michael ab Archiepiscopis congregatis Aleppensis primum Archiepiscopus electus fuerit, ac deinde Patriarcha Ciliciae Armenorum electus sive postulatus. Archiepiscopi enim Patriarcham iure quidem suo eligere possunt, non autem Episcopos et Archiepiscopos: horum enim electio ad solum pertinet Patriarcham. Quapropter, cum Ecclesia Aleppensis suo viduata esset pastore, et insimul patriarchatus vacaret, nullo modo Archiepiscopi poterant Aleppensem Archiepiscopum eli-

gere, sed progredi debebant ad electionem Patriarchae; cuius erat, postquam ad patriarchalem sedem fuisset evectus, Aleppensem eligere Archiepiscopum. Verumtamen erroris causam agnoscimus: cum enim praedicti Archiepiscopi advertissent, duos ultimo defunctos Patriarchas ab archiepiscopatu Aleppensi ad gradum patriarchalem ascendisse, in eam devenerunt opinionem, ut crederent, Patriarcham constitui non posse, nisi qui Aleppensem archiepiscopatum obtineret, aut qui saltem episcopali charactere prius esset exornatus. Attamen id longe a veritate alienum est: perspicue quippe in ipsorum euchologiis legitur tum ritus eligendi Patriarchae, eumque consecrandi, si episcopali charactere destitutus sit, tum ritus ad patriarchalem sedem evehendi illum, qui iam episcopali Ordine praeditus est: neque vero ullo modo decernitur, ut qui Episcopus vel Archiepiscopus antea non fuerit, civitatis vel provinciae prius constituatur Episcopus vel Archiepiscopus, ut inde ad patriarchatum transferatur: sed, cum Ordo episcopalis Patriarchae electo confertur, qui Episcopus non erat, Dei optimi maximi auxilium imploratur, ut ipsi in exercenda auctoritate sua in populos sibi subiectos opituletur. Ita omnino contingit, cum in Summum Pontificem renunciatur Cardinalis, qui antea Episcopus non existat. Non enim ille in Episcopum alicuius civitatis consecratur, ut inde supremam totius Ecclesiae Sedem conscendat; verum, dum ipse episcopali Ordine insignitur, enixis votis Deus invocatur, ut in pascendis ovibus universi dominici gregis opem et auxilium illi suum impertiatur.

Haec in expendenda postrema electione, sive postulatione Patriarchae Michaelis, qui Petri III. nomen accepit, occurrit difficultas: quae tamen non magni adeo momenti nobis videtur, ut sanari auctoritate nostra minime debeat etiam in substantialibus (iuxta prudentem Congregationis de Propaganda Fide sententiam) tum electores, tum electum ab omnibus canonicis poenis, quibus obnoxii facti sunt, absolvendo. Id enim a nobis postulare videntur electorum bona fides eorumdemque erga Sedem Apostolicam perfecta observantia, merita electi Michaelis, eiusque iam peracta consecratio, quae quidem illicita si fuerit, validam tamen fuisse non est dubitandum. Expedire nihilominus arbitramur, ut electores et electus ab eadem Congregatione opportune salubriterque moneantur, ne in posterum in eumdem, quem offenderunt, errorem dilabantur. Haec sunt, quae significanda vobis censuimus.

Petitioni autem pallii Summus Pontifex sic ex abrupto reposuit.

Libentissime annuimus pallii petitioni: nobis notum est, Orientales Patriarchas, post receptum a nobis Pallium, potiri privilegio illud concedendi Metropolitanis suae iurisdictioni subiectis, iuxta Decretalem Innocentii III. *in Cap. Antiqua, de privilegiis,* et etiam insigniorum ecclesiarum Episcopis, iuxta consuetudinem. Porro nec privilegio, nec consuetudini derogamus; sed tantum monemus, quod Patriarchae ius, post receptum a nobis pallium, concedendi praedictis usum pallii restrictum est ad pallium largius et longius, crucibus rubris ut plurimum distinctum, quod est pallium graecum, nec se extendit ad pallium latinum, quod ipse a nobis recepturus est; hoc enim ipse solus uti potest diebus et locis praescriptis, nec eius usum ulli alii concedere valet, cum pallii latini concessio soli Romano Pontifici reservata sit: quemadmodum etiam ingenue admiserunt patres synodi provincialis Libanensis habitae sub praedecessore nostro Clemente XII. anno MDCCXXXVI., a nobis confirmatae, uti videri potest, ni fallimur, *part. 3, cap. 6.*

CLXIV.

Praecipit ne Christifideles sub Turcarum ditione versantes, ad occultandum christianae religionis professionem, mahumetana nomina sibi imponant, iuxta decretum Synodi Albanae et const. Inter omnigenas.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis, necnon dilectis filiis parochis et missionariis, provinciae Albaniae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod provinciale Concilium Albanum provinciae vestrae, ven. fratres, dilecti fi- Iterata decreta quibus vetitum Christifid.

quamcumque ob causam Mahumetana nomina assumere.

lii, anno MDCCIII. sub felic. rec. Clemente Papa XI. praedecessore nostro celebratum, inter caetera, canone tertio sanctissime statuerat, nimirum ne turcica seu mahumetana nomina sive parvulis sive adultis in baptismate imponerentur; neve Christifideles turcicis seu mahumetanis nominibus, quae nunquam sibi imposita fuerant, ob quamcumque vel tributorum exemptionem et immunitatem, vel liberi commercii commodum, vel evitandarum poenarum causam, se nuncupari paterentur: id ipsum, inter caetera, nos quoque commendantes, confirmavimus ac servandum praecepimus in nostra encyclica epistola, cuius initium est — *Inter omnigenas,* pro regno Serviae et finitimis regionibus, super pluribus religionis ac disciplinae capitibus, die XI. mensis februarii an. MDCCXLIV. pontificatus nostri anno quarto edita. Providum igitur ac salutare eiusmodi statutum ab antecessoribus vestris tanta cum sapientia et religione conditum, et tamquam luculentum catholicae fidei sinceraeque vestrae christianae pietatis exemplum, aliis ad imitandum et omnino custodiendum a nobis districte praeceptum, quemadmodum in provinciae vestrae maiorem gloriam et existimationem, maioremque consequendae aeternae animarum salutis utilitatem, ita si negligi forte contingat, in maius eiusdem vestrae provinciae dedecus apertumque animarum discrimen redundare videtur.

Eorum quippe usus mendacium in re gravissima et virtualem fidei negationem continet

§ 1. Nos autem, qui abusum illum in praedicta epistola nostra tamquam turpem christianae professionis occultationem ad infidelitatem accedentem pronuntiavimus, maximo cum pontificii animi nostri moerore accepimus, quod quamplurimi istius provinciae, posthabita aeternae salutis ratione, eadem turcica sive mahumetana nomina usurpare pergant, non solum ut a tributis et oneribus illis quae Christifidelibus imposita sunt vel imponi saepe contingit, immunes et liberi sint et habeantur; verum etiam ut tam ipsi, quam eorum parentes, a mahumetana secta apostatasse minime credantur, nec poenis hac in re inflictis mulctentur. Haec enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati christianae contraria; quae mendacium in re gravissima continet, et virtualem fidei negationem, maxima cum Dei iniuria proximique scandalo, includit. Unde opportuna etiam praebetur Turcis ipsis occasio, Christifideles omnes tamquam hypocritas et deceptores existimandi, atque adeo iure ac merito persequendi.

Unde nullatenus ferendus.

§ 2. Accedit praeterea ad moerorem doloremque nostrum magis magisque augendum, quod nonnulli ex vobis ipsis, venerabiles fratres, atque ex vobis quoque, dilecti filii parochi et missionarii, ad tam pravam ac detestabilem simulationem nihil animadvertentes, immo conniventes, atque inanibus ad excusandas excusationes in peccatis rationum momentis adducti, eos Christifideles curae vestrae creditos, qui saepedicta turcica seu mahumetana nomina assumunt, iisque vocari student, ad Sacramentorum participationem, sine ullo prorsus conscientiae angore et publica cum bonorum Christifidelium offensione, admittere non vereantur.

Nova sanctione damnatur, ac interdicitur.

§ 3. Hinc est, quod nos, qui, ex iniuncta nobis omnium ecclesiarum sollicitudine ac suprema sacrosancti apostolatus procuratione, christianos omnes in viam salutis reducere, eosdemque puros, sinceros, in spiritu et veritate ambulantes et absque macula, Deo exhibere tenemur, postquam venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales contra haereticam pravitatem generales Inquisitores super hac re audivimus, de eorum consilio, primum quidem laudatum Concilii Albani vestrae provinciae canonem renovantes, apostolica auctoritate nostra tenore praesentium confirmamus et districte servandum mandamus; necnon memoratae Ecclesiae nostrae decreta ad vestram quoque provinciam auctoritate et tenore paribus extendimus et servanda itidem praecipimus: deinde districte pariter prohibemus, ne quilibet ex Christifidelibus, quocumque casu vel praetextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis, eadem turcica seu mahumetana nomina, ut Mahumetani credantur, assumere audeat.

Sub certis spiritualibus poenis quarum executio Episcopis committitur.

§ 4. Porro, venerabiles fratres, dilecti filii, vos rogamus et in Domino hortamur, ut serio animo ministerium vestrum et districtam supremo pastorum principi Iesu Christo aeterno iudici rationem de commissis unicuique vestrum ovibus a vobis reddendam considerantes, et ipsi curetis per bona opera vestra certam electionem vestram facere, et minime omittatis (quod sine gravissima incuriae negligentiaeque vestrae culpa accidere non potest) eosdem Christifideles provinciae vestrae arguere,

obsecrare et increpare in omni patientia et doctrina, ut conversationem suam inter gentes habentes bonam, in omnibus seipsos praebeant exemplum bonorum operum, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur, nihil habentes malum dicere de ipsis, quasi malefactoribus, qui turpis lucri causa aliud in ore, aliud in corde gerant. Quod si qui admonitionibus vestris et praeceptis nostris non acquiescant, ad apostolicae disciplinae normam, virga compesci debent, et circa ipsos Albanensis Synodi vestrae et dictae epistolae nostrae sanctiones et poenae omnino exequendae sunt, quibus in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarantur. Quas quidem poenas iterum, quatenus opus sit, innovamus et infligimus et debitae executioni a vobis mandandas volumus et iniungimus. Hoc autem nemini ex vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, durum esse debet; quoniam, nisi abundaverit iustitia vestra plusquam schismaticorum et haereticorum, quorum, tamen nullus mahumetanum nomen assumere praesumit, non intrabitis in regnum coelorum.

Diffidentes de sua in fide constantia ad Christianorum terras confugere hortatur.

§ 5. Illos denique, qui ex mahumetanis christiani sunt facti, vel qui istorum sunt filii, si de sua in fide constantia diffidant, vereanturque ne, si turcica deponant nomina, dominantium poenas incurrant, easdemque subire formident, serio admoneatis, ut omnino regiones illas occulte deserant et ad terras Christianorum accedant atque confugiant, in quibus et Deus, qui dat escam omni carni, et fidelium caritas minime ipsis deerit; maxime si Episcoporum commendatitiis epistolis muniantur. Interim vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, apostolicam benedictionem quam a quolibet venerabili fratre Antistite in sua dioecesi Christifidelibus orthodoxis nostro nomine impendi volumus, peramanter elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, die I. augusti MDCCLIV. pontificatus nostri anno XIV.

CLXV.

Ecclesiasticis omnibus ritus Slavo-Latini praecipit ut in missis et divinis officiis slavum literale idioma cum characteribus hieronymianis retineant, et missalibus, breviariis etc. utantur typis Congregationis Propagandae Fidei editis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Pontificis sollicitudo, ne novitates et abusus in sacros ritus irrepant.

Ex pastorali munere, quo Romani Pontifices catholicae praesunt ecclesiae, eamque moderantur, consueverunt praedecessores nostri vigilem navare curam, ut, in sacris peragendis, suos unaquaeque natio legitime invectos ritus religiose custodiat, eiusque idiomatis uniformitatem retineat, quo illius respective maiores in Missae Sacrificio divinisque officiis usi dignoscuntur; prohibentes ne quid a prisca lingua, vulgaribus licet dicendi formulis immutata, deflectatur, omnemque adhibentes operam, ut abusus procedentibus temporibus inolescentes eradicarent.

Ritus nationis Illyricae concessus a Ioanne VIII.

§ 1. Cum itaque ex fide dignorum testimonio acceperimus, in ritum Slavo-Latinum, quem felic. record. praedecessor noster Ioannes Papa VIII. fideli ac religiosae nationi Illyricae, una cum idiomate, quod nunc slavum literale appellant, et characteribus, quos hieronymianos dicunt, adhibendum concessit, et successivis temporibus recolendae memoriae praedecessores pariter nostri Urbanus VIII. et Innocentius X., dum missale et breviarium eodem idiomate et characteribus, excudenda typis traderentur, iteratis vicibus confirmarunt, nonnullos irrepere abusus, Apostolicae Sedis intentionibus institutisque contrarios, perniciosa aliquorum libertate, qui audent missas, insertis orationibus et precibus slavo vulgari sermone conscriptis, componere; initium quoque Evangelii secundum Ioannem et psalmum *Lavabo*, eadem vulgari lingua latinisque characteribus impressa, nulla desuper a nobis facultate et approbatione praeobtenta, sibi aliisque sacerdotibus legenda proponere: idcirco, ne huiusmodi abusus, qui eumdem ritum miscere ac turbare facile posset, latius progrediatur; postquam aliis nostris editis constitutionibus, nimirum quinquagesima septima, cui initium *Etsi pastoralis*, et octogesima septima incipiente *Demandatam coelitus*, quae extant in Bullarii nostri Tom 1, pag. 197 et 328, Graecorum rituum conservationi et integritati, pro Italo-Graecorum et Graeco-Melchitarum nationibus, abunde providimus; eamdem nunc solli-

Interv. pluribus irreptis abusibus.

Quibus proscriptis vetustior redintegr. novisque sanction. eiusdem firmitati consulitur.

citudinis nostrae curam ad Illyricam nationem convertentes, suprema, qua fungimur apostolica auctoritate, volumus, praecipimus, atque mandamus, ut ecclesiastici omnes et sacerdotes tam saeculares, quam cuiuscumque Ordinis aut Instituti regulares, qui ritum Slavo-Latinum profitentur, in augusto altaris sacrificio et in horis canonicis aliisque divinis Officiis persolvendis ac obeundis, missalia, tabellas et breviaria characteribus hieronymianis impressa typis Congregationis Propagandae Fidei, quaeque imposterum ibidem imprimentur, non sine praeviis opportunis revisionibus et approbationibus aliisque diligentiis hucusque adhibitis et deinceps adhibendis a viris doctis et Slavo-Latinum idioma ac hieronymianos characteres apprime callentibus, quemadmodum per plura anteacta saecula ab Illyrico clero servatum studiose fuit, ita deinceps omnino adhibere debeant et teneantur: utque in posterum nemo ex praedicto clero, in missis celebrandis, aut in divinis Officiis persolvendis, orationes et preces, quae nostra et Apostolicae Sedis auctoritate examinatae non fuerint et approbatae, recitare, aut quoquo modo adhibere audeat seu praesumat.

Quarum executio Archiep. et Ep. demandatur.

§ 2. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis, in quorum dioecesibus ritus Slavo-Latinus viget, committimus atque iniungimus, ut pro zelo et sollicitudine, qua tenentur concreditis sibi ovibus praeesse, et sacrorum Ecclesiae rituum integritati advigilare, sedulam exactamque huiusce nostrae voluntatis ac districti praecepti executionem curent atque urgeant, ac novitates omnes irreptosque quoslibet abusus eliminent, adhibitis efficacioribus remediis a sacris canonibus in pervicaces et refractarios indictis; similia vero successivis temporibus attentari minime patiantur.

Decreta pro praemissorum firmitate.

§ 3. Decernentes has nostras literas et in eis contenta huiusmodi, semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, horumque Congregationes, necnon Apostolicae Sedis Nuncios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§ 4. Non obstantibus contrariis quibusvis, etiam in synodalibus forsan aut provincialibus conciliis editis constitutionibus aut decretis, privilegiis quoque et indultis eidem nationi Illyricae, eiusque ecclesiis atque praesulibus, quavis etiam apostolica auctoritate concessis ac iteratis vicibus confirmatis et innovatis, ac usibus, stylis et consuetudinibus quantumvis diuturna observantia firmatis; quibus omnibus et singulis, tenore praesentium et ad praemissum effectum, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis habenda.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrae declarationis, inhibitionis, praecepti, mandati, commissionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, octavo kalendas septembris, pontificatus nostri anno XV.

CLXVI.

Agit iterum de validitate matrimoniorum, quae a duobus coniugibus Calvinistis contrahuntur, quorum alter deinde catholicam religionem amplectatur; et iterum declarat nulla matrimonia inita a Calvinianis cum illa conditione quoad vinculum donec in honestate permanseris (1).

(1) Ex Tabulario Supremae Inquisitionis S. Officii.

Venerabili fratri Sigismundo Antonio Episcopo Albensi in Transilvania,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Acceptis fraternitatis tuae literis, in quibus conabaris ostendere, matrimonium, quod Christina Marchasi post calvinianam haeresim condemnatam, nomenque datum religioni catholicae, celebraverat cum Michaele Boza viro Romanae fidei, adhuc in vivis agente Stephano Varadi homine Calviniano, cui iampridem nupserat per eam verborum formulam, quae moris est apud eos in Transilvania, illaque adhibita celebri conditione «*donec in fide et honestate permanseris*», irritum ac nullum esse; rem totam mature et diligenter expendimus. Ne autem in aequivocis laboremus, animadvertendum fraternitati tuae proponimus, non esse nobis rem de iis matrimoniis, quae a calvinianis haereticis contrahuntur in iisdem erroribus ad obitum usque perseverantibus, quae neque tum nobis proposuimus, neque nunc nobis proponimus consideranda; sed, quod examinandum declarandumque nobis oblatum est, circa eorum matrimonia versari, qui cum fuerint inter se copulati quo tempore in haeresis calvinianae tenebris ambulabant, alter postea ex iis ad lumen catholicae religionis oculos aperit, vivoque adhuc primo coniuge calviniano, cum catholico matrimonio secundo rite coniungitur. Neque in hoc ipso rerum systemate affirmavimus, primum illud matrimonium a duobus coniugibus initum quo tempore in eadem haeresi perseverabant, ita semper effectu carere, ut, si alter ex iis religionem catholicam amplectatur, semper possit secundum matrimonium cum catholico aliquo coniuge celebrare (1). Bene vero asseruimus id solum licere, et posse, quando ea posita fuerit circumstantia, scilicet quod matrimonium primum ad certum tempus coarctatum fuerit a conditione de eodem quoad vinculum, adulterio interveniente, solvendo: quemadmodum coarctari ab haereticis calvinianis in Transilvania cognovimus. Haec si attente considerabit fraternitas tua atque distinguet, non dubitamus fore, ut nobiscum in eodem sensu convenias, et in casu praeposito ea consilia capias, quae et ratio et aequitas postulant a canonicis sanctionibus manifestatae. Et benedictionem tibi apostolicam impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIII. novembris MDCCLIV. pontificatus nostri anno XV.

CLXVII.

Procuratori missionum seminarii Parisiensis in civitate Macai, aliisque missionariis in dicta domo commorantibus, facultatem tribuit in privato residentiae domus oratorio sacrum faciendi, cum periculosum sit nimis publicam petere ecclesiam ad sacrificium celebrandum (2).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Narratio petitionis.

Exponi nobis nuper fecit ven. frater Ioachimus Enjobert Episcopus Edimensis, quod in Urbe Macai dilectus filius modernus et pro tempore existens procurator missionum seminarii Parisiensis moram trahit, ac etiam non raro accidere solet, ut sacerdotes Sinenses, alumni seminarii Siamensis earum missionum, per dictam civitatem transire oporteat, sive dum e Siamo in Sinas redeunt, sive cum ex provinciis Sinensibus ad ipsam civitatem Macai ob nonnullas legitimas rationes accedere ac inibi per aliquod temporis spatium commorari tenentur; valde autem periculosum est, ne, dum tam dictus procurator quam presbyteri praedicti sacrosanctum missae sacrificium in ecclesiis celebrant, agnoscantur a gentilibus Sinensibus, quibus praedictarum ecclesiarum ingressus patet sicut et Christianis: ac propterea dictus Ioachimus Episcopus ad dirimenda quaecumque pericula, quae in praemissis oriri possunt, facultatem celebrandi in privato oratorio domus residentiae procuratoris tum illi tum presbyteris praedictis per nos concedi plurimum desiderat. Nos, piis eiusdem, Ioachimi Episcopi votis hac in re quantum in Domino possumus favorabiliter annuere cupientes, dictumque procuratorem specia-

Concessio oratorii domestici in domo procuratoris pro ipso et omnibus missionariis.

(1) Consule eumdem Bened. XIV. de Syn. dioec., lib. 13, cap. 22, num. 3.

(2) Ex App. ad Bull. de Prop. Fide, pag. 175, collat. etc.

libus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, eidem moderno et pro tempore existenti procuratori missionum seminarii Parisiensis in Civitate Macai commoranti ac in sacro presbyteratus Ordine constituto, ut ipse in privato domus suae residentiae oratorio ad hoc decenter extructo et ornato, seu extruendo et ornando, ab omnibus domesticis usibus libero (super quo conscientiam suam oneramus), sacrosanctum missae sacrificium per seipsum celebrare, ac per quoscumque sacerdotes missionarios in dicta domo commorantes celebrari facere libere et licite possit et valeat in praesentia aliorum quorumcumque Christifidelium, sibi sacerdotibusque praedictis inservientium, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die II. decembris MDCCLIV. pontificatus nostri anno XV.

CLXVIII.

Ex martyrio et instituta canonizatione Andreae Rinnensis, plura exponit de martyrio et cultu publico in Ecclesia praestito pueris, ante usum rationis, in odium Christi, interemptis.

Dilecto filio Benedicto Veterani sanctae consistorialis aulae advocato et fidei promotori,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Historica narratio de mart. cultuque B. Andr. Tinnensis.

§ 1. Beatus Andreas de Pago, seu vico Rinnensi, Brixinensis diaecesis, nondum exacto tertio aetatis suae anno a Iudaeis in odium christianae fidei sub annum MCDLXII fuit crudelissime trucidatus. Non ita post multos a martyrio annos publice coli coepit; quandoquidem sub annum MCDLXXV. eiusdem ossa, sublimi a terra loco recondita fuerunt in pariete ecclesiae praememorati Vici, Deo in honorem S. Andreae Apostoli dicatae. Cum autem subinde, una cum miraculorum fama, eo semper magis religiosum populi obsequium excreverit, ac praeterea infantis reliquiae, scientibus et probantibus Ordinariis, assiduis nec interruptis cultus publici actibus fuerint exceptae; impulere haec omnia superioribus annis venerabilem fratrem nostrum Episcopum Brixinensem, dilectumque filium abbatem monasterii Viltinensis Ordinis Praemonstratensis, aliosque emeritos viros ecclesiasticos, ut supplices a S. Sede exposcerent indultum peculiaris missae et officii peculiares itidem lectiones habentis, in beati honorem, martyrii die quarto Idus iulii, recitandi a clero saeculari et utriusque sexus regulari, in civitate universaque Brixinensi dioecesi. Huic autem petitioni quinto kalendas octobris anni MDCCLI. rescripsimus, ut primum ab Ordinario conficeretur processus de martyrii ac miraculorum fama, deque cultu immemoriali, de quibus iuridice nobis liquere optabamus, ante peculiaris officii missaeque concessionem.

Propositae instantiae pro concessione officii, peculiar. missae.

Rescript. fuit, ut super fama mar. et mirac. ac super cultu immemor. conficer processus.

Quandonam huiusmodi processus non sit necessar. praemittendus.

§ 2. Haud ipsis arrisit rescriptum hoc nostrum. Quare, cum expositum nobis fuisset, ad exequenda omnia, quae illo praecipiebantur, diuturno tempore, labore magno, nec exiguis sumptibus opus esse, quandoquidem Brixinone duo processus ordinaria auctoritate confici deberent; nosque ipsos in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 4, par. 2, cap. 5,* plura recensere exempla, quibus officia et missae propriae, in alicuius beati honorem concessa quandoque fuisse constabat, ex iis tantummodo, quae de eo literis consignarant auctores graves, quaeque de publico eiusdem cultu erant pervulgata, quin ullus antecesserit processus ab Ordinario confectus super virtutum seu martyrii aut miraculorum vel cultus antiqui ac hominum memoriam excedentis fama; propterea quod huiusmodi processus tunc solummodo sit necessario praemittendus, quando praeter officii missaeque concessionem in causa progredi quis velit, et ad formalem usque canonizationem procedere, haud vero, quum, peculiaris officii missaeque indulto obtento,

nihil de formali canonizatione cogitatur, sed mens est frui dumtaxat impetratis: hinc igitur animum induximus viam relinquere a nobis antea praescriptam et alteram inire, quam ipsi patefecimus, plurimisque exemplis *in praecit. cap. 5* confirmavimus.

Historici, qui de B. Andrea scripserunt.

§ 3. Incognitum nobis non erat huiusce B. Andreae nomen neque martyrium, cum legerimus quidquid de ipso scripserunt celebres Bollandistae *tom. 3 mensis iulii ad diem* XII. Nosque ipsi de eo mentionem fecerimus in praecit. nostro Opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 3, cap. 15, num. 6*. Antequam vero oblatis precibus annueremus, opus fuit, ut percurreremus huiusce martyris historiam manuscriptam, ab Hippolyto Guarinonio germano idiomate compositam, latine vero redditam a P. Norberto abb. Viltinensi; ut inspiceremus acta martyrii, publicique cultus monumenta multo labore ac eruditione collecta, typisque tradita sub annum MDCCXLV. a Patre Hadriano Kembtero; nec non disceptationem apologeticam de martyrio beati Simonis Tridentini, Tridenti impressam anno MDCCXLVII., ubi *cap. 5* de martyrio cultuque Beati Andreae late disseritur; quam quidem disceptationem quamvis eruditi auctoris modestia nullo inscriptam nomine ediderit, perspectum tamen est, opus esse Patris Benedicti Cavallesio, quemadmodum testis locupletissimus est celebris Flaminius Cornelius senator Venetus in suo opere *de cultu S. Simonis Pueri Tridentini et Martyris, pag. 4,* ubi debitas praefato emerito religioso viro laudes non praetermittit.

Alia de eo monumenta.

§ 4. Insuper, cum delatum fuisset, antiquum quemdam extare processum ordinaria auctoritate confectum super cultu huiusce B. Andreae, authenticum eius exemplum transmitti ad nos iussimus; utque extraiudiciales saltem suppeterent probationes continuationis eiusdem publici cultus, missae ea de re ad nos fuerunt testificationes. Postquam autem omnia accurate perpendimus, per organum Congregationis Rituum, instantibus ven. fratre Brixinensi Episcopo dilectisque filiis procuratore generali Ordinis Praemonstratensis et abbate monasterii Viltinensis, decimo octavo kalendas ianuarii MDCCLIII. missam propriam, officiumque cum peculiaribus lectionibus a clero saeculari et utriusque sexus regulari, sub ritu duplici in civitate ac per universam Brixinensem dioecesim recitandum concessimus; nec tamen omisimus, missam ipsam atque proprias lectiones examinandas curare, omniaque cum dilecto filio Ludovico Valenti tunc fidei promotore, nunc vero assessore S. Officii, communicare: ac insuper praememorati Brixinensis Episcopi, reliquorumque, quos mox supra expressimus, precibus annuentes, decimo octavo kalendas februarii plenariam Indulgentiam concessimus singulis, qui confessi sacraque communione refecti, quarto Idus iulii cuiusque anni, Rinnensem visitent Ecclesiam, in qua Beati Andreae reliquiae conquiescunt.

Quibus attentis offic., missa et indulgentia instantibus concessa fuit.

Similiter Sixtus V. peregit

§ 5. Haec omnia peregimus, proposito nobis Sixti V. praedecessoris nostri exemplo. Sub annum MCDLXXXV. fuit ab Hebraeis in odium fidei Christi saevissime occisus Beatus Simon Tridentinus Puer, qui nondum impleverat tertium aetatis suae annum. Ex inhumano hoc scelere tot tantaeque turbae derivarunt, totque ac tantis artibus usi sunt iudaei ad promeritas poenas declinandas avertendumque a se iustum Christifidelium odium, ut Sixtus IV. refugere haud potuerit, quin ea in re ipse intercederet prohibendo, ne, qui antea publicus cultus B. Simoni praestabatur, eidem amplius exhiberetur, quousque perspicuum evasisset, eumdem in odium christianae fidei fuisse a Iudaeis trucidatum. Sixti IV. Breve relatum a nobis fuit in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 1, cap. 14, num. 4*. Cum vero subinde palam omnia facta fuissent, allatisque probationibus, demonstrata, una cum nece, eiusdem inferendae causa, atque constitisset etiam interfectores Hebraeos fuisse, veluti evincitur ex processu, qui vel nunc temporis in secretiori archivio Castri S. Angeli asservatur, quemadmodum monuimus in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 3, cap. 15, n. 6,* a Sixto V. Pontifice anno MDLXXXVIII. datum fuit Breve concessionis missae celebrandae ac officii proprii in civitate universaque dioecesi Tridentina, in honorem Beati Simonis, definita die recitandi, superaddita indulgentia plenaria omnibus, qui, confessionis ac communionis sacramentis muniti, die eidem sacra visitassent Ecclesiam, in qua eiusdem reliquiae coluntur. Breve Sixti V. insertum est praecitatae disceptationi apologeticae super martyrio B. Simonis, Tridentinis praelis cusae anno MDCCXLVII. *p. 207,* ubi eruditus auctor refutare non negligit quaecumque Wagenseilius et Basnagius in

pueri innoxii martyrium obiecerant: idque ipsum, vi et eruditione haud impari, praestatur a Flaminio Cornelio senatore Veneto in suo opere *de Cultu S. Simonis Pueri Tridentini,* Venetiis recuso sub annum MDCCXLIII. Inter ea vero, quae vel ipsi pro B. Andreae cultu indulsimus vel praedecessores nostri pro cultu B. Simonis decreverunt, hoc unum discrimen est, quod nimirum, iussu Gregorii XIII. Pontificis, B. Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuit illatum, uti praenotavimus in *nostro lib. 1, de Canonizatione, cap. 14, n. 4.* At id nos praestare noluimus quoad Beatum Andream, ad sarta tecta servanda posteriora decreta, ut in Martyrologium Romanum Canonizatorum nomina solummodo inserantur, omissis nominibus eorum, qui Beatorum numero adscripti sunt vel solemni vel aequipollenti beatificatione: uti videre est *nostro lib. 4 de Canonizatione, part. 2, c. 18, n. 9 et seq.*

Discrim inter utr. et discriminis causa.

Nova pro canoniz. instantia, unde conscribendae epistolae occasio.

§ 6. Si religiosis viris satis fuisset, quemadmodum affirmaverant, officium missamque propriam obtinuisse, et subinde ulterius progressi causam ipsam ad formalem canonizationem instruere non attentassent, nos quidem epistolam hanc dictandi, te vero perlegendi ac expendendi, labore levavissemus; at, cum formalem canonizationem nunc sibi animo proposuerint, obtinuerintque ut potentissimi catholicorum principum in id ipsum vehementer instarent, opus nobis esse conspeximus, ut omnia rite recteque se habeant, hac epistola sententiam nostram de nupera petitione aperire.

Quaenam sint ad formalem canoniz. praemittenda.

§ 7. Haud sane conquerimur eos, postquam expressa superius ratione missae propriae propriique officii concessionem a nobis sunt assecuti, declarato eorum animo ulterius minime progrediendi, mutasse exinde sententiam; nova enim haec molimina libenter damus iteratis religiosae devotionis impulsibus. Certi praeterea sumus, quoties ipsi ad formalem canonizationem properare velint, te, pro ea qua uti consuevisti diligentia, non neglecturum commissionem relaxare, quae dicitur *in statu et terminis,* de qua verba fecimus in nostro opere de canonizatione, *lib. 2, c. 38, num. 13,* legitimam quoque exposcere probationem, qua casum hunc Urbani VIII. decretis non esse comprehensum demonstretur, quod caeteroquin facile admodum praestabunt postulatores, authenticum nostrum missae atque officii indultum proferentes, veluti nos quoque innuimus praecitato opere, *lib. 2, cap. 42, num. 3.* Nec te pariter praetermissurum scimus tum exigere, ut, novo confecto processu apostolico, una cum martyrio ipsa probetur causa martyrii Beati Andreae; cum ad solemnem canonizationem haud satis habeantur, quaecunque et facta et oculis subiecta fuerunt ad officii missaeque concessionem; veluti ipsi plene demonstravimus in nostro *lib. 1 de canonizatione, cap. 32, a num. 6 ad 17, et cap. 42, n. 9;* tum ad severae critices regulas expendere, an historici martyrium referentes necessariis polleant conditionibus, ad probationem constituendam in iudicio solemnis canonizationis, quibus de conditionibus nos late egimus *nostro lib. 3 de Canonizatione, cap. 7 et duobus sequentibus,* cum maior etiam quoad historicos adhibeatur facilitas, quoties res est de simplici concessione publici cultus, peculiaris alicuius dioecesis finibus circumscripti, quam cum agitur de publico cultu praeceptiva lege decreto, atque in universam ecclesiam ampliato, quemadmodum vel ipsi adnotavimus *lib. 4, part. 2, c. 10, num. 26;* ac denique expetere, praeter martyrium eiusque causam, signorum praeterea ac miraculorum accessionem, quae post Indultum publici cultus contigerint, quod perinde est ac dicere, post datum a nobis Breve concessionis officii ac missae. Neque hic sufficient duo signa vel miracula, sed quatuor afferantur necesse est; causa namque Beati Andreae, quoad martyrium et martyrii causam, fulciri non potest probationibus directis, testibus nempe *de visu,* sed auxiliaribus veluti ac subsidiariis, testibus nimirum *de auditu;* qua quidem in facti specie, duo signa vel miracula satis non sunt, sed quatuor desiderantur, iuxta generale decretum a nobis editum nono kalendas maii MDCCXLI. impressumque in nostro opere *de Canonizatione lib. 3, cap. 3, num. 25,* quod nunc temporis accuratissimam executionem in Congregatione Rituum consequitur.

Quia autem causa haec novum inf. canoniz. exemplo.

§ 8. Certum nobis est, te nihil eorum, quae hactenus recensuimus, pro perspecta nobis cura ac sedulitate tua relinqui facturum. Quod nos habet sollicitos illud est, causam Beati Andreae pueri, ab Hebraeis occisi in odium fidei, primam esse, quae, post causas Canonizationis S. Sedi reservatas, instrui velit, haud quidem ad obtinendum vel indultum permissivum publici cultus una aliqua dioecesi circumscripti, vel formalem aut aequipollentem beatifi-

cationem, sed ad impetrandum publicum cultum et quidem praeceptum, atque in universam Ecclesiam per expressam formalem canonizationem ampliatum. Nos hac de re disseruimus *in nostro lib. 1, cap. 14, n. 5, et 3 lib., cap. 15, n. 6,* monuimusque, quoties casus iste obvenisset, cautione opus esse; cum res nova agatur, nec umquam in praxim deducta a S. Sede, ex quo eadem sibi canonizationis causas reservavit, quemadmodum praediximus. Estque hoc plane illud, quod nos impulit, ut hasce ad te daremus literas; congruere enim nobis visum est, ut primum omnium in Rituum Congregatione disquiratur, an promoveri debeat Beati Andreae causa, quam postulatores ad formalem usque canonizationem perducere decreverunt; namque aequum non est, ut causa institui permittatur, efformari processus super martyrio et martyrii causa ac super signis atque miraculis, et fortasse etiam probentur haec omnia, postremo autem respondeatur formali canonizationi non esse locum, ex quo nullum extet similis canonizationis exemplum, canonizationis nimirum pueri in fidei odium enecati. Audita autem Congregationis sententia, antequam reddamus quaesito decretum, non cessabimus supplices Deum exorare, ut divino nos lumine dirigere non dedignetur.

Ideo primum expendi iubetur, an admitti debeat.

Indicandi momenta.

§ 9. Interea vero, ut facilior evadat disquisitio, opportunum existimamus hisce literis summatim retexere, quidquid docuere theologi de pueris, in odium Christi occisis, et ex sacris Ecclesiae monumentis colligere, quae de ipsis pueris, delatoque iisdem cultu, memoriae prodita adinveniuntur. Videntur enim nobis haec omnia plurimum posse conferre ad absolutissimam definitionem instantiae propositae a postulatoribus Beati pueri Andreae Rinnensis, qui, ab impetrato cultu peculiaris missae et officii, ad certum quemdam locum, ut praenotavimus, circumscripti, id quod nihil aliud est quam aequipollens beatificatio, ulterius progredi vellent et formalem obtinere canonizationem.

Omnes pueri, in odium Christi occisi, sunt martyres.

§ 10. Hanc itaque sectantes methodum, asserimus, ex quo Ecclesia tamquam martyres colat Bethleemiticos Infantes, theologis iustam fuisse causam propugnandi, martyres quoque esse caeteros omnes pueros, quibus in odium christianae fidei vita fuit adempta. Collectae a nobis fuerunt auctoritates in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum, lib. 1, cap. 14, num. 3 et seq.* Neque enim ulla firma ratione defendi potest, quod affirmant nonnulli, martyres nimirum fuisse Bethleemiticos Infantes peculiari quodam privilegio divinitus ipsis dato, quo ipsorum aetatem rationis usus antevertit, ut, mortem perpessi, martyrii palmam assequerentur: etenim tam quoad Bethleemiticos Infantes, quam quoad ceteros omnes in odium fidei Christi necatos, obtinet theologica ratio, martyrium scilicet intelligi per mortem in christianae fidei odium perlatam, infantesque, qui huiusmodi morte tolluntur, martyrii gloriam assequi ex Iesu Christi meritis, quamvis libero arbitrii actu illud non oppetierint. Auctoritatibus autem ibi per nos allatis supperaddemus sequentes: Sylvium nempe *in 2-2 D. Thomae, quaest. 124, art. 1: Sunt qui dicant acceleratum fuisse in istis Innocentibus,* de Bethleemiticis loquitur, *usum rationis; sed hoc nulla vel Scripturae vel Patrum auctoritate probatur etc. Non est ergo mirandum, quod B. Thomas nolit admittere accelerationem usus rationis in parvulis Innocentibus pro Christo occisis, quos tamen recte dicit habere palmam martyrii; quia, quod in aliis propria voluntas, Dei auxilio adiuta, meretur, isti propter Christum occisi, sunt per Dei gratiam consecuti etc. Si quis ergo quaerat, utrum pueri non baptizati essent martyres, si modo interficerentur propter Christum, vel in odium christianae religionis, respondendum est affirmative.* Satis ponderis et momenti inest quoque verbis Suaresii *in 3 part. D. Thomae, tom. 3, disput. 29, sect. 1,* ubi postquam evicerat, pueros Bethleem fuisse vere martyres, ita subdit: *Ex hoc autem singulari facto recte colligimus, nullum infantem, ratione infantiae, esse martyrii incapacem; sed omnes eos, qui eodem modo pro Christo mortem sustinuerint, vere esse martyres: nam eadem est ratio et causa in caeteris infantibus, quae fuit in illis Innocentibus; quia vel in illo facto intercessit speciale privilegium, factum illis pueris, vel non: si non intercessit, ergo non est, cur alii censeantur magis incapaces martyrii, quam illi, cum omnes aeque careant usu rationis; si vero intercessit privilegium, hoc certe non est factum personis, sed causae. Quid enim in illis pueris cogitari potest pertinens ad personalem dignitatem, vel conditionem eorum, propter quod huiusmodi privilegium illis concessum? Nihil sane. Tota*

Probatur ratione theolog. et theol. auctoritate.

ergo ratio illius privilegii fuit causa mortis, nimirum quod propter Christum occisi sunt etc. Quin etiam Ecclesia eodem modo inter martyres numerat quoslibet pueros vel infantes, qui in lege gratiae pro christiana religione mortui sunt, ut constat ex omnibus historiis ecclesiasticis, et ex modo loquendi Sanctorum etc. Neque enim gratiam Christi minus liberaliter nunc, quam eo tempore, communicatur, neque horum mors minus est propter Christum, quam illorum; immo quodammodo videtur expressius ac formalius esse propter Christum: nam, licet omnes interfecti sint in odium Christi, tamen illi priores Innocentes solum mortui sunt inter quaerendum Christum; hi vero interficiuntur propter fidem Christi, et ad destruendam et evertendam religionem eius. Est ergo par omnium ratio. Eiusdemque sententiae sunt quoque Estius *in 4 sent., dist. 4,* § *21, vers. Praeterea non leve;* Cardinalis Lauraea *in 3 lib. sent., part. 2, disp. 20 de Martyrio, artic. 4, num. 34,* nec non bon. mem. Card. Gotti *tom. 2, in 3 part. tract. de Baptismo, quaest. 2, dub. 2,* § *1, et tom. 4, part. 1, de Veritate Religionis, cap. 14,* § *3, n. 15.*

Inde ecclesiasticis monum. et primo, quod puerorum nomina sint in Martyrol. Roman. illata.

§ 11. Proximum est, ut ea colligantur, quae sacris ecclesiae monumentis consignata reperiuntur. Percurrentes Martyrologium Romanum, reperimus quinto idus ianuarii habitam mentionem Antiochiae Celsi cuiusdam pueri, qui una cum Marcionilla matre aliisque fratribus in odium fidei Christi fuit occisus; pridie idus februarii, Alexandriae Modestii et Ammonii infantium; XVI. kalendas iulii, Tharsi in Cilicia SS. martyrum Iulittae matris et Quirici filii tertium aetatis suae annum agentis; idibus iulii, Alexandriae decem infantium; quinto kalendas eiusdem mensis, Mediolani Ss. Nazarii et Celsi pueruli; decimo sexto kalendas septembris, Cartagine in Africa Maximi pueri; duodecimo kalendas septembris, in Sardinia Ciselli et Camerini puerorum; decimo nono kalendas octobris, Romae Crescentii pueri; decimo quinto kalendas eiusdem mensis, Augustoduni S. Flocelli infantis; Idibus novembris, Paulilli pueri, qui, in Vandalica Genserici persecutione per Africam, martyrium pertulit; decimo quinto kalendas eodem mense, Antiochiae Barulae infantis; octavo idus decembris, in Africa S. Maiorici adolescentuli. De hoc Maiorico loquitur quoque Victor Victensis *lib. 5 de Persecutione Vandalica, tom. 8 Bibliothecae Patrum,* ubi etiam *pag. 681* meminit de aliis pueris, qui in praedicta Vandalica persecutione forti animo martyrium subierunt. *Ibi et infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliae gaudentes, aliae tristes, aliae retrahentes: aliae gaudebant, se martyres peperisse; aliae moliendo diluvio rebaptizationis nitebantur a confessione fidei revocare. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram.*

Secundo, quod eorum reliquiae cum signis martyrii fuerint repertae.

§ 12. Pueros, quorum nomina, uti praenotavimus, in Martyrologium Romanum sunt relata, quique inter martyres recensentur, sequuntur caeteri, quorum reliquiae martyrii nota signatae, seu, quod perinde est, cum ampulla sanguinis, in veteribus Christianorum coemeteriis fuerunt repertae, una cum proprio cuiusque nomine ac indicatione annorum, quibus sancti illi pueruli pro Christo occisi sunt. Ad id ipsum evincendum, satis est, ut prae manibus habeatur opus accuratissimum bonae memoriae canonici Marci Antonii Boldetti *de coemeteriis sanctorum Martyrum et veterum Christianorum, ubi pag. 344* affertur inscriptio sepulcralis lapidis S. Dorotei martyris sexto infantiae mense sublati; *pag. 363* similis inscriptio S. Anastasii, *pag. 365* alia S. Serenillae, quorum uterque fuit primo ineuntis aetatis anno interfectus; eadem itidem *pag. 365* Epitaphium exscribitur S. Bonifaciae trimae; *pag. 432* alterum S. Aurelii quadrimi; nec non alia tria de tribus infantibus quinquennibus, Decentio nimirum *pag. 345,* Tiberia *pag. 363,* Candida *pag. 366.* Demum similia monumenta profert de duobus, qui sextum non excesserant aetatis annum, alterum nimirum de S. Doroteo *pag. 372,* alterum de S. Diogenia *pag. 381.* Idemque canonicus Boldetti *lib. 1, cap. 48, pag. 261,* postquam scite praenotaverat, non solum Bethleemiticos Innocentes, sed et caeteros quoque, qui successivo tempore pro Christi fide mortem perpessi sunt, ut ut infantes, dignos esse, quibus martyrum cultus exhibeatur, subdit, saevientibus persecutionibus, ubique terrarum, praesertim vero Romae, idolorum cultores ipsos quoque pueros in odium fidei Christi interemisse: *In pueris quoque virtus maior aetate annos suos confessionis laude transcendit, ut martyrii vestri beatum Gregem et sexus et aetas omnis ornaret:*

sunt S. Cypriani verba in *Epistola 77 ad Nemesianum* Balutianae editionis. Loquens autem de Christifidelibus Romae degentibus, inquit Minutius Felix *in Octavio, tom. 3 Bibliothecae Patrum: Pueri et Mulierculae nostrae cruces, tormenta, feras et omnes suppliciorum terriculas, inspirata patientia doloris illudunt.*

Tertio, ex annalib. aliisque Ecclesiæ monumentis.

§ 13. His consoni sunt Ecclesiae annales, aliaque ecclesiastica monumenta. Sub Decio aut Valeriano, celebre fuit martyrium S. Cyrilli primioris aetatis, *pueri,* cuius acta referuntur a Bollandistis *tom. 7 maii ad diem vigesimam nonam,* et in Ruinart *in actis martyrum editionis Amstelodami pag. 246.* In Annalibus Cardinalis Baronii *ad annum Christi 311, num. 16,* fit mentio de duobus fratribus puerulis, quorum corpora condita fuere ad Nicomediam in ecclesia, quae subinde dicta fuit *martyrium infantium; et ad annum Christi 522, pag. 57 et seq.,* exscripta sunt acta martyrii cuiusdam mulieris, eiusque filii quintum aetatis annum non praetergressi. Apud Bolland. ad *diem 24 martii,* praeter ea, quae de Beato Simone puero Tridentino superius commemoravimus, narratur in dioecesi Coloniensi coli Ioannettum quemdam puerum, in odium fidei ab Hebraeis occisum: Baillet. ad *eamdem diem 24 martii,* inquit, Parisiis coli tamquam martyrem Riccardum quemdam puerum; alterumque itidem puerum Villelmum nomine, in odium fidei ab Hebraeis interemptum in Anglia fuisse cultum. Tomo autem 18 operum Patris Thaophili Raynaudi, et nominatim in eo opere, quod inscriptum est *de Martyrio per pestem, part. 2, cap. 2, num. 7* legitur, Ferdinandi Hispaniarum Regis aetate, in odium Christi fuisse a Iudaeis interfectum in oppido prope Toletum, *Guardia* dicto, puerum quemdam trimum, eidemque cultum exhiberi, atque dici antonomastice *Innocentem a Guardia:* idque ipsum testatur de geminis aliis pueris bimis, in Sardinia, Cesselio et Camerino nuncupatis. Insuper in praecitata disceptatione apologetica de martyrio S. Simonis Tridentini *pag. 242* infantula quaedam commemoratur, nomine Ursula, annorum trium, quae ad annum circiter MCDXLII. Loncii, parva quidem, sed vetusta civitate in finibus comitatus Tirolensis ad Carinthiam positae in Valle Pusteria, truculentissime fuit in Christi odium ab Hebraeis interempta; vetustiorique lapidi in sacrario loci apposito subrogatus subinde fuit recentior an. MDCIX. ex vetustiori illo exsculptus, in quo descripta legitur horrendi sceleris historia: et *pag. 246 et seq.* mentio habetur de Laurentino puero, quem Hebraei quinquennem in odium itidem fidei Christi anno MCDLXXXV. interfecerunt, quique ab ipso martyrio in haec usque tempora, Marosticae, in agro Vicentino, proximisque pagis, martyr habetur ac colitur.

Non omnes, qui supra commem. sunt pueri vel infantes, rationis expertes fuerunt.

§ 14. Non id nobis sumimus, ut propugnemus, omnes, quorum nomina huc usque innuimus, ea reipsa fuisse aetate, qua rectum a pravo, cum occisi fuerunt, non secernerent, quamvis ex ipsis nonnulli *pueri,* reliqui *infantes* dicantur. Fatemur ingenue, ut ut aliqui nuncupentur pueri, ex his tamen ipsis nonnullos duodecimum, alios nonum, et alios itidem septimum aetatis annum implevisse; quemadmodum ipsi adnotavimus ad martyrium S. Babilae et Sociorum, in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum lib. 1, cap. 14, n. 5,* et uti etiam monetur ab emeritis viris et in latina lingua apprime versatis, quorum aliqui pueritiam a tertio quartove aetatis anno ad decimum usque, alii a septimo ad decimum quartum producunt; uti videre est apud Martinium *Verb. Puer.* Alii pueritiam decimo vel etiam decimo quinto aetatis anno concludunt, quemadmodum legi potest penes celebrem Facciolatum *Verb. Puer,* et inter iurisperitos apud Gonzalez, *in cap. Referente, num. 7 et seq., de delictis puerorum:* qua nimirum aetate oportet fuisse sanctum illum Cyrillum *puerum,* quem supra commemoravimus, si eius agendi ratio, responsiones ad tyrannum, adhibitaque ab ipso tyranno verba expendantur: *Vidisti, o puer,* (inquit) *ignem: vidisti, o iuvenis, gladium?* quae in eiusdem actibus superius indicatis leguntur.

Verbum puer. inf. non semper aetat. indicat. iudicio expertem.

Animadvertimus, plures dici infantes, eum autem esse infantem, qui adhuc concepta verba proferre nescit, idest non valet. *Infans ab infando dictus est:* inquit Nonius. Et S. Isidorus *de originib.* subdit: *Infans dicitur homo primae aetatis: dictus autem infans, quia adhuc fari nescit, id est loqui non potest.* Qua in re consentiunt viri latinae linguae peritia insigniores, Hofmannus nempe et praememoratus Facciolati. Verum non ignoramus infantis nomine ab ecclesiasticis scriptoribus eos etiam fuisse designatos, qui eam agebant aetatem, qua eloqui poterant ac noverant. In actis proconsularibus S. Saturnini et Sociorum

martyrum a Surio editis, relatisque a Cardinali Baronio ad annum Christi CCCIII., habetur, a Coloniae magistratu captum Saturninum presbyterum, una cum quatuor filiis, quos inter aderat Hilarianus infans, omnesque martyrium consecutos: ad verbum autem *Infans* haec expendit praedictus Cardinalis *num 36: Cum hic audis infantem, ne existimes, puerum hunc esse nuper natum, qui fari nesciat; nam loquendi usus erat apud Afros, ut quosque pueros infantes dicerent, ut ex Victore Uticensi alibi diximus, qui pueros ecclesiae cantores, infantulos nominat etc.* Post haec idem Cardinalis quaestionem exhibet de aetate, quam ageret Hilarianus infans, cum martyrium passus est: *Porro quotennis esset puer hic, quem auctor vocat infantem, sua ipsius confessio, coram proconsule facta, inferius declarabit.* Et *num. 57,* verba exscribens ab infante coram proconsule dicta, satis indicat, infantem et fari scivisse et potuisse, eaque fuisse aetate, in qua probe animo menteque assequebatur, sibi mortem in odium fidei Christi inferri: *Hilarianus adhuc supererat,* sunt ipsa actorum verba, *unus de natis presbyteri martyris Saturnini, qui aetatem suam parvulam ingenti devotione vincebat etc. Subito brevi de corpore vox iuvenilis auditur, et angustum pueri pectus ad confessionem Domini totum aperitur in voce respondentis: Christianus sum, et mea sponte atque voluntate cum patre meo et cum fratribus feci collectam.*

Triplex martyr. distinctio.

§ 15. S. Bernardus in Sermone de Innocentibus *tom. 1, pag. 787* ait, nonnullos martyres esse *voluntate et opere,* veluti Sanctus Stephanus: *Habemus in Beato Stephano martyrii simul et opus et voluntatem;* alios esse martyres sola voluntate, cuiusmodi fuit S. Ioannes Evangelista, qui, post martyrium ebullientis olei superstes, in pace quievit: *habemus solam voluntatem in Beato Ioanne;* et quosdam martyres haberi solo opere, ex eo nimirum, quod pro Christi fide mortem obierint: *solum in Beatis Innocentibus opus.* In classe martyrum *operis et voluntatis* redigendi sunt quotquot puerilem licet aetatem agentes, noverunt tamen sibi pro Christi fide moriendum, volueruntque pro ea occumbere, Deo optimo efficacibus gratiae suae auxiliis aetatem antevertente. Hunc gratiae triumphum innuit S. Ambrosius, cum *in suo lib. 1 de Virginibus, cap. 2* loquitur de martyrio S. Agnetis: *Haec duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quo detestabilior crudelitas, quae nec minusculae pepercit aetati: immo magna vis fidei, quae etiam ab illa testimonium invenit aetate;* et paulo infra: *Magisterium virtutis implevit, quae praeiudicium vehebat aetatis.* Paullo supra martyrium commemoravimus matris, eiusque filii, a Cardinale Baronio relatum *ad annum Christi* DXXII. *num. 57 et seqq.,* nunc autem opportune subditur, valuisse puerum, etsi haud quinquennio maiorem, blandimentis tyranni obsistere, qui postquam matrem comburi iusserat, filium cupiebat poena eximere, modo a Christi fide defecisset; vero cum effervescente concertatione, a suo se custode abripuisset puer, ex superno peculiari impulsu prosiliit in flammas, inter quas perierat mater, quemadmodum nosse licet ex universa facti serie descripta in actis a Cardinali Baronio relatis, in quibus dum pueri describitur indoles, instructus dicitur prudentia, quae aetatem longe praestaret. De his martyribus non est nobis sermo; de tertia loquimur classe martyrum, qui *solo opere martyres sunt,* ut verbis utamur S. Bernardi, damusque libenter, ex iis multos reperiri inter eos, quos supra commemoravimus; occurrunt quippe nonnulli, de quibus vel adnotatus annorum numerus, quo martyrium subierunt, vel integer historiae complexus omnem adimunt occasionem disceptandi, quonam sensu verbum *puer,* alterumque *infans,* sint accipienda. Cum in sacro textu apud Matthaeum *cap. 2* aetas puerorum, quos Herodes in Bethleem eiusque finibus iussit occidi, adnotetur « *a bimatu et infra* », inde demonstratur perspicue, interfectos pueros martyres fuisse *solo opere;* pugnat quippe cum verisimilitudine et cum ipsa litera textûs sententia, quam Iansenius quoque *in evangelia, c. 11,* improbavit, asserentium, verba illa — *a bimatu et infra* — haud ita accipi oportere, quasi adhibita ad circumscribendam aetatem infantium interfectorum, sed ad innuendum, primum quidem occisos fuisse infantes biennes vel biennio minores, quamvis subinde necati fuerint et illi, qui erant grandiores.

Volunt. et opere.

Sola voluntate.

Solo opere.

Postremae classi accensendi Bethleemiti infantes.

§ 16. Nihil deflectentes a statuta methodo, proximum est, ut de cultu disseramus, qui iuxta Ecclesiae disciplinam exhibitus fuit nuncque exhibetur infantibus, quibus in odium Christi mors fuit illata, quique

Quinam cultus infantibus in odium Christi sublatis, fuerit in ecclesia praestitus.

martyres sunt *solo opere;* propterea quod mortem ipsam ea aetate sint perpessi, qua potis non erant bonum a malo secernere, nec adhuc advenerat *tempus intelligentiae, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam,* uti loquitur S. Hieronymus *in epist. 121 ad Algasiam, quaest. 8,* victoriamque obtinuerint vel ante quam, quid vicisse sit, nosse potuerint; iuxta phrasim, qua utitur S. Ambrosius disserens de infantibus Bethleemiticis *lib. 1 de officiis ministrorum, cap. 41, num. 213. Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriae acceperunt, quam sensum naturae?* Utque res clarior evadat, in nonnullas classes eosdem distribuemus.

Variae numerantur classes, cum huiusmodi infant. tum cultus iisdem tributi.

Prima classis eorum, qui in univ. Ecclesia cultum obtinent a primis saeculis, quique aliqua ratione canonizati dici possunt.

§ 17. Prima classis iis constat, qui a remotioribus usque saeculis cultum obtinent in tota Ecclesia universalem; de his quippe licet asserere, Sanctorum albo eos esse adscriptos per eam canonizationis speciem, quae tum adesse intelligebatur, cum cultus aliqua in dioecesi institutus, ex ea in aliam dioecesim, et ita subinde in universam Ecclesiam protendebatur: qua quidem in re, ecclesiastica semper accedebat auctoritas, Episcoporum nimirum, et Romani Pontificis. Episcoporum quidem, dum cultus ex altera in alteram dioecesim ipsis consentientibus derivabat: Romani autem Pontificis, vel quia a particularibus locorum Episcopis saepe transmittebantur acta, ut eadem ipse expenderet atque probaret; vel quia, cum perspectum haberet, nec improbaret cultum iam institutum, ac sensim longe lateque manantem, hoc ipso eum probare videbatur; veluti videre est in *nostro lib. 1 de Canonizatione Sanctorum, cap. 6,* et nominatim *num. 9.*

Huic accensendi Bethleemitici infantes.

§ 18. In hanc autem primam classem nos Bethleemiticos Innocentes referimus, quorum cultus iam inde a primis saeculis in universa Ecclesia obtinuit, quemadmodum demonstrat Cardinalis Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum,* et uti etiam fateri cogitur severus censor Baillet, qui in *Historia Cultus horum SS. Innocentium, § 2,* quamvis neget festum ipsorum diem ante saeculum nonum fuisse universim servatum, fatetur tamen, cultum erga eos in universa Ecclesia iam inde a primis saeculis inolevisse; quandoquidem et ipse S. Augustinus scripserat *lib. 3 de libero arbitrio, cap. 23, num. 67: Non frustra etiam infantes illos, qui, cum Dominus noster Iesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem martyrum receptos commendat Ecclesia:* quod etiam colligitur *ex lib. 10 de Genesi ad literam, cap. 22, num. 39.*

Graecorum aliorumque minus probabilis opinio de illorum numero.

Prior haec classis multa sane esset ac frequens, si Graecorum firma esset assertio, qui in suis Menaeis volunt, infantes iussu Herodis in Bethleem necatos, numerum quatuordecim millium implevisse: *Commemoratio Sanctorum Infantium, qui ab Herode occisi fuerunt, quorum numerus quatuordecim millia;* qua in re consentiunt quoque Moschi *in suis sacris Ephemeridibus,* et Æthiopes *in sua Liturgia.* At nos huiusmodi assertioni minime assentiri nos posse ducimus: cum legerimus, quidquid contra scripsere Papebrochius *t. 1 actuum Sanctorum maii pag. 57;* Tillemont. *in monumentis ecclesiasticis tom. 5, pag. 432, not. 13;* Calmet *in Commentariis ad Evangelium S. Matthaei;* Serry *in suis exercitationibus,* et novissime eruditus pater Castus Innocens Ansaldi in egregia sua disceptatione, seu *vindiciis infanticidii Herodis,* Brixiae sub an. MDCCXLVI. impressis, ubi eos refutans, qui ausi sunt facti veritatem in dubium revocare, ex ea levissima ratione, quod nihil de eo habeat Ioseph hebraeus, non praetermisit omnia colligere, quaecumque a caeteris uspiam allata fuere adversus praefatam Graecorum assertionem. Satisque nobis erit asseruisse, infantes in Bethleem eiusque finibus fuisse iubente Herode occisos, eosdemque non solum martyres extitisse, sed cum insuper in universa Ecclesia cultum sint consecuti, quemadmodum supra adnotavimus, canonizatos haberi debere, ideoque pertinere ad primam classem, de qua nunc nobis est sermo; quam quidem in classem libenter recensebimus alium quemcumque infantem, cui demonstretur in universa Ecclesia a primis usque saeculis cultum veluti martyri fuisse exhibitum, eo plane modo, quo fuit exhibitus, et nunc quoque temporis Bethleemiticis infantibus exhibetur.

Canoniz. sunt consecuti, et quomodo.

Secunda ex iis est, qui ab immemorabili certis in locis cultum obtinent, consent. Ordinar.

§ 19. Altera classis ex iis constituitur infantibus in odium christianae fidei interfectis, qui a tempore hominum memoriam antevertente publicum sibi in aliqua civitate vel dioecesi vindicant cultum, scientibus et ferentibus, quin et quandoque nominatim etiam adprobantibus, Ordinariis. Secundae huic classi possunt accenseri perplures, quorum, uti praenotavimus, in Ecclesiae annalibus ac monumentis sit mentio, et nonnulli etiam ex iis, quorum nomina sunt in Martyrologium Romanum

relata. In eadem ipsa classe locus statuendus erit Beato illi infanti Ioanetto, duobusque pueris Riccardo et Guillelmo, et praeter reliquos Beato etiam Laurentino, de cuius vetustissimi cultus antiquitate extat episcopalis Patavinae Curiae testimonium impressum in praecitata disceptatione apologetica de martyrio Sancti Simonis Tridentini *pag. 253* his verbis compositum: *Il culto religioso verso cotesto Santo Fanciullo si è mantenuto sempre invariabile nel lungo corso d'anni dugento sessanta dal suo martirio sino al presente, così in Marostica, come ne' luoghi vicini, informati del di lui sagrifizio alla rabbia Giudaica. Nelle urgenze sì private, e sì pubbliche di questi popoli, si ricorre a Dio Signore col mezzo del di lui credito, scoprendosi in tal occasione l'Arca del suo sacro Deposito, per sempre più infervorare i supplicanti.* De his itaque differendo, qui praefata immemoriali possessione publici cultus fruuntur, asseri iure non potest, eosdem Sanctae Sedis iudicio et auctoritate beatificatos fuisse, dum ponitur, ipsorum cultum, scientibus et probantibus tantummodo Ordinariis, obtinuisse; cumque de ipso nullus fuerit efformatus processus vel Romam ad Romanum Pontificem missus fuerit eius auctoritate approbandus. Multo minus dici merentur canonizati, tum quia illorum cultus ad universam non protenditur Ecclesiam, tum quia desideratur supremum Romani Pontificis iudicium ad canonizationem omnino necessarium. Illud tamen de praefatis pueris affirmare licet, quod quum Urbanus VIII. Pontifex suis decretis edixerit, nolle se quicquam detrahere iis, qui centenariam ante sua decreta possessionem publici cultus obtinuerant, nihil hinc praeterea desideretur, ut ipsis debeatur idem cultus, iisdem in locis, in quibus centum ante id temporis annos illum continenter sunt consecuti, scientibus et probantibus Ordinariis, potiorique iure quoties Romani quoque Pontificis scientia superaccessisset.

Beatific. a Sancta Sede, nec canonizat. dici possunt.

Tamen in Urbani VIII. decretis cultus ipsis praeserv.

Tertiam classem implent pueri, quorum reliquiae cum insignibus martyrii repertae sunt.

§ 20. Tertia denique classis eorum est puerorum, de quibus supra meminimus, quorum aetas una cum propriis eorumdem nominibus, sepulcralibus lapidibus est notata; quorumque Ossa ac Reliquiae, in sacris Urbis Catacumbis cum notis martyrii inventa, publico cultui proponuntur. Nemo ex severioribus criticis non consentit, indubiam esse martyrii notam vasculum sanguine plenum vel tinctum saltem, quod in sepulchris in Urbis Catacumbis effossis saepe reperitur. Aringhius, Mabillonius, Senator Buonarroti, Raphael canonicus Fabrettus, abbas Ludovicus Antonius Muratorius, canonicus Boldetti, canonicus Marangonius, eques Victorius, praefecti sacris hisce Corporibus extrahendis, huic sententiae omnimoda consensione subscribunt: veluti deprehendere est ex nostro opere *de Canonizatione, lib. 4, part. 2, cap. 27, num. 21 ad fin.* Ex pervetusta ecclesiae diiciplina est, ut sacra Ossa Romae ex coemeteriis effossa, et cum signis sive notis martyrii adinventa, in ecclesiis publice colenda exponantur: quemadmodum videre est ex vulgato Anastasio in vita S. Pauli I. Pontificis octavo saeculo, ubi postquam enarravit, Pontificem hunc reperta in sacris coemeteriis Corpora Romam transtulisse, sacraque Ossa in varias ecclesias distribuisse, inde pergens, paulo infra subdit: *infra claustra vero ipsius monasterii,* quod in propriis paternis aedibus construxerat, *ecclesiam mirae pulchritudinis a fundamentis noviter construxit etc. Illicque innumerabilium Sanctorum Corpora, quae de praefatis demolitis abstulit coemeteriis, maximo venerationis condidit affectu.* Ad Sixtum usque V. Pontificem, in Basilica S. Pauli Urbis colebantur exigua quaedam Ossa, quae, pia opinione, sanctorum aliquot Bethleemiticorum Innocentium Ossa censebantur; quemadmodum testatur Panvinius in suo opere *de septem Urbis Ecclesiis, pag. 96.* Severanus autem *eodem in tractatu* translationem a Sixto V. sub annum MDLXXXVI. ad Liberianam Basilicam factam describit. Et abbas Paulus de Angelis in *sua huius ipsius basilicae descriptione, lib. 10, cap. 11,* prolixum quemdam locum excribit, ex Bulla eiusdem Pontificis, in qua, verba faciens de Cappella S. Luciae, una cum alia plane conformi extructa ad limina Sacelli Praesepis Christi Domini, haec habet: *Sub altari,* nimirum S. Luciae, *in Arca marmorea duo Sancta Beatorum Innocentium corpuscula, a Basilica Sancti Pauli extra Portam Ostiensem nostro iussu translata, rite recondi curavimus, ut ad Christi Infantis cunabula iidem S. Innocentes (flores, ac primitiae martyrum, Deoque gratissimae victimae) quodammodo excubare videantur.* Ad instrar autem et exemplum reliquiarum SS. Bethleemiticorum Innocentium, passim ad altaria exponuntur colendae reliquiae puerorum, qui in odium

Vetera et recentiora exemplaria evincentia praxim exponendi publice colendas horum puerorum reliquias.

christianae fidei martyrium subierunt, quorum ossa certis martyrii notis distincta, ex Urbis coemeteriis effodiuntur. In coemeterio Gordiani, uti praediximus, reperta fuerunt ossa pueruli Dorothei, ipso adscripto adpositoque sanguinis vasculo; et infantis cineres ac ossa, una cum inscriptione, Anagnam fuerunt transmissa, ut in ecclesia SS. Cosmae et Damiani collocarentur, quemadmodum testatur Boldetti *praecitato suo opere, pag. 344,* ubi *pag. 345* refert, in eodem Gordiani coemeterio inventum fuisse corpus Decentii pueri quinquennis, una cum proprio nomine inscripto, ampullaque sanguinis, fuisseque illud in cappella Rosarii, intus ecclesiam Sanctae Sabinae, in Aventino collocatum, nisi perspicua res esset et quotidiano usu comprobata, nullo negotio posset contexi catalogus compluribus exemplis, quibus horum infantium reliquiae in ecclesiis locatae noscuntur; verum, cum nemini incognita sit disciplina isthaec, libenti animo a similium exemplorum collectione cessabimus, concludemusque de tertia hac classe sermonem, animadvertentes, recensitos in ea pueros publicum obtinere cultum in ecclesiis, in quibus eorum reliquiae conquiescunt, in id maxime consentiente et probante Sancta Sede, quae firmum statuit suae concessionis fundamentum in certis martyrii insignibus, in eorum sepulchris repertis; nec propterea tamen asseri posse, eosdem esse formalem canonizationem consecutos, si canonizatio, pro ut par est, nil aliud esse ponatur, quam sententia Romani Pontificis in universali Ecclesia per modum praecepti cultum tribuentis. De cultu praefatis reliquiis exhiberi solito, quamvis plerumque is sit absque officio et missa, disseruimus ipsi in nostro opere *de Canonizatione Sanctor., lib. 4, part. 2, cap. 28,* ubi invectae praxis fundamenta recensuimus, *et lib. 1, cap. 38, num. 3 et seq.,* praetermissa haud fuere, quaecumque spectant ad recitandum officium missamque celebrandam in universa Ecclesia, quoties res sit de pueris formali vel aequipollenti canonizatione inter Sanctos relatis.

Non ideo tamen formalit. canoniz.

Postrema classis pueror. est, quos in odium Christi occisos populi pietas beatific. vel canonizari petit.

§ 21. Postremam classem illi pueri constituunt, quibus in odium Iesu Christi adempta est vita, quorum cultus expetitur per formalem vel aequipollentem beatificationem; quam denique, quoties nil aliud obstet, potest, ac etiam solet, consequi formalis canonizatio. Superius dictum est, Romanos Pontifices suam auctoritatem in canonizationibus semper interposuisse, etiam tum cum de ea canonizatione agebatur, quae fiebat ex introducto in unam dioecesim cultu, qui deinde in aliam et postremo in universum orbem propagatur. Nunc vero addimus, ab Alexandro III. invectam fuisse firmiterque statutam disciplinam, iuxta quam solius Romani Pontificis est, in peculiari unoquoque loco et in singulis totius orbis dioecesibus cultum indulgere vel approbare. Huiusce constitutionis fundamenta rationesque deprehendere est *ex praecitato nostro lib. 1, cap. 10, num. 3 et seq.;* et ex iis, quae ibi latiori calamo adducuntur, inferre licet, non solum Romani Pontificis praecipuum esse, quemadmodum semper fuit, cultum in universa Ecclesia vel martyribus vel confessoribus praecipiendo asserere, in quo, uti saepe dictum, sita est canonizatio, verum etiam permittendo indulgere, ut aliqua in civitate vel dioecesi, caeterisque definitis locis, religioso cultu honoretur aliquis Dei servus confessione vel martyrio conspicuus, qua in re constituitur beatificatio. Ex hac autem postrema classe sunt duo beati infantes in odium Fidei interempti, Simon Tridentinus martyrium consecutus anno MCDLXXV. et Andreas Rinnensis, seu vico Rinnensi, martyrio sublatus sub annum MCDLXII., de quo nunc agimus. Utrumque enim ab hac Sancta Sede, nisi formalem, aequipollentem saltem beatificationem obtinuisse affirmari potest, dum, allatis discussisque iam omnibus, quae erant de martyrio, causa martyrii, et fama signorum ac miraculorum necessario perpendenda, ad officii missaeque concessionem in certis quibusdam locis deventum est. Et quamvis, uti superius diximus, iussu Gregorii XIII. Pontificis, Beati Simonis nomen in Martyrologium Romanum fuerit illatum, haud tamen contendi potest, eumdem propterea fuisse canonizatum; est namque tutissimum aeque ac receptissimum principium, *annuntiari in Martyrologio nomina et clariores res gestas eorum, qui in eo descripti sunt, ut excitentur fideles ad imitationem, et etiam ad cultum, sed intacta semper permanente ecclesiastica disciplina: ita ut, si res sit de iam canonizatis, cultus, ad quem excitantur fideles, sit praeceptivus, universalis et publicus; si vero agatur de beatificatis, sit quidem publicus, sed tantum permissus personis et locis indulto beatificationis comprehensis; sit autem permissus, sed privatus, quoad alios,*

Nunc solius Rom. Pont. est cultus publici concessio, beatificatio et canoniz.

BB. Pueri Andreas Rinnensis et Simon Tridentinus ad hanc postrem. classem spectant, sed dumtaxat aequipollenter beatific.

qui indulto comprehensi non sunt: veluti ipsi hisce conceptis verbis, re mature perpensa investigataque praxi per S. Sedem servari solita, conclusimus in nostro opere *de Canonizatione, lib. 4, part. 2, cap. 19, num. 16.*

Huiusce causae moment.

§ 22. B. Simonis canonizationem, quamvis Beatorum honores longe ante B. Andream consecuti, nemo est qui promoveat. Instantia pro canonizatione, quae nunc urgetur, B. Andream respicit multo post beatificatum: tota autem disquisitio in eo versatur, num instantiae aditus dari debeat; neque enim inaudita res est, iustis et gravibus de causis, sisti alicuius causae cursum, occludique viam ad canonizationem, etiamsi beatificatio praecesserit, quemadmodum perspicuum faciunt tam multae causae, in quibus postquam per formalem vel aequipollentem beatificationem officium et missa concessa fuit, nemo extitit unquam, neque deinceps erit, qui solemnem petendam cogitet canonizationem.

An infantes martyres can. expediat, non est perspic.

§ 23. Paucis igitur gradum facimus ad rationes, quae non ad unam coarctantur Beati Andreae causam, sed omnes aeque afficiunt causas puerorum, quos in aetate boni malive nescia, odium in Christi fidem sustulit, quique cum martyres sint, non tamen sunt *voluntate et opere,* sed solo *opere,* ut ipsis utamur verbis S. Bernardi. Videri enim cuiquam fortasse poterit, recte factum, si omnibus confluentibus conditionibus, proprius beatorum cultus iis decernatur; at dubitabit, num congruat ulterius progredi, per modum praeceptivae legis cultum ampliando ad universam Ecclesiam, quod praecipuum canonizationis est, quamvis etiam nihil desideraretur eorum quae requiruntur, ut transitus fiat a beatificatione ad canonizationem.

Negantis sententiae fundamenta.

§ 24. Fundamenta, quibus potest isthaec inniti dubitatio, singula subnectimus. Primum in eo situm est, nullum fortasse in veteri canonizationum praxi aliud referri exemplum verae ac propriae infantium canonizationis, praeter illud unum Bethleemiticorum infantium, quandoquidem caetera exempla possunt commode ad beatificationem referri, atque praeterea certum esse, extare plane nullum exemplum formalis canonizationis vel unius horum puerorum post methodum Sanctae Sedis auctoritate invectam, confirmatam, servatamque in causis publici cultus, qui semper quoad hosce pueros sola fuit beatificatione conclusus. Quod autem per plura saecula nullum ostendatur exemplum, quamvis eius inducendi non defuerit occasio, res est magni momenti, quaeque negotium iure facessat cuilibet novarum rerum minime studioso.

Primum rei novitas.

Secund. ne can. frequentia vilescant.

§ 25. Alterum ex ea est animadversione, rem totam hanc in eo verti, quod hi pueri martyres sint, quia pro Christo mortem subierunt. Id autem si generatim loquimur, inficiatur nemo; ideoque libenter datur, ut, quoties necessaria quaeque concurrant, iisdem beatificationis cultus decernatur. At, si recepta probataque est regula, non esse latam canonizationibus sternendam viam, ne vilescant, quemadmodum et nos adnotavimus *in nostro lib. 1, cap. 13, num. 16,* videtur pertimescendum, ne plane huiusmodi incommodo reseretur aditus, quotiescumque ad canonizationem admittantur pueri pro Christi Fide mortem perpessi, ex eo tantummodo, quod martyres sint. Docent quippe theologi, martyres esse et eos pueros, qui in bello sacro, dum oppugnantur urbes vel ex insidiis invaduntur arces, caesi fuerint, uti aperte docet Sotus *in 4 Sent., dist. 3, qu. unic., art. 11,* § *Secunda propositio,* et eos quoque pueros censeri martyres tradunt, quos Christi hostes interfecerint, quamvis nondum ex materno ventre eruperint, sive superstes maneat genitrix, sive cum iis pereat, uti videre est apud Theophilum Raynaudum *cit. tom. 18 in opere inscripto de martyrio per pestem, p. 2, cap. 2, num. 8,* et late apud Hurtadum *in resolutionibus de vero martyrio in tract. 2, res. 20 per tot.* Quidquid autem pronunciatur de pueris ante usum rationis in Christi odium sublatis, protendi ad homines adultae aetatis contenditur, qui rationis semper expertes fuerint, si et his in odium fidei ab inimicis Christi vita adimatur, hos quippe statuunt pueris omnino similes. Videatur Cardinalis Capisucchius in suis controversiis theologic. et nominatim in illa de martyr. *q. 2,* § *4 in fin. Licet in pueris ante usum rationis pro Christo morientibus non adsit propria ac personalis intentio, adest tamen intentio Eccl. quae in illis mortem pro Christo acceptat, eosque per martyrium Deo consecrat etc. Quae autem de infantibus ante usum rationis pro Christo occisis dicta sunt, intelligenda sunt etiam de amentibus, qui numquam rationis usum habuerunt, si contingat, eos in odium Christi occidi.* Sententiae et opiniones hae quidem sunt, quae si in pra-

xim deducerentur, canonizationem splendori plurimum possent detrahere.

Tertium, quod in his mart. nec aureola splend. nec gesta imitanda fidelibus proponi possint.

§ 26. Tertium denique fundamentum statuitur in doctrina, quam cum S. Thoma tradunt caeteri quoque theologi, nimirum, in paradiso martyribus esse gloriam essentialem, quae dicitur *aurea* esse; et praeterea eidem adiunctam, sive accidentalem, gloriam, quae *aureola* appellatur, sitam in quodam gaudio, quo perfunduntur, dum animo conspiciunt partam sibi ex mundo victoriam, cum, pro Christo pugnantes, ultro mortem pro ipso oppetierint; cuius quidem aureolae non aeque participes sunt pueri, qui cum martyres fuerint, *solo* tamen *opere* fuerunt, non *voluntate: **Innocentes sicut non pertingunt ad perfectam rationem martyrii, sed aliquod martyrii habent ex hoc, quod passi sunt pro Christo: ita etiam aureolam, non quidem secundum perfectam rationem, sed secundum aliquam participationem; in quantum scilicet gaudent, se in obsequium Christi occisos esse; ut dictum est de pueris baptizatis, quod habebunt aliquod gaudium de innocentia, et carnis integritate.*** Sunt haec S. Thomae verba ***in 4 sent., dist. 49, quaest. 5, art. 3, quaest. 2 ad duodecimum.*** Ad haec autem Sancti Doctoris verba sic pergit Cardinalis Capisucchius *praecit. loco,* § ***26: Cum aureola sit praemium a Deo beatis concessum intuitu egregiorum operum, quae ipsi pro Deo in terris patrarunt, ac proinde sit praemium respondens operibus; evidens est, Sanctos Innocentes et alios parvulos pro Christo ante usum rationis occisos, aureola non gaudere martyrii.*** Cum vero infantes, licet martyres, ob mox expensam rationem, aureola non gaudeant martyrii, assumi id a quopiam fortasse poterit, ut tueatur, si iis in militanti Ecclesia beatificationis cultus potest competere, haud tamen congruere, ut alter canonizationis cultus iisdem tribuatur; quandoquidem inter canonizationis decernendas causas et illa recensetur, ut canonizati gesta omnibus per orbem catholicis in exemplum proponantur: huiusmodi autem res gestae in pueris pro Christo necatis desiderantur.

Cur postremum hoc non Bethleemiticis infantibus non obstet.

§ 27. Et quamvis respondere quisquam valeat, nimiam inesse vim argumento, cum inde concludatur, ne Bethleemiticos quidem infantes honorem canonizationis promeritos, cum nec ipsi martyrii aureolam sint consecuti; videtur tamen responsio omni plane robore destituta, si animus advertatur ad eam facti speciem, in qua Bethleemiticis infantibus vita adempta fuit, atque ad vetustissimam constantemque observantiam Ecclesiae, quae eosdem tamquam martyres semper est venerata. Et profecto, absque eo quod necesse sit amplecti opinionem Armacani, martyrium Bethleemiticorum infantium ad solos circumcisos cohibentis; quod a caeteris communiter exploditur, uti videre est apud Valentiam in suo celebri tractatu ***de rebus fidei, cap. 4 de Baptismo Parvulorum,*** § ***Atque hoc;*** reiectaque etiam superius allata, improbataque sententia aliorum, qui opinati sunt acceleratum fuisse Bethleemiticis infantibus rationis usum; quod aperte improbatur a D. Thoma ***2-2, quaest. 124, art. 1 ad primum;*** replicari posse videtur, martyres esse Bethleemiticos infantes, et horum instar martyres esse caeteros etiam, qui antequam iis affulgeat ratio, pro Christo intereunt; at cum illis faveat consensus atque doctrina patrum et perpetua Ecclesiae traditio, his vero sola, licet ceteroquin spectabilis, theologorum opinio, haud mirum videri debere, si primis aliquid amplius supra secundos tribuatur. Videatur Vasquez ***in 3 part. D. Thomae, tom. 2, disput. 153, quaest. 68, cap. 7,*** ubi, postquam firmaverat, Bethleemiticos esse vere martyres, et martyres quoque esse ceteros pueros pro Christo occisos, ita subdit: ***Porro, quamvis non tam certum sit, quod diximus de aliis infantibus pro Christo occisis, quam de illis, qui hac de causa ab Herode interfecti sunt, quia, pro interfectis ab Herode, Ecclesiae traditionem et Doctrinam Patrum pleniorem habemus; nihilominus indubitatum apud nos esse debet*** (id tamen ita certum habendum, ut nisi definitioni Ecclesiae, communi certe quidem theologorum opinioni innitatur) ***eamdem rationem esse de omnibus, qui post adventum Christi propter ipsum occisi sunt.***

§ 28. Eoque magis, quia quae nunc proponitur quaestio, non ea est, si res recte expendatur, an pueri post Christum natum ab eius hostibus interempti canonizari possint; verum, an id fieri expediat: his autem terminis conclusa quaestione, non magnopere adlaborandum, ut intelligatur quantum intercedat discriminis inter Bethleemiticos infantes et ceteros omnes, qui post ipsos pro Christo intereunt. Aliud discrimen profertur.

§ 29. Quaecumque hactenus persecuti sumus, videri quoque possunt *in nostro* Commendatur iterum discussio dubii, an si-

miles causas proponi expediat.

lib. 1 de Canonizatione, cap. 14, et lib. 3, cap. 15, num. 2 et seq. Superest modo, ut expendantur omnia, ac cognoscatur, an deceat, ut causae Beati Andreae permittendus sit ad ulteriora progressus, an vero conducibilius sit, ut eum servet statum, quem nunc habet, quique idem plane est cum eo, in quo causa Beati Simonis conquiescit. Et quia impossibile haud est alias huic similes excitari instantias, sollicitudinis tuae partes erunt, prudentisque consilii caeterorum, quos ipsi ad id designabimus, indicare, quae ineunda ratio, cum se huiusmodi obtulerit casus, qui plerumque proponi consuevit, de puero aliquo maiori hebdomada ab Hebraeis in contumeliam Christi necato; tales namque sunt Beati Simonis et Andreae, nec non bene multorum ex iis, quos auctores commemorant, puerorum neces. Videri enim cuiquam fortasse poterit, quoties placeret causis interemptorum huiusmodi infantium patere aditum, oportere, hasce neces fuisse clamosas, populo cognitas, ab omnibus damnatas, atque a magistratibus vindicatas; praetereaque etiam optimum esse, quandoquidem res est de martyribus *non voluntate et opere, sed solo opere,* signorum et miraculorum numerum definire, ac requirere maiorem constituto ad formalem canonizationem obtinendam. Literas hasce nostras, apostolicam tibi, dilecte fili, benedictionem impertientes, absolvimus.

Et si videatur, quibus illae peculiaribus circumstantiis debeant esse instructae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXII. februarii MDCCLV., pontif. nostri anno XV.

CLXIX.

Confirmat resolutionem Congregationis super correctione librorum Ecclesiae Orientalis, super abbreviatione officii et missae pro monachis Ordinis S. Basilii.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Ad debitum Deo cultum exhibendum, et canonic. horas recitari, et sacrificium offerri quotidie voluit Ecclesia.

Quem religionis sensum natura nobis indidit, ut non solum laudemus, celebremus et glorificemus iugiter Dominum omnium conditorem, propter quod rationales facti sumus, et a brutis differimus, verum etiam ut oblationibus et sacrificiis placemus Deum nostrum, ac scelera nostra expiemus; ad eumdem tam in veteri testamento, quam in catholica Iesu Christi Ecclesia alendum, fovendum, adaugendumque in primis studia omnia intenta fuerunt. Quoniam autem Iesus Christus verus Deus, verusque homo, mediator Dei et hominum, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, cessante carnalium sacrificiorum varietate, omnes differentias hostiarum una Corporis et Sanguinis sui implet oblatione; et, quomodo adorare Patrem suum in spiritu et veritate, ipsumque orare et laudare docuit, exemplumque praebuit; Sancti Apostoli ab eo Magistro instructi, ac per ipsos Catholica Ecclesia Spiritu Sancto inspirante edocta, et officium canonicarum horarum, debita cum rituum caeremoniarumque magnificentia, Deo quotidie persolvendum digessit; et sacrosanctum missae sacrificium, in quo nimirum Agnus Dei in odorem suavitatis Deo iugiter a sacerdotibus immolatur, et panem de coelo verum comedimus, cum ritibus pariter, caeremoniis et precibus, quotidie in ecclesiis peragendum mandavit. Utrumque vero officium scilicet et sacrificium, ut Omnipotenti Deo esset magis gratum et acceptabile, diversae variaeque, quoad sacras preces, ritus et caeremonias, initae fuerunt rationes, iuxta diversas variasque nationes et religiosorum hominum Ordines, atque instituta tum Occidentalis, tum Orientalis Ecclesiae, quae secundum acceptum a maioribus cuiusque morem et consuetudinem, etsi pro temporum vicibus aliquando variatam, in unitate tamen catholicae fidei doctrinaeque perstantem, quamplurima pro libito et pietate addere studuerunt. Apostolica autem haec Sancta Romana Sedes nihil habuit antiquius, nihil curavit impensius, quam ut, cum de utroque nempe officio et sacrificio ab ipsa aliquid exquisitum fuit, quoad fieri posset, brevitati ac sincerae pietati, servatis servandis, consuleretur; ne quamplurimi ex Christifidelibus, sive recitandis, sive celebrandis, sive audientibus officium vel missam infirmiores, tum propter prolixitatem, tum propter linguae ignorationem taedio affecti, quam inde percipere solebant, spiritus pinguedinem et suavitatem aversari inciperent.

In variis diversarum gentium caeremoniis eadem semper unitas fidei.

Ecclesia Romana humanae fragilitati parcens semper studuit brevitati.

§ 1. Porro, cum dilectus filius Augustinus Sciommari monachus et abbas Ordinis Sancti Basilii, eiusque modernus in hac Alma Urbe nostra procurator generalis, nomine totius suae congregationis, nobis sup-

Preces procuratoris generalis Ordinis Sancti Basilii, ut brevior missa et officium pro sua congr. redderetur.

plices preces humiliter porrigendas fecerit, ut dignaremur abbreviare missam et officium divinum, pro quibus recitandis ac celebrandis adeo longum tempus insumendum est, ut id vix ob humanam infirmitatem sine taedio aliquo peragi possit, et modicum eis temporis spatium superest, quo operam sacrarum literarum studiis dare valeant: nos sane preces huiusmodi remisimus ad dilectum filium nostrum Fortunatum tituli Sancti Calixti presbyterum S. R. E. Cardinalem Tamburinum nuncupatum, congregationi patriarchali super correctione librorum Ecclesiae Orientalis deputatae praefectum, ut eas eidem congregationi expendendas atque examinandas proponeret.

Rescriptum congreg. deputatae super correctione librorum Ecclesiae Orient. cui fuerunt remissae preces, quoad abbreviationem officii.

§ 2. Itaque dicta congregatio habita die VII. maii et XIII. augusti MDCCLII. rescripsit, indulgeri posse, ut abbreviatio officii ferialis extra quadragesimam fiat iuxta modum infra designatum: nempe quoad abbreviationem matutini diebus ferialibus, praeter quadragesimam, retineatur integrum cathisma: omittatur exapsalmon, sed quotidie unus ex psalmis in eo comprehensis ex ordine recitetur. Die autem dominico integrum exapsalmon dicatur, et quatuor psalmi, qui notantur in horologio Basilianorum pag. 42. Aliis vero diebus non ferialibus servetur typicus solitus usque ad primum canonem exclusive: canon Sancti ad Triodium redigatur, nempe prima, octava et nona ode recitetur: postea dicatur canon feriae, sed tria tantum troparia singularum odarum, scilicet primum, quod ad feriam, alterum quod ad Sanctos Martyres, ultimum quod ad Beatam Virginem pertinet: post tertiam odem, solitae cathismae seu antiphonae: post sextam, consuetum conthacion seu icon; deinde synaxarium Sancti: post octavam odem psalmus *Magnificat,* et solita exapostillaria, et reliqua iuxta typicum. Quoad abbreviationem vesperarum, ex sex antiphonis seu stichis, quatuor tantum dicantur; deinde: *Gloria,* et hymnus: *Lumen hilare,* versiculi et prophetiae, aut lectiones e scriptura, quando occurrunt; post orationem *Dignare,* omittantur antiphonae, deinde dicatur psalmus: *Nunc dimittis;* reliqua autem omnia de quibus nihil adnotatur, iuxta solitum. Quoad abbreviationem completorii: canon redigatur ad triodium, et in eius recitatione intermisceantur de more oratio dominica, antiphona et synaxarium, quando oportet; deinde psalmus: *Magnificat,* et reliqua omnia de more ut in horologio.

Alterum eiusdem congreg. rescript. quoad abbreviationem missae privatae.

§ 3. Postea tractatum est de abbreviatione missae privatae, et eadem congregatio censuit permitti posse in hunc modum — Facta praeparatione materiae de more in altari, cum solitis orationibus, missa privata incipiatur a verbis illis. Εὐλογημένη ἡ βασιλεία *Benedictum regnum etc.;* caetera, quae praecedunt, recitentur a sacerdote vel in sacrario, vel dum pergit ad altare. Magnum synaptim, seu collectam, esse retinendum. Retineantur quoque orationes primi, secundi et tertii antiphoni, una cum exclamationibus et cum ipsis antiphonis. Minor autem collecta seu Pacifica, quae incipiunt: Ἔτι καὶ ἔτι *etc. etiam atque etiam in pace,* omittantur. Oratio ingressus evangelii omittatur. Retinendum trisagium cum oratione. Supplicatio, quae incipit: Εἴπωμεν πάντες *etc. Dicamus omnes etc.,* retinenda, sed eo modo, quo sequitur, nempe omissis, quae leguntur post verba illa Κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου δεομιθά σου ἐπάκουσον καὶ ἐλέησον: *Secundum magnam misericordiam tuam exaudi et miserere,* usque ad orationem extensae supplicationis, quae incipit: Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν *etc. Domine Deus noster etc.* Deinde omittantur, quae sequuntur post verba illa: Πλούσιον ἔλεος *Divitem misericordiam* usque ad exclamationem Ὅτι ἐλεήμον *etc. Quoniam misericors etc.* Preces atque oratio pro catechumenis omittantur. Hymnus cherubycus cum oratione retineatur. Κύριε ὁ Θεός *etc. Domine Deus Omnipotens* retineatur, omissis verbis, quae sequuntur τῇ σῇ χάριτι *etc. gratia tua,* usque ad διὰ τῶν οἰκτιρμῶν *per miserationes etc.* Symbolum quotidie more Graecorum recitandum, exceptis missis, ut vocant, pro defunctis. Troparia seu theotocion in fine missae omittantur. Reliqua omnia retineantur.

Nonnullae peculiares abbreviationes quoad offic. quadrag.

§ 4. Demum in congregatione diei XVII. septembris MDCCLIII. inter caetera propositum est: An patribus Basilianis indulgendum sit, ut in officio quadragesimae omittant cathisma psalterii ad horam tertiam et ad horam nonam? Et insuper, ut magnum completorium in quadragesima uno tantum die cuiusque hebdomadae in suis ecclesiis dicant, aliis vero diebus omittant, dicantque solum parvum completorium? Et rescribere placuit: quoad primam partem, omitti posse cathisma ad horam nonam tantum, dummodo recitatio integri psalterii in tota hebdomada compleatur;

quoad secundam partem, magnum completorium retineatur feria secunda et quarta. Haec tamen et alia in superioribus congregationibus definita pro patribus Basilianis, intelligantur monasterium Medijussi non comprehendere, cui suos veteres ritus, mores, atque instituta in fundatione praescripta, iuxta apostolicas constitutiones, retinere ac servare praecipitur.

Monast. Medijussi his definitionibus non comprehenditur.

Pontifex, quibusdam immutatis, in reliquis approbat sentent. congreg.

§ 5. Facta autem nobis per dilectum filium magistrum Nicolaum Antonellum, in utraque signatura nostra referendarium, praelatum nostrum domesticum et dictae congregationis particularis secretarium, huiusmodi relatione, mandavimus, ut recitatio cathismatum psalterii singulis diebus ferialibus extra tempus quadragesimae facienda ita aptetur ac distribuatur, ut saltem in duabus hebdomadis integrum psalterium recitetur: quoad abbreviationem vero missae, ut symbolum in omnibus missis, etiam in iis, quas ipsi pro defunctis vocant, more Graecorum recitetur. Caetera vero benigne approbavimus die XXIV. augusti elapso anno MDCCLIV.

Apost. auctorit. robur adiicitur.

§ 6. Verum, ut praeinserta omnia firmius subsistant ac serventur exactius, nos, qui memoratum Ordinem Sancti Basilii, et potissimum congregationem sub eiusdem Sancti Basilii auspiciis et Ordine militantem, et in Occidentali Catholica Ecclesia religiosis virtutibus, eximiis orthodoxarum adversus schismaticos doctrinarum disciplinarumque studiis et exemplis florentem, plurimi facimus, magnoque in honore ac pretio habemus, apostolica auctoritate, tenore praesentium, omnia et singula praeinserta approbamus et confirmamus, illaque perpetuo apostolicae firmitatis robore munimus, atque insimul auctoritate et tenore paribus mandamus omnibus et singulis superioribus generalibus, provincialibus, prioribus ac monachis dictae congregationis et Ordinis, in virtute sanctae obedientiae, ut deinceps, prout praemittitur, et non aliter, ipsi servent, et ab aliis sibi subditis servari faciant et curent et praecipiant; salva tamen semper in praemissis eiusdem congregationis particularis super correctione librorum Orientalium deputatae auctoritate.

Clausulae cum derogatione contrar.

§ 7. Decernentes, praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac monachis saepe memorati Ordinis et congregationis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ita ab eis respective inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuncios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictique Ordinis et congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, et quibuscumque aliis decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus pro hac vice tantum, ad praemissorum effectum, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis habenda.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu abbatis generalis vel generalis procuratoris pro tempore existentium subscriptis, et sigillo eiusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. maii MDCCLV., pontificatus nostri anno XV.

CLXX.

Ut decreta Congregationis de ratione habenda in unione Orientalium perspecta fiant missionariis, ipsos normam ab Ecclesia traditam docet, quod, explosis erroribus orthodoxae fidei oppositis, ritus approbati illaesi remaneant in conversis Orientalibus ad unitatem, ita ut omnes Catholici sint, non omnes Latini fiant.

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili,

salutem et apostolicam benedictionem.

Duplex quaesitum Congregationi Propagandae Fidei a missionario propositum.

Allatae sunt ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum litterae sacerdotis cuiusdam, sacris missionibus exercendis deputati in civitate Balserae, quam vulgo *Bassoram* vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babylonia distat, et mercatorum negotiationibus est celeberrima; quibus litteris exponendum censuit, plures in illa urbe commorari catholicos ritus orientalis, Armenos nempe aut Syriacos, qui peculiari templo carentes, ad Latinorum missionariorum ecclesiam se conferunt, ubi eorum sacerdotes missarum sacrificia iuxta peculiare ipsorum ritus offerunt, aliasque sacras coeremonias perficiunt; laici autem huiusmodi sacris intersunt, et sacramenta ab iisdem sacerdotibus suscipiunt. Indeque occasionem arripuit quaerendi; utrum praedicti Armeni et Syriaci catholicum suum ritum observare debeant, an vero ad tollendam varietatem in ipsa ecclesia, in quam Latini etiam, ut diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni et Syriaci, relicto veteri kalendario, novum amplectantur, in iis quae pertinent ad statuenda tempora paschalis solemnitatis et annuae communionis, sicuti etiam quadragesimae dierumque festorum tam mobilium quam immobilium: atque ulterius progrediendo, quaesivit, quatenus praedictis Balserae Armenis et Syriacis novum kalendarium observandum decernatur, utrum aliis quoque Orientalibus praescribi debeat, qui peculiare quidem habent templum, sed adeo angustum, ut sacris functionibus decenter obeundis impar deprehendatur; ideoque ad ecclesiam Latinorum plerumque se conferunt.

Primum: Quemnam ritum servare debeant Syriaci et Armeni, in Latinorum ecclesiis sacra peragentes.

§ 2. Insuper idem missionarius praedictae Congregationi subdidit, quod quum catholicis Orientalibus Armenis et Syriacis praeceptum sit, diebus ieiunio dicatis a piscibus abstinere, plures inter ipsos reperiuntur, qui id minime observant, non ullo sane adducti contemptu, sed partim naturae fragilitate pertracti, partim ex eo, quod Latinis catholicis aliam esse consuetudinem intuentur: ideo non alienum videri si facultas missionariis tribuatur permittendi, non quidem universis, sed speciatim his aut illis, ut piscibus utantur ieiunii tempore, ita tamen, ut nullum inde scandalum oriatur, et aliud pietatis opus, loco abstinentiae a piscibus, subrogare iubeantur.

Alterum: An mission. concedenda sit facultas cum praefatis dispensandi super abstinentia a piscibus tempore ieiunii.

§ 3. Haec, uti diximus, a praedicto missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quae de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi generalis Inquisitionis. Habita vero haec fuit coram nobis die XIII. martii huius anni MDCCLV., et unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu, responsum fuit: *nihil esse innovandum.* Id quod nos etiam auctoritate nostra firmavimus, permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide die XXXI. ianuarii anni MDCCII. edito, quod deinde confirmatum et renovatum non semel fuit, et est huiusmodi: *Referente R. P. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario, sacra Congregatio mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus et singulis missionum apostolicarum Praefectis et missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione aut praetextu, audeat dispensare cum catholicis quarumcumque nationum Orientalium super ieiuniis, orationibus, coeremoniis et similibus, a proprio earumdem nationum ritu praescriptis, et a Sancta Sede Apostolica approbatis. Praeterea eadem sacra Congregatio censuit, non licuisse, nec licere praefatis catholicis ullatenus a proprii ritus, a Sancta Romana Ecclesia ut supra approbati, consuetudine et observantia recedere. Huiusmodi autem decretum sic confirmatum ac renovatum, iidem eminentissimi Patres ab omnibus et singulis praedictis Praefectis et missionariis omnino et absque ulla tergiversatione observari debere mandarunt.* Quod quidem decretum respicit catholicos Orientalis Ecclesiae, eorumque ritus ab Apostolica Sede approbatos, Orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor ritibus constare, Graeco videlicet, Armeno, Syriaco et Cophtico, qui sane ritus universi sub uno nomine Ecclesiae Graecae aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiae Latinae Romanae nomine, ritus Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus et varii peculiares ritus ordinum regularium comprehenduntur.

Rescriptum utrique quaesito redditum, ut nihil innovetur.

§ 4. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo commentario indigeat. Quare nostra haec encyclica epistola eo tendit, ut

Conscribendae encyclicæ finis, ut missionariis decreta Congre-

gationum perspecta fiant, iisdemque in Orientalibus reducendis certa tradatur agendi norma.

huiusmodi lex omnibus cognita fiat atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest, quaestiones a missionario Balserae propositas, ex ignoratione decretorum, quae iampridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex aliis multis atque frequentibus indiciis coniicimus, missionarios latinos in id curam et cogitationes intendere, ut in convertendis Orientalibus a schismate et errore ad unitatem sanctamque catholicam religionem, orientalem ritum de medio tollant, aut saltem labefactent, catholicosque orientales ad latinum ritum amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio religionis amplificandae, et opus bonum, Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) hac nostra encyclica epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia complecti, quae iuxta huius Apostolicae Sedis sententiam pro norma haberi debent, quoties Orientales ad catholicam religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum Orientalibus catholicis, qui versantur in locis, ubi aut nulli degunt Latini aut Latini catholici simul cum ipsis Orientalibus catholicis commorantur.

Romanorum Pontificum sollicitudo in revocandis ad unitatem Orientalibus.

§ 5. Sane historiam ecclesiasticam ne quidem primis, ut aiunt, labiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint Romani Pontifices, ut orientales ad unitatem adducerent post funestum schisma Photii, qui, tempore Summi Pontificis Sancti Nicolai I., Constantinopolitanam Sedem, depulso per vim Sancto Ignatio Patriarcha legitimo, invasit. Sanctus Leo IX. praedecessor noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut huiusmodi schisma, quod per duo circiter saecula sopitum Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum ceciderunt. Urbanus deinde II. Graecos ad Barense Concilium invitavit; sed exiguum fructum consecutus est, tametsi Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiep. omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae Romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod Beatus Gregorius X. coegerat, Michael Palaeologus imperator et graeci Episcopi, unitatem Romanae Ecclesiae amplexi sunt; verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV. Summo Pontifice, ad quod Ioannes Palaeologus et Ioseph Patriarcha Constantinopolis, cum caeteris orientalibus Episcopis, convenerant, unio statuta fuit, et uniuscuiusque subscriptionibus acceptata; eodemque in Concilio, Armenorum et Iacobitarum ecclesiae ad obedientiam Sedis Apostolicae redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus, Legatos etiam Regis Aethiopum excepit, ac Syros, Chaldaeos et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio Sancti Matthaei *cap. 13*, semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet, ubi radicem defigat: ***Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem; facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur:*** ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus, tamquam novus Photius, unionem convellere adnixus est, et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit.

In unione curanda semper id actum, ut explosis erroribus orthodoxae fidei oppositis, ritus esset illaesus.

§ 6. Praeterea ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret, ita cum orientalibus unionem peractam firmatamque fuisse, ut dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio reciperent, atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque* Symbolo factam; ut panem non minus fermentatum, quam azymum, sacramenti Eucharistiae materiam esse faterentur; ut dogma purgatorii, visionis beatificae, ac primatus Romani Pontificis amplecterentur; uno verbo, omnem curam collatam fuisse, ut errores catholicae fidei adversi evellerentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili orientali ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam porsus ignoraret, cui satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad unitatem Graecis semper cogitarunt, eamdem viam, quam paulo ante indicavimus, semper institisse et adhuc insistere, sicut ex ipsorum tum dictis tum factis manifeste colligitur.

Praeclarum in id affertur S. Leonis IX. factum.

§ 7. Undecimo saeculo nonnullae Constantinopoli, Alexandriae et in patriarchatu Ierosolymitano reperiebantur Latinorum ecclesiae, in quibus latinus ritus servabatur, quemadmodum Romae non deerant Graecorum templa, in quibus ipsi graeco ritu sacra munera persolvebant. Michael Cerularius, impius schismatis instaurator, lati-

nas ecclesias iussit obserari. Verum Sanctus Leo IX. Romanus Pontifex par pari nequaquam retulit, quamvis id facillime posset, neque Graecorum templa Romae clausit, sed aperta esse voluit. Itaque de iniuria Latinis illata conquestus *in sua epistola prima cap. 9* ita subdidit: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior et clementior vobis est! Siquidem, cum intra et extra Romam plurima Graecorum reperiantur monasteria sive ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur et admonetur eam observare.*

Innocentii III. et Honorii III. rescripta, de graecis ritibus retinendis.

§ 8. Initio saeculi decimi tertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, et Summus Pontifex Innocentius III. decrevisset Patriarcham latinum in ea civitate constituere, cui non solum Latini, sed etiam Graeci obtemperarent; nihilominus palam declarare non praetermisit, nullum se velle graecis ritibus inferre detrimentum, nisi si quae forte consuetudines inter eos receptae, periculum animarum parerent, aut honestati ecclesiasticae adversarentur. Decretalis huius Pontificis, in Concilio Lateranensi IV. edita, refertur tum in *Tom. VII.* collectionis Conciliorum Harduini *p. 22,* tum *in cap. Licet, de Baptismo: Licet Graecos diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicae revertentes fovere ac honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Domino possumus, substinendo, in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati.* Honorius postea III., qui Innocentio immediate successit, iisdem verbis usus est, cum litteras dedit ad Regem Cypri, qui duos Episcopos in nonnullis regni sui civitatibus optabat, latinum videlicet pro Latinis, qui in illis versabantur, graecum alterum pro Graecis, qui iisdem in locis commorabantur. Atque haec Honorii epistola typis impressa legitur in Annalibus Raynaldi *ad ann. Christi* MCCXXII. *a.* V.

Idipsum iterato constituit Innocentius IV.

§ 9. Documentis eiusmodi plurimum redundat saeculum decimum tertium. Ad hoc quippe saeculum pertinet epistola Innocentii IV. ad Danielem Regem Russiae, apud Raynaldum *ad annum* MCCXLVII. *n. 29,* qua ipsius Regis specialem devotionem erga Ecclesiam Catholicam commendans, concedit, ut ritus, qui fidei Romanae Ecclesiae non repugnarent, in eiusdem regno serventur, ita scribens: ***Ea propter, charissime in Christo Fili, tuis supplicationibus inclinati, Episcopis et aliis presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere et alios eorum ritus, qui fidei catholicae, quam Ecclesia Romana tenet, non obvient, observare auctoritate praesentium indulgemus.***

Huc etiam spectat eiusdem Innocentii IV. epistola ad Othonem Cardinalem Tusculanum Sanctae Sedis Legatum in Insula Cypri, cui munus demandaverat nonnullas controversias componendi, quae Graecos inter ac Latinos excitatae fuerant, uti deprehenditur ex eius constitutione, quae incipit: *Sub catholicae,* quaeque *in veteri Bullario Tom. I.* numero decimo quarto recensetur. « Verum quia nonnulli Graecorum iamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeuntes, ei reverenter obediunt et intendunt, licet et expedit, ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tollerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus. » Postquam vero in eadem epistola praescripsit ea, quae a Graecis facienda erant, tum ea enumeravit, quae illis permittenda arbitrabatur, his verbis concludit: *Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi et eius suffraganeis latinis communiter auctoritate nostra praecipias, ut eosdem Graecos super praemissis, contra huiusmodi provisionem et deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent.* Idemque Pontifex Innocentius IV. Laurentium minoritam poenitentiarium suum, Apostolicum Legatum constituens, eique plenam auctoritatem tribuens, in Graecos omnes, qui in Regno Cypri, in patriarchatibus Antiocheno et Hierosolymitano morabantur, et Iacobitas etiam, Maronitas ac Nestorianos, hoc illi potissimum mandavit, ut Graecos universos auctoritate sua vindicaret ab omnibus molestiis, quae ipsis a Latinis inferri possent: *Mandamus, quatenus Graecos illarum partium, quocumque nomine censeantur, auctoritate apostolica protegens, turbari eos violentiis vel quibuscumque molestiis non permittas, iniurias quaslibet et offensas a Latinis illatas eisdem, plenarie faciens emendari, et Latinis ipsis districte praecipiens, ut a similibus de caetero penitus conquiescant.* Haec sunt Innocentii verba

ad praedictum Legatum Apostolicum, quae a Raynaldo *ad annum Christi* MCCXLVII. *num. 30* recensentur.

Huiusque proxime successor Alexander IV.

§ 10. Alexander IV. in locum Innocentii Pontificis immediate suffectus, cum irritam cessisse praedecessoris sui voluntatem animadvertisset, cumque turbas ac dissensiones graecos inter ac latinos Episcopos in regno Cypri adhuc vigere percepisset, latinis Episcopis indixit, ut graecos ecclesiasticos suas ad Synodus accerserent; eos autem decretis synodalibus subiectos declarans, sequentem conditionem adiecit: *Recipere et observare synodalia statuta, quae tamen Graecorum ritibus fidei catholicae non adversis, et a Romana Ecclesia toleratis, non obvient.* Huiusmodi laudabili exemplo inhaerens Elias Archiepiscopus Nicosiensis *anno* MCCCXL. decretis suis synodalibus hanc declarationem inseruit: *Per hoc autem non intendimus inhibere graecis Episcopis, et eorum subditis, quin ritus suos, fidei catholicae non adversos, sequantur, iuxta compositionem a felicis recordationis Domino Alexandro Romano Pontifice in Regno Cypri inter Latinos et Graecos editam et observatam.* Haec omnia perspici possunt in Labbeana collectione Venetae editionis *tom. 14, pag. 279, et tom. 15, pag. 775.*

Unio Graecorum in Lugdunensi Concilio stipulata sub conditione, nequid graecus ritus immutaretur.

§ 11. Finem saeculo decimo tertio imponit memorata Graecorum Latinorumque unio statuta in generali Concilio Lugdunensi sub Beato Gregorio X. Summo Pontifice, qui ad Michaelem Palaeologum fidei confessionem unionisque decretum a Concilio firmatum et a Legatis orientalibus iuratum misit, ut ipse quoque Imperator ac reliqui graeci Episcopi eisdem subscriberent. Peracta fuerunt omnia ab Imperatore et orientalibus, adiecta tamen hac conditione, quae ipsorum litteris continetur, ab Harduino relatis in sua collectione, *tom. 8, pag. 698:* « Sed rogamus magnitudinem vestram etc. quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma, qui scilicet ritus non sunt contrarii contra supradictam fidem, nec contra divina praecepta. » Quamvis autem responsum Gregorii Pontificis ad has Orientalium litteras interierit, quum tamen ipse unionem ab iis acceptatam atque subscriptam satis firmam reputaverit, merito inde colligitur, praedictam conditionem ab ipso receptam probatamque fuisse. Et sane Nicolaus III. Gregorii successor, per suos legatos, quos Constantinopolim misit, his verbis animum suum patefecit, uti habetur apud Raynaldum *ad annum Christi* MCCLXXVIII.: « De ceteris autem Graecorum ritibus, eadem Romana Ecclesia intendit, Graecos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi, et ipsos in illis ritibus, de quibus Sedi Apostolicae visum fuerit, quod per eos catholicae fidei non laedatur integritas, nec sacris statutis canonum derogetur, perseverare permittit. »

Similiter res gesta est in Concil. Florentino, probante Eugenio IV. Pontifice.

§ 12. Quod attinet ad saeculum decimum quintum, sat esse potest indicata superius unio in Concilio Florentino statuta, cui ab Eugenio Pontifice probatae Ioannes Palaeologus subscripsit, hac lege: *ne ex ritibus nostrae Ecclesiae aliquid immutetur:* uti videre est *tom. 9* Collectionis Harduini, *pag. 395.* Verum, cum nobis in animo non sit singula percensere, quae a Romanis Pontificibus, sequentibus deinde saeculis, gesta sunt, praecipua quaedam attingemus, ex quibus manifesto deprehendatur, ipsos quidem omni conatu studioque egisse, ut insidentes Orientalium animis errores ab iis evellerent, sed simul etiam manifestis argumentis id ostendisse, sartos tectosque se velle ritus, quibus eorum maiores ante schisma, approbante Sede Apostolica, usi fuerant; nec unquam ab orientalibus postulasse, ut, si catholici esse vellent, latinum ritum amplecterentur.

Subsequentium Pontificum Leonis X., Clementis VII. et Pii IV. cura servandi graeci ritus.

§ 13. In Graecorum Enchiridio edito Beneventi, duae Summ. Pontificum Leonis X. et Clementis VII. habentur Constitutiones, quibus vehementer increpantur Latini illi, qui in Graecis reprehendebant observantiam eorum, quae in Florentino Concilio eisdem permissa fuerant; praesertim, quod sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent antequam sacris Ordinibus initiarentur, eamque post susceptos ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam pueris exhiberent. Pius IV. in Constitutione: *Romanus Pontifex,* quae numero est 75, *tom. 2 veteris Bullarii,* dum Graecos in Latinorum dioecesibus commorantes, latinis Episcopis subiectos fore decernit, ita subdit: *Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Graeci ab eorum graecanico ritu detrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios, impediantur.*

Gregor. XIII. in collegiis pro Graecis, Maronitis et Armenis in Urbe erectis, ritum orientalem servari voluit.

§ 14. Annales Gregorii XIII. a patre Maphaeio conscripti, et Romae impressi anno MDCCXLII., complura referunt, quae idem Pontifex gessit, licet exitu parum felici, ut Cophtos Armenosque ad catholicam fidem

reduceret. Sed ad rem nostram potissimum faciunt ea, quae leguntur in ipsius Constitutione LXIII. *in novo Bullario, t. 4, part. 3,* et in duabus aliis, videlicet *157 et 173 in eodem Bullario, tom. 4, part. 4,* de fundatione trium collegiorum in Urbe ab eodem Pontifice institutorum pro Graecis, Maronitis et Armenis, in quibus alumnos dictarum nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis ritibus orientalibus perseverarent. Celeberrima fuit unio Ruthenorum cum Apostolica Sede tempore fel. record. Clementis Papae VIII. peracta, cuius monumenta relata leguntur in Annalibus ven. Cardinalis Baronii, Romanae editionis, an. MDXCVI. *Tom. VII., p. 682,* exhibetur decretum ab Archiepiscopis et Episcopis Ruthenis pro ineunda unione confectum, cum hac conditione: *Salvis tamen et in integrum observatis coeremoniis et ritibus cultus divini peragendi et sanctorum sacramentorum, iuxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis, correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam unionem impedirent; ut more antiquo fierent omnia, sicut olim unione durante fuerunt.* Sed cum paulo post ad pacem turbandam rumor percrebuisset, sublatos esse in unione ritus universos, quibus Rutheni antiquitus usi fuerant in divina psalmodia, in missae sacrificio, in sacramentis administrandis, aliisque sacris caeremoniis; Paulus V. litteris apostolicis in forma Brevis datis anno MDCXV., quae in eodem Graecorum Enchiridio impressae sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: « Dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere aut extinguere, Ecclesiae Romanae intentionem, mentem et voluntatem non fuisse, nec esse; nec id dici vel censeri potuisse, nec posse; quin imo dictos ritus eisdem Ruthenis Episcopis et clero ex apostolica benignitate permissos, concessos et indultos esse. »

Rutheni ad unitatem catholicam redeuntes eumdem orientalem ritum sibi illaesum stipulantur.

Eamdem conditionem semper ratam firmamque fore edicit Paulus V.

Clariora Summorum Pontificum facta, quibus evincitur, fuisse eos de orientali ritu servando vehementer sollicitos.

§ 15. Aptissime hic recenseri possent ecclesiae, quas diversis temporibus posteriores Romani Pontifices Graecis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quaeque etiamnum extant et patent, ut sacras functiones in ipsis, iuxta ritum suum, singuli expleant. Opportune hic quoque referri posset, quemadmodum Clemens Papa VIII. in sua Constitutione XXXIV. § *7 veteris Bullarii,* graecum Episcopum Romae constituit, ut Italo-Graecis latinas dioeceses incolentibus ordines iuxta Graecorum ritum conferret; deinde vero alium a Clemente XII. proximo praedecessore nostro, in sua Constitutione incipiente: *Pastoralis,* fuisse superadditum graecum Episcopum, qui fixam in Bisinianensi dioecesi sedem habet, ita Italo-Graecis Ordines conferat; ne, qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut Ordines ab Episcopo graeco Romae degente, iuxta allatam Clementis VIII. constitutionem, suscipiant; ac ne ipsis quidem Episcopis catholicis Maronitarum, Cophtorum et Melchitarum, qui aliquando Romae versantur, denegari facultatem conferendi ordines iuxta ritum suum nationis suae hominibus, dummodo idonei reperiantur. Ad rem pariter hic addi possent, quoties aliqua de disciplina Orientalium vel Italo-Graecorum excitata est controversia, Apostolicam Sedem nihil praetermisisse, ut si quae emendatione digna visa sunt, emendaret, edicendo statim, velle se, ut ceteris in rebus omnibus orientalis ritus inviolatus firmusque maneret; aut aperte declarando, quae pro Italo-Graecis inter nos degentibus, et latinorum Episcoporum iurisdictioni subiectis statuebantur, ita accipi oportere, ut eos dumtaxat afficiant, neutiquam vero protendantur ad Graecos orientales, qui a nobis longe dissiti, graecis Episcopis suis catholicis subsunt.

Immo ne passos quidem esse, ut ab aliis quidquam eidem ritui detraheretur.

§ 16. Deprehenditur id ex confirmatione Synodi provincialis Ruthenorum coactae in urbe Zamosciae anno MDCCXX., ad quam examinandam nos quoque, quippe qui tunc munere secretarii Congregationis Concilii fungebamur, acciti fuimus a fel. recordat. Benedicto XIII., qui licet obsecundandum putasset insinuationibus patrum eiusdem Concilii, a quibus nonnulli ritus inter Graecos vigentes suis decretis vel temperati fuerant vel sublati; praedictam Synodum confirmavit quidem suis apostolicis litteris in forma Brevis, dat. an. MDCCXXIV., hac tamen addita declaratione: *Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et decretis conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent.* Idem quoque colligitur ex pluribus nostris constitutionibus, quae in nostro Bullario continentur, de ritibus Cophtorum, Melchitarum,

Maronitarum, Ruthenorum et Italo-Graecorum generatim, atque etiam speciatim de ritibus cleri collegiatae ecclesiae Messanensis Sanctae Mariae *de Grafeo* nuncupatae, ac postremo de graeco ritu in Ordine Sancti Basilii servando. Siquidem in constitutione LXXXVII., *eiusdem Bullarii Tom. I.*, de Graecorum Melchitarum ritibus haec leguntur: « De ritibus igitur et moribus Ecclesiae Graecae illud in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali aut episcopali, praefulgeat, quidquam innovare aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observantiam imminuat. » In praecedenti vero Constitutione LVII. quae incipit: *Etsi pastoralis*, § 9, *num. 1*, haec de Italo-Graecis praescribuntur: « Quoniam Orientalis Ecclesiae ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti vel a maioribus traditi, sic animis Graecorum aliorumque insederunt, ut praedecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint ritus huiusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur, nec periculum generant animarum, aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare seu permittere, quam illos ad Romanarum coeremoniarum normam reducere etc. » Et § 9, *num. 24*, haec leguntur: « His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-Graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus et interdiximus, seu prohibuimus, Graecorum in Oriente, sub propriis catholicis Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis commorantium et aliarum christianarum nationum quorumcumque rituum a Sancta Sede approbatorum, seu permissorum, iuribus qualibuscumque, si quae illis de iure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant, aut apostolicis constitutionibus vel conciliorum generalium aut particularium, seu Congregationum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decretis, quae super ritibus Graecorum seu aliorum Orientalium emanarunt, ullo pacto praeiudicatum vel praeiudicium ullum illatum esse, non intendimus. »

Haereses tamen unitatem proscindentes, summopere aversati, certas formulas professionis fidei Graecis et Orientalibus statuerunt.

§ 17. Verum his aliisque pluribus praetermissis, libere asseremus, Romanos Pontifices assiduam atque indefessam curam impendisse, ut haereses, a quibus schisma inter Occidentalem atque Orientalem Ecclesiam dimanavit, profligarent; ac propterea earum detestationem sive abiurationem, expoposcisse ab iis Orientalibus, qui ad Ecclesiae unitatem redire postulant, aut de quibus explorandum est, utrum vere ad unitatem Apostolicae Sedis pertineant. Duae sunt formulae professionis fidei, quarum prima Graecis praescripta a Summo Pontifice Gregorio XIII., *tom. 2 veteris Bullarii Romani trigesima tertia* recensetur; alteram vero pro Orientalibus statuit Urbanus VIII. Ambae typis Congregationis de Propaganda Fide editae fuerunt, prima quidem anno MDCXXIII., altera anno MDCXLII. Cum autem deinde, anno MDCLXV., Patriarcha Antiochenus Syriacus Hierapolis, necnon Archiepiscopus Syrorum in eadem urbe Hierapolis commorantium, suae fidei professionem ad Urbem transmisissent, eaque data fuisset examinanda Patri Laurentio de Lauraea Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium, tunc temporis Sancti Officii Consultori et deinde S. R. E. Cardinali: is die XXVIII. aprilis eiusdem anni suffragium suum scripto exaratum protulit, quod etiam subinde fuit a Congregatione probatum, illudque his verbis concluditur: *Omnes sunt admittendae, sed significandum est iis, ad quos spectat, ut in posterum curent, emitti professionem fidei alias a felicis recordationis Urbano VIII. Orientalibus praescriptam, quia illa continet multarum haeresum detestationem et alia pro iis regionibus necessaria.*

Curaruntque eorum missalia expurgata recudi, euchologium emendari, servato caeteroquin semper graeco ritu.

§ 18. Cumque inimicus homo, ut superseminaret zizania, eo nequitiae nonnullorum animos impulisset, ut missalibus breviariis ac ritualibus admiscerent errores, quibus ecclesiastici ceterique de clero inficerentur, opportuno consilio et post accuratum examen, Romani Pontifices typis Congregationis de Propaganda Fide Missale Cophticum ac Maronitarum, sicut etiam Illyrica aliaque huiusmodi missalia recudenda curarunt. Neque silentio praeterire possumus, quantum curae ac laboris collatum fuerit in emendando Graecorum Euchologio, quod e typographia eiusdem Congregationis superioribus mensibus prodiit absolutum (1). Huius operis examen magno quidem studio sub Urbano VIII. Pontifice coeptum fuit, at post non multum temporis intermissum; instauratum autem no-

(1) Vide infra const. *Ex quo*.

vissime sub Clemente XII. proximo praedecessore nostro: ast Deus optimus maximus eo nos gaudio perfudit, ut post innumeras vigilias, labores, ac discussiones, pontificatus nostri tempore, a Cardinalibus, praesulibus, theologis ac viris orient. linguarum peritissimis peractas, quin nobis ipsi pepercerimus, investigando nimirum, perlegendo et expendendo quaecumque inspicienda, legenda et examinanda erant, gravissimum huiusmodi opus absolutum intueremur, ea semper adhibita accurata ac quodammodo scrupulosa circumspectione, ne quid nimirum laederetur graecus ritus, sed illibatus omnino retineretur et integer; quamvis ceteroquin superioribus temporibus inter nostros theologos non defuerint, qui orientalium lyturgiarum rituumque, qui ante schisma in Orientali Ecclesia obtinuerant, penitus ignari, improbarent quidquid adversabatur Occidentalis Ecclesiae ritui, quem tantummodo probe noverant. Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu Graecorum schismaticorumque Orientalium ad catholicam religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maxime curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Monothelitarum aliorumque errores, in quo infeliciter proruerant; salvis tamen et intactis ritibus ac disciplina, quam ante schisma servabant et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis lyturgiis ac ritualibus innititur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad catholicam fidem redeuntes, suum ritum dimittere, et latinum amplecti deberent; id namque Ecclesiae Orientalis et graecorum ac orientalium rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo numquam tentatum, imo vero semper fuit et est ab huius Sanctae Sedis consilio quammaxime alienum.

Missionarior. quale sit munus, et quam methodum in eo utiliter obeundo sectari debeant.

§ 19. Ex his, quae huc usque latiori calamo relata sunt, plura facile inferri possunt. Primum quidem, conatus omnes omnemque diligentiam in id unum impendendam esse ab eo missionario, qui Orientales schismaticos et Graecos ad unitatem, Deo iuvante, redigere contendit, ut scilicet ab illorum animis errores depellat catholicae fidei adversantes, quos maiores eorum amplexi sunt, ut causam aliquam praetenderent, qua se ab Ecclesiae unitate segregarent subtraherentque ab obedientia ac obsequio, Romano Pontifici, tamquam eiusdem Ecclesiae capiti, exhibendis. Quod vero spectat ad argumenta, quibus missionarius uti debet; quum orientales propriis veteribus patribus magnopere adhaereant, peracta iam res est operosa sedulitate diligentissimi Leonis Allatii aliorumque clariorum theologorum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime inter sese veteres spectabilioresque Graecorum nostrosque Ecclesiae Occidentalis patres in iis omnibus, quae ad dogma pertinent, et ad confutationem errorum, quibus Orientales et Graeci nunc temporis misere implicantur. Quapropter horum librorum studium maximam indubie afferet utilitatem. Conati sunt sane Lutherani praeterito saeculo Orientales et Graecos in errores suos pertrahere. Idem quoque tentarunt calvinistae infensissimi hostes praesentiae realis Christi in sacramento Eucharistiae, et transubstantiationis panis ac vini in eiusdem Corpus et Sanguinem; et in partes suas Patriarcham Cyrillum, ut aiunt, adduxerunt. Attamen, cum Graeci, licet schismatici, animadvertissent, novis lutheranorum erroribus adversari suorum veterum patrum auctoritates, praesertim Sanctorum Cyrilli, Ioannis Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Ioannis Damasceni, tum authentica argumenta, quae ex ipsorum lyturgiis depromuntur, ad realem praesentiam et transubstantiationem asserendam, se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Schelestrate in dissertatione: ***De perpetua consensione Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos:*** sub titulo: ***De transubstantiatione, p. 717, tom. 2 Actorum Ecclesiae Orientalis.*** Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum, seu edita sub eius nomine Calviniana dogmata, unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum, ***part. 5,*** ad concilia generalia et provincialia, ac potissimum in dissertatione: ***De quibusdam locis, cap. 9 in fine.*** Ex quo primum haud levis spes affulget, fore ut ipsorum oculis subiectae auctoritates veterum patrum, quae novis eorumdem erroribus adversantur, catholico autem nostro dogmati favent quam maxime, facilem iisdem viam ad reditum sternant, eosque ad veram conversionem impellant. Deinde alterum quoque potest inferri, nimirum, non modo opus non esse, ad Orientales et Graecos in viam unitatis revocandos, ut laedantur ipsorum ritus aut corrumpantur; quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Apostolicae, quae, in hac ipsa sacrorum rituum

materia, zizania a tritico, quoties oportuit, secernere novit; verum etiam conatus huiusmodi plurimum optatissimae unioni adversari, uti recte perpendit Thomas a Iesu: *De conversione omnium gentium procuranda, lib. 7, cap. 2:* « Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare ac indulgere, ut quaevis ecclesia propriis adhaereat ritibus et caeremoniis: quippe cum schismatici propriorum rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet et avertat, opportune laborandum, ut se in propriis caeremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur. » Demum ex iis, quae supra praeiecimus, illud tertio infertur, cavendum omnino esse missionario, qui orientalem schismaticum reducere cupit, ne eumdem ad latinum amplectendum ritum inducere contendat: munus namque hoc unum missionario demandatur, revocandi Orientalem ad catholicam fidem, non vero ipsum ad latinum ritum inducendi.

Latinis non licet ad graecum ritum transire, neque graeco, latinum ritum semel amplexo, ad illum reverti, nisi apostolica intercedat dispensatio.

§ 20. Peracta in Florentino Concilio unione, quam superius memoravimus, quidam ex latinis catholicis, in Graecia commorantes, arbitrati sunt, fas sibi esse a latino ritu ad graecum transire, allecti fortasse ea libertate, quam noverant Graecis praeservatam, retinendi post Ordinem sacrum uxores, quas duxerant antequam eumdem sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V. Pontifex Maximus opportunum huic corruptelae remedium afferre non praetermisit, uti colligitur ex eius Constitut. *tom. 3, part. 3 Bullarii* recenter Romae editi, *pag. 64. Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae catholicis in Graecia subiecta sunt, multi catholici, unionis praetextu, ad graecos impudenter transeunt ritus. Mirati admodum sumus, mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine ac ritibus, in quibus nati enutritique sunt, in alienigenarum ritus transposuit; nam, etsi laudabiles Orientalis Ecclesiae ritus sint, non licet tamen ecclesiarum ritus permiscere, neque id unquam sacrosancta Synodus Florentina permisit.* Cum latinus ritus is sit, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, quae mater est et magistra aliarum ecclesiarum, reliquis omnibus ritibus praeferri debet. Ex quo porro sequitur, haud licere a latino ritu ad graecum transire; nec illis, qui semel a ritu graeco vel orientali, ad latinum transierunt, licitum esse ad pristinum graecum ritum reverti (quemadmodum patet ex nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis 57, § 2, num. 13 Bullarii nostri tom. 1*), nisi forte peculiares quaedam intercederent circumstantiae, quae impertiendam hac super re dispensationem suaderent; sicuti superioribus temporibus aliquando, et nunc etiam accidit in collegio Maronitarum huius nostrae Urbis, in quo, cum quandoque reperiatur aliquis Societatis Iesu sacerdos, qui societatem ingrediens dispensationem obtinuit transeundi ad latinum ritum, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in ecclesia memorati collegii missam celebret ritu syriaco et chaldaico, divinumque officium iuxta eumdem ritum persolvat, nempe, ut alumnos in eodem collegio degentes ritum ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus Decretis Congregationis Sancti Officii, uno videlicet dato die XXX. decembris anno MDCCXVI., altero die XIV. decembris anno MDCCXL., nec non ex alio recentiori, quod nos die XIX. aug. anno MDCCLII. iussimus expediri.

Graecis itidem interdictus ad latinum transitus, sed non aeque; is autem non a missionariis, sed ab Apostolica Sede probandus.

§ 21. Haec transitum de latino ad graecum ritum spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab orientali et graeco ad latinum ritum, libere affirmari potest, transitum huiusmodi non aeque ac primum interdici; sed tamen nequaquam licere missonario, Graecum et Orientalem, ad catholicae Ecclesiae unitatem reverti exoptantem, inducere, ut proprium ritum dimittat, cum ex hac agendi methodo, gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitae catholici libenter olim a graeco ritu ad latinum transibant, sed vetitum id ipsis fuit, monitique missionarii, ne illis suaderent huiusmodi transitum; cuius permissio est privativo Apostolicae Sedis iudicio reservata, uti manifestum fit ex nostra constitutione: *Demandatam 85, § 35, Bullarii tom. 1:* « Praeterea omnibus et singulis Melchitis catholicis, graecum ritum servantibus, ad latinum ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub poenis etiam infra exprimendis aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis huiusmodi transitum a graeco ad latinum ritum suadere praesumant, aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede, permittant. » Consentanea sunt decreta Urbani VIII. praedecessoris nostri quoad ritum graeco-ruthenum, edita in Congregatione Propagandae Fidei coram ipso habita die VII. februa-

Et quid de Italo-Graecis.

rii ac die VII. iulii anno MDCXXIV. Quamvis autem aequum videri posset liberam Italo-Graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a graeco ritu ad latinum, cum ipsi inter nos versentur et latino Episcopo subiiciantur; tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicae auctoritas ad id omnino requiratur, si de ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus agatur: si vero laici et saeculares transitum huiusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob iustas ac legitimas causas certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, numquam vero integrae universitati: in hac enim facti specie Apostolicae Sedis auctoritate opus est, uti videre est in saepe memorata nostra Constitutione: *Etsi Pastoralis 7, §. 2, num. 14, Bullarii nostri tom. 1.*

Obiectio ex eo desumpta, quod aliqui Latinorum ritus Orientalibus permittantur.

§ 22. Quod si defendi vellet, Orientales et Graecos haeresim abiurantes et ad unitatem redeuntes, allici iure posse ac urgeri ad ritus suos deserendos, ritumque latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit, atque nunc etiam probetur, Orientales et Graecos latinum aliquem ritum sectari; opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem et Graeci duas veluti classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam contenti iis rebus, quae ab Apostolica Sede ipsis ad unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, iactantes, quaecumque a se fiunt, ea iure optimo fieri, Latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit Azymum: Graeci et Orientales, ut catholici sint, fateri debent, tam azymum quam fermentatum panem materiam esse aptam sacramenti Eucharistiae, et quemlibet ecclesiae suae ritum sectari oportere; adeo ut quicumque improbat Ecclesiae Latinae ritum, quae in Eucharistiae consecratione utitur azymo, a veritate recedat, et in errorem prolabatur. Hilarion monachus in dialectica sua oratione, quam Leo Allatius e graeco sermone latinam reddidit *tom. 1 Graeciae Orthodoxae*, edita typis Congregationis de Propaganda Fide 1652, *p. 762*, haec advertit: « Et haec scripsi vobis, Graeci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans aeque ac nostra azyma revereor, incusans, sed exponens, neque probe, neque ut christianum addecet, vos gerere, dum Latinorum azyma dicto factoque laeditis, iniuriaque afficitis; in utrisque enim, ut dictum est, verus Christus continetur. » Exemplum est itidem ex libertate, orientali et graecae ecclesiae relicta, ut qui in ea sacris Ordinibus, atque etiam sacerdotio, sunt insigniti, uxores, quas ante sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, uti patet *ex Can. Aliter, dist. 31, et cap. Cum olim, de clericis coniugatis.* Romani siquidem Pontifices perpendentes id nequaquam adversari divino aut naturali iuri, sed tantum ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter Graecos et Orientales vigentem ferre, ne, auctoritate apostolica ad eam evellendam interposita, illis occasio ab unitate recedendi praeberetur; quod recte expendit Arcudius *in sua Concordia, lib. 7, cap. 33.* Attamen, quis crederet? non defuerunt, neque desunt ex Graecis et Orientalibus, qui Latinam Ecclesiam iniuria arguunt, tamquam matrimonio infensam, propterea quod, exemplum Apostolorum sequuta, in suis subdiacanis, diaconis ac presbyteris coelibatum servaverit ac servet. Legi potest Hincmarus Rhemensis, *tom. 2 suorum operum, epist. 51.* Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex Cophtis, quorum ritus praescribit, ut post baptismi sacramentum illico adiungatur confirmatio; qui mos non obtinet in Occidentali Ecclesia, quae plerumque talem in confirmandis aetatem exposcit, ut, quid bonum, quidve malum sit, possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri Cophtorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) extant ex ipsis nonnulli, qui baptismum a Latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post baptisma confirmationis etiam sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra constitutione CXXIX. quae incipit: *Eo quamvis tempore, Bullarii nostri tom. 1,* merito a nobis arguuntur atque damnantur: *Sicuti lenitati et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod Cophti in suo iamdiu recepto et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod baptismum ritu latino, et seorsim a confirmatione collatum, acerbo alienoque animo perhorrescant.*

Duplex statuitur Graecorum et Orientalium classis. Nonnulli suis ritibus ita adhaerent, ut Latinos damnent, atque improbent: exemplis res illustratur.

Altera classis eorum, qui cum propriis Latinum aliquem ritum coniungunt: afferuntur exempla.

§ 23. Alteram classem constituunt Orientales illi et Graeci, qui retinentes maiori ex parte ritus suos, et insimul Occidentalium ac Latinorum ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta et approbata, atque insuper ab Apostolica Sede expresse vel tacite confirmata. In hanc

classem referri possunt Armeni ac Maronitae, qui fermentatum deseruerunt, et Eucharistiam, sicuti Latini, in azymo conficiunt, uti testatur Abrahamus Echellensis *in suo Eutychio vindicato, pag. 477:* quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt Sancto Gregorio illuminatori, primo Armeniae Episcopo, qui initio saeculi quarti, sub Tiridate rege, martyrii coronam est consecutus; alii vero, Sancto Silvestro Pontifici, aut Sancto Gregorio Magno, eamdem referunt acceptam, in conventionibus cum Armenorum natione initis, quae indicantur a Summo Pontifice Gregorio IX. in suis epistolis ad regem Armeniae, relatis a Raynaldo *ad annum Christi* MCXXXIX. *num. 82.* Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana Armenis traditam testatur eorumdem Armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius, in epistola ad Haytonem patrem Leonis regis Armeniae coenobitam, *apud Clementem Galanum, in conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana, Tom. I., pag. 449,* sic scribens: *Quocirca nos a S. Romana Ecclesia, aquae commixtionem* (cum vino in calice) *modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus azymum, mitram episcopalem, et modum signandi crucem.* Vetustissima pariter et immemorabilis est apud Maronitas azymi consuetudo, uti constat ex Morini *praefatione ad Maronitarum ordinationes, et ex bibliotheca orientali Assemani senioris, tom. 1, pag. 410,* atque ex Synodo nationali in Monte Libano congregata anno MDCCXXXVI. et a nobis in nostra Constitutione: *Singularis 31, Bullarii nostri tom. 1,* confirmata, in cuius *cap. 12 de sacramento Eucharistiae,* cum de azymo agitur, haec leguntur: *Qui mos et in Ecclesia nostra et apud Armenos quoque in oriente ab immemorabili tempore obtinuit, et authentica etiam huius rei documenta proferre possumus.* Hoc Armenorum et Maronitarum exemplo, Bessarion Cardinalis, cui primum abbatia Cryptae Ferratae sita in dioecesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut graeci monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra constitutione XXXIII. *Inter multa, § Ut autem, Bullarii nostri tom. 2.* Idem semper servatum fuit, hodieque servatur in ecclesia collegiata Sanctae Mariae *de Grafeo* nuncupata, sita in Messanensi dioecesi, licet ipsius clerus ritum graecum retineat, uti videri potest in nostra constitutione LXXXI. quae incipit: *Romana Ecclesia, § 1, Bullarii nostri tom. 1,* quamvis, generatim loquendo, presbyteri italo-graeci servent in Italia insulisque adiacentibus suam disciplinam ac ritum conficiendi in fermentato Eucharistiam: moneanturque impensius sacerdotes latini vel graeci ritus, ne Eucharistiam consecrare ac distribuere iuxta proprium cuiusque ritum praetermittant, uti declaratur in nostra constitutione, quae incipit: *Etsi pastoralis, 57, § 1, n. 2, ac § 6, num. 10 et seq., Bullarii nostri tom. 1.*

Ritus ministrandi Eucharistiam infantibus illico post baptismum, quando obtinuerit, et quare obsoleverit.

§ 24. Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post baptismi sacramentum Eucharistia pueris traderetur, haud quidem ex ea persuasione, quod esset ad aeternam puerorum salutem necessaria; sed ex mero ritu et consuetudine tunc temporis vigente, quemadmodum sapienter animadverterunt Tridentini Concilii patres *sess. 21, cap. 4.* Inter errores Armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII. damnatos, qninquagesimus octavus apud Raynaldum, *ad annum Christi* MCCCXLI., *§ 66,* recensetur ille, quo asserebant, ad aeternam puerorum salutem et baptismi iis collati validitatem, praeter Confirmationis sacramentum, Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In occidentali Ecclesia, quadringentis et amplius ab hinc annis, Eucharistia pueris post baptismum non administratur. Verum negari nequit, in libris ritualibus Orientalium commemorari ritum communionis post baptismum pueris administrandae. Assemanus iunior *lib. 2 Codicis Liturgici, cap. 149,* refert ordinem ministrandi baptismi apud Melchitas; *pag.* quoque *309* ordinem exscribit baptismi Syrorum, editum a Philoxeno Mabugensi Episcopo Monophysita; *pag. 306* alium affert desumptum a veteri rituali Severi Patriarchae Antiocheni Monophysitarum antesignani: et *lib. 4 eiusdem codicis, pag. 95 et pag. 130,* binos alios ordines commemorat, servatos inter Armenos et Cophtos in ministrando baptismo; quibus omnibus praecipitur, ut pueris post baptismum Eucharistia ministretur. Huiusmodi consuetudinem apud nonnullos Graecos ad sua usque tempora obtinuisse ait Sanctus Thomas *3 par., qu. 80, art. ad Tertium.* Arcudius vero *lib. 3 de sacramento Eucharistiae, cap. 11,* hanc esse Graecorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda quae in praebenda pueris post baptismum

Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum, habitae in Monte Libano die XVIII. sept. anno MDXCVI., cui praefuit pater Hieronymus Dandinus Societatis Iesu, nuncius Summi Pontificis Clementis VIII., haec verba leguntur *can. 7: Quoniam parvulis sine indecentia maxima, venerabilisque sacramenti iniuria, vix potest sacra Christi communio dari; caveant in posterum sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiunt patres Concilii Zamosciae habiti anno MDCCXX. § *3 de Eucharistia.* Idemque firmatum legitur in actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit anno MDCCXXXVI. *cap. 12 de sanctissimo Eucharistiae sacramento, num. 13,* cuius haec sunt verba: « In antiquis quidem nostris ritualibus, sicut et in Ordine vetere Romano et in Euchologiis graecis, baptismatis ministro diserte praecipitur, ut infantes mox a baptismate, chrismate delibutos, pascat Eucharistiae sacramento; nihilominus, tum ob debitam huic augustissimo sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem necessarium, praecipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie sanguinis, porrigatur. » Quod ipsum statutum fuit in constitutione pro Italo-Graecis, incipiente: *Etsi pastoralis, 57,* § *2, num. 7, Bullarii nostri tom. 1.*

Vetustior recentiorque traditur Ecclesiae Græcæ disciplina, quoad communionem sub utraque specie.

§ 25. De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie etiam laicis, quoad orientalem et graecam disciplinam, fuse disserunt Arcudius *in concordia occidentali et orientali in sacramentorum administratione lib. 3, cap. 4;* Leo Allatius *in prima adnotatione de Ecclesiae occidentalis atque orientalis consensione, p. 1614 et seq.* In Graecorum collegio, quod Romae, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII., ea indicta lege, ut graecus in eo ritus servetur, quemadmodum praefatus Leo Allatius testatur *in suo tractatu de aetate et interstitiis, pag. 21,* iuxta ipsius collegii constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII. confirmatas, debent alumni quolibet octiduo animi sordes poenitentiae sacramento eluere et sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die, nec non festis diebus solemnibus et singulis adventus et quadragesimae dominicis, latino ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini, iubentur, Eucharistiam sub utraque specie ritu graeco suscipere, hoc est in fermentato, sanguine intincto, ad quam rem perficiendam sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam. Idemque ritus servatur cum reliquis Graecis omnibus, qui praedictis diebus ad solemne missae sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus in ecclesia graeci collegii sibi Eucharistiam ritu graeco administrari deposcunt. Verum Italo-Graecis in memorata constitutione: *Etsi pastoralis, 57,* § *6, num. 15,* Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus ritus huiusmodi communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina seu ritu sumendae Eucharistiae sub utraque specie, licet in universa Orientali Ecclesia recepto, nonnulli Graeci et Orientales paulatim recesserunt. Lucas Holstenius, vir sane clari nominis, in epistola ad Bertoldum Nimisium, quae typis impressa affertur in opusculis graecis ac latinis Leonis Allatii, *p. 436* refert, se praebuisse Eucharistiam in Vaticana Basilica presbytero Abyssino, qui cum aliis communicaturus, ad sacram mensam accesserat: cumque eum sub unica specie panis Eucharistiae participem fecisset, ab ipso deinde, atque etiam ab aliis aethiopicae Ecclesiae hominibus, sciscitatum fuisse, an, iuxta patriae suae ritum, Eucharistiam sub unica specie panis sumere consuevissent, tam in solemni lyturgia, quam in quotidiana Eucharistiae participatione, nec non cum ad eos extremo morbo laborantes eadem in Viaticum afferebatur; testaturque, fuisse sibi ab ipsis responsum, sacram Synaxim sub unica specie panis sibi semper administrari, hancque esse veterem disciplinam in aethiopica Ecclesia obtinentem. Inter quaesita Summo Pontifici Gregorio XIII. proposita a Patriarcha Maronitarum, sequens recensetur: « Nos missam celebramus in solo azymo: laici vero nostri sub utraque specie communicant. » Cui Pontifex his verbis respondit: « Si volunt in azymo consecrare, non videntur prohibendi: laici vero a communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt; totus enim Christus sub una specie continetur, et in usu calicis magnum est periculum effusionis: » uti legere est in laudato Opere Thomae a Iesu, *de Conversione omnium gentium, p. 486 et seq.,*

Patres etiam Concilii Libanensis habiti anno MDCCXXXVI., *part. 2, cap. 12, num. 21,* huiusmodi consilio inhaerentes, ita statuerunt: « Deinde eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae institutis inhaerentes, praecipimus et stricte mandamus, ne cui laico vel clerico in minoribus ordinibus constituto communio sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum: solis diaconis permittentes, ut in solemni missa Eucharistiam sub utraque specie a sacerdote accipiant, hoc est sub specie panis primum, deinde sub specie vini, semoto tamen, quem superius commemoravimus, cochlearis usu. At vero diaconis, ut Hostiam Sanguine intinctam a sacerdotibus, in solemni praesertim missa, accipere possint et valeant, concedimus et permittimus, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum esse statuimus. »

Ritusque affundendi aquam tepidam in calicem post consecr., et ante consummationem.

§ 26. Postremo, ab Eucharistiae sacramento minime recedentes, hic verba faciemus de alio orientali et graeco ritu, quo nimirum sacerdos, post consecrationem et ante consummationem, paululum aquae tepidae in calicem fundit. Matthaeus Blastares *in Syntagmate alphabetico, cap. 8, tom. 2 Synodicon Graecorum, pag. 153,* huiusmodi ritum commemorat, eiusque significationem affert. Eutymius, Tiri ac Sidonis Archiepiscopus, anno MDCCXVI. Summo Pontifici Clementi XI. nonnulla quaesita proposuit, quorum alterum erat, utrum Melchitis Syriae ac Palestinae interdicere deberet, aquam tepidam Divino Sanguini post consecrationem affundere; cui redditum fuit responsum, adiecta accurata et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata, eiusque iussu transmissa ad superiores missionum Terrae Sanctae, Damasci, Tyri ac Sidonis: iniunctumque praedicto Archiepiscopo, ne id fieri interdiceret, cum de veteri ritu ageretur, Sedi Apostolicae perspecto, et graecis sacerdotibus etiam Romae permisso; per quem innuitur fidei ardor, qui maximus erga tantum mysterium debet conflagrare. Simile responsum die XXXI. martii an. MDCCXXIX. iussu Benedicti Papae XIII. datum fuit Cyrillo Graecorum Patriarchae Antiocheno. Idem ritus Italo-Graecis permittitur in citata constitutione LVII. *Etsi pastoralis,* § *6, n. 6, Bullarii nostri tom. 1.* Cumque subinde in congregationibus, quae pro correctione librorum ecclesiasticorum Ecclesiae orientalis habitae fuerunt, ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset, utrum interdicendus esset ritus infundendi in calicem aquam tepidam post consecrationem, cum potissimum Humbertus Cardinalis Sylvae Candidae superioribus temporibus plurimum adversus eumdem ritum declamasset, responsum fuit die I. maii MDCCXLVI., *nihil esse innovandum,* quod rescriptum a nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a praedicto Cardinali allatis nil ponderis inesse compertum fuit. Attamen patres concilii coacti in urbe Zamosciae an. MDCCXX., graves ob causas inhibuerunt ruthenis sacerdotibus, ne aquam tepidam post consecrationem in calicem funderent, uti legi potest § 4 de celebratione missarum: « Inhibet gravem ob causam et abrogat toleratam in orientali Ecclesia consuetudinem, ad consecratas calicis species aquam tepidam affundendi, post consecrationem, ante communionem. »

Allata huc usque exempla, ad propositam superius obiectionem probandam, inepta demonstrantur.

§ 27. His sane et aliis huiusmodi exemplis, quae facile cumulari possent, inniti valent, qui erga transitum a ritu orientali et graeco ad occidentalem et latinum sunt propensiores vel certe quidem putant se iure optimo agere, dum schismaticum orientalem ad Ecclesiae unitatem convertentes, satagunt eumdem abducere ab aliquo ritu, quem servare consueverat, priusquam nobis consentiret, quique a reliquis omnibus orientalibus et graecis, ex veteri disciplina, firmiter retinetur et observatur. Verum neque superius allata exempla, nec cetera, quae in medium proferri possent, quidquam illorum opinioni suffragantur; tum quia in transitu a ritu orientali et graeco ad occidentalem et latinum tollitur omnino quidquid ab ipso graeco ritu praescribitur et nostro ritui non conformatur; quod non contingit in iis exemplis, quae paulo superius allata sunt, quibus nempe si aliqua peculiaris solemnitas graeci ritus tollitur, ritus tamen ipse ac reliqua omnia eodem ritu praescripta intacta servantur; tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo ritu, salvis reliquis eiusdem ritus partibus, non est privati viri, sed auctoritas publica intercedat necesse est, videlicet supremi capitis universalis Ecclesiae, qualis plane est Romanus Pontifex. Sedes namque Apostolica ea est, quae praecipuo quodam iure, quoties ipsi consentaneum visum fuit, ab orientali Ecclesia ritum aliquem desumpsit et in occidentalem traduxit; aut permisit, ritum aliquem graecum in aliqua Latina Ecclesia usurpari.

Triplex praecipuum Sedis Apostolicae munus, admittendi graecos ritus in Latinam Ecclesiam, interdicendi noxios in Graeca, et eidem permittendi innoxios.

Eademque Apostolica Sedes, quoties deprehendit, periculosum vel indecorum aliquem ritum in orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit, eiusque usum ipsi prohibuit. Ipsa denique Apostolica Sedes, postquam vidit orientalem vel graecam aliquam gentem in aliquo latino ritu usurpando ac defendendo vehementer obfirmatam, ac potissimum, quando ritus ipse ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus, atque expresse vel tacite ab Episcopis probatus, ritum ipsum tolerando et sic approbando, firmavit.

Exempla graecorum rituum, quos Sedes Apost. a graeca in universam latinam Ecclesiam transtulit, vel in aliqua ecclesia latina usurpari permisit.

§ 28. In latina et graeca lyturgia recitatur symbolum, eiusque recitatio in missae sacrificio in Ecclesia orientali primum instituta, deinde in occidentalem traducta est, uti colligitur ex tertio Toletano Concilio habito anno DXCVIII. *can. 2, tom. 5* collectionis Labbeanae, *pag. 1009,* cuius haec sunt verba: « Ut per omnes ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae, secundum formam orientalium ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, et, priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur. » Quare, cum patres Toletani Concilii, disciplinam statuentes recitandi symbolum in sacrificio missae, se ad ritum orientalium ecclesiarum retulerint, id satis est ad agnoscendum, huiusmodi disciplinam in Oriente primo institutam, inde in Occidentem promanasse; sicut advertunt Cardinalis Bona *Rerum Lyturgic. lib. 2, cap. 8, num. 2,* et Georgius *de Lyturgia Romani Pontificis tom. 2, cap. 20, num. 2, pag. 176.* Sed rem propositam persequendo, Amalarius *in lib. de Divinis Officiis, cap. 14,* postquam innixus auctoritate Sancti Paulini in epistola *ad Severum* retulit, sola feria sexta maioris Hebdomadae in Ecclesia Hierosolymitana exponi consuevisse populo adorandam crucem ipsam, in qua Christus pependit, huic graecae consuetudini tribuit ritum adorationis Sanctae Crucis, quae in officio praedictae feriae sextae in unaquaque latina ecclesia ad hanc usque diem peragitur. Trisagium « *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis* » pia est et frequentissima oratio in Graecorum lyturgia, uti recte advertit Goarius in notis ad euchologium in missam Sancti Ioannis Chrysostomi, *pag. 109.* Eius orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio saeculo quinto contigit in regia Urbe Constantinopolitana; cum enim Theodosius Imperator, Patriarcha Proclus, et universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminenti liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terrae motibus impendebat, puer repente in caelum rapi visus est, qui deinde in terram demissus, retulit se audivisse angelos praedictum trisagium canentes; quare, cum iussu Procli Patriarchae universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus conquievit, uti narrat Nicephorus *lib. 14, cap. 46,* recteque prosequitur Summus Pontifex Felix III. in epistola tertia ad Petrum Fullonem, quae habetur *tom. 4* Labbeanae collectionis. Idem vero trisagium in Ecclesia occidentali feria sexta maioris Hebdomadae graece et latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis Bona *rerum lyturgicar. lib. 2, cap. 10, num. 5.* Aquae benedictio in pervigilio Epiphaniae ex ritu est graecae Ecclesiae proprio, uti fuse ostendit Goarius in euchologio, sive rituali Graecorum, et nunc etiam praedicta die Romae in Graecorum ecclesia peragitur haec functio, de qua in allata superius constitutione nostra LVII. § *5, num. 13,* mentio habetur, simulque permittitur, ut fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu ritus huiusmodi ab orientali in aliquas occidentales ecclesias videri possunt, quae congessit eruditus Martene *tom. 4 de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis, c. 4, num. 2,* et quae afferuntur in dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno MDCCXIX. cui titulus est: *De ritu Ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania,* ubi propterea, *part. 3, pag. 177 et seq.,* opportune monet Episcopos, in quorum dioeceses longo ab hinc tempore nonnulli ritus ab Ecclesia Graeca manantes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbae excitentur et ne videantur improbare rationem agendi Sedis Apostolicae, quae ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem tamen servari et frequentari permisit; affertque etiam *p. 203* epistolam Cardinalis Sanctorii, Sanctae Severinae nuncupati, scriptam anno MDLXXX. ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento, et de aquae benedictione in Epiphania, quae in illa dioecesi peragitur. Graecus pariter est ritus spoliandi ac lavandi altare feria quinta in Coena Domini. Huiusce ritus monumentum ali-

quod reperire est saeculo quinto: de eo namque meminit in suo Typico, sive Ordine recitandi officium ecclesiasticum per totum annum, S. Sabas, qui, teste Leone Allatio, *de libris Ecclesiae Graecae dissert. 1, pag. 9,* obiit anno CDLI. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum, Sancti Gelasii Pontificis iussu compositum fuisse, ritus lavandi altaria feria quinta in Coena Domini praedictae Graecorum consuetudini fuisset quasi coaevus in Latina Ecclesia, cum Sanctus Gelasius Pontifex obierit *anno* CDXCVI. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus tantae antiquitatis merito praestet, et cum, eo seposito, Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc ritu verba fecerit; idemque S. Isidorus *anno* DCXXXVI. sit vita functus: satis id est, ut ab oriente in occidentem fluxisse asseratur ritus praedictus, qui in hunc usque diem in nonnullis latinis ecclesiis retinetur, probantibus Romanis Pontificibus: ac potissimum in Vaticana Basilica, magna cum solemnitate, feria quinta in Coena Domini quotannis peragitur. Suaresius Episcopus Vasionensis et Vicarius eiusdem Basilicae, et Ioannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui in minoribus inter beneficiatos eiusdem Basilicae recensebatur, duas elucubratissimas dissertationes ediderunt, quibus praedictum ritum illustrarunt. Quae cum ita sint, exemplis et factis aperte evincitur id, quod paulo ante diximus, Sedem videlicet Apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam Latinam Ecclesiam ritus, qui ad Graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam ritus, qui ab Ecclesia Graeca manarunt, in nonnullis latinis ecclesiis observarentur.

Exempla rituum, quos iustis de causis a Graeca Ecclesia proscripsit Apostolica Sedes.

§ 29. Iam paulo superius de trisagio sermonem fecimus, deque admirabili modo, quo cantus eiusdem in sacras lyturgias Ecclesiae Graecae inductus fuit: cum tamen Petrus Fullo, cognomento Gnaphaeus, fautor haeresis Apollinaristarum, qui Theopaschitae appellantur, ausus fuisset trisagio haec verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis*: sicuti fuse commemorat Theodorus lector *lib. 1 Collectanear.;* et cum nonnullae Orientis ecclesiae, ac potissimum Syrorum et Armenorum, opera cuiusdam Iacobi Syri, teste Nicephoro *lib. 18, cap. 52,* additamentum huiusmodi recepissent; haud praetermiserunt Romani Pontifices, pro ea quam in similibus adhibere consueverunt vigili cura et sollicitudine, inolescenti errori se opponere, factamque trisagio additionem interdicere; reiicientes interpretationem, qua, trisagium ipsum referendo ad solam filii personam, non vero ad tres divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi iactabatur: tum quia periculum semper supererat adhaerendi dogmati haeretico; tum quia humanae mentis praesumptio ad solum Christum referre minime poterat hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimae Trinitatis decantatum, sicuti Lupus recte expendit *in notis ad can. 81 Trullanum,* ubi, postquam retulerat, a Felice III. et Romana Synodo damnatam fuisse additionem trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli divinae Trinitati a Sanctis semper Angelis adcantatum, Ecclesiae ab ipso Deo ac eisdem sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum Regiae Urbi impendentium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu et ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi, constanter asseverant* (loquitur de Episcopis tum in praedicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum trisagio factum respuentibus), *humana praesumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri.* S. Gregorius VII. eodem religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola prima, *lib. 8,* scripta ad Archiepiscopum sive Patriarcham Armenorum. Idem praestitit Gregorius XIII. in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham Maronitarum die XIV. februarii anno MDLXXVII. In Congregatione autem Propagandae Fidei, habita die XXX. ianuarii anno MDCXXXV., cum examini subiecta fuisset Armenorum lyturgia, atque inter caetera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum additio inducta trisagio tolerari posset, ob indicatam causam, quod illa ad solam filii personam relationem habere posse videretur, responsum fuit, id non esse permittendum, additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad Episcopos Lucaniae, *cap. 26,* pravam consuetudinem iam invectam improbavit, iuxta quam mulieres sacerdoti missam celebranti inserviebant; cumque idem abusus ad Graecos transiisset, Innocentius IV. in epistola, quam ad Episcopum Tusculanum dedit, eumdem severissime proscripsit: « Mulieres autem servire ad altare non

audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino. » Iisdem verbis a nobis quoque prohibetur in nostra saepius citata constitutione: *Etsi pastoralis*, § *6, n. 21, tom. 1 Bullarii nostri*. Feria quinta maioris hebdomadae, ad recolendam Dominicae Coenae memoriam, sacra peragitur functio, in qua consecratur panis, qui per integrum annum asservatur, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui sacram Synaxim in Viaticum sibi deposcunt, et aliquando etiam eidem pani consecrato exigua pars vini consecrati affunditur. Ritus huiusmodi a Leone Allatio describitur in suo tractatu *de Communione Orientalium sub specie unica, num. 7*. Summus Pontifex Innocentius IV. in laudata epistola ad Episcopum Tusculanum, ritum illum Graecis interdixit, hisce verbis: « Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam, usque ad annum, praetextu infirmorum, ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent: » addiditque, ut paratam semper Eucharistiam haberent pro infirmis, sed illam qualibet decima quinta die renovarent. *Arcudius in Tract. de Concordia Ecclesiae occidentalis et orientalis, lib. 3, cap. 55 et 56*, absurditates, quae ex eo ritu promanabant, indicare haud praetermisit, deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Praestitit id Clemens VIII. in sua instructione, idemque et nos praestitimus in nostra Constitutione: *Etsi pastoralis 57*, § *6, num. 3 et seq.* In Concilio Zamosciae a duabus Congregationibus, Concilii videlicet ac Propagandae Fidei, examinato, § *3 de Eucharistia*, legitur statutum, ut si alicubi adhuc vigeret ritus consecrandi Eucharistiam feria quinta in Coena Domini, eam suffundendi aliqua gutta Sanguinis, servandique pro infirmis in annum integrum, in posterum omnino praetermittatur; sed parochi Eucharistiam pro infirmis servent, ipsam qualibet octava, aut decima quinta, die renovantes. Eamdem viam institerunt Patres Concilii Libanensis a nobis confirmati, sicuti patet *ex cap. 12 de sacramento Eucharistiae, num. 24*. Quibus sane exemplis manifesto comprobatur, quod Sedes Apostolica nunquam omiserit Graecis interdicere ritus aliquos, licet apud eos iampridem obtinerent, quoties eosdem perniciosos et malos esse, aut evadere posse deprehendit.

Hac ipsa tamen in re, Apostol. Sedes, pro circumstantiarum varietate, epicheiam adhibuit.

§ 30. De processione Spiritus Sancti a Patre ac Filio, quemadmodum superius indicavimus, praecipue disputatum est, quoties de unione graecae et orientalis ecclesiae cum latina et occidentali actum fuit. Huius articuli examen trinam veluti faciem praesetulit, atque adeo ad haec tria capita redactum est. Primum an processio Spiritus Sancti a Patre et Filio esset fidei dogma: et quoad primum hoc caput, firmissime responsum semper fuit, non esse ullo modo dubitandum, quin processio Spiritus Sancti a Patre et Filio inter fidei dogmata adnumeretur; neque catholicum revera esse, qui illud non recipit, ac profitetur. Alterum, an, posito hoc esse unum ex fidei dogmatibus, licuerit in Symbolo Missae superaddere verbum *Filioque,* quamvis neque in Nicaena, neque in Constantinopolitana Synodo illud reperiretur, cum potissimum ab Oecumenica Synodo Ephesina decretum fuerit, ne quid Nicaeno Symbolo adderetur: « Statuit Sancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. » Quod autem ad alterum hoc caput attinet, firmatum fuit, non modo licuisse, sed et valde conveniens fuisse, ut huiusmodi additio fieret Nicaeno Symbolo, eo quod Ephesinum Concilium solummodo inhibuerit additiones fidei oppositas, aut temerarias et a communi consuetudine devias; non vero orthodoxas et quibus aliquis fidei articulus in eodem symbolo implicite contentus, explicatius declararetur. Tertium denique, utrum, posita pro indubio fidei dogmate processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, agnitaque insuper in Ecclesia potestate addendi Symbolo vocem *Filioque,* permitti posset, ut Orientales et Graeci in sacrificio Missae Symbolum recitarent ad eum modum, quo prius et ante schisma consueverant, quod perinde est ac dicere, praetermissa voce *Filioque*. Quod autem pertinet ad postremum hoc caput, non eadem semper fuit Sedis Apostolicae disciplina; quandoque enim Orientalibus et Graecis Symbolum absque voce *Filioque* recitare permisit; tunc nimirum, cum certo constiterat, priora duo capita seu articulos ab illis recipi, noveratque omnino, fore ut, si iisdem denegaretur id, quod tanto studio deposcebant, exoptatae unioni aditus intercluderetur. Nonnunquam vero Symbolum cum additione *Filioque* ab Orientalibus et Graecis recitari omnino voluit; cum scilicet merito suspicari potuit, eosdem ideo nolle

Symbolum cum additamento recitare, quod adhaererent errori opinantium ac asserentium, Spiritum Sanctum a Patre et Filio non procedere, vel ab Ecclesia additionem illam *Filioque* symbolo fieri non potuisse. Duo Summi Pontifices, nempe Beatus Gregorius X. in Lugdunensi Concilio, et Eugenius IV. in Florentino, primam agendi rationem, ob indicatas causas, cum Graecis adhibuerunt, uti constat ex *tom. 7* collectionis Concil. Harduini, *pag. 698 D,* et *tom. 9* eiusdem collectionis, *pag. 395, D.* Alteram vero rationem, ex causis itidem supra allatis, amplexus est servavitque Summus Pontifex Nicolaus III., cum deprehendit, Michaelem Imperatorem ex bona fide non agere, neque iis stare, quae pollicitus fuerat in tractanda unione, quam cum Pontifice Gregorio X. praedecessore suo absolverat atque firmaverat. Huius rei documentum e Vaticano archivio desumptum in Raynaldi Annalibus impressum est *ad annum Christi* MCCLXXVIII., § 7. Eamdem viam insliterunt Martinus IV. et Nicolaus III. Et quamvis de Pontificibus istis, quod ad hanc rem pertinet, scriptores diversa tradiderint, Pachymeres tamen, qui tunc temporis Constantinopolitanam historiam posterorum memoriae commendabat, *lib. 6, cap. 14,* aperte testatur, eos praedecessorum suorum epicheiam non fuisse secutos, sed voluisse, ut ab Orientalibus et Graecis Symbolum cum additione *Filioque* recitaretur, ut iniecta sibi de orthodoxa illorum fide dubitatio tolleretur, *ad certum experimentum capiendum fidei et sententiae Graecorum: eius vero pignus idoneum fore, si et ipsi Symbolum, sicut Latini, pronunciarent.* Idem Pontifex Eugenius, qui in Florentino Concilio Orientalibus concesserat, ut sine ea voce, *Filioque,* Symbolum recitarent, cum deinde Armenos in unitatem Sanctae Ecclesiae reciperet, eisdem praecepit, ut Symbolo praedicta additione adaucto uterentur, uti videre est in collectione Conciliorum Harduini *tom. 9, pag. 435 B,* eo quod fortasse Armenos, non aeque ac Graecos, eiusmodi additamento repugnantes deprehenderat. Callistus itidem III. Romanus Pontifex, cum fratrem Simonem ex Ordine Praedicatorum munere Inquisitoris decoratum in Cretam ablegaret, quam in insulam se receperant plures Graeci aufugientes ab urbe Constantinopolitana, cuius ante biennium Turcae potiti fuerant, iussit ipsum vigilem adhibere curam, ut iidem Graeci Symbolum cum additione *Filioque* recitarent, sicuti narrat Gregorius Trapezuntius *in sua epistola ad Cretens., tom. 1 Graeciae orthodoxae, apud Allatium pag. 537,* quod confirmatur etiam *ab Echard. tom. 1 Scriptorum Ordinis Sancti Dominici pag. 762;* fortasse enim Pontifex suspicabatur, ne praedicti Graeci, quippe qui ex urbe Constantinopoli advenerant, in eo fidei dogmate minus firmi essent. In duabus formulis professionis fidei, quas iam superius commemoravimus, quarum alteram Gregorius XIII. Graecis, alteram Urbanus VIII. Orientalibus praescripsit, nihil aliud continetur, quam quod in Florentino Concilio fuit constitutum. In duabus constitutionibus, altera videlicet Clemen. VIII., quae est *34, veteris Rom. Bullarii tom. 3,* § *6,* nostra altera incipiente: *Etsi pastoralis,* § *1, Bullarii nostri tom. 1,* utraque edita pro Latinis Episcopis, in quorum dioecesibus versantur Graeci aut Albanenses graecum ritum servantes, dummodo hi Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere fateantur, et agnoscant Ecclesiae fuisse potestatem addendi Symbolo vocem *Filioque,* minime iubentur Symbolum cum hac additione recitare; nisi forte, ea praetermissa, scandalum immineret; aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo iam invaluisset recitandi symbolum cum additione *Filioque;* aut denique necessarium putaretur, ut Symbolum ab illis cum praedicta additione recitaretur, ad eliciendam indubiam rectae ipsorum fidei probationem. Recte autem non modo patres Concilii Zamosciae, *tit. 1 de Fide Catholica,* sed etiam Patres Libanensis Concilii, *part. 1, eodem tit., num. 12,* ad omnem scrupulum submovendum, provide statuerunt, ut sacerdotes omnes eorum legibus subiecti, Symbolum, iuxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula *Filioque* usurpent.

Tertium denique munus permittendi in Graeca Ecclesia certos quosdam innoxios ritus, quomodo executa sit Apostolica Sedes.

§ 31. Ex his, quae huc usque dicta sunt, plene concluditur, Sedem Apostolicam hac ipsa in re quandoque, ex peculiaribus circumstantiis, perspectaque sibi gentis alicuius indole, consensisse, ut certus adhiberetur modus, quem tamen ab aliis, ob diversas circumstantias, diversumque locorum ac populorum genium, nullatenus usurpari permisit. Quamobrem, ut oneri suscepto satis faciamus, nihil aliud superest, quam ut ostendamus, aliquando eamdem Sedem Apostolicam, dum novit gentem aliquam Orientalium et Graecorum, in aliquo latino ritu adhibendo tenaciorem esse, illius usum ei benigne permisisse,

praesertim si huiusmodi ritus usurpandi consuetudo a vetustioribus temporibus inolevit, et Episcopi non modo eidem nunquam adversati sunt, sed aut tacite aut expresse eamdem comprobarunt. Verum, cum hac ipsa de re perspicua exempla iam fuerint superius allata, dum verba fecimus de ea classe Orientalium et Graecorum, qui ritus suos maiori ex parte retinentes, atque latinos aeque ac Orientales ritus venerantes aliquem ex nostris ritibus amplexi sunt, ab inutili idcirco repetitione abstinebimus, ea hic revocantes, quae superius in his ipsis litteris plene fuerunt exposita. Duo solum exempla ex Maronitis desumpta subnectemus iis, quae iam adduximus. Nonnullis abhinc saeculis Maronitae, pontificales ac sacerdotales vestes adhibent eiusdem plane formae, quam latinus ritus praescribit, quemadmodum in citato saepius Libanensi Concilio habito anno MDCCXXXVI. legitur *cap. 12* de sacramento Eucharistiae, *num. 7*. Summus enim Pontifex Innocentius III. epistola ad Hieremiam Patriarcham anno MCCXV. data, quae incipit: *Quia divinae sapientiae bonitas:* illos adhortatus est, ut se Latinae Ecclesiae in pontificalibus ornamentis conformarent. Quam ob causam tum idem Pontifex, tum eius successores, ad illos sacra indumenta, calices ac patenas dono miserunt, uti narrat Petrus Patriarcha in duabus epistolis ad Leonem X. datis, relatisque *tom. 14* Collectionis Conciliorum Labbeanae, *pag. 346* et *seq.* Nuper autem in praecitato Libanensi Concilio *cap. 13* unanimi consensu, nostraque subsequuta approbatione, iidem Maronitae, quoad Praesanctificatorum Missam, latinum ritum amplexi sunt, illam tantummodo feria sexta in Parasceve celebrantes, relicta, iustis gravibusque de causis, disciplina Graecorum, qui diebus quadragesimalis ieiunii nonnisi Missam Praesanctificatorum celebrant, excepto sabbato, die dominico et festo Annunciationis Beatae Virginis, si forte in quadragesimam incidat, iuxta praescriptum *in Trullano Can. 52.* Hisce siquidem diebus, sacerdos panem consecratum in tot particulas dividit, quot dies subsequuntur, quibus Missa Praesanctificatorum celebratur; quibus nimirum vescitur pane eucharistico, quem antea consecravit, asservans in ciborio reliquas consecratas particulas, ut sequentibus diebus, quibus Missam Praesanctificatorum celebrabit, iisdem vescatur, atque aliis etiam, qui adstant, petuntque, distribuat; uti fuse commemorat Leo Allatius in Prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum *de Missa Praesanctificatorum, pag. 1531, num. 1.*

Amplior assumpti probatio suscipitur.

§ 32. Huic nostrae epistolae finis hoc imponendus alicui forte videri poterit; cum in ea et allatum iam fuerit responsum redditum quaesitis a sacerdote missionario Balserae propositis, nimirum, *nihil esse innovandum,* et indicatae itidem fuerint firmissimae regulae, quas sequantur missionarii, qui Orientales a schismate et erroribus ad unitatem, sanctamque catholicam fidem revocare satagunt; neque enim ex iure canonum et apostolicarum constitutionum se gerit, qui in convertendis Orientalibus, ritum quoque orientalem et graecum, in iis, quae ab Apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit; aut id agit, ut, qui convertuntur, ritum, quem hactenus servaverunt, dimittant, et latinum amplectantur. Nihilominus, antequam finis huic epistolae imponatur, nimis congruit, ut nonnulla insuper attingantur, quae propius pertinent ad quaestiones a praedicto missionario propositas, quibus iam responsum fuit, *nihil esse innovandum.*

Ritus commixtio non inducitur, ex quo Graecus, Armenus, vel Maronita sacerdos celebret in latina eccl. iuxta ritum suum.

§ 33. Porro, si in urbe Balserae degunt catholici ritus orientalis, armeni aut syriaci, ipsique peculiari ecclesia carentes, ad missionariorum latinorum ecclesiam conveniunt, ubi sacerdotibus orientalis ritus rem divinam reliquasque peragunt suis ritibus coeremonias, laici autem Missae sacrificio intersunt et sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, idipsum et in posterum servari oportere, permittendo videlicet praedictis sacerdotibus et laicis, ut in Latina Ecclesia ea facere pergant, quae ad hanc usque diem peregerunt. Nam iure canonico illud quidem statutum habetur, ritum orientalem et graecum cum latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra decretali Caelestini III. apud Gonzales *cap. Cum secundum, de temporibus ordinationum;* atque in Decretali Innocentii III. *cap. Quanto, de consuetudine, cap. Quoniam, de Officio Iudic. Ordinar.*, et in Decretali Honorii III. *cap. Litteras, de celebrat. Missar.* At nullo iure affirmari potest, ritus commixtionem apostolica aliqua constitutione vetitam, induci ex eo tantum, quod Armenus, Maronita, aut Graecus iuxta ritum suum in latina

ecclesia vel Missae sacrificium, vel alias coeremonias cum populo sui ritus exerceat, aut versa vice latinus in Orientalium Ecclesia idem praestet, dum praesertim legitima aliqua subest causa, de qua in praesenti facti specie nullo modo dubitari potest, cum Orientales illi in civitate Balserae peculiari careant ecclesia, ita ut, si ipsis Latinorum ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missae sacrificium offerre possent, et cum populo sui ritus ea exercere, quae peragenda sunt, ad illos in sancta unione retinendos ac confovendos

At contra, si Latinus in fermentato, Graecus in azymo, vel alteruter nunc in azymo, nunc autem in fermentato consecrarent.

§ 34. Vetita sane ritus admixtio esset, si Latinus in fermentato consecraret et Eucharistiam in fermentato consecratam Latinis administraret. Idemque dicendum esset, si Orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo rem divinam facerent, et genti suae sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent sollicite Ordinarii quoque Latini, quibus Italo-Graeci subiiciuntur, *ut Latini semper in azymo, Graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent;* uti praecipitur in Constitutione nostra: *Etsi pastoralis 57, n. 6, num. 14, Bullarii nostri tom. 1.* Vetita quoque ritus permixtio esset, si latinus sacerdos, modo iuxta latinum, modo iuxta graecum ritum, aut sacerdos graecus, modo graeco, modo latino ritu, missam celebraret. Id enim interdicitur in constitutione S. Pii V., quae incipit: *Providentia,* quaeque est 21, *tom. 4, part. 2 Bullar. novi* Romae impressi; ubi facultates omnes quae praecedentibus temporibus nonnullis presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic constitutioni S. Pii V. congruit quoque praeindicata nostra, § 7, *num. 10.* Quod si presbyteris Societatis Iesu qui collegiis nationum orientalium Romae erectis praesunt, et qui praedictae societatis institutum amplectentes a graeco ritu ad latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae sacrificium graeco et orientali ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicuti praemonuimus, ut alumni, qui Graecorum et Maronitarum ritum profiteri debent, Missam praedicto ritu celebrare addiscant et iuxta eumdem divina officia toto vitae suae curriculo persolvere: verum circumstantiae peculiares huiusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda: quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI. praedecessori nostro exposuerit, valde profuturum catholicae religioni, si latinis missionariis permitteretur, ut in Hungaria graeco ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad latinum ritum redirent; idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque, iuxta canonicas sanctiones, in suo ritu permanere, neque licere sacerdoti, modo latino, modo graeco ritu celebrare, facultatem, quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit, uti patet ex eius epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit IX. maii an. MDCCV., et quae continetur *tom. 1 epistolar. et brev. selectior. eiusdem pontificis typis editorum, pag. 205.*

Prior assertio confirmatur exemplis Graecorum, qui Romae et Venetiis diu in latinis ecclesiis, proprio servato ritu, sacra peregerunt.

§ 35. Haec et alia plura exempla, quae facile possent cumulari, pertinent ad ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam: verum, uti iam diximus, interdicta ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam sacerdos orientalis ritus ab Apostolica Sede probati, in Latinorum ecclesiam admittatur, ut ibi Missam caeterasque functiones celebret et sacramenta populo nationis suae administret. Id palam Romae fieri intuemur, ubi sacerdotibus Armenis, Cophtis, Melchitis et Graecis patent ad Missam celebrandam templa nostra, ut illorum pietati satisfiat; quamvis suas peculiares ecclesias habeant, ubi rem divinam facere possent: dummodo tamen sacra indumenta et caetera, quae ad Missae celebrationem iuxta ipsorum ritum necessaria sunt, secum afferant, eosque comitetur nationis suae minister, qui eisdem celebrantibus inserviat, et a custodibus et sacrario praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur; quemadmodum in edicto, quod pro ecclesiasticis et laicis orientalibus Romae degentibus die XIII. februarii anno MDCCXLIII. per vener. fratrem nostrum Ioannem Antonium tunc tituli Sancti Silvestri et Martini in Montibus presbyterum, nunc Episcopum Tusculanum, S. R. E. Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe eiusque districtu Vicarium generalem, iussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter saeculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II. Constantinopolim vi oppugnatam

coepit, nonnullique ex Graecis, qui schismaticorum errores aversati, communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt, ibique mansere. Quam in urbem cum Isidorus Cardinalis natione graecus pervenisset, detulit ad Senatum Romani Pontificis desideria, ut huiuscemodi graeci ritus hominibus templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata senatus pietas profugae genti ecclesiam S. Blasii concessit, ubi spatio plurium annorum Graeci quidem in certo eiusdem ecclesiae sacello divina officia ritu graeco, in reliquis vero sacellis, Latini ritu latino peregerunt, sicuti Flaminius Cornelius scriptor clari nominis testatur in *Decad. 14 Venetarum Ecclesiarum, p. 359. Gemini ita queritus officia per aliquot annos in una ecclesia, licet in diversis sacellis peracta fuerunt:* quod eo usque obtinuit, donec aucto Graecorum numero, praedictae ecclesiae S. Blasii, Latinis Graecisque communi aliud subrogatum fuit templum, quod Graecorum proprium esset ac privativum.

Et Latinorum qui in Ruthenas Ecclesias a Ruthenis comiter excepti fuerunt.

§ 36. Haec ad Graecos pertinet, qui celebraturi in latinas ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus proscriptam, non abs re erit verba facere de Latinis quoque, qui ad sacrificium Missae offerendum et divina officia persolvenda in Graecorum ecclesiis, ex iusta aliqua causa, admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit, sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter catholicos, licet diversi ritus, animorum coniunctio ac benevolentia. In Russia Alba Rutheni catholici, quos unitos vocant, plures habent ecclesias, paucas vero Latini, et quod magis est, longe dissitas a pagis Latinorum, qui inter Ruthenos versantur. Latini quandoque diutius sacrificio latinae Missae carebant, eo quod suis negociis detenti, nequibant tam longum iter aggredi, ut ad latinas ecclesias se conferrent: neque latini presbyteri facile poterant ad paucas illas Latinorum ecclesias, quae in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam celebrarent, propterea quod ecclesiae ipsae ab illorum domicilio nimis longo intervallo seiungerentur. Itaque, ne Latini Missa latino ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut latini sacerdotes, in Latinorum commodum, latinas missas in ruthenis ecclesiis celebrarent. Verum hac ipsa in re, ea occurrebat difficultas, quod altaria Graecorum sacro lapide careant, cum ipsi celebrent super antimensiis, quae sunt lintea quaedam ab Episcopo consecrata, quorum angulis Sanctorum reliquiae includuntur; quamobrem latini sacerdotes sacrum lapidem secum deferre cogebantur, haud levi intercedente incommodo ac discrimine, ne in itinere frangeretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium, opitulante Deo, inventum adhibitumque fuit: siquidem, consentientibus etiam ipsis Ruthenis, indultum fuit latinis presbyteris, ut Missam latino ritu celebrarent in ruthenis ecclesiis et super illorum antimensiis: idque eo vel expeditius visum est, quod rutheni sacerdotes, accedentes quandoque ad latinas ecclesias Missam inibi celebraturi, super nostris sacris lapidibus sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex constitutione nostra: *Imposito nobis,* quae quadragesima tertia est Bullarii nostri tom. 3.

Iuxta graecam disciplinam, in unaquaque ecclesia unum extitit altare, et ad hoc unica Missa in die celebrata.

§ 37. Praeclarum pariter est ad rem nostram id, quod mox subiiciemus. Discrepant inter se eruditi viri, extiterit ne, iuxta veterem disciplinam, in Basilicis Ecclesiae Occidentalis unum, an plura altaria. Primum quidem affirmat *Schelestrat. part. 1 Actor. Ecclesiae Orientalis cap. 2 de Missa privata in Ecclesia Latina,* sed contra Cardinalis Bona *rerum lyturgicar. lib. 1, cap. 14, num. 3,* innixus auctoritate Walfridii, *cap. 4,* plura altaria fuisse in Romana Basilica S. Petri demonstrat. Verum, si de templis atque basilicis orientalibus et graecis sermo sit, perspicuum videtur, nonnisi unum altare in ipsis extitisse, atque nunc etiam temporis plerumque existere, uti colligitur ex lineari descriptione huiusmodi templorum quam Du Cangius *in Constantinopoli christiana,* Beveregius in notis *ad Pandectas canonum,* et Goarius *in Euchologium Graecorum* attulerunt. Cumque in templo Sancti Athanasii, quod Romae a Graecis obtinetur, plura extarent altaria, Leo Allatius in epistola ad Ioannem Morinum scripta *de templis Graecorum recentiorum n. 2* asserere non dubitavit, in praedicta ecclesia nihil graecae formae reperiri, praeter *Bema,* idest Sepimentum, quod aram maiorem a reliquis ecclesiae partibus secernit. Ad illud autem altare, ad quod sacerdos Missam celebravit, nequit alius sacerdos eodem die iterum Missae sacrificium offerre. De hac Graecorum disciplina verba fa-

ciunt Dionysius Barsalibaeus Iacobita, Amidae Episcopus, *in explanatione Missae,* et Cyriacus Iacobitarum Patriarcha apud Gregorium Barhebraeum item Iacobitam *in suo directorio,* quos citat Assemanus *t. 2 Biblioth. Oriental., pag. 184; ac tom. 3, part. 1, pag. 248.* De hac eadem disciplina Cardinalis Bona *cit. cap. 14, num. 3,* ita scriptum reliquit: *Unicum altare in suis ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa eiusdem templi sacrum eadem die iterare.* Euthimius Tyri ac Sidonis Archiepiscopus et Cyrillus Patriarcha Antiochenus Graecorum, in pontificatu Clementis XI., Benedicti XIII. et Clementis XII. pluries sciscitati sunt, an vigentem relinquere deberent praedictam disciplinam vetantem, ne secundum Missae sacrificium eadem die eodemque in altari offeratur. At illis semper responsum fuit, nihil esse innovandum, sed veterem ritum omnino retinendum. Quoniam vero error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum missae sacrificium eadem die idemque ad altare, in quo alius sacerdos celebraverat, quia sacerdos, qui posterior celebraret, iisdemque sacris indumentis, quibus primus, uteretur, ieiunium frangeret; idcirco in nostra epistola encyclica ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum et ad Episcopos catholicos eidem subiectos conscripta, iisdem praecepimus, ut omni studio curarent errorem illum populo adimere; ita tamen, ut integram servarent disciplinam, iuxta quam ad altare, ubi sacerdos celebravit, alius sacerdos eadem die offerre prohibetur, uti videri potest in constitutione nostra, quae incipit: *Demandatam 87, Bullarii nostri tom. 1.*

Sacerdotes autem cum Episcopo, vel alio sacerdote, primi celebrantis personam gerente, concelebrant nunc quoque in Ecclesia Graeca, licet in Latina is usus fere omnino obsoleverit.

§ 38. Denique communis olim fuit Occidentali aeque, ac orientali Ecclesiae ritus, ut presbyteri una cum Episcopo missae sacrificium offerrent: huius rei documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo *in appendice ad Synodum Chalcedonensem tom. I. ad Concilia generalia et provincialia, primae editionis pag. 994,* dum haec verba Bassiani interpretatur: *Mecum missas celebrabat, mecum communicabat,* et a Georgio *tom. 2 Lyturgiae pontificiae pag. 1 et seq., ac tom. 3, pag. 1 et seq.* Concelebrandi ritus nunc temporis in Occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in ordinatione sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in Orientali Ecclesia viguit, vigetque adhuc, frequentior usus concelebrationis presbyterorum cum Episcopo, aut cum alio sacerdote qui primi celebrantis personam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones quae Apostolicae nuncupantur *lib. 8,* et ad canonem octavum ex iis, qui apostolici dicuntur. Porro, ubicumque ea consuetudo inter Graecos et Orientales viget, non modo approbatur, sed etiam custodiri praecipitur, uti constat ex eadem constitutione nostra superius allegata, *Demandatam,* § 9.

Non tamen inde usus privatae missae excluditur a Graeca Eccles., cum ideo paracclesiae fuerint constitutae.

§ 39. Ex graeco et orientali hoc ritu, quem hucusque commemoravimus, nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quae ab uno sacerdot ecelebrantur, in Orientali et Graeca Ecclesia locus esse possit, cum in graecis templis unicum, uti praediximus, altare existat, unicum ad illud missae sacrificium offeratur, et sacerdotes cum Episcopo concelebrent, aut cum sacerdote, qui primi presbyteri munere fungitur. Non neglexerunt quidem Lutherani Confessionem Augustanam, in qua privatae Missae tolluntur, ad Hieremiam Constantinopolitanum Patriarcham mittere, eumque ad eamdem amplectendam allicere; cum tamen privatae Missae usus ac disciplina in orientali Ecclesia desumatur ac vindicetur *ex Canone 31* Concilii Trullani, et ex notis, quas in ipsum composuit Theodoretus Balsamon; ideo et ritus frequentis concelebrationis sacerdotum cum Episcopo et intacta, pariter privatarum Missarum consuetudo in Orientali Ecclesia permansit. Quare in irritum cesserunt conatus Lutheranorum; quibus responsum fuit damnari quidem ab Orientalibus, sicut ab Occidentalibus pravum illorum usum, qui improba consequendae eleemosynae cupiditate ad altare impelluntur, non vero illorum, qui, qua decet pietate ac religione, privatas Missas celebrant, ut Deo sacrificium offerant acceptabile. Haec patent *ex actis Ecclesiae Orientalis contra Lutheranos,* auctore Schelestrato, *cap. 2 de Missis privati in Ecclesia Graeca, circa finem.* In commodum autem sacerdotum, qui privatum Missae sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum altare unum tantummodo sacrificium in dies singulos offeratur, Graeci constituere ceperunt *Paracclesias,* de quibus verba facit Leo Allatius *in citata epistola ad Ioannem Morinum.* Paracclesiae nil aliud sunt, quam oratoria quaedam ec-

clesiae contigua, in quibus erectum adest altare, ubi sacerdotes Missam celebrant, quam in ecclesia celebrare nequeunt, eo quod ad altare in ea extructum alius sacerdos iam celebraverit.

Nec latini sacerdotes ab illis exclusi; cum ideo secundum altare in commodum latinorum sacerdot. in graecis ecclesiis fuerit erectum.

§ 40. Alii vero ab hac Orientalium et Graecorum disciplina merito timendum censuerunt, ne latini sacerdotes ab offerendo Missae sacrificio in graecis ecclesiis perpetuo excluderentur, eo quod, uti supra dictum est, in illis unicum altare existat, ubi eodem die unus tantum sacerdos potest celebrare; neque latini presbyteri celebrare possint *in Paracclesiis,* utpote pro graecis tantummodo constitutis. Verum ad hunc ipsum timorem auferendum, in graecis ecclesiis hoc tempore erectum plerumque cernitur secundum altare, in quo divinum sacrificium a latinis sacerdotibus offeratur. Tres graecorum templorum formas expressit Goarius *in Euchologium Graecorum,* quarum tertia secundum altare exhibet latinis presbyteris positum, sicut ipse Goarius *loco citato* perpendit, et prosequitur Schelestrat. *loco superius allato pag. 887.* In ecclesiis nationis Maronitarum et Graecorum, Romae existentibus, praeter aram maiorem, alia occurrunt altaria, in quibus a latinis sacerdotibus Missa celebratur; et in nostra constitutione: *Etsi pastorali 58, § 6, num. 8 et 9 nostri Bullarii tom. 1,* qua Italo-Graecis tutissima traditur agendi norma, prohibentur latini sacerdotes in Graecorum templis super ara maiori celebrare, nisi omnimoda necessitas id postulet et parochi graeci consensus intercedat; ibique insuper Graecis conceditur, ut suis in templis, praeter altare maius, alia quoque altaria possint erigere, in quibus latini sacerdotes, si velint, missae sacrificium celebrare valeant.

Concluditur, valde congruere, ut Graecis latinae pateant ecclesiae, modusque traditur, quod id absque dissidiis fiat.

§ 41. Ex his, quae huc usque dicta sunt, videtur iam perspicue demonstratum, sicuti antea, ita et in posterum permitti debere catholicis Armenis et Syriacis, qui Balserae Latinis commixti commorantur, propriaque carent ecclesia, ut in latinam conveniant et in ea iuxta ritum quique suum sacras functiones peragant; idque eo magis, quia non solum nulla exinde oritur ritus permixtio per apostolicas constitutiones damnata, sed urbanitatis officia exercentur, vel potius praecepta implentur aequitativi cuiusdam iuris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quae iure aliquo praestare iubetur, locus ipse libenti animo concedatur. Quamobrem nil aliud superest, quam praecipere, ut omnia ad debitae caritatis leges exigantur, ut sacellum Orientalibus assignetur, aut pars aliqua ecclesiae, in qua suis functionibus obeundis incumbant; et quanta fieri potest cura impendatur, ut aliis horis Latini, aliis Orientales suas peragant functiones. Si enim aliter fieri contingat, proxima suberit causa dissensionum, quae binos praedecessores nostros Leonem X. et Clementem VII. tantopere vexarunt; tum scilicet, quum contra pacta conventa in Florentino Concilio sub Eugenio IV., ne Graecis ulla molestia in suis ritibus ac coeremoniis observandis inferretur, relatum est ad praedictos pontifices, quod nonnulli ex Latinis Graecorum ecclesias adibant et ad illorum altare Missam latino ritu celebrabant, eo consilio, ut graecis sacerdotibus impedimentum crearent, ne sacrificium ritu suo offerre, suasque functiones peragere possent: adeo ut Graeci nonnunquam ipsis diebus festis missae sacrificio carerent: *Nescitur, quo spiritu ducti* (de latinis presbyteris sermo est) *interdum altaria dictarum parochialium ecclesiarum praeoccupant, et ibi, contra voluntatem eorumdem Graecorum, missas et forsan alia divina officia celebrant; adeo quod dicti Graeci saepenumero sine auditione missarum, cum magna animorum molestia, festivis et aliis diebus, quibus missas audire consueverunt, remaneant.* Pontificias hasce querelas refert monumentum, quod incipit: *Provisionis nostrae,* extatque in Enchiridio Graecorum impresso Beneventi a. MDCCXVII. *pag. 86.* Non est profecto cur illi nostras addamus conquestiones, quae tamen nec leviores essent, neque opportunis remediis destitutae, si unquam ad nos deferretur, Balserae a Latinis nostris prohiberi Orientales, ne in latinis ecclesiis possint functiones suas peragere.

Quaestio proponitur quo kalendario uti debeant Graeci in Latinis Ecclesiis celebrantes, in definiendo paschali die.

§ 42. Primae huic altera succedit quaestio, eosdem attingens Armenos et Syros, qua disquiritur, an iidem, ad statuendum tempus Paschatis aliorumque ei respondentium festorum, possint veteri kalendario uti, vel potius novum emendatumque sequi debeant, cum in latinis ecclesiis sacra conficiunt; et quatenus iisdem licitus dicatur veteris kalendarii usus, an huiusmodi definitio afficiat illos quoque Orientales, qui suam quidem habent ecclesiam, sed adeo angustam atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non pos-

sint, eorum plerique latinas ecclesias adire compellantur.

Emendatio kalendarii, qua cura sub Gregorio XIII. peracta fuerit.

§ 43. Neminem latent, quae a sanctis Romanis Pontificibus Pio et Victore, atque etiam a Nicaena Synodo, de recta Paschatis celebratione sancita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservatam fuisse provinciam correctionis kalendarii, ac demum, Gregorio XIII. Pontifice, fuisse rem hanc numeris suis omnibus absolutam. Quamobrem Bucherius *in commentario de doctrina temporum,* in praefatione ad lectorem, ita scripsit: *Computi paschalis in futurum certitudini, iubente Greg. XIII. Pontif., noster abunde providit Clavius.* Is fuit ex Societate Iesu sacerdos matheseos peritissimus, qui in kalendarii correctione egregiam pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cuiusdam Aloysii Lilii, qui plures annos in illis componendis insumpserat. Perpensis denique libratisque omnibus, in pluribus Congregationibus, adstantibus adhibitisque in consilium peritissimis quibusque viris, prodiit anno MDLXXXII. constitutio praescribens kalendarii normam, quae incipit: *Inter gravissimas,* in ordine 74, in veteri Bullario tom. 2.

Eiusdem kalendarii indictio, an Orientales obstrinxerit, quaestio non levis.

§ 44. Veteri igitur kalendario hac pontificia constitutione abrogato, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque praelatis imperatum fuit, ut novo emendatoque kalendario uterentur, quemadmodum in eadem constitutione legere est, fusiusque eruitur ex eiusdem Pontificis annalibus Romae impressis *anno* MDCCXLII., *tom. 2, pag. 271.* Verum, cum in constitutione nullum de Orientalibus factum fuerit verbum, exurgit hinc quaestio, num eadem Orientales afficiat; quae quidem quaestio non a doctoribus modo instituitur, ut videre est apud Azorium *Institut. Moral. tom. 1, l. 5, cap. 11, quaest. 7,* et apud Baldellum *in sua Theologia Morali, tom. 1, lib. 5, disput. 41;* sed etiam proposita discussaque fuit in praestantium virorum conventu habito die IV. iulii anno MDCXXXI., in aedibus Cardinalis Pamphilii, qui ad summum pontificatum evectus, Innocentii X. nomen assumpsit. Haec autem tunc prodiit resolutio: « Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis pontificiis constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo in materia dogmatum fidei; secundo, si Papa explicite in suis constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum concilium. » Refertur haec resolutio tum a Verricello *de apostolicis missionibus, lib. 3, quaest. 83, num. 4;* tum a nobis in nostro opere de *Canonizatione Sanctorum, lib. 2, cap. 38, n. 15.*

Illud certum, Italo-Graecis indictum fuisse kalend., sed ita, ut et leniter cum iis sit actum.

§ 45. Hanc quaestionem nos missam facimus, cum de illa disputare nulla nunc necessitas urgeat; satis enim nobis erit indicare, quid ad rem hanc nostram gesserit Sedes Apostolica, quandoquidem ipsa praecedentia facta evincunt, consultissimum esse responsum quaesito redditum, nimirum: *Nihil esse innovandum.* Italo-Graecis, qui inter nos vivunt et regimini subiiciuntur latinorum Episcoporum, in quorum dioecesibus constitutum habent domicilium, ab Apostolica Sede mandatum fuit, ut se ad novum kalendarium conformarent, uti perspici potest in citata constitutione nostra: *Etsi pastoralis, 57, § 9, num. 4 et seq., Bullarii nostri tom. 1.* Et clerus quidem ecclesiae collegiatae S. Mariae *de Grapheo* civitatis Messanensis, qui graecum ritum retinet, accuratissime novum kalendarium servat, uti videre est in altera constitutione nostra: *Romana Ecclesia,* quae est 81, § 1, eodem tom. nostri Bullarii. Attamen non illud ita severe fuit indictum, quin nonnunquam, gravioribus id requirentibus causis, epicheiae locus sit relictus. Renuebant Armeni catholici Liburni degentes sese kalendario gregoriano subiicere, precesque Innocentio XII. obtulerunt, ut eos veteri kelendario uti permitteret. Etenim in Congregatione S. Officii feria 4 die XX. iunii MDCLXXIV. decretum huiusmodi emanaverat: « Nuntii apostolici Florentiae relatis iterum litteris datis die X. aprilis, circa petitiones ei factas ab Armenis orandi in missa pro Patriarcha Armenorum, et circa celebrationem paschatis et aliorum festorum secundum eorum ritum, idest secundum calculationem antiquam, quae erat ante correctionem kalendarii et circa celebrationem paschatis, etc. Necnon relata scriptura remissa a sacra Congregatione de Propaganda Fide circa modum orandi in missa pro Patriarcha Armeno: Rescribatur Nuntio, quoad permissionem orandi in lyturgia pro Patriarcha Armenorum, quod sacra Congregatio stetit in decretis emanatis die VII. iunii MDCLXXIII., videlicet, *non posse;* et omnino prohibeatur. Quo vero ad celebrationem Pascha-

tis, etc. et aliorum festorum, etc. steterent pariter in decretis, videlicet, quod in celebratione Paschatis et aliorum festorum, Armeni Liburni existentes omnino servare debeant kalendarium gregorianum. Quum igitur huic decreto obtemperare Armeni praedicti renuerent, huius rei cognitio delegata fuit particulari congregationi Cardinalium doctrina praestantium, quos inter fuere Card. Ioannes Franciscus Albanus, qui summum deinde pontificatum obtinuit, et Cardinalis Henricus Norisius praeclari nominis inter litteratos viros. Porro ipsa congregatio habita die XXIII. septembris anno MDCXCIX. huiusmodi edidit decretum, a praedicto Pontifice eadem ipsa die confirmatum: « Re mature tractata, perpensis omnibus facti circumstantiis, censuerunt, secundum ea quae proponuntur, conniveri posse cum Armenis Catholicis Liburni commorantibus, *et qui peculiarem obtinent ecclesiam,* circa usum kalendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam kalendarii gregoriani observantiam disponantur, et interim ad Sedis Apostolicae beneplacitum; hac insuper conditione adiecta, quod diebus festis de praecepto iuxta kalendarium gregorianum occurrentibus, ab operibus servilibus abstinere et sacrum audire omnino teneantur.

Graecis vero oriental. propositum quidem fuit, sed nonnisi volentibus iniunctum.

§ 46. Si vero de Graecis orientalibus sermo sit, constat quidem, aliquando propositum ipsis fuisse, ut novo emendato kalend. uterentur; sed tamen id nullum exitum habuit. Inter articulos et conditiones Ruthenis propositas in unione sub Clemente VIII. tractata et absoluta, ea quoque de kalendario recipiendo inserta fuit, cui redditum responsum: *Kalendarium novum, si secundum antiquum fieri possit, suscipiemus:* uti legere est in opere Thomae a Iesu, *pag. 329;* et licet responsum illud ambiguitatem quamdam praeseferret, tamen ea de re nihil ulterius actum fuisse deprehendimus, neque hoc super articulo iudicium ullum protulit theologus, qui ad rem examinandam fuerat deputatus, quemadmodum patet ex eodem opere *pag. 335* et *seq.* Aliquando tamen ipsimet Orientales sponte sua novum kalendarium susceperunt, uti cognoscere licet ex saepius citata Synodo provinciali Maronitarum habita anno MDCCXXXVI.: « Tam in ieiuniis, quam in festis anni diebus, sive mobilibus, sive immobilibus, romanum kalendarium a Gregorio XIII. summo Pontifice, de nostra natione optime merito, emendatum, in omnibus ecclesiis nostris observari districte mandamus, eiusque kalendarii rationem et usum, quemadmodum et cantum ecclesiasticum in unaquaque ecclesia a magistris pueros edoceri praecipimus. » Sed quoties Orientales minime consenserunt, iustusque adfuit timor, ne tumultus dissensionesque excitarentur, si novi kalendarii ipsis iniungeretur usus, tulit Apostolica Sedes, ut Orientales et Graeci in remotis regionibus degentes veterem suam disciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent kalendarium, occasionem opportuniorem expectans inducendi usum novi emendatique kalendarii. Qua in re consona quoque sunt decreta Congregationum de Propaganda Fide et sacrae Inquisitionis; quemadmodum, quoad primam, deprehenditur ex decretis editis die XXII. augusti MDCXXV. et die XXX. aprilis MDCXXXI.; quoad secundam vero, ex decretis dierum XVIII. iulii MDCXIII., ac XIV. decembris MDCXVI. Imo res eo quandoque processit, ut missionariis quoque veteris kalendarii usus fuerit permissus, dum moram traherent in regionibus, in quibus veteris kalendarii usus solummodo obtinebat; veluti cognoscere est ex nonnullis decretis a Congregatione de Propaganda Fide die XVI. aprilis MDCCIII. et die XVI. decembris MDCCIV. evulgatis.

Syri Armenique cum ieiunant, a piscibus abstinere debent.

§ 47. Reliquum est, ut de postremo quaesito, de ieiunio scilicet, verba fiant. Syri Armenique catholici, iuxta ipsorum ritum, ab usu piscium ieiunii tempore abstinent; verum, cum Latinos iis vesci conspiciant et caeteroquin impossibile vel saltem difficillimum asseratur eos temperare posse a piscibus, quibus Latinos vesci intuentur; ideo tamquam rationi consentaneum proponitur, ut missionariis facultas tribuatur cum iis dispensandi, caute tamen omnique secluso scandalo, et pio aliquo opere in locum abstinentiae a piscibus subrogato. Aptissimus hic fieret locus disserendi de vetustate ieiunii apud Orientales, eiusque lege, licet severiori, exactissime tamen semper servata; sed ne longiores simus, quam par est, id unum dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem ieiunii suis subditis praescripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha, Archiepiscopis et Episcopis sibi subiectis, carnibus vesci laicorum more indulsit, licet iuxta veterem disciplinam carnibus abstinerent; universo autem populo quadragesimae tempore pisces edere vinumque bibere permisit, quamvis id illis

Veterem ieiunii disciplinam iisdem relaxari, nunquam passa est Apostolica Sedes.

esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V. datis ad Patriarcham Petri successorem litteris apostolicis in forma Brevis die IX. martii MDCX. iussit, ut abrogatis iis, quae Petrus Patriarcha concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In pontificatu nostro ad examen revocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii Archiepiscopi Tyri et Sidonis, et Cyrilli Patriarchae Antiocheni erga Graecos Melchitas; fuitque improbata, ut patet ex Constitutione nostra: *Demandatam 87, § 6, Bullarii nostri tom. 1:* « Nos huiusmodi innovationem et abstinentiarum relaxationem et coarctationem, in nimium detrimentum veteris graecarum ecclesiarum disciplinae vergere iudicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, et nullum effectum in posterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere iubemus; atque insuper in toto tractu patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a maioribus derivatam, abstinendi etiam qualibet feria quarta et sexta per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimis populis eiusdem graeci ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus. » Incongruum vero est asserere, ideo dispensationem concedendam esse vel potius generalem dispensandi facultatem, quod nempe Orientales aspicientes Latinos vesci piscibus tempore ieiunii, exinde facile adducantur, ut et ipsi non quidem ex aliquo contemptu, sed naturae fragilitate victi, piscibus ieiunii diebus utantur; hoc namque argumento, si quid illud valeret, in primis omnimoda induceretur rituum confusio; deinde, si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut Latini inspicientes Graecos peculiaribus quibusdam vivere institutis, quae Latinis minime permittuntur, imo inhibentur, dispensationem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quae a Graecis fieri intuentur; profitentes se latinum quidem ritum suscipere, sed ob naturae fragilitatem eum diutius servare non posse. Haec sunt, quae duximus exponenda in hac encyclica nostra epistola, non solum ad patefacienda fundamenta, quibus innituntur responsiones redditae missionario, qui quaestiones sub initium exscriptas proposuit, sed etiam, ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum praecipit, ut omnino serventur veteres ipsorum ritus, qui neque catholicae religioni, neque honestati adversantur; nec a schismaticis ad catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut ritus suos deserant, sed ut haereses solum eiurent atque execrentur: exoptans vehementer, ut diversae eorum nationes conserventur, non destruantur, omnesque (ut multa paucis complectamur) Catholici sint, non ut omnes Latini fiant. Finem denique huic nostrae epistolae imponimus, apostolicam benedictionem cuicumque eam legenti impertientes.

Ideoque, reiecta, tamquam minus legitima, causa ad facultatem dispensandi obtinendam allata, ieiunii lex servari praecipitur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI. iulii MDCCLV., pontificatus nostri anno XV.

CLXXI.

Quod Vicariis Apostolicis Episcopis Indiarum Orientalium de electione vicariorum suis literis apost. Ex sublimi *praeceperat, id etiam caeteris Vicariis Apostolicis, iuxta modum, praecipit.*

Venerabilibus fratribus, ac dilectis filiis, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis aliisque Apostolicis Vicariis,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Quam ex sublimi hac sacrosancti apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, pro iniecta nobis gravissima omnium ecclesiarum solicitudine, impositaque omnium animarum Iesu Christi sanguine redemptarum procuratione, alias, nempe die XXVI. mensis ianuarii anno MDCCLIII., inivimus apostolicae providentiae rationem pro Indiis Orientalibus; eamdem quoque, venerabiles fratres ac dilecti filii, in iis partibus, in quibus vos constituti ac deputati, apostolicum ministerium vestrum, non sine magnis assiduisque laboribus et incommodis, laudabiliter obire pergitis, haud patimur desiderari, quemadmodum immensa supremi pastorum Principis Iesu Christi caritas maximopere urget, ut eo alacrius omnem operam studiumque no-

strum ad hoc conferamus, quo longius a nobis regiones illas abesse non ignoramus.

Provida eorumdem dispositio recensetur.

§ 1. Quoniam autem non sine gravissima pontificii animi nostri molestia tunc acceperamus, aliquem scilicet ex Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis episcopali titulo et charactere insignitum, sed sine coadiutore cum futura successione, viam universae carnis ingressum, ad repositam in coelis coronam apostolicis laboribus partam evolasse, ac neminem, qui ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico iurisdictionem exerceret, repertum aut deputatum fuisse; eapropter omnibus et singulis Vicariis Apostolicis huiusmodi iniunximus et mandavimus, ut qui neque Episcopum coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari generalem haberent, statim atque ad unumquemque eorum aliarum nostrarum in simili forma Brevis desuper expeditarum literarum certa notitia pervenisset, deputarent Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari, habilem tamen atque idoneum, qui, eveniente cuiusvis Apostolici Vicarii sine coadiutore cum futura successione obitu, tanquam Apostolicae huius Sanctae Sedis delegatus, teneretur assumere et obire regimen et gubernium apostolici vicariatus, usque ad captam eiusdem apostolici vicariatus huiusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituisset, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem. Porro Vicario Generali huiusmodi per Apostolicum quemcumque Vicarium sibi, ut praemittebatur, deputando, nos laudatarum nostrarum literarum tenore, apostolica auctoritate, concessimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis capitularibus cuiusvis cathedralis ecclesiae, sede vacante, inesse et de iure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concessimus et impertiti fuimus usum et exercitium earum facultatum, quibus utebatur et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus; iis dumtaxat exceptis, quae requirunt ordinem et characterem episcopalem, vel non sine sacrorum Oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeret, saepedicto Vicario generali potestatem etiam indulsimus et dedimus, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum sacris Oleis omnino ab Episcopo benedictis.

Ampliaturque ad reliq. quascumque regiones.

§ 2. Porro, cum, sicut pariter accepimus, casdem omnino occasiones eosdemque prorsus casus, in istis, in quibus munus vobis demandatum adimplere contenditis, regionibus accidere, atque insimul reperiri aliquibus in locis nonnullos Apostolicos Vicarios haud episcopali titulo et charactere insignitos, sed per apostolicas dumtaxat literas sive sub plumbo, sive in simili forma Brevis expeditas, pro Vicarii Apost. huiusmodi officio defungendo destinatos, propter quorum obitum eadem quoque momenta urgere possunt. Ea propter easdem provisiones et facultates, ut supra expressas et pro Indiis Orientalibus initas et concessas, sub iisdem modo et forma, et non aliter, extendimus ad omnes istarum regionum Apostolicos Vicarios sive titulo et charactere episcopali insignitos, sive sacerdotali dumtaxat dignitate praeditos; atque hisce quidem sacerdotibus, ita ut praemittitur, Apostolicis Vicariis, pariter iniungimus et mandamus, ut unusquisque, memor resolutionis suae, teneatur deputare Pro-Vicarium, habilem tamen atque idoneum, qui post cuiusque obitum assumere debeat regimen vicariatus apostolici, atque in eiusdem vicariatus munere permanere, et cum usu earum tantummodo facultatum, quibus utebatur, fruebatur et gaudebat defunctus Vicarius, adlaborare debeat, donec et quousque novus Apostolicus Vicarius ab Apostolica hac Sancta Sede designatus, ipsius vicariatus possessionem et regimen adierit.

Vicarii capitularis electio unam, et quomodo celebranda.

§ 3. Praeterea, cum compertum exploratumque nuper fuerit, in Hibernia, Albania, Macedonia, Servia, Bulgaria, Insulis maris Egaei, Perside, Mesopotamia (quemadmodum alibi fortasse reperiatur) reperiri aliquos venerabiles fratres Archiepiscopos et Episcopos locorum Ordinarios et residentiales, quorum aliquot quidem capitulum canonicorum habent, aliquot vero eiusmodi canonicorum capitulo destituuntur; idcirco, tenore et auctoritate paribus, statuimus, praescribimus et mandamus, ut, eveniente cuiuslibet Antistitis huiusmodi obitu, statim procedatur ad electionem Vicarii capitularis, iuxta morem, usum et consuetudinem hactenus servatam; nimirum, ubi canonicorum capitulum fuerit, vel a canonicis dumtaxat, si ita in more iam positum servatumque fuit, vel a canonicis una cum aliis ecclesiasticis viris, quos in casi-

bus huiusmodi semper intervenisse et suffragium suum in ea electione tulisse constat. Quando autem capitulum canonicorum non habeatur, ii parochi, sive soli sive cum aliis ecclesiasticis viris, iuxta modum itidem, usum et consuetudinem de praeterito servatam, ad Vicarii capitularis electionem habendam accedant. Sed in hisce electionibus Vicariorum capitularium quorumcumque volumus, praecipimus et mandamus, ut omnino serventur constitutiones Concilii Tridentini, praesertim in sessione vigesima quarta, capite decimosexto.

Et quando Vicar. gener. decedente Episc. sit habendus Vicar. capitul.

§ 4. Insuper volumus et mandamus, ut in iis locis, in quibus ven. fratres Antistites Ordinarii eorumdem locorum residentiales, neque capitulum canonicorum, neque parochos in suis civitatibus et dioecesibus habent, sed dumtaxat sacerdotes aliquot et missionarii reperiuntur per terras et oppida dispersi, ita ut, cum quemlibet Antistitem eiusmodi mori contingat, insimul convenire minime valeant, tunc Vicarius generalis iam a defuncto Antistite constitutus, ipso facto intelligatur sit et habeatur Vicarius capitularis, cum supra expressis facultatibus ad Vicarios capitulares de iure spectantibus, exerceatque munus Vicarii capitularis huiusmodi, donec et quousque novus Antistes ab eadem Apostolica hac Sancta Sede designatus illuc advenerit, ac regimen susceperit. Verum probe intelligentes, haud facile in iisdem locis reperiri ecclesiasticos viros, qui sive doctores sive licentiati in iure canonico in aliqua studiorum universitate fuerint, quemadmodum pro Vicariatus cuiuslibet sive capitularis sive generalis munere obeundo requiritur; nos earumdem partium calamitates commiserantes, tenore et auctoritate paribus, quemcumque in Vicarium capitularem, ut praemittitur, in casibus antedictis eligendum, dummodo ad gubernium et regimen habilis et idoneus fuerit, nunc pro tunc talem esse et haberi volumus et declaramus, perinde ac si doctor sive licentiatus in iure canonico fuerit.

Confirmantur superius statuta.

§ 5. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, et illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere: ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatur contrariis.

§ 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et quibuscumque aliis decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Caeterum vos, venerabiles fratres, dilecti filii, iisdem quoque, quibus Indiarum Orientalium Apostolicos Vicarios prosequuti fuimus, apostolicis verbis et adhortationibus prosequimur. Itaque ex apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentanea, a nobis suscepta atque unicuique vestrum praecepta, animadvertite, quanta sit apostolici muneris unicuique vestrum iniuncta cura, atque eapropter satagite, ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem sollicitudinemque contendatis, ne quispiam Christi fidelium vobis commissorum et de quibus ratio supremo pastorum Principi aeterno iudici reddenda est, pereat; sed potius, ut omnes aeternam salutem consequantur, et vobis merces vestris meritis debita a iusto remuneratore Deo tribuatur. Nos interim caelestis praesidii auspicem apostolicam benedictionem in populos etiam vestrarum dioecesum vel provinciarum redundaturam vobis, venerabiles fratres, dilecti filii, peramanter impertimur.

Hortatio ad quoscumque missionarios.

Exempl. fides.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis et a Congregationis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum Praefecto et secretario pro tempore existentibus subscriptis, et sigillo eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII. augusti MDCCLV., pontificatus nostri anno XV.

CLXXII.

Restrictionem monialium disponit in quinque monasteriis civitatis Angelopolitanae in Indiis Occidentalibus (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Praeclara devoti foeminei sexus instituta monasteria et alia regularia loca ad Catholicae Ecclesiae decus, ad sacrosanctae Religionis et divini cultus incrementum propagari et augeri cupiens Apostolica haec S. Sedes, propensis studiis semper intendit atque curavit, ut nulla unquam apostolicae caritatis auctoritatisque officia et documenta hac in parte desiderarentur, quamvis autem huiusmodi instituta ubique terrarum sub varia diversaque regularum et ordinum disciplina observantiaque reperiantur erecta, illa tamen tamquam opportuna colendae christianae pietati, servandae virginitati, religiosisque virtutibus assequendis a coelesti virginum sponso Iesu Christo praeparata domicilia habita, ac plurimi facta probavere confirmaveruntque praedecessores nostri Romani Pontifices, ac nos quoque praecipuis pontificiae benignitatis potestatisque testimoniis, ubicumque opus fuit, cumulare non omisimus.

§ 1. Quoniam autem, sicut accepimus, in civitate sive dioecesi Angelopolitana in Indiis Occidentalibus praeter alia monialium monasteria quinque etiam reperiuntur monasteria immediatae Episcopi ordinarii iurisdictioni subiecta, nimirum primum sub invocatione Sanctae Catharinae Senensis, alterum sub invocatione Conceptionis Beatae Virginis Mariae Immaculatae, tertium sub invocatione Sancti Hieronymi presbyteri et Ecclesiae doctoris, quartum sub invocatione beatissimae Trinitatis, quintum denique sub invocatione Sanctae Agnetis de Monte Politiano. In hisce autem monialium monasteriis anno MDCXLIII. a tunc temporis existente Episcopo iuxta Tridentinae Synodi decreta, et iuxta resolutiones Congregationis ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, et iuxta constitutionem Sancti Pii Papae V. praedecessoris nostri, numerus monialium cuiusque monasterii praescriptus ac praefinitus ita fuit, ut in primo quidem S. Catharinae Senensis octoginta dumtaxat essent moniales; in altero Conceptionis B. Mariae Virginis octoginta pariter; in tertio S. Hieronymi nihil praescriptum fuit; in quarto Beatissimae Trinitatis itidem octoginta; in quinto demum S. Agnetis de Monte Politiano quinquaginta. Post spatium vero sexagintanovem annorum, scilicet anno MDCCXIII., numerus eorumdem monalium cuiusque antedictorum monasteriorum ob varias causas redactus fuit in primo ad sexaginta sex inclusis etiam sex veli Albi dictis, in altero ad septuaginta, in tertio ad quinquaginta, in quarto ad quinquagintaquinque, in quinto tandem ad quadraginta. Deinde sensim sine legitima certe causa, sed sub praetextu, colore ac titulo numerus supra numerariarum monialium anno MDCCXIII. statutus ita excrevit, ut in praesentia numerentur in primo centum, in altero nonagintanovem, in tertio octoginta, in quarto septuaginta, in quinto demum septuaginta sex. Quem sane numerum monalium et supranumerariarum sic, ut praemittitur, adauctum quamplurima praeiudicia, incommoda, detrimenta ac dispendia cuilibet monasterio, prout pariter accepimus, reipsa afferre constat, ex eo, quod unum quodque memoratorum monasteriorum non solum tot mansiones sive cellas non habet, quot necessariae sunt pro excipiendis monialibus supranumerariis; unde opus est, ut in iis mansionibus moniales supranumerariae collocentur, quae cum minime salubres sint, plurimum et earumdem supranumerariarum valetudini et monasterii rationibus nocere in dies ipsa experientia probat, verum etiam quod proventus ex eleemosynis titulo datis, ut dicitur, oblatis non satis sunt, nec sufficiunt pro impensis cuilibet moniali supranumerariae necessariis, quae per ipsum monasterium praestari debent. Ad haec pariter quamplurima accedunt rationum momenta, quae per nos serio expensa, nos aliis quoque iustis ac rationabilibus causis motos inducunt, ut opportunas apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae partes ad levamen ac subsidium et prosperum saepedictorum quinque monasteriorum regimen et gubernium necessarias minime desiderari patiamur.

§ 2. Itaque motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium volumus, statuimus, praecipi-

(1) Ex Reg. Vat. Ep. ad Princ. et alios, an. XVI., f. 4-11.

mus et mandamus in virtute sanctae obedientiae, et sub ecclesiasticis censuris et poenis ipso facto incurrendis, a quibus nemo praeterquam a Romano Pontifice et in mortis articulo absolvi possit, ut numerus monialium cuiuslibet saepedictorum monasteriorum reducatur et omnino servetur, prout infra praescribitur. In primo quidem monasterio Sanctae Catharinae Senensis ad quinquaginta octo una cum sex conversis de velo albo dictis. In altero Conceptionis Beatae Virginis Mariae ad octoginta. In tertio S. Hieronymi ad quadragintaquatuor dumtaxat (habita tamen ratione legati relicti a quondam Sanctitatis Vestrae dom.: Iosepho Carmona Tamaris, olim praebendato catholicae Ecclesiae Angelopolitanae, per quod legati vinculum, vulgo dictum, priorissis pro tempore existentibus tamquam eiusdem legati dominis iniungitur ut una saltem, quolibet triennio, monialis recipiatur), ita ut pro complemento dicti numeri quadragintaquatuor non admittantur nec recipiantur aliae, nisi illae de vinculo vulgo vinculatae nuncupatae. In quarto Sanctissimae Trinitatis ad quadraginta tantum. In quinto demum Sanctae Agnetis de Monte Politiano ad quadraginta similiter. Porro, quoniam in quinque saepedictis monasteriis de praesenti reperiuntur moniales sive numerariae sive supranumerariae praescriptum a nobis numerum excedentes, volumus pariter, praecipimus et mandamus, ut, postquam moniales sive numerariae sive supranumerariae viam universae carnis ingressae fuerint, ac tot dumtaxat remanserint, quot praescriptum a nobis pro unoquoque monasterio numerum adaequent, tunc nulla prorsus monialis sive numeraria sive supranumeraria, nisi in locum alius monialis sive numerariae sive supranumerariae iam defunctae, et non aliter, recipi et admitti possit. Quocirca moderno Episcopo Angelopolitano, eiusque universis sive Vicariis capitularibus, sede vacante, sive Episcopis pro tempore successoribus, motu, scientia, potestate et tenore paribus omnino inhibemus, et sub ecclesiasticis censuris et poenis, ut supra, praecipimus et mandamus, ne quidquam hac in parte innovare, mutare, et interpretare audeant et praesumant, sed ut praemissa omnia integerrime, fideliter, obedienterque debitae executioni mandari et exequi studeant, curent ac faciant. Verum ex hac apostolica nostra providentia et ordinatione fore in Domino confidentes, ut dissoluto aere alieno reditus et proventus ad ipsa monasteria pertinentes adaugeantur potius quam imminuantur; eapropter motu, scientia, potestate, auctoritate et tenore paribus opportunam et necessariam soli dumtaxat Episcopo pro tempore existenti (nunquam vero Vicario capitulari pro tempore pariter existenti, cui minime competere, sed ablatam penitus esse volumus et declaramus) concedimus facultatem alterutro casu eveniente sive augmenti sive diminutionis redituum et proventuum uniuscuiusque monasterii, ut iuxta datam sibi a Domino sapientiam, super quo negotio eiusdem Episcopi conscientiam districte oneramus, praescriptum a nobis pro unoquoque monasterio numerum sive augere sive diminuere possit ac valeat.

§ 3. Decernentes praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel interesse habentium consensus, aliove quolibet quantumvis maximo, essentiali, formali, aut incogitatu defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari nullatenus posse: sed easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, eorumdemque Cardinalium Congregationes, nec non Apostolicae Sedis Nuntios, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictorumque monasteriorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium prae-

missorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur iisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVII. augusti MDCCLV., pontificatus nostri anno XVI.

CLXXIII.

Cum celebratio trium Missarum natalitio Christi die Latinae tantum Ecclesiae sit ritus, non item Orientalium, nonnisi per abusum ab Armenis Liburno in portu commorantibus usurpatum fuisse docet.

Ven. fratri Nicolao Lercari Archiepiscopo Rhodiensi Congregationis Propagandae Fidei Secretario,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Conscribendae epistolae occasio recensetur.

§ 1. In superiori ante proximum ad nos habito accessu retulisti, te in suspicionem adductum, sacerdotes armenos Liburno in portu commorantes sacro natali Domini die tres unumquemque missas in nationis suae templo celebrare, non praetermisisse opportunas ad Pisanum Archiepiscopum dare literas, ut certior fieres, num res prout ferebatur se haberet et, si ita quidem, ex quo tempore invaluerit usus tria designato die offerendi sacrificia; tibique fuisse a memorato praesule rescriptum, offerri ab Armenis sacerdotibus in Liburnensi suae gentis ecclesiâ tres missas natalitio Christi die, idque in usu primum ea in ecclesiâ fuisse positum a duobus missionariis parochis sub annum MDCCXXV., exindeque semper rem eodem modo transactam; ac insuper eius gentis homines referre, multos per Orientem sacerdotes Armenos catholicos eiusdem ritus Missionarios sancto natali Christi die tres missas singulos celebrare; a quibus porro omnibus nostra ipse expetebas iussa, de relinquendâ vel interdicendâ trium sacrorum oblatione ab Armenis sacerdotibus natalitio Christi die Liburni in gentis suae ecclesiâ fieri solitâ.

Latinae Ecclesiae ritus est praecipuus, ut singuli sacerdotes tres missas offerant natalitio Christi die.

§ 2. Pervetustus est, atque universim in Latinam Ecclesiam receptus, ritus trini sacrificii per unumquemque sacerdotem natalitio Christi die offerendi: verum apud Orientalem Ecclesiam nullum extat praefati ritus vestigium; ne verbum quippe de eo in liturgiis graeco-arabicis Melchitarum, syriacis chaldaeisque, neque etiam in reliquis Cophtorum, Armenorum, Graecorum, atque Ruthenorum qui graecos sibi ritus adscivere. Patres Basiliani Cryptae Ferratae, etsi latinos aliquot ritus amplexi sint, tres tamen missas natali Domini die nec in memorato monasterio nec alibi celebrare consueverunt. Et in ipsâ provinciali synodo habitâ sub annum MDCCXXXVI. in Monte Libano, cui praefuit Ioseph Simonius Assemanus praesul, qui, iussu Clementis XII. praedecessoris nostri eo profectus, imposito sibi muneri cumulate satisfecit, haec leguntur *cap. 13 de sacrosancto Missae Sacrificio: Privilegium autem, quod latini presbyteri habent in Natali Domini ter missas celebrandi, ad nostros sacerdotes nullatenus extendendum esse decernimus et statuimus: non quod morem illum S. Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris ac magistrae condemnemus; absit hoc a nobis, qui filii illius obsequentissimi sumus; sed quia veterem nostrum ritum servari volumus.*

Ideoque Orientalis Ecclesia eo uti non potest.

§ 3. Haec Synodus, praevio opportuno examine, fuit a nobis confirmata, veluti nosse licet ex constitutione nostrâ in Bullarium nostrum illatâ. Cumque ex memorata Synodo, aeque ac ex praeindicatis liturgiis orientalibus, innotescat, offerri quidem in Occidentali Ecclesiâ trinum natali Christi die sacrificium, non item vero in Orientali Ecclesiâ, iam locus fit regulae latius per nos firmatae in nostris encyclicis literis datis octavo kalendas augusti anno MDCCLV. ad missionarios per Orientem, praeloque Congregationis Propagandae Fidei impressis, non esse scilicet permiscendos ritus; suum a Latinâ, suum itidem ab Orientali Ecclesiâ, ritum servari oportere: hoc quippe est sacris canonibus sancitum, constitutionibus apostolicis cautum, ac S. Sedis perpetuo systemate, praefatis literis late demonstrato, firmatum.

Vide superius easdem encyclicas litteras.

Diluitur obiectum desumpt. ex mutua Orient. inter et Latinam Ecclesiam nonnullorum rituum participatione.

§ 4. Et si unquam excipi contingeret, iisdem in literis in exemplum per nos adduci latinos quosdam ritus ab Orientalibus et vicissim graecos quosdam ritus a Latinis cooptatos, parata suppetit responsio, estque eiusmodi, id factum vel consectarium fuisse immemorabilis consuetudinis secumferentis famam concessi apostolici, privilegii vel inductum ex privilegio apostolico vero conceptoque; quarum quidem rerum, quod ad praesentem quaestionem attinet, nec species ulla, quin potius perspicua ex adverso praestat probatio. Cum enim Edessenus Archiepiscopus armeni ritus Romae degens facultatem sibi expetiisset celebrandi tres missas natalitio Christi die, utque facultas eiusmodi ad reliquos etiam sacerdotes Romae commorantes protenderetur; propositis huiusmodi precibus in Congregatione S. Inquisitionis coram consultoribus decimo tertio kalen. martias MDCCX., relatisque iterum in Congregatione de more habitâ in palatio apostolico tertio kal. martii, negativum redditum fuit responsum: quamvis is, cui demandata fuit provincia scribendi eâ de re scriptoque suam proferendi sententiam, in partem affirmativam sese praestiterit procliviorem, quemadmodum deprehendimus ex scriptis negotium illud attingentibus, quae ex aedibus S. Inquisitionis afferri ad nos voluimus; et hoc fuit quidem dubium tunc propositum: ***An dicto Archiepiscopo concedendum sit indultum celebrandi tres missas in die Nativitatis Domini more Latinorum, hocque extendendum ad omnes presbyteros armeni ritus in Urbe commorantes:*** hoc vero rescriptum: ***Quoad petitum indultum celebrandi tres missas in die Natalis Domini more Latinorum, respondendum esse negative.***

Alia peculiaris ratio adversus Armenos Liburni commor.

§ 5. Praetereundae nec sunt, quae in praefatis literis nostris § 45 a nobis afferuntur. Cautum fuerat iam inde ab anno MDCLXXIV. ut Armeni Liburno in Portu domicilium habentes, quippe una nobiscum viventes, in Paschatis ceterisque festis diebus celebrandis, ad Gregorianum emendatum kalendarium se conformarent. Tot tantasque turbas commoverunt praefati Armeni, ut habitâ sub annum MDCXCIX. iteretâ Congregatione decretum fuerit, ut usus veteris kalendarii Armenis Liburnensibus relinqueretur quousque ad novum recipiendum sese accommodassent et quousque Apostolica Sedes aliud edixisset. Est itaque Liburnensibus Armenis suâ pro ratione voluntas; respuunt latinum ritum, usum scilicet kalendarii emendati, quamvis nobis intermixti vivant, sitque illud iustitiae consonum: cumque porro latinum ritum ter offerendi sacrificium natali Christi die sibi indebitum exposcant, facile captu est, haud decere, ut sui voti compotes fiant.

Altera obiectio desumpta ex oblatione trini sacrificii a sacerdot. Armenis peragi solitis etiam per Orientem.

§ 6. Reliquum illud est, quod asseritur in literis Pisani Archiepiscopi, Armenae nimirum nationis homines Liburno in Portu commorantes asseverare, memoratas tres missas a multis per Orientem Armenis sacerdotibus catholicis, eiusdemque ritus missionariis, celebrari, idque nobis verisimile videtur: at nihil inde in rem praesentem. B. Bartholomaeus Bononiensis, ex fratrum Praedicatorum familiâ, fuit a Ioanne XXII. Pontifice in Armeniam ablegatus sub anno MCCCXVIII., et ab ipso Maragensis Episcopus inauguratus, exindeque translatus ad Naxivanum archiepiscopatum. Quo ipso tempore praefatus B. Bartholomaeus celebri illa missione fungebatur, aderat in Armeniâ Isaias quidam schismaticus trecentis septuaginta discipulis praepositus. Mens ipsi inerat recta; et motus famâ sanctitatis B. Bartholomaei, edoctusque ab ipso catholicae fidei veritatem, se ei socium adiunxit suis omnibus discipulis secum adductis; tuncque contigit, ut institueretur Congregatio fratrum unitorum, assumpto ab iis omnibus habitu Dominicani instituti, emissâque professione vitae regularis sub regulâ S. Augustini et fratrum Praedicatorum constitutionibus. Videre est omnia in opere patris Galani ***de Consensione Armenae Ecclesiae cum Romanâ, part. 1, pag. 508 et seq.,*** atque elucubratius ***tom. 2 Historiae virorum illustrium Dominicani Ordinis,*** auctore patre Touron, ***lib. 1, pag. 108 et seq.*** Isthaec Congregatio subiecta fuit magistro generali Dominicanae familiae ab Innocentio VI. sub annum MCCCLVI., ut colligere est ex eius literis in Dominicanum Bullarium relatis ***pag. 148;*** et in generalibus totius Ordinis comitiis habitis anno MDLXXXIII. nova haec Congregatio ad regularis provinciae gradus, iura et honores attolli coepit. Cum autem Isaiae discipuli unam noscerent Armenam linguam, praeterea nullam et plenam ceteroquin cum Dominicanae familiae religiosis unionem constituerent, necesse fuit, quemadmodum referunt praecitati historici, ut regulae, statuta, breviarium et missale Ordinis in linguam verterentur Armenam. Comperimus autem temporibus nobis pro-

Praemissa opportuna historici facti narratione, praxis isthaec ex erronea causa verisimiliter derivata demonstratur.

ximis instetisse patres Armenae provinciae Ordinis Praedicatorum, quo sibi liceret typis mandare sua breviaria ac missalia e latino in armenum idioma translata: annuitque precibus Congregatio Romanae Universalis Inquisitionis habita sexto idus septembris MDCCXIII., deputatis emendatoribus sive praeli typici praesidibus, ut ad opportunas regulas exigerentur omnia, liceretque exinde tuto sibi polliceri, nullos in novam editionem errores irrepere, quod satis superque in huiusmodi casibus alias contigisse constiterat; probavitque omnia summus Pontifex in Congregatione proximo die, septimo videlicet idus septembris eiusdemmet anni, habitâ.

Ideoque ex ea nihil confici.

§ 7. Cum itaque Dominicanum missale in Armenam linguam versum fuerit, cumque in missali Dominicano tres reperiantur adnotatae missae natalitio Christi die celebrari solitae, videtur admodum simile vero, sacerdotes quosdam Armenos et missionarios, videntes tres missas a patribus Dominicanis celebrari natalitio Christi die, coepisse et ipsos tria sacrificia offerre, Dominicano missali utentes in Armenam linguam reddito; quoties autem ita se res habeat, quod verosimilius est, quisque sanae mentis homo facile animadvertet, haud subsistere fundamentum in oblatione trini sacrificii a nonnullis Armenis per Orientem peragi solitâ constitutum, nec eo iuvari ullatenus posse Armenos Liburno in Portu commorantes, eo quod tres missae in missali Dominicano adnotatae semper latini ritus esse censeantur, etsi in armenam linguam versae, nec liceat Armenis pro arbitrio latinos ritus usurpare.

Simillimo allato exemplo res confirmatur.

Simillimum nobis suppetit exemplum ex missâ latinâ patrum Dominicanae familiae in graecam linguam versam iuxta indultum a Bonifacio IX. datum Maximo Constantinopolitano Dominicanae familiae viro, relatumque *t. 2* Bullarii Dominicani, *pag. 370*. Ea quippe Dominicani fratres quidem, nullatenus autem Graeci, in sacrificio offerendo uti possunt.

Monita ad secretar.

§ 8. Haec itaque sunt, quae nobis, quamvis male a podagrâ habitis, licuit colligere. Curae tibi erit, ven. frater, deferre omnia ad Congregationem de Propagandâ Fide: et si mandatum ab eâ tibi fuerit, quod facillimum, ut ad Pisanum Archiepiscopum rescribas, opportunum fortasse erit, huius ad te nostrae epistolae exemplum eidem reddendum curare. Interea apostolicam tibi benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIX. decembris MDCCLV., pontificatus nostri anno XVI.

CLXXIV.

Novam Euchologii graeci editionem per S. Congregationem typis mandatam commendat: late explicat quatuor monita in editione proposita: graeci ritus Orientales ea tantum uti hortatur.

Ad Archiepiscopos, Episcopos, aliosque ritus graeci ecclesiasticos, saeculares et regulares, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres ac dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooem. a contestatione paternae charitatis et pastoralis sollicitudinis in graecam aliasque Oriental. nationes.

§ 1. Ex quo primum tempore Apostolicam B. Petri Sedem conscendimus, usque in praesentem diem, assidua nobis videmur edidisse argumenta paternae prorsus caritatis, qua dilectos nobis in Christo ecclesiasticos laicosque orientales nobis consentientes, sive, ut vocant, *Unitos* et a schismatis labe immunes, complectimur; nihilque intactum reliquisse, quo ii, qui in schismate sunt, eiuratis erroribus, catholicae unitati consocientur. Nolumus hic quaecumque in hunc finem egimus, commemorare: quum et referta sint regesta Congregationis de Propaganda Fide decretis nostris hac de re conditis, et apostolicas literas atque constitutiones pro Orientalium rebus a nobis editas, in Bullarii nostri voluminibus unusquisque percurrere valeat. Illud nobis propositum nunc est, ut vos, ven. fratres dilectosque filios, certiores faciamus, absolutum iam esse opus correctionis graeci Euchologii, idque iam typis eiusdem Congregationis de Propaganda Fide impressum fuisse, post diuturnum rerum omnium examen, accuratissima castigatione emendatum; ideoque vos hortemur, ut hoc potissimum in sacris actionibus adhibeatis, sepositis aliis, quae variis erroribus satis superque infecta deprehenduntur. Quod quidem haud mirum videri debet; id enim incommodi facillime accidit, quoties in pluribus ac saepe iteratis unius operis editionibus, ab iis, qui praesunt, aliquid omit-

Pontificis consilium in encyclicis hisce literis conscribendis.

titur exactissimae illius diligentiae, quae necessaria est, ne aliqua, aut per fraudem aut per inscitiam, identidem inserantur aut adiiciantur, quae in primaevis purisque editionibus non erant; quaeque deinde resecanda quum sint aut aliquo modo temperanda, tractu temporis causam praebent instituendis correctionibus novisque repurgatis editionibus; quemadmodum in ipsa quoque Occid. Ecclesia, quantumvis prae Orient. minoribus periculis exposita sit, evenisse dignoscitur: quocirca Rom. saepe Pontifices coacti sunt opportune consulere, ut Missalia, Ritualia, Breviaria et Martyrologia emendarentur et castigata noviter ederentur. Verum, quod attinet ad correctionem vestri Euchologii, quod, ut optime nostis, nihil aliud est, quam collectio ecclesiasticarum precum atque benedictionum, ideoque, ut Goarius explicat, Ecclesiae vestrae rituale seu manuale, aut sacerdotale et pontificale commode appellari posset: duo potissimum his nostris literis agenda suscepimus: historiam nimirum exponere correctionis novaeque editionis, quae nuper perfecta fuit; et monita quaedam latius explicare, quae in ipsius Euchologii vestibulo opportune praeposita sunt: dilato in aliud tempus consilio aperiendi vobis, si Deus vitam et vires nobis largietur, res alias complures ad Euchologium ipsum pertinentes, quae nec satis recta praesentibus literis nimis in longum protrahendis insererentur et immodicum nobis afferrent laborem, aetati nostrae prorsus alienum, nec apte conciliandum cum reliquis magni momenti curis, quae nunc praesertim nos in apostolici ministerii procuratione circumstant et a quibus nos modo expedire non possumus.

Graecum Euchölog. quid.

Summa eorum, quae hac epistola continentur.

Euchologii correctio, quando, quibusque de causis primum instituta.

§ 2. Philippus IV. Hispaniarum Rex catholicus is fuit, qui sub annum MDCXXXI. habito ad Apostolicam Sedem recursu, exposuit, delatum sibi esse a Graecis Unitis ditionis suae terras incolentibus, editum fuisse a Graecis schismaticis Euchologium pluribus erroribus vitiatum, simulque rogavit, ut absurdis, quae inde manare possent, opportunis remediis occurreretur. Summus autem Pontifex Urbanus VIII. statim egregio operi manum admovit, deputata ad Euchologii correctionem peculiari Congregatione, cui et ipse primum nonnullos S. R. E. Cardinales, Romanaeque curiae praelatos, atque theologos magni nominis, adscripsit; et alios per orbem tunc maxime ecclesiasticae eruditionis laude praestantes viros, eidem Congregationi adscribendos, Romam accivit. Inter hos vocatus fuit Dionysius Petavius presbyter Societatis Iesu in Galliis degens, qui tamen iustissima affectae aetatis excusatione usus fuit, ne tantum iter arriperet, et Ioannes Morinus Gallicani Oratorii presbyter, qui et ad Urbem accessit et pluribus sessionibus interfuit, in quibus multa scitu digna protulit, ad rem recte instituendam dirigendamque opportuna, de quibus alibi sermonem habebimus.

Quantoque studio sub Urbano VIII. et Innoc. X. PP. curata fuerit.

§ 3. Summum profecto studium ac diligentiam in demandatum sibi opus contulerunt ii, qui Congregationem ab Urbano Pontifice deputatam constituebant; eorumque curas atque labores innuit Leo Allatius, quum de graeco Euchologio sermonem habens, ita scripsit: *De libro plura possem referre et examinare: verumtamen, cum sub censura ac iudicio acerrimorum virorum stet, sententiam de eo veram et iudicium infallibile expecto.* Et quidem duae supra octoginta sessiones inter eos habitae fuerunt, ut olim testatus est Cardinalis Franciscus Barberinus senior, in Congregatione de Propaganda Fide, quae die XXIII. ianuarii anni MDCXLV. coacta fuit coram Innoc. Papa X. paulo post obitum illius decessoris Urbani, eiusdem Cardinalis patrui. Non ideo tamen absoluta fuit Euchologii emendatio, nec nova editio confici potuit.

Opus sequentibus tempor. interm. summo studio Pont. instauravit.

§ 4. Subsequentium Pontificum tempore propositum opus nunquam omnino fuit desertum, sed parum lenteque promotum; dum novis, ut assolet, negotiis supervenientibus, incoeptorum antea exitus et finis retardatur. Quum autem Deo Optimo Maximo visum fuerit nos, licet immerentes, ad summum pontificatum evehere, inter primas, quas libenter assumpsimus, curas, haec fuit, de correctione librorum Orientalis Ecclesiae, praesertim vero Euchologii Graecorum. Quare, ut optatam nobis metam aliquando contingere liceret, haec, quae sequuntur, mandata per nos tempestive edita, executioni diligenter tradita fuerunt. Primum itaque collecta et in ordinem digesta sunt acta Congregationum, quae sub Urbano VIII. et successoribus Pontificibus habitae fuerant, ut comperta fieret captarum resolutionum sententia, quantumvis illae pontificia confirmatione roboratae non fuissent; neque enim umquam ad summos Pontifices facta apparebat earum relaxatio, sed in opportuniora tempora, iustis

fortasse de causis, dilata. Deinde, quum iam omnes e vivis excessissent, quicumque olim adscripti fuerant praedictae Congregationi, ad Euchologii correctionem institutae, nos alios S. R. E. Cardinales et consultores ad gravissimum opus urgendum deputavimus; e Cardinalibus nimirum bo. me. Antonium Xaverium Gentili, Philippum Monti, Ioachimum Besozzi et Aloysium Lucini, respective nuncupatos, qui omnes iam ex hac vita migrarunt; Congregationis autem praefectum constituimus dilectum filium nostrum Fortunatum presbyterum Card. Tamburini nuncupatum, qui sospes vivit; consultores vero designavimus dilectos filios fr. Iosephum Augustinum Orsi Ord. Praedicator. palatii nostri apostolici magistrum, Leonardum Siderer Societ. Iesu presbyterum, Dominicum Vitali monachum Ordinis Sancti Basilii, Thomam Sergium e piis operariis sacerdotem, et Dominicum Teoli presbyterum Romanum, quorum aliqui superstites sunt, alii supremum diem obierunt; denique eiusdem Congregationis secretarium elegimus dilectum filium magistrum Nicolaum Antonellum praelatum nostrum domesticum. His omnibus praescriptum fuit, ut certis recurrentibus diebus inter se convenientes, de rebus eorum cognitioni delegatis tractarent; id quod per integrum decennium exactissime praestitum fuit. Quum autem olim controversia fuisset de methodo in examine rerum servanda; censentibus nonnullis, ut ante omnia de sacramentorum formis inquireretur, aliis vero suadentibus, ut secernerentur ea, quae ad simplicium presbyterorum officium pertinent, ab iis, quae sunt Episcoporum propria: Nos huiusmodi controversiam de medio sustulimus, iubendo, ut Euchologii revisio et correctio, a prima illius pagina ad subsequentes gradatim produceretur, eodem ordine, quo Euchologium ipsum conflatum impressumque conspicitur. Denique praefato Congregationis secretario id oneris imposuimus, ut ante singulas sessiones, folium efformaret, non modo cuilibet ex Cardinalibus et consultoribus, qui conventuri erant, sed nobis etiam, qui omnibus de rebus in congregatione discutiendis certiores fieri volebamus, opportune tradendum; quo in folio, indicatis proponendarum quaestionum capitibus, adnotaretur primo quidquid super illis expensum atque conclusum fuerat in congregationibus habitis sub praedecessoribus Pontificibus, quatenus in anteactis congregationibus de ipsis agi contigisset; deinde ea, quae circa huiusmodi quaestiones in theologorum libris conscripta et in ecclesiasticis monumentis relata haberentur.

Congreg. ex spectabilibus viris restituit, quorum nomina recensentur.

Sapientissimam statuit totius rei agendae, et perficiendae rationem.

§ 5. De veteribus Euchologiis, uti par erat, inspiciendis conferendisque, minime necesse fuit eumdem secretarium monere; quem porro invenimus et graecae linguae peritum et sacra eruditione doctrinaque praestantem paratumque ad magnos quoslibet perferendos labores in Apostolicae Sedis obsequium et utilitatem; quemadmodum saepe alias, rebus ita exposcentibus, ac etiam editis plurimo studio voluminibus, demonstravit. Notum cuique est, P. Iacobum Goarium Ordinis Praedicatorum, natione Gallum, octo ipsos annos in orientalibus regionibus commoratum, ubi omnia attente exploravit, Romam deinde venisse sub anno MDCXL., diuturnisque collationibus habitis cum insignibus doctrina viris et rerum graecarum peritissimis, Leone Allatio Romanae Curiae praesule, Basilio Falasca ordinis Sancti Basilii procuratore generali, Georgio Coresio et Pantaleone Ligaridio, ut etiam de eo refert P. Echardus *de scriptoribus Ordinis Praecatorum Tom. 2, pag. 574;* in Galliam denique reversum in lucem edidisse Euchologium graecum, una cum latinâ illius versione. Pro cuius operis maiori perfectione, quum doctus ac diligens vir plures manuscriptos codices et libros typis impressos, qui in ipsius prooemio ad lectorem recensentur, inspicere et perpendere non omisisset, variantes lectiones ubique adiecit, et opportunas doctasque adnotationes huc illuc inseruit. Opus istud primo prodiit Parisiis anno Domini MDCXLVII., deinde Venetiis anno MDCCXXX. recusum fuit.

Peculiaris cura in conferendis veterib. Euchologiis, adhibita a Congreg. secretar.

De Euch. edito a P. Goario deque huius peritia Graecor. rituum.

§ 6. Norunt etiam eruditi viri, complura mss. exempla Euchologii graeci in Bibliothecâ Vaticanâ asservari: praeterea extare in Barberinâ Bibliothecâ celebre *Euchologium Barberinum S. Marci,* sic dictum, propterea quod e coenobio S. Marci Florentiae ad praedictam Bibliothecam olim translatum fuit, illudque antiquissimum esse, ac decem saeculorum aetatem superare; quum Leo Allatius testatum reliquerit, a peritissimis sui temporis viris, iam tunc nongentis annis vetustius fuisse habitum: « Omnium autem antiquitatem superat codex Barberinus in chartâ pergamenâ quadratis literis accuratissime descriptus, ante nongentos et plures annos, sententiâ eorum qui in hisce rebus iudicandis primi

Plures Euchologii codices in Vatic. Biblioth. asservati.

Euch. Barberin. eius denominatio, et antiquitas.

Euch. Cryptae Ferratae unde habitum, et cuius auctoritatis habeatur.

habentur, conscriptus.» Illud quoque eruditis incompertum esse non potest, in Archivio monasterii Cryptae Ferratae pretiosum asservari codicem, *Euchologium patriarchale* nuncupatum, quem magnus Cardinalis Bessarion, primus illius monasterii Abbas commendatarius, eiusdem Abbatiae monachis testamento legavit, quum ipse eum dono habuisset a praeclarae memoriae Cardinale Iuliano Caesarino; huic autem donatus fuisset in Concilio Florentino a sacerdote Georgio Varj Cretense, quemadmodum testatur Arcudius; quapropter huiusmodi codex a Cardinali Bessarione plurimi semper habitus fuerat. Omnes hi, quos innuimus, Euchologii codices inspecti, explorati collatique invicem fuerunt, tum a Praesule secretario, tum ab aliis congregationi adscriptis idioma graecum callentibus, quo rectius tutiusque dirigeretur nova Euchologii editio; neque porro nostris hortationibus aut monitis ad id opus fuit, quum ipsi suâ sponte huiusmodi curam susceperint, ac summâ diligentiâ subierint.

Amplior. curae et labores, per secr. ceterosque Congr. adscript. adhibentur.

§ 7. Neque similiter necesse habuimus doctis Cardinalibus et Consultoribus Congregationem efformantibus in memoriam revocare sapientes illas animadversiones, quae leguntur tum apud laudatum Ioannem Morinum in praefatione illius operis *De sacris Ordinibus,* tum apud Lucam Holsteinum *in Dissertatione I. de sacramento Confirmationis,* tum denique apud auctorem *Vindiciarum P. le Brun,* in his, quae scripsit de formâ sacramenti Eucharistiae; quasque prae oculis omnino habere debet quicumque vult de Graecorum ritibus rectum iudicium ferre. Iniusta quippe et fallax Ecclesiaeque paci atque unitati contraria est eorum iudicandi ratio, qui latinorum tantummodo ritualium notitiam habentes, nec aliud scientes praeter ea quae tradiderunt nonnulli ex nostris scriptoribus, nostrarum quidem rerum periti, sed graecarum consuetudinum rudes, eiusque rationis ignari, quam semper cum ipsis sequuta est Apostolica Romana Sedes, non dubitarunt in sacris Graecorum ritibus ea omnia damnare, quaecumque latino ritui conformia et consentanea non reperiebant. Haec, inquam, praefatis Cardinalibus et Consultoribus ad Euchologii correctionem delectis minime commemorare oportuit, quum ipsi iam huiusmodi agendi et iudicandi normam sibi proposuerint, eamque reipsa plenissime sequuti sint: quemadmodum etiam revera factum fuisse agnovimus a Cardinalibus et praelatis, qui sub Urbano VIII. in congregationibus hac de re habitis sententiam dixerunt. Quae autem a nobis demandata fuisse superius innuimus, ea undequaque impleta fuerunt; nec satis dici potest, quam assiduâ diligentiâ et labore omnes congregationem constituentes operi conficiendo incubuerint. Praedictus vero secretarius, non solum ante singulas inter eos habendas sessiones, iniuncta sibi folia docte et sapienter elucubravit nobisque exhibuit; verum etiam, post habitas sessiones huiusmodi, congregatorum sententias atque resolutiones nobis referre non omisit; nos autem omnibus perlectis et mature pensatis, easdem, prout in Domino expedire visum est, approbavimus et confirmavimus. Et hac quidem servatâ methodo absoluta est Euchologii correctio, et nova eiusdem editio elapso anno MDCCLIV. typis Congregationis de Propagandâ Fide impressa est. Haec habebamus, venn. fratres, dilecti filii, quae ad vestram notitiam deduceremus, ut vobis compertum esset, quantum studii, laboris ac diligentiae adhibitum fuerit, ut Euchologii vestri editio correctissima in lucem prodiret.

Studium quoque suum adiungit Pont. Euchol. correctione absoluta.

Quatuor monita Euchologio praeposita, de quibus singulatim dicendum.

§ 8. Porro sub initium novissimae huius editionis quatuor posita sunt monita, de quibus in hac epistolâ, iuxta id quod superius constitutum nobis esse diximus, operae pretium facturos nos esse existimamus, si ea vobis breviter indicemus quae in iisdem statuendis prae oculis habita fuerunt.

Primum bipartitum monitum: de comm. Rom. Pont. nec non Episcop. et Patr. in missa facienda.

§ 9. Primum itaque monitum his verbis conceptum legitur: *Sciendum est, quod sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent ecclesiasticos sanctorum Patrum canones, et catholicae Ecclesiae constitutiones, ne divina administrantes sacramenta, aliaque peragentes officia, errare comperiantur. Cum igitur in sacrâ liturgiâ commemorationes fieri soleant, oportet primum quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii Episcopi et Patriarchae, dummodo catholici sint. Qund si alter eorum vel ambo sint schismatici sive haeretici, eorum commemoratio nequaquam fiat.* Quod sane consentaneum omnino est iis, quae decreta fuerunt in Congregatione habitâ die primâ maii MDCCXLVI. quaeque approbatione nostrâ confirmata fuerunt. Dubium in eâ congregatione propositum fuit sequens: *num in precibus, quae a sacerdote et diacono in Prothesi recitantur, ponendum sit nomen Summi Pontificis,*

Dubium in Congr. discussum et decret. hac de re editum.

tum etiam in ceteris precibus: videlicet, pro Summo Pontifice N. Redditum autem fuit dubio responsum huiusmodi: « In Instructione initio Euchologii adscribendâ, admoneantur sacerdotes graeci, ut commemorationem faciant summi Pontificis, et eorum Episcopi seu Archiepiscopi, si sit cum Ecclesiâ catholicâ Romanâ unitus, et insuper ponatur alia rubrica in margine Liturgiae, quae eos remittat ad instructionem. » Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quae in ipso Euchologii textu desiderantur.

De prima moniti parte, seu de comm. Romani Pontif.

§ 10. De commemoratione Romani Pontificis in sacrificio missae, deque huius disciplinae vetustate nos ipsi fuse disseruimus in nostro tractatu *De sacrificio missae, sect. 1, num. 219;* sed post eius libri editionem idem argumentum, congestis pluribus haud sane communibus monumentis, tractavit Dominicus Georgius, noster, dum viveret, intimus sacellanus, *De Liturgiâ Romani Pontificis, tom. 3, cap. 3, num. 14,* ubi haec habet: « Solemne semper fuit in Ecclesiâ catholicâ, ut Romani Pontificis nomen inter sacra mysteria recitaretur; » deinde *num. 22* ita subdit: « De Romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant et exemplaria sacri canonis antiquissima.

Monum. ex quibus vetustissimus in Latina Eccl. probatur huius commemor. ritus.

Et quidem huiusmodi commemorationem in missa habitam fuisse ostendunt liturgia Ambrosiana, missa Mozarabica, missa latina, quam Flaccus Illyricus Lutheranus vetusto e codice exscriptam protulit; item antiquissima liturgia quae legitur in vetustiori codice Sacramentorum Ecclesiae Romanae, quam ven. Cardinalis Thomasius in lucem edidit; omnes denique sacri missae canones sive impressi sive manuscripti; quemadmodum fuse demonstrat memoratus praesul Nicolaus Antonellus in sua copiosâ ac eruditâ dissertatione, quam pro iniuncto sibi munere Secretarii praefatae Congregationis ad Euchologii correctionem deputatae conscripsit, et typis cudendam curavit, tunc quum a Cardinalibus et Consultoribus eâ de re disceptari coepit; quam etiam recusam legere est in Appendice ad antiquum missale monasticum Lateranense, *tom. 1 Collectionis Liturgicae* a P. Emmanuele de Azevedo adornatae.

An idem primis saeculis in graeca Ecclesia viguerit, disputat.

§ 11. Hactenus enunciata monumenta ad latinam Ecclesiam pertinent. Quod autem spectat ad graecam Ecclesiam, Cardinalis Bona, *Rer. Liturgicar. lib. 2, cap. 11, n. 3,* ignotum esse ait, an ea prioribus saeculis in sacrificio missae Romani Pontificis mentionem fecerit: *An vero primis saeculis Graecia orthodoxa mentionem fecerit Romani Pontificis, non liquet.* Porro Isaacus Habertus *in observationibus ad pontificale Graecorum, part. 8, observat. 12,* fatetur, se inter prioris aevi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in orientali Ecclesiâ infra missarum actionem Romani Pontificis memoriam fieri consuevisse: *vellem factum et laudarem; sed factum non lego: factum quidem laudarem.* Quum autem in quibusdam antiquis exemplis liturgiae S. Ioannis Chrysostomi sequentia verba legantur: *Nicolai Sanctissimi Universalis Papae longa sint tempora;* credibile esse ait, temporibus S. Nicolai I. Pontificis Maximi, videlicet circa annum Christi DCCCLVIII., Patriarchae nomini adiectum fuisse nomen Romani Pontificis. At vero laudatus Antonellus in citatâ dissertatione contendit, multo ante epocham ab Haberto indicatam, in Ecclesiâ graecâ Romani Pontificis commemorationem in missâ fieri consuevisse; idque evincit tum aliis multis monumentis, tum eo potissimum facto quod refert Nicephorus *in Historia Ecclesiast., lib. 16, cap. 17,* et testimonio nititur antiquioris atque gravioris historici Basilii Cilicis. Acacius nimirum Constantinopolitanus Episcopus, Eutychianae haeresis fautor, Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infaustum illud publicaret edictum, *Henoticon* appellatum, quo irrita fiebat sacri Chalcedonensis Concilii definitio adversus haeresim Eutychetis. Quod cum Sanctissimus Pontifex Felix III. dissimulare non potuerit, ideoque Acacium communione privaverit, ausus est hic an. Domini CDLXXXIV. novo et inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis Romani Pontificis nomen e sacris Diptychis abradere. Quam ob rem damnata deinde fuit Acacii memoria, eiusque damnationi acquievit Ecclesia Graeca sub Hormisda Pontifice et Iustino Imperatore; id quod a duobus Hormisdae praedecessoribus Anastasio II. et Symmacho obtineri nequiverat. Erat igitur in magnâ Constantinopolitanâ Ecclesiâ (cuius exemplum procul dubio sequutae erunt inferiores aliae Orientis Ecclesiae), erat, inquam, in sacris Diptychis Romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnia. Quod si Acacius huiusmodi nomen primus abrasisse dicitur, eiusque factum ideo etiam improbatum specialiter fuit,

Egregium factum, quo comprobatur affirmativa sent.

quod sine praecedenti alterius cuiusque exemplo rem perpetrasset novam et eo usque inauditam, quamvis anteactis temporibus inter Romanos Pontifices et regiae urbis Episcopos offensiones ac dissensiones non defuissent; hinc satis superque evincitur, multo ante Acacii tempora, ideoque prioribus saeculis, Romani Pontificis nomen sacris Graecorum Diptychis inscriptum fuisse et in Missarum actione pro eo preces fieri consuevisse.

Commemoratio isthaec quid vi sua importet.

§ 12. Sed quidquid sit de hoc controverso ecclesiasticae eruditionis capite, nobis satis est affirmare posse, commemorationem Romani Pontificis in Missâ, fusasque pro eodem in sacrificio preces, censeri et esse declarativum quoddam signum, quo idem Pontifex tamquam Ecclesiae caput, Vicarius Christi et B. Petri successor agnoscitur, ac professio fit animi et voluntatis catholicae unitati firmiter adhaerentis, ut etiam recte advertit Christianus Lupus super Conciliis scribens, *tom. 4 editionis Bruxell., pag. 422: Haec commemoratio est suprema et honoratissima communionis species.* Neque id tantummodo probatur auctoritate Ivonis Flaviniacensis *in Chronico, pag. 228,* ubi ita legitur: « noverit se a communione totius orbis separari, quicumque nomen apostolici, pro qualicumque dissensione, in canone non recitaverit; » aut vulgati Alcuini, qui *lib. 1 de Divinis Officiis, cap. 12,* ita scripsit: « Constat, ab universi orbis communione separatos esse, sicut B. Pelagius docet, qui, quâlibet dissensione, inter sacra mysteria apostolici Pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant: » sed graviore sententiâ Pelagii II. summi Pontificis, qui sexto Ecclesiae saeculo apostolicam cathedram tenuit, quique in suis literis, relatis in Labbeana Conciliorum collectione, *tom. 5, col. 794 et seq., et col. 810,* ita ad rem nostram scriptum reliquit. « Divisionem vestram a generali Ecclesiâ, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus, dominicae sententiae memor, quae fundamentum Ecclesiae in Apostolicis Sedibus collocavit, in schismate esse dicat quicumque se a praesulum earumdem sedium auctoritate vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in pontificalibus Apostolicarum Sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apostolicae Sedis, per successionem Episcopatus, praesenti tempore videtis consistere firmitatem? » Quibus Pelagii literis usus est quoque magnus Lugdunensis Archiepiscopus S. Agobardus in suo tractatu *De comparatione utriusque regiminis,* qui impressus habetur *in Magnâ Bibliothecâ Patrum, impressionis Lugdunensis, t. 14, pag. 315, num. 21,* et a Balutio recusus fuit, inter alia eiusdem Sancti opera, *t. 2, pag. 49.*

Eadem occasione schism. intermissa, et in tractanda unione, semper ante alia quaeque conventa.

§ 13. Satis praeterea nobis est, hoc tuto asserere posse, quocumque demum tempore in Ecclesiâ Graecâ recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro Romano Pontifice in Missâ, eam certe in graecis ecclesiis viguisse pluribus saeculis ante conflatum schisma, nec nisi post funestam divisionem fuisse intermissam. Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchae, qui vivebat anno Christi MLIII., ad Michaelem Cerularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam graece et latine edidit Ioannes Baptista Cotelerius, *Tom. 2 Monument. Eccles. Graec.* Michael dixerat, se mirari, quod Antiochenus ipse Petrus, necnon Alexandrinus et Hierosolymitanus Antistites, Romanum Pontificem in sacris Diptychis referrent; quemadmodum desumitur *ex cit. tom. 2, pag. 140.* Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit, ostendens, ad suam usque aetatem, tum Antiochiae tum Constantinopoli non fuisse intermissam Romani Pontificis commemorationem. *Ad haec ego quoque testis sum omni exceptione maior, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesiâ praecellunt, quod sub beatae memoriae Patriarchâ Antiochiae Domino Ioanne, Papa Romae, ipse etiam Ioannes nominatus, in sacris Diptychis referretur. Constantinopolim praeterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi, sub sanctae memoriae Patriarchâ Domno Sergio, praedictum Papam in sacrâ Missâ cum aliis Patriarchis referri.* Additur, nunquam agi coeptum de unione instaurandâ, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut sacrae liturgiae insereretur Romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impletâ habitam fuisse, nisi praeindicata initialis conditio reipsa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeste eruitur consensio Ecclesiarum Latinae et Graecae in agnoscen-

do et statuendo, inesse in praefatâ commemoratione protestationem subiectionis debitae Romano Pontifici tamquam Ecclesiae capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Ecclesiae, ut supra diximus, contra vero per huiusmodi commemorationis omissionem declarari animum schismati pertinaciter adhaerentem.

Probatur assertio iteratis exemplis instauratae unionis, rebusque gestis sub Michaele Palaeolog.

§ 14. Quum Michael Palaeologus Constantinopolitanus Imperator anno. MCCLXIII. et sequenti studium suum declarasset redeundi una cum Graecis sibi subiectis in unitatem atque concordiam cum Ecclesiâ Romanâ, Urbanus IV. praedecessor noster hanc conditionem diserte proposuit, teste Niceta *lib. 5, cap. 2, ut in sacris officiis et Diptychis Papae nomen cum quatuor Patriarchis memoraretur.* Cumque subinde huiusmodi unionis tractatio ab eodem Michaele Imperatore et Patriarchâ Ioanne Vecco resumpta fuisset, ac de ea serio actum fuerit in Concilio generali Lugduni habito anno Domini MCCLXXIV., B. Gregorius X. Pont. Max., assentientibus patribus in Concilio congregatis, ante omnia nonnullas proposuit conditiones, quae nisi acceptarentur, nullus unioni tractandae ac perficiendae locus reliquum foret, quarum prima fuit: *ut inter sacras hymnodias Papa cum aliis quatuor Patriarchis in Diptycha relatus memoraretur,* ut apud eumdem Nicetam habetur, *loc. cit.* Eam vero conditionem a Graecis acceptatam fuisse et exequendo impletam, testatur Pachymeres *lib. 5, cap. 22. Ex hoc Legatorum adventu, pacem factam referentium, duo consecuta sunt vi prius conventorum, exauctoratio Patriarchae et Papae in sacro commemoratio publica.*

Impia Andronici intermediis Imperatoris attentata.

§ 15. Michaeli Palaeologo successor in Imperio fuit Andronicus filius, damnato schismati adeo perdite adhaerens, ut, quoniam pater unioni Ecclesiae Graecae cum Latinâ ineundae operam contulerat, illius corpus extra locum sacrum sepeliri permiserit. Et quia, donec Ecclesiae Constantinopolitanae praesideret catholicus Patriarcha Ioannes Vecco, minime sperabat Imperator, destinatam sibi schismatis instaurationem ad exitum perduci posse, Iosephum quemdam haereticâ labe infectum in patriarchalem sedem intrusit. Exinde res in peius ruere coeperunt, nec amplius obtineri potuit sincera Ecclesiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariae generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebusque inter Latinos Graecosque Patres mature discussis, anno demum MCDXXXIX. deiectus fuit divisionis paries, qui unam ab alterâ Ecclesiam tamdiu seiunctam tenuerat. Utque omnibus testata fieret unionis peractae veritas, Ioannes Palaeologus Graecorum Imperator iussit in sacris Diptychis reponi nomen Romani Pontificis; uti testatur vel ipse schismaticus scriptor Sylvester Sguropulus *in Historiâ Concilii Flor., sess. 10, c. 12.* Cumque subinde unionis constitutae decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham transmissum fuerit, non praetermisit hic, in suâ responsione ad Eugenium IV. Pontificem datâ, testari a se quoque statutum fuisse, ut in sacrificio Missae Romani Pontificis commemoratio, antequam aliorum patriarcharum, fieri deberet: *unde cum nostris aegyptiis pontificibus et caeteris clericis nostris statuimus, ut ubique in omnibus Christi ecclesiis inter Missarum solemnia prae caeteris Patriarchis memoriam tuae Beatitudinis faciamus, sicuti in sacris canonibus cautum est;* quemadmodum videre est in actis Concilii Florentini a Cardinale Iustiniano collectis *part. collect. 22, pag. 323.*

Altera probatio ex factis Ioannis Palaeologi, necnon Alexand. Patriar.

Tertia denique, ex pactis conventis inter Constantin Imper. et Nicol. V Pontific.

§ 16. Post Ioannem Palaeologum in Graeciâ imperavit Constantinus, qui quum ad Nicolaum V. Legatos misisset, qui sibi periclitanti opem implorarent, hoc simul profiteri non omisit se omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiae constituta optatam sortiretur executionem; ideoque effecturum, ut Pontificis Romani nomen sacris Diptychis restitueretur, uti testatur Ducas in historiâ Byzantinâ: *Imperator suppetias rogatum Romam iam antea miserat; ut etiam concordia Florentiae reconciliata restabiliretur, inque magnae Ecclesiae liturgiis Papae nomen e sacris Diptychis recitaretur.* Pontifex autem promptum se atque paratum exhibuit ad afferendam illi pro viribus opem; simulque ipsum hortari et urgere non destitit, ut decretum unionis in Concilio Florentino peractae promulgaret efficeretque ut nomen Romani Pontificis *recitetur in Diptychis, et pro ipso nominatim expresse ab universâ Graecorum oretur Ecclesiâ, sicut iis, qui Deo placuere, et Constantinopolitani Patriarchae et Imperatores hactenus servavere;* ut habetur in Annalibus Raynaldi, *ad annum Christi* MCCCCLI. *num. 2.*

Graeci or. cath. huiusce commemoratione habendae legem agnoscunt, et in iteratis Syn. evulgant.

§ 17. Haec sunt, quae pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione celebrantium orandi pro Papâ in sacrificio Missae; nec aliud praeterea

addendum videtur, nisi quod ante huiusmodi Monitum catholici Episcopi graeci orientales in suis synodis, hoc ipsum statuere non omiserunt; et nos ipsi pro Italo-Graecis opportuna decreta edere non praetermisimus. Anno Domini MDCCXX., Zamosciae habita fuit Synodus provincialis, de mandato fel. record. praedecessoris nostri Clementis Papae XI. ac praesidente in eâ Hieronymo Grimaldo tunc Archiepiscopo Edesseno et Apostolicae Sedis Nuntio in regno Poloniae, deinde vero a recol. mem. decessore nostro Clemente Papa XII. ad cardinalatus honorem assumpto. In huius itaque Synodi decretis, quae etiam a piae mem. Benedicto Papa XIII. similiter praedecessore nostro maturo praemisso examine confirmata fuerunt, sub titulo *de Fide Catholicâ* sequentia leguntur verba: *eâdem de causâ,* nimirum ad removendam omnem schismatis suspicionem, *et ad demonstrandam sinceram membrorum cum capite coniunctionem, censuit etiam ac praecepit, sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, ut, ubicumque in sacris Diptychis commemoratio Romani Pontificis facienda erit, praesertim vero tempore sacrificii Missae, in translatione oblatorum, fiat claris et expressis verbis, quibus alter quam Romanus universalis Episcopus designari non possit* (1).

Consentiunt patres Concilii Libanensis anno MDCCXXXVI. congregati sub praesidentiâ dilecti filii Magistri Iosephi Simonii Assemani Romanae Curiae praesulis et Ablegati Apostolici: in cuius pariter Concilii decretis, sub titulo *de Symbolo Fidei eiusque professione, num. 12,* haec occurrunt verba: *Sanctissimi Romani Pontificis commemorationem, tam in Missis, quam in divinis officiis, ante Rmi D. Patriarchae nomen, uti hactenus consuevimus, celebrare non omittamus* (2). Et hoc etiam Concilium post accuratissimum rerum omnium examen apostolicâ auctoritate a nobismetipsis confirmatum extitit, ut videre licet in nostrâ constitutione, quae incipit *Singularis* (3). Petrus Arcudius in suo opere *de Concordiâ Ecclesiae Occidentalis et Orientalis, lib. 2, cap. 39,* monitum adscripsit pro latinis Episcopis in quorum dioecesibus commorantur Graeci, ut eos adigere studeant ad faciendam in Missâ commemorationem Romani Pontificis, ne qua reliqua sit suspicio propensionis erga schisma: *Episcopi latini omnino curare debent, ut sibi subditi parochi graeci in unione catholicâ sint, et summum Pastorem agnoscant, iuxtaque veterem morem pro illo solemniter deprecentur* in sacrificio Missae, de quo nempe eo in loco agit. Consentanee autem ad hoc aequissimum monitum, in nostrâ constitutione pro Italo-Graecis emanatâ, cui initium *Etsi Pastoralis,* quaeque est 57 *in Bullarii nostri tom. 1, § 9, num. 4,* ita cautum fuit: *deinde summi Romani Pontificis ac Ordinarii loci, in missis atque divinis officiis, commemoratio fiat.*

Eamdem Italo-Gr. indixit Pontifex.

§ 18. Sequitur pars altera eiusdem primi Moniti, in qua, uti superius notatum fuit, iniungitur sacerdoti graeco, ut infra Missam, postquam oraverit pro Pontifice Romano, oret pro proprio Episcopo, oret etiam pro suo Patriarchâ, si tamen catholici sint; nam si eorum alter vel uterque schismaticus esset aut haereticus, de illo aut illis commemorationem facere non deberet.

Secunda Moniti pars de commemor. Episc. et Patr. habenda, vel omitt.

§ 19. In Latinâ Ecclesiâ nulla se se offerre solet difficultas, quoad commemorationem faciendam illius Episcopi, in cuius dioecesi sacerdos Missarum sacra facit. Hac de re nos ipsi egimus in nostro opere *de Sacrificio Missae, sect. 1, num. 220 latinae editionis;* ibique demonstravimus, debere eum, qui in dioecesi aliquâ Missam celebrat, Episcopi dioecesani loci mentionem facere, non vero alterius, in cuius dioecesi ipse ordinatus fuerit seu cuius ordinariae iurisdictioni subiectus sit; neque vero licitum esse regularibus, proprii superioris generalis, aut aliis sacerdotibus alicui praelato inferiori territorium separatum habenti subiectis, huiusmodi praelati commemorationem facere in Missâ; quum is honor deferendus tantummodo sit ei superiori seu praesuli, qui episcopali auctoritate et ordine est insignitus. Auctores vero, qui haec omnia tradunt et probant, ibidem a nobis allati fuerunt. Quare nihil aliud hic adiiciemus, nisi quod praecitatus

Latinae Ecclesiae disciplina quoad comm. Episcopi.

---

(1) De h. syn. vide quae adnotavimus vol. II. h. op. pag. 336 et 365.

(2) Vide h. vol. pag. 31.

Acta vero h. Synodi, quae in Monte Libano in ecclesia S. Mariae monasterii de Loaisa nuncupata Ordinis S. Antonii Abbatis, Cong. Montis Libani celebratae an. MDCCXXXVI. diebus XXX. sept. et I. et II. octobris, in ipsa Synodo arabice conscripta, et ab eiusdem praeside I. Simonio Assemano in latinum translata, quae latina translatio sola Romae approbata est, vide in Collectione Lacensi vol. II., p. 77.

(3) Huius vol. pag. 81.

Dominicus Georgius, qui, post editum nostrum illud opus, suum praelo dedit tractatum *de Liturgiâ Romani Pontificis*, pluribus antiquis perlustratis codicibus haec adnotata reliquit, *dicti operis tom. 3, c. 3, num. 23, pag. 52: Omnia ferme vetustissima exemplaria sacri canonis missae, post Romanum Pontificem, nomen Antistitis designant, quod quidem nomen Florus et antiquiores expositores Missae quos in appendice damus, commemorant.*

Episcopus celebrans qua formula pro se oret in missa.

§ 20. Utque adhuc a latinâ disciplinâ non discedamus, hoc etiam adnotabimus, Episcopum Missam celebrantem pro semetipso orare, se *indignum servum* compellando; quod consentaneum est his quae leguntur *lib. 8 Constitutionum*, quae *apostolicae* dicuntur, *inter opera Patrum Apostolorum a Cotelerio edita, tom. 1, pag. 407,* ubi is qui sacrum facit, postquam pro aliis oravit, pro se ipso deprecatur his verbis: *Adhuc rogamus te pro nullius pretii homine, qui tibi offero etc.* Praeterea sciendum est, in urbe Româ solius Romani Pontificis commemorationem fieri, eo quod ipse non modo sit summus Pontifex, sed etiam specialiter Romanae Urbis Episcopus; ipsum vero Pontificem, dum Missam celebrat, pro se etiam orare, ad eum plane modum, quo Episcopus quilibet celebrans pro se ipso Deum orat. *Postulasti* (verba sunt Innocentii III. in epistolâ non adhuc editâ, sed in Regestis Vaticanis asservatâ, *lib. 9, num. 33,* quae respondet Episcopo Auriensi, sciscitanti quomodo Pontifex Missam celebrans de se ipso mentionem faciat) *postulasti praeterea doceri, quibus verbis Pontifex Romanus utatur in eo loco canonis Missae, in quo sacerdos inferior dicit,* una cum Papâ nostro, *cum idem pro se tunc videatur orare ac supra se Antistitem non habere; ad quod devotionis tuae taliter respondemus, quod nos ibi dicimus:* « una mecum indigno famulo tuo. » Denique notandum est, a latinis sacerdotibus commemorationem Archiepiscopi, uti Metropolitani, in canone minime fieri, ut etiam notat accuratus P. Merati in suis Commentariis ad Gavantum, *part. 2, tit. 8, num. 5,* et quidem etiamsi vacet sedes episcopalis: *si vero Episcopus Ordinarius loci, in quo celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur,* nimirum de eo non fit commemoratio: *sed advertendum est, loco Episcopi, non posse nominari Vicarium capitularem, quia licet, sede vacante, Ordinarius sit illius loci, non tamen est Episcopus illius dioecesis. Rursus neque nominari potest Archiepiscopus aut Patriarcha provinciae, intra quam continetur episcopatus Episcopi defuncti, licet in eo habeat aliquam iurisdictionem; quia Archiepiscopus aut Patriarcha non dicitur Ordinarius in dioecesibus suffraganeorum.*

Romae solius Pont. fit mentio, et quare.

Pontifex celebrans quomodo pro se oret.

Archiep. nunquam fit mentio a latinis in missa.

Italo-Gr. quoad commem. in Missa lat. disciplinam servare debent.

§ 21. Nunc autem converso ad Graecos sermone, si quidem de Italo-Graecis agitur, hi omnimodae subiiciuntur iurisdictioni Episcopi latini, in cuius dioecesi suum constituerunt domicilium, iuxta constitutionem 74 praedecessoris nostri Pii Papae IV., quae incipit *Romanus Pontifex, Bullar. Rom. tom. 2,* de qua nos fuse disseruimus in nostro tractatu *De Synodo dioecesanâ lib. 2, cap. 12 novissimae editionis Romanae.* Itaque huiusmodi presbyteri Italo-Graeci in sacrificio offerendo latinam disciplinam sequi tenentur, commemorationem scilicet facientes Romani Pontificis et Episcopi loci, nunquam vero Orientalium Episcoporum aut Patriarcharum, quantumvis catholici sint, quum hi nulla fruantur iurisdictione in Italiâ et Insulis adiacentibus; ut etiam statutum est in praefatâ constitutione nostrâ: *Etsi Pastoralis, § 8, num. 4, Bullarii nostri tom. 1, Const. 57.* Sane in Dictato S. Gregorii VII. Rom. Pont. *can. 10* haec verba leguntur: *quod Papae solius nomen in Ecclesiâ recitetur.* Et quidem Dictatum hoc Conciliorum collectionibus insertum reperitur, nimirum regiae Parisiensis *tom. 26,* Labbeanae vero *tom. 6, part. 1.* Non tamen ignoramus vigentem inter eruditos controversiam, sitne Dictatum illud genuinum opus S. Pontificis, an potius supposititium; adeo quidem ut P. Mabillonius, in suo tractatu *De Studiis Monasticis,* quaestionem hanc recensuerit inter graviores, quibus enodandis ecclesiasticae historiae professores occupari possunt. Verum hoc etiam posito, Dictatum esse genuinum opus S. Gregorii VII., vera ac germana citati canonis sententia haud quidem est, ut in Ecclesiâ Latinâ Episcopi dioecesani nomen a Missae Canone sit removendum, sed ut eidem minime inserantur nomina Orientalium Patriarcharum, qui scilicet tunc temporis hac conditione consensuros se dicebant, ut Romani Pontificis nomen in liturgiâ reponeretur, ac per universas Orientis ecclesias pro eo preces fierent, si vicissim Pontifex consensisset, ut ipsorum nomina a sacerdotibus latinis Ecclesiae Romanae aliarum-

Dictatum S. Gregor. VII. genuinum ne sit, an supposititium, in quaestione est.

que ecclesiarum Romani Patriarchatus in canone missae recitarentur. Quae quidem conditio iure optimo reiecta fuit, prout sapienter observat Christianus Lupus *ad Concilia, part. 4, pag. 427 edit. Bruxellen.* « A schismate recessurus Michael *(de Michaele Cerulario Constantinopolitano Patriarchâ loquitur)* petit nomen suum inscribi romanis tabulis, spoponditque Pontificis nomen omnium suarum ecclesiarum tabulis reddendum. Sed Leo *(Romanum Pontificem innuit S. Leonem IX.)* noluit annuere: mutua enim patriarchalium nominum recitatio viguit in solis aequalibus et consororibus orientalium Patriarcharum sedibus, nunquam in romanâ. Haec enim Orientalium non tantum soror, sed etiam caput est et mater, ideoque nullius nisi solius Episcopi nomen unquam recitavit. » Et sequenti *pag. 488* ita prosequitur: « Orientalium Patriarcharum nomina nunquam recitavit Romana, immo nec ulla latina Ecclesia. »

Graecis Oriental. licitum est pro Metropolita, et Patriarcha orare in missa.

§ 22. Haec pertinent ad Italo-Graecos. Verum quod spectat ad caeteros Graecos et Orientales, Monitum istud Euchologio praepositum, de quo nunc agimus, nequaquam iis prohibet suorum Metropolitarum et Patriarcharum mentionem facere in missâ; sed cavet tantummodo, ne id fiat quatenus illi schismatici sint aut haeretici. Constat antiquum esse morem in Ecclesiâ Graecâ, ut in Missarum precibus Patriarcharum nomina commemorentur. Theodorus Balsamon in iis, quae scripsit *de patriarcharum iuribus,* haec scripsit: « statutum est, ut in quâvis ecclesiâ Dei, sive ad Euphratem sive ad ipsum pertingat Oceanum, coniunctim Patriarcharum nomina referantur.» Goarius *in notis ad Rituale Graecorum, pag. 63,* hoc refert, veluti usu receptum, videlicet in graecâ liturgiâ sacerdotem orare pro omnibus Episcopis et pro Metropolitano. Meratus autem *in notis ad Gavantum, tom. 1, pag. 439 Romanae editionis,* postquam illud posuit quod supra retulimus, in Ecclesiâ Latinâ Archiepiscopi commemorationem non fieri in Missâ vacante licet

Modo ne sint haeretici vel schismat.

ecclesiâ suffraganeâ, ita subdit: *hoc tamen non observatur a Graecis aliisque Orientalibus, qui Patriarcham nominant et Metropolitam.* Neque id ipsum in saepe indicato Monito iisdem indefinite prohibetur, sed tunc solummodo quum Metropolitae aut Patriarchae schismatici sunt vel haeretici, iuxta regulas iampridem receptas atque statutas antequam Euchologii correctioni manus admoveretur. Sane in Congregatione S. Officii anno MDCLXXIII., quum de hoc disciplinae capite actum fuerit, decretum prodiit tenoris sequentis: « In Congregatione generali S. Officii die VII. iunii MDCLXXIII. Utrum in Missâ possit nominare sacerdos in oppido Liburni Patriarcham Armenorum pro ipso orando, qui est schismaticus; quod instanter petunt sibi concedi, ut per hoc natio magis et maiori erga Latinos alliciatur affectu; S. Congregatio respondit, non posse, et omnino prohibeatur. » In eâdem Congregatione XX. iunii MDCLXXIV. lectis literis R. P. D. Nuntii Florentiae datis die X. aprilis MDCLXXIV. scriptis S. Congregationi de Propagandâ, et ab eâdem remissis ad S. Congregationem S. Officii, decretum fuit, quod « rescribatur eidem Nuntio, ut, quoad permissionem orandi in liturgiâ pro Patriarchâ Armenorum, S. Congregatio stetit in decretis emanatis anno MDCLXXIII., videlicet *non posse et omnino prohibeatur.* »

Aliud similis cautionis decretum.

§ 23. Consonat aliud plane simile decretum Congregationis super correctione editionis Missalis Cophtorum habitâ anno MDCCXXXII. ubi inter alia proposita dubia hoc fuit: « an et quomodo emendanda sint verba, quibus sacerdos commemorationem facit de Patriarchâ, Episcopo etc. » Responsum autem datum fuit huiusmodi: « initio missalis ponatur rubrica, in qua admoneatur et instruatur sacerdos de iis quae spectant ad celebrationem Missae, et inter illas rubricas specialis de commemoratione Romani Pontificis, necnon Patriarchae et Episcopi, si sint uniti Romanae Ecclesiae; sin minus eorum commemoratio omittatur: quae rubrica proprio loco repetatur. » Porro haeretici atque schismatici excommunicationis maioris censurae subiecti sunt, ex lege *Can. de Liguribus 23, quaest. 5, et Can. Nulli 5, dist. 19.* Sacri autem Ecclesiae canones pro excommunicatis orari publice vetant, uti cautum legitur *in cap. A nobis 2, et in cap. Sacris, de Sent. Excommunicationis.* Et quamvis id non obstet, quominus pro eorum conversione orare liceat, hoc tamen ita praestari non debet, ut eorum nomina in solemni sacrificii prece pronuncientur: quod plene congruit veteri disciplinae, de qua Estius *in 4 Sent. Dist. 12, § 15.* Satis est in eum finem, mente animoque Deum opt. max. rogare, ut aberrantes ad vitam salutis et ad sanctae matris Ecclesiae sinum reducere dignetur; quemadmodum pergit Sylvius *in 3*

Ratio huiusmodi sanctionis.

part. D. Thomae, tom. 4, quaest. 83, art. 1, quaest. 9. Atque haec est ipsiusmet S. Thomae doctrina *in 4 Sent., dist. 18, quaestion. 2, artic. 1 in responsione ad primum: Pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quae pro membris Ecclesiae fiunt.* Neque ut huic christianae caritatis officio satisfiat, necesse est intervertere leges Ecclesiae, quae a fidelium sibi obsequentium catalogo excludit eorum nomina, qui se ab illius unitate et obedientiâ separarunt; quaeque dum prohibet, ne pro his publice oretur, eorum certe commemorationem ab officio Missae, quae publicum est sacrificium, excludit. Quapropter ven. Card. Bellarminus *Controversiarum tom. 3, lib. 6 de Missa, cap. 6,* optime ad rem nostram scribit: « Aliquis petet, utrum liceat hoc tempore sacrificium offerre pro haereticorum sive infidelium conversione. Ratio dubitandi est, quia tota liturgia latinae Ecclesiae, quae nunc est in usu, refertur ad fideles, ut patet ex precibus oblationis tum extra tum intra canonem. Respondeo: existimo id licere, modo nihil addatur ad Missam, sed solum per intentionem sacerdotis applicetur sacrificium conversioni infidelium seu haereticorum: id enim faciunt viri pii et docti, quos reprehendere non possumus, nec extat Ecclesiae prohibitio. »

De alio Graecor. ritu orandi in Missa pro Imp., Rege eiusq. palatio et exercitu.

§ 24. Nullum quidem verbum in hoc primo Monito fit de commemoratione seu prece inter Missarum actionem habendâ pro Imperatore, Rege, universoque eius palatio et exercitu. Sed quum plurimum connexionis habeat cum caeteris rebus in eodem primo Monito enunciatis, haud inopportunum existimamus ea quae sequuntur adiicere.

Quid in Congreg. super Euchologii correctione habitis definitum fuerit.

§ 25. In omnibus Euchologiis, sive impressis sive manuscriptis, quae anteriora sunt correctione a Leontio peractâ, adscriptae leguntur preces habendae pro Imperatore, Rege, eiusque palatio et exercitu. Quum autem in Congregatione super correctione Euchologii habitâ die primâ maii anno MDCCXLVI. propositum fuerit dubium, an huiusmodi preces tolli deberent, rescriptum fuit, nobis subinde approbantibus, *relinquendas eas esse in canone seu liturgiâ.* Sed quoniam Graeci easdem olim preces in prothesi quoque faciebant, subinde vero eas sustulerant, additum fuit: *non autem habendas esse in Prothesi seu praeparatione.* Superfluum namque visum est huiusmodi preces fieri in Prothesi, dum ipsae iam fiunt in canone seu Liturgiâ. Atque ad hunc plane modum exacta res est in novâ Euchologii editione seu correctione.

Commemoratio Imper., Regumque in Missa. an et a quo tempore fiat in Latina Ecclesia.

§ 26. De commemoratione Imperatoris seu Regis cuius temporali ditioni regio subiecta est, quatenus in canone Missae quibusdam in locis fieri solet, nos ipsi iam disseruimus in nostro tractatu *de Sacrificio Missae, Sect. 1, num. 221.* Et quidem Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 2, cap. 11, num. 4,* testatur, in multis latinis ecclesiis nomen Regis in canone commemorari. Praeterea Martene *de antiquis Ecclesiae Ritibus, lib. 1, cap. 4, art. 8, num. 9,* post allata monumenta ad id opportuna ita concludit: « Ex constante Ecclesiae traditione ab Apostolis acceptâ, certissimum est pro regibus et principibus inter sacra mysteria semper oratum fuisse. » Ubi satis patet, auctorem ad ea se referre, quae scripsit Apostolus *in Epistol. 1 ad Timoth., cap. 2,* mandans orationes et obsecrationes fieri pro Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt: necnon ad ea, quae leguntur in Constitutionibus, quae apostolicae dicuntur, in editione Patrum Apostolicorum a Cotelerio adornatâ, *tom. 1, lib. 8, cap. 12,* ubi haec habentur: « Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege et pro iis qui in sublimitate sunt, et pro cuncto exercitu, ut res nostrae in felicitate versentur; » deinde seq. c. 13 iterum legitur: « Pro Regibus et in sublimi potestate constitutis, oremus, ut res nostrae pacificae sint. » Videri etiam hac de re potest Georgius *in praecit. tom. 2 de Liturgiâ Rom. Pont., lib. 4, c. 3, num. 4.* Quidquid autem sit de controversiâ illâ, quae inter Balutium et Lupum agitata fuit, de tempore nimirum, quo primum Imperatoris nomini subrogatum fuerit nomen Regis in terris dominio regum subiectis, quam quidem quaestionem fusiori calamo tractat citatus Lupus *in Can. 10 Dictatum S. Greg. VII.;* illud satis compertum est, commemorationem Regis fieri in Ecclesiâ latinâ per eas regiones, in quibus huiusmodi consuetudo dudum recepta est, aut Apostolicae Sedis concessio id permisit; ut advertit Meratus *ad Gavantum, cit. t. 1, p. 1, pag. 539, num. 6 iuxta editionem Romanam.*

Quaenam nunc servetur consuetudo.

Apud orientales nationes universim receptus usus orandi in Missa pro Rege.

§ 27. At apud orientales nationes communis dici potest haec disciplina memoriam faciendi Regis in sacrâ liturgiâ, uti videre licet in liturgiis Armenorum, Cophtorum, Aethiopum atque Syrorum. Si quis autem quaereret, qua ratione id tolerari

possit, ubi certo constet, reges illos, pro quibus orant et quorum commemorationem in liturgiâ faciunt, infideles esse; huic ven. Card. Bellarminus responderet (uti reipsa respondit in superius citato *cap. 6*) nequaquam vetitum esse *ex naturâ rei,* ut aiunt theologi, orare in Missâ etiam pro infidelibus; quemadmodum sacrificium Crucis pro omnibus oblatum fuit. Et sane divus Thomas *in Sentent., dist. 12, quaest. 2, art. 2, quaest. 2 ad quartum,* docet, quod quamvis S. Augustinus in libro *de origine animae* scripserit, sacrificium pro iis tantum offerri, qui sunt membra Christi, haec tamen sententia ita accipi debet, ut eos omnes complectatur, qui vel iam Christi membra sunt vel tales evadere possunt. Quare idem Cardinalis subdit, rem totam ex interdicto Ecclesiae esse dimetiendam: *certum est ex naturâ rei, si nulla sit prohibitio Ecclesiae, licere offerre pro huiusmodi hominibus,* de infidelibus loquitur. Cumque huiusmodi prohibitio extet quoad excommunicatos, adeoque quoad haereticos et schismaticos, non vero quoad infideles qui excommunicatione non ligantur; hoc satis esse ait, ut de his commemoratio fieri possit in Missâ, atque etiam pro his sacrificium offerri, iuxta manifestam hac de re traditionem et Constitutionem Apostolicam: « Sed quaeret aliquis, utrum si rex infidelis est, ut in Graeciâ ubi Turca dominatur, et in Indiâ, et in Iaponiâ, apud Sinas, ubi ethnici regnant, liceat sacerdotibus, qui ibi sunt, expresse offerre pro rege? Respondeo: existimo licere, modo rex ille non sit excommunicatus, ut sunt reges haeretici, sed paganus sive ethnicus. Nam haec traditio, immo et constitutio, apostolica est, ut paulo ante ostendimus. Neque extat, quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibitio. Ad haec non inutiliter subiiciendus occurrit textus Tertulliani ad Scapulam *cap. 2,* ubi sic legitur: « sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro et ipsius; sed, quomodo praecepit Deus, purâ prece; non enim eget Deus, conditor universitatis, honoris aut sanguinis alicuius. »

Explicatur, quomodo id ipsis licere, permittique possit.

Solidior responsio, ex declarata orantis mente desumpta.

§ 28. Verum, relictis in suâ probabilitate huiusmodi assertionibus, nihil illis opus fuit ad hoc, ut Imperatoris et Regum commemoratio in Graeci Euchologii textu relinqueretur. Innotuit siquidem, Graecos catholicos interrogatos, num in praefatis commemorationibus habendis hoc animo essent, ut preces offerrent pro Turcis, quos dominos temporales patiuntur, ex quo suis propriis principibus orbati fuerunt; respondisse, se hoc semper propositum animo habere, ut pro orthodoxis regibus et christianis principibus orent. Ita testatur Goarius *in notis ad Euchologium, pag. 38;* ubi ait interrogationi Graecis catholicis a se propositae, an, preces illas pronunciando pro Turcis, Deum deprecari intenderent, constanter ab iis fuisse responsum: *Solos ut piissimos et a Deo custoditos Reges principes nostros christianos profiteri, et quos dominio expostulant, fide iam et religione rectores dominosque in ecclesiis praedicare, et pro eis solis impraetermisse, etiam libris editis preces supprimentibus, orare velle.*

Secundum Monitum de differentia inter introit., quo oblata, et illum, quo praesanct. dona deferuntur.

§ 29. Sequitur nunc secundum Monitum ex his, quae novae editioni Graeci Euchologii praefixa fuerunt, in haec verba conceptum: *Ad haec in eàdem divinà et sacrà liturgiâ sacerdos Deo gloriam canens accedit ad dona, eaque decenter ac religiose supra caput tollens, ad altare defert circumducens et procedens per templum, dum interim populus summâ cum reverentiâ et devotione inclinat caput et procidit, supplicans, memoriam sui fieri in eâ donorum circumductione. Sed quia nonnulli fidelium procidentium circumlata dona tamquam Corpus et Sanguinem Christi adorant atque existimant, ab introitu fortasse Praesanctificatorum decepti, quando scilicet praesanctificatus panis defertur, ignorantes differentiam quae inter hanc et illam delationem intercedit; idcirco oportet, in hoc operam suam studiumque intendere, ut cunctos fideles accurate doceat admoneatque de illâ, quae inter utramque donorum delationem intercedit, differentiâ; cum alia quidem dona nondum sint immolata et perfecta, alia vero Dei verbo confecta et sanctificata; et haec religiosissime debeant coli et adorari, cum sub specie ac symbolis panis et vini Corpus et Sanguinem Christi contineant; secus vero antequam consecrentur et perficiantur.*

Quot sint introitus, eorumque distinctio ac varius ritus.

§ 30. Iam illud recte nostis, venn. fratres, dilecti filii, duos in vestrâ liturgiâ esse ingressus, minorem alterum, alterum maiorem nuncupatum. Minor est ille, quo sancti Evangelii codex infertur; maior autem ille est, quo sacra dona, nimirum panis et vini, non adhuc consecrata, a parvo altari seu mensâ, quae *Prothesis* dicitur, super quam praeparata fuerant, supplica-

Introitus maior huius Moniti obiectum.

tionis ordine instructo, ad sacrum altare deferuntur. Itaque in secundo capite huius Moniti, non quidem agitur de minori ingressu, sed de maiori; in quo nimirum ritus huiusmodi observatur, ut panis in patenâ obtectus velo supra caput deferatur vel a diacono vel a sacerdote; a diacono, scilicet, quando solemne Missae officium celebratur cum assistentiâ et ministerio diaconi; tunc enim hic sinistrâ manu patenam cum pane supra caput sustinet, dexterâ vero sacerdotem thurificat, qui calicem cum vino utrâque manu gestat: si vero sacerdos sine diacono celebret, tunc a lectore thus adoletur, sacerdos autem patenam cum pane supra caput suum sinistrâ manu sustinet, dexterâ autem sacrum calicem ad pectus defert. Ad hunc igitur maiorem ingressum contingit, ut populus inclinetur, seu pro vario regionum more in terram procumbat, ac fronte humum feriat, perinde ac si sub speciebus panis et vini, licet nondum consecrati, Corpus et Sanguis Christi Domini contineretur. « Populus passim, in Graeciâ quidem valde demisse se inclinat, neque enim genua flectere vult, ne imitari videatur Latinos, quamvis extra diem dominicum: in Russiâ vero prosternit se, terram fronte percutit, ac veluti praesentem in eâ oblatione caelorum Regem colloquitur et adorat. » Verba sunt Petri Arcudii *De Concordiâ Eccles. Occident. et Orient., lib. 3, cap. 19.*

Adstantis populi demissa nimis obsequia; ex quibus suborta quaestio inferius proponenda.

Functionem maioris introitus plures descripser. prout a plerisque Oriental. peragitur.

§ 31. Christianus Lupus *part. 3 suorum operum super Conciliis, Edit. Bruxel., pag. 760,* ritum describit maioris ingressus, quando Patriarcha aut Metropolitanus Missam celebrat. Magri *in Vocabulario Ecclesiastico,* verbo *Prothesis,* singillatim describit quaecumque fiebant ab Imperatore, sacrae Synaxi adstante, eo die, quo Imperii coronam assumebat. Goarius *in notis ad Liturgiam S. Ioannis Chrysostomi, n. 110,* totam actionem ingressus maioris accuratissime exponit. Idemque fit a Cardinali Bona *Rer. Liturgic. lib. 2, cap. 9, num. 4.* Quaecumque vero eâ occasione a Graecis fiunt, eadem similiter aguntur ab Armenis, Cophtis, Aethiopibus ac Syris Iacobitis, ut videri potest apud le Brun *in Explanatione missae, tom. 3,* apud Chardon *in Historia Sacramentorum, tom. 2, cap. 2,* et Renaudot *tom. 1 in notis ad Liturgiam Cophtorum.* Quin etiam in hac Romanâ Urbe in Festo S. Athanasii videre est Graecos in suâ ecclesiâ ea omnia facientes, quae supra recensuimus: *et ita etiamnum hodie faciunt Graeci in festo ac in Romanâ Basilicâ S. Athanasii,* ait Lupus *loco citato.*

Idem ritus a Graecis Romae servatur.

Praesanctificatorum Missa quibus diebus, et quo ritu Gr. celebrent.

§ 32. Perspectum quoque vobis est, venn. fratres, dilecti filii, iuxta ritum verum, diebus ieiunii quadragesimalis solam tantummodo Praesanctificatorum Missam apud vos celebrari, exceptis sabbatis et dominicis diebus, necnon festo Annunciationis B. Mariae Virginis, si in quadragesimam inciderit, ad normam canonis Trullani 52 his verbis concepti: *in omnibus sanctae quadragesimae ieiunii diebus, praeterquam sabbato et dominicâ, et sancto Annunciationis die, fiat sacrum Praesanctificatorum ministerium.* Nostis etiam, sacerdotem, qui Missam celebrat in quadragesimâ, diebus quibus hoc fieri conceditur, sabbato scilicet et dominico die, unam quidem hostiam consecrare et consummare, alteram vero consecratam supponere; quam quidem in tot particulas dividit, quot numerantur subsequentes dies quibus celebranda est Praesanctificatorum Missa, in qua nimirum et seipsum et alios, si qui sint communicantes, eucharistico pane superioribus diebus consecrato communicat; quemadmodum recte omnia persequitur Leo Allatius in prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum *de Missâ Praesanctificatorum, pag. 1531, num. 1.* « Quilibet sacerdos venturae hebdomadis dies, quibus celebraturus est, digitis ipse suis numerat: inde tot particulas panis in oblatione abscindit, quot missas dicturus est; eas cum particulâ eo die absumendâ consecrat, et consecratas sanguineque dominico intinctas, uti moris est, conservat in pixide, ex qua postmodum celebraturus, tempore opportuno, cochleari, aliis ibi ad alium usum relictis, haurit et in disco reponit, et ad altare maius advectam consumit. »

Eius occasione panis euchar per ecclesiam certa solemnitate defertur.

§ 33. Hac item occasione per ecclesiam solemni ritu proceditur, diaconum sacram pyxidem, in qua sacramentum sub specie panis continetur, supra caput deferente, sacerdote autem manibus gestante calicem cum vino aqua mixto, non quidem consecrato sed tantum benedicto: et quoniam non semper a sacerdote missa cum assistentiâ diaconi celebratur, si solus sacerdos celebret, ipse sinistrâ manu defert pyxidem capiti impositam, dexterâ autem calicem sustinet: atque ita a parvo altari ad aram maiorem progreditur; uti testatur Arcudius *in citato opere, lib. 3, cap. 58.* « Solent Graeci in praesanctificatis liturgiis, ante-

quam incipiant sacrum, reponere Sacramentum contentum in patenâ super parvum altare propositionis, et infundere vinum in calicem sine ullis precibus. Deinde circa medium sacrum sacerdos, si solus celebrat, patenâ impositâ capiti, et calice manu dexterâ apprehenso, transfert ad maius altare etc. Si vero sacerdos huiusmodi sacra peragit administrante diacono, solet patenam cum Sacramento diacono tradere, qui eam imponens capiti defert; ipse autem, accepto calice, exit et diaconum sequitur. »

Procumbens populus Sacramentum adorat.

Tunc vero non omittit populus genua flectere, pectus tundere, aliisque idoneis actibus consacratum panem a sacerdote vel a diacono, ut supra diximus, delatum, uti par est, adorare.

Similiter externis actibus panem et vinum veneratur in maiori introitu.

Quum autem hinc factum esse dicatur, ut similia praestentur a populo, dum in functione maioris ingressus panis et vinum non adhuc consecrata sed postmodum consecranda supplicationis ritu per ecclesiam deferuntur; hoc illud est, quod negotium facessit, quodque locum praebuit difficultatibus adversus ingressum maiorem excitatis. Nicolaus Cabasillas *in Expositione Liturgiae, cap. 24,* ita scripsit: « Si qui autem sunt, qui, sacerdote cum donis ingrediente, humi procumbunt et tamquam Corpus et Sanguinem Christi dona quae deferuntur adorant et alloquuntur, ab ingressu praesanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam huius et illius sacrificii; hoc enim in ipso ingressu non sanctificata habet dona et nondum perfecta; illud autem perfecta et sanctificata, et Corpus et Sanguinem Christi. » Et post eum Arcudius ita prosequitur in eodem citato opere, lib. 3, cap. 19: « Itaque populus ignorans discrimen huius et illius liturgiae, similiter se gerit in odinariis atque in praesanctificatis. Quocirca et graviter errat, quippe in praesanctificatis verum Corpus sacerdos in patenâ defert, meritoque populus humi procumbit atque adorat; in aliis vero sacrificiis, dum haec oblatio fit ante consecrationem, longius se gerat oportet. » Idem Arcudius in subsequentibus eiusdem libri capitibus refellit Gabrielem Archiepiscopum Philadelphiae, qui plura scripserat ad vindicandum huiusmodi ritum. Quin etiam Goarius, *praeallegato loco,* necessarium duxit ad eumdem ritum tuendum opportunas quasdam rationes afferre. In recentiori editione operis inscripti: *Perpetuitas fidei catholicae de sacramento Eucharistiae adversus Claudium vindicata, pag. 68,* hoc scriptum legitur: « tantum abesse, ut Graeci sacramentum Eucharistiae non adorent, ut potius sese purgare teneantur, ostendentes quomodo recti limites non excedant, nec iisdem adorationis actibus prosequantur panem et vinum nondum consecrata, quibus ea post consecrationem venerantur. » Pater le Brun non dubitavit asserere, talem esse ritum, ut aliquo modo reformari mereatur. Tournefort *tom. 3, pag. 411 et seq.,* quum se propriis oculis vidisse referat Armenos functionem hanc peragentes, cum aliquâ indignatione de eâ loquitur. Chardon *loco superius notato* ea affert, quae scripserunt Tournefortius et pater le Brun; deinde quaestionis punctum indecisum relinquit.

Ab ipsis Orientalib. Synodali sanctione prohibentur.

Itaque patres Concilii Zamosciae habiti anno MDCCXX. *decreto de celebratione Missarum,* § *4,* non dubitarunt interdicere, ne qua fiat genuflexio aut capitis inclinatio dum panis vinumque nondum consecrata a parvo altari ad maiorem aram transferuntur: *Prohibet Synodus, ne fiant genuflexiones seu capitis inclinationes dum transfertur panis oblationis a minori ad maius altare pro consecratione tempore offertorii; praecipitque parochis, ut populum hac de re moneant, ne periculo idololatriae exponatur.* Illud enim patres fortasse prae oculis habuerunt, quod in sacro textu refertur *lib. 4 Regum, cap. 18,* de Ezechiâ rege Iuda, qui serpentem aeneum a Moyse conflatum fregit, propterea quod filii Israel usque in eum diem thus illi adoleverant.

Aequius Congreg. iudicium ea de re.

§ 34. Haec sunt, quae nobis licuit colligere ex libris auctorum, qui de hoc ritu tractarunt. Nunc autem ea subiicemus, quae circa eumdem ritum animadversa et constituta fuerunt tum in Congregationibus sub Urbano VIII. coactis, tum in iis, quae nostris temporibus habitae sunt, et quarum decreta nos ipsi subinde approbavimus.

Excludit. temperament. tollendi function. maioris introitus atque ita et memoratos obsequii actus.

§ 35. Primum itaque illud prudenter animadversum fuit, functionem hanc maioris ingressus omnino tollere atque interdicere (quod caeteroquin, ut dici solet, falcem ad radicem misisset) rem fore Ecclesiae Graecae permolestam, nec consentaneam institutis Ecclesiae Latinae, quae graecos ritus in Ecclesiâ Graecâ, quantum potuit, servare semper studuit: idque eo vel maxime quod antiqua est huiusmodi caeremonia; quaeque in ea servatur solemnitas, ita explicari consuevit, ut triumphalem referat ingressum Christi, quum ex Bethaniâ Ierusalem venit; quemadmo-

dum scripsit Germanus Patriarcha Constantinopolitanus hac ipsa de re agens: *Tunc enim plurima turba et Hebraeorum pueri tamquam Regi et mortis victori sensibiliter hymnum referebant, spiritualiter autem Angeli cum Cherubim ter sanctum persolvebant hymnum;* deinde subiungens, per minorem ingressum significari humilem adventum filii Dei in hunc mundum.

Differentia eorum quae in diversis functionib. decantantur, populo adimit errandi periculum.

§ 36. Secundo loco animadversum fuit discrimen, quod intercedit inter ea quae canuntur in translatione praesanctificatorum, atque ea quae clerus concinit in processione maioris ingressus. Hic enim dicitur: *ut Regem universorum excepturi;* quae verba non Regem praesentem indicant, sed postea venturum. In illâ autem, omisso hymno cherubico, sequentia verba ingeminantur: *Ecce sacrificium mysticum et consummatum.* Adeo ut unusquisque, modicâ etiam intelligentiâ praeditus, inter unam et alteram functionem discernere valeat, dum in translationem Praesanctificatorum Iesus Christus sub panis speciebus praesens exhibetur; in caeremoniâ vero maioris ingressus, idem Dominus indicatur, non veluti praesens sub speciebus panis et vini, sed ut proxime adfuturus, postquam nimirum consecrationis verba a sacerdote prolata erunt.

Aliae observationes vindicantes memoratos actus ab omni nota cultus illegitimi. Prima: Recta agentium fides. Altera: Indoles actus per se indifferentis. Tertia: Latriae cultum non actus, sed effectus facit.

§ 37. Tertio perpensum fuit, quod, si Graeci in rebus sacris edocti perspectum habent sub panis et vini speciebus, dum maior ingressus ducitur, nondum existere Corpus et Sanguinem Domini, iidemque norunt, quod ignorare non possunt, latriae cultum soli Deo deberi, nemo iure suspicari poterit, hanc illis esse mentem, ut per exteriores venerationis actus, quos ad ingressum oblatorum exercent, latriae cultum erga species non adhuc consecratas exhibeant; quum eaedem exterioris obsesequii significationes aliquando erga Creatorem, aliquando vero erga res creatas exhiberi soleant (quemadmodum in scripturis sanctis legitur, Abrahamum Angelos adorasse, et Iacob non semel coram fratre Esau procubuisse, et Nathan prophetam idem in conspectu David praestitisse), quumque adoratio latreutica non unice in actibus externis consistat, sed praesertim in internâ affectione animi, qua huiusmodi actus eliciuntur. Praeterea, si Graeci in Missâ Praesanctificatorum iisdem exterioris adorationis actibus prosequuntur panem qui consecratus est, simulque vinum in calice contentum, quod consecratum non esse constat; nec ideo iis obiicitur, quod in praedictâ Missâ Praesanctificatorum pari latriae cultu adorent panem consecratum et vinum mere benedictum; quia scilicet extrinsecae actiones ab interno animi sensu diriguntur, ita ut, pro variâ mentis intentione, unus idemque actus, nunc quidem latriae adorationem, nunc autem minoris obsequii, significationem importet; ex hoc ipso satis evincitur, quod, quamvis etiam Graeci dum maior procedit ingressus in conspectu panis et vini, quae nondum consecrata circumferuntur, eosdem ederent externos adorationis actus, qui erga eucharisticum panem et consecratum calicem exhiberi solent, non ideo iure affirmari posset, communem panem vinumque non consecratum latriae cultu ab iis adorari; quum omnia metiri oporteat ex interiori animi sensu, cuius ea vis est, ut eosdem externos actus post consecrationem quidem dirigere possit ad eliciendam adorationem latreuticam erga eucharisticum panem et vinum; eosdemque ante consecrationem ad solemnem oblatorum ingressum exercendo, latriae cultum ab illis excludere valeat. Ita ad rem nostram apposite disserit Leo Allatius *in suo Tractat. de Missa Praesanctificatorum, num. 8:* « Cultus hic non dicitur latria, quae soli Deo debetur, sed qualem veneratio creaturarum exposcit: gestus enim exterioris reverentiae, capitis scilicet detectio, manuum oscula, in modum supplicantium complicatio, extensio, elevatio et similia, nec non in genua procumbere et prosternere se in terram, non solum adorationi Dei, sed creaturarum etiam attribuitur; nec in eo error committitur, dummodo Deum Creatorem a creaturâ et creaturam excellentiorem a minus excellente mente distinguamus. Per externos ergo corporis gestus cultus Deo exhibitus in adoratione, non ob naturam eiusmodi actuum, sed ob intentionem qua usurpantur, cum alias ex solâ naturâ sint indifferentes, latria infertur: interior enim voluntas atque intentio conciliandi per hos externos actus existimationem divinam, facit ut sint materia cultus divini, atque adeo ut per illos adoratio Dei exterior exerceatur, divinum cultum tribuens. » S. Thomas *2-2, quaest. 84, art. 82 in respons. ad secundum,* ita docet: « Adoratio principaliter quidem in interiore Dei reverentiâ consistit, secundario autem in quibusdam corporalibus humilitatis signis; sicut genuflectimus, nostram infirmitatem designantes in comparatione

ad Deum; prosternimus autem nos quasi profitentes, nos nihil esse ex nobis. » Cuius doctrinam explicans Sylvius *ad citat. art. 2* haec subdit: « docet, adorationem principaliter in interiore Dei reverentiâ consistere, secundario vero in quibusdam signis corporalibus. Quod adeo verum est, ut inter signa corporalia nullum fere sit obsequium seu officium, quo non tantum Deo, sed etiam creaturae cultus exhiberi queat, ac proinde ex intentione colentis desumi debeat cultus externi distinctio. Nam si ei sit animus, de eo, quem per externum obsequium honorat, excitare opinionem Deo soli convenientem, atque illum honorare ut summum, tunc eiusmodi officium pertinebit ad cultum divinum: si autem sit intentio eum venerari ut creaturam excellentem Deoque amicam, pertinebit ad cultum duliae vel hyperduliae. Dixi, *fere;* nam de sacrificio etiam externo, quod soli Deo possit offerri, non est dubium. » Itaque Sylvius unicum exterius signum, quod necessario latriae cultum importet, externum sacrificium esse asserit, quod soli Deo offerri certissimum est, sicut etiam fuse demonstrat idem D. Thomas *2-2, quaest. 85, artic. 2.* Quapropter in Actibus Apostolorum legimus, Laodicenos, quum Paulum et Barnabam deos esse autumassent, statim de offerendo iis sacrificio cogitasse. Eamdem omnino doctrinam tradit Suarez *in 3 part. D. Thomae, tom. 1, quaest. 25, art. 2, disput. 61, sect. 4,* ut ex sequentibus illius verbis deprehenditur: « Actus exteriores non sunt ita ex se determinati, quin tam ad venerandum Deum, quam ad honorandam creaturam exerceri possint etc. Quo fit, ut distinctio latriae soli Deo debitae ab adoratione creaturae in his externis actibus potissimum ex interiori intentione pendeat. » Et quamvis idem paulo inferius subiiciat, exteriorem actum non solum ob internam agentis voluntatem adorationis divinae naturam induere, sed talem quoque evadere ac dici posse, si huiusmodi significatio exteriori illi actui tributa sit ab eo, qui tali potestate et auctoritate polleat: « attendenda est, praeter intentionem internam, publica impositio; nam si haec signa, sufficienti auctoritate et potestate, ad significandum Deum et cultum sunt imposita, solum ad divinum cultum usurpari possunt; et si creaturis communicetur talis cultus, erit idololatria saltem exterior, si non ex animo neque ex falsâ aestimatione fiat: » Haec tamen doctrina ad id, de quo nunc agimus, aptari non potest, quum nullibi reperiatur, auctoritate publicâ statutum fuisse, ut exteriores illi actus, qui supra descripti sunt, quique a Graecis fiunt dum maior ingressus per ecclesiam procedit, pro actibus et signis cultus latriae haberi debeant.

Sacrif. externum creaturae offerri nunquam licet.

Congreg. conclusio *Nihil esse innovandum* a Pontif. approbatur.

§ 38. Quarto demum, quum in Congregatione super correctione Euchologii habitâ die v. septembris MDCCXLV. proposita fuerit quaestio, an abolendus seu emendandus foret ritus ingressus maioris, de quo hucusque sermonem habuimus, omnibus mature discussis atque perpensis, constitutum denique fuit, nihil esse innovandum; idque subinde approbatione nostrâ firmatum extitit. Nec alia profecto fuit sententia Congregationum, quae sub Urbano VIII. hanc ipsam quaestionem examinarunt. Placuit tamen consilium prudenter exhibitum, ut monerentur Episcopi aliique animarum curam gerentes, et quorum ea est inspectio, ut rudem populum docere non praetermittant, quod, dum sacra dona a Prothesi ad aram maiorem solemni ritu transferuntur, quum ea nondum sint consecrata, sub eorum speciebus nequaquam existit Corpus et Sanguis D. N. Iesu Christi, prout futurum erit post peractam consecrationem; ideoque exteriores illi venerationis actus, qui erga praefata dona nondum consecrata exhibentur, non eâ ratione peraguntur, ut cultus latriae soli Deo debitus iisdem praestetur, sed ut inferioris speciei cultus exerceatur, cuius obiectum est futura transubstantiatio eorumdem donorum in Corpus et Sanguinem Domini. Non absimili methodo usi sunt Tridentini Concilii Patres, quum actum fuit de veneratione cultuque sacrarum Imaginum, decernentes nimirum, ut, nihil immutatâ hac in re antiquâ Ecclesiae disciplinâ, onus esset Episcoporum aliorumque, quibus docendi munus est demandatum, christianam plebem erudire de omnibus quae circa huiusmodi cultum tenenda et servanda sunt, uti videre est in praedicti Concilii *sess. 25, decreto de invocatione et veneratione, et Reliquiis Sanctorum et sacris Imaginibus.* Quodque ad rem nostram proprius spectat, Goarius *loco superius citato* consilium similiter dedit, ut minime abrogaretur ritus maioris ingressus, sed ut populus opportunis documentis instrueretur: *erudienda est certe rusticae plebis illius fides; devotio nunquam extinguenda, aut cultus ille externus omnino comprimendus.* Similiter P. Philip-

Prudens tamen cautio superaddita, ad quodcumq. periculum removend.

Cautionis norma desumpta est a Conc. Tridentini decreto de Sacris Imaginib.

pus de Carboneano *in Appendice ad Tract. P. Antoine de Eucharistiâ*, § *3*, ita concludit: *nihil ergo in hoc est reprehendendum; sed gens illa rudis instruenda, ne dona illa ut Christi Corpus et Sanguinem venerentur*. Quod quidem si a vobis, venn. fratres, dilecti filii, praestabitur, quemadmodum facturos vos esse confidimus, eam a vobis procul amovebitis accusationem, qua Arcudius *de Concordiâ, lib. 3, cap. 19*, Episcopos graecos sui temporis reprehendit dicens, populum quidem tunc in summâ ignorantiâ versatum fuisse, sed Episcopos facile potuisse idoneis instructionibus illius caecitati remedium afferre, nisi ob humanos respectus ab huiusmodi onere implendo abstinuissent: « Possent autem, ac deberent, Graecorum Antistites diligenter monere populum, et utique concordes multum proficerent; sed quoniam vel et ipsi laborant eodem morbo, et ex ignorantiâ in eodem errore versantur, vel si verum nonnulli vident, timent pauci plurimos, timent terrenam perdere gloriam et humanos favores, verentur, ne instar haereticorum, nomen ipsorum a vulgo conculcetur; propterea ipsimet, saltem externâ specie, caeterorum errorem egregie imitantur, altoque silentio omnia praetereunt ac dissimulant, ita caeci caecos ducunt et omnes in foveam cadunt. »

Alia functio, quae ad Prothesim, et proxime ad maiorem introitum habetur, nimirum oblatio panis consecr. in plures partes divisi.

§ 39. Porro sacerdos celebrans sacris indutus vestibus, antequam sacra dona a minore mensâ seu Prothesi ad maius altare transferatur, ad illam accedit, et panem consecrandum dividit in plures partes. Pars maior offertur, ut Deo opt. max. debitus praestetur cultus in memoriam Salvatoris nostri Iesu Christi. Reliquae minores partes, quae *Merides* appellantur, omnipotenti Deo similiter offeruntur; sed earum una in honorem gloriosae Virginis Dei Genitricis Mariae, altera in honorem S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum, aliorumque Sanctorum quorum nomina a sacerdote enunciantur; alia vero pro salute vivorum, quorum etiam nomina ab eo recensentur: alia pro defunctis, qui pariter nominatim commemorantur, alia in honorem illius Sancti, cuius festus dies celebratur; relictâ caeteroquin sacerdoti facultate offerendi specialiter sacrificium pro illo aut illis, quos ipse maluerit. Ritus huiusmodi divisionis panis in plures, prout a nobis descriptus est, iamdudum viguisse probatur ex Typico Irenes Augustae, edito a patre Montfaucon *tom. 1 Analect. Graecor., cap. 34*. Si vero Episcopus aut presbyter primi celebrantis personam sustinens cum aliis sacerdotibus concelebret, et diaconi quoque in officio ministrantes assistant, non modo quilibet sacerdos, sed unusquisque etiam ex diaconis hostiam unam maiorem offert, simulque minores particulas seu *Merides:* ex quibus, si quae demum supersunt a celebrante seu celebrantibus non consummatae, eae distribuuntur adstantibus, qui eucharisticae communionis participes fieri petunt. Haec omnia exacte describunt, et narrant Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib. 2, cap. 1, num. 7;* Arcudius *lib. 2 de Concordiâ, cap. 9;* et Goarius *ad Rituale Graecorum, in notis ad Liturgiam S. Ioannis Chrys. pag. 98 et seq.*

Hostiar. oblatio ad Prothesim, non sol. a sacerdotib. sed etiam a diacon. fieri solet.

De Host. divisione in Conc. Florent. vindicata nulla nunc quaestio inter catholicos.

§ 40. Nulla inter catholicos extitit controversia circa ritum maioris hostiae aliarumque minorum, quae *Merides* appellantur. Quum enim de eo instituta fuisset quaestio in oecumenicâ Florentinâ Synodo, adnotatum est in actis, Archiepiscopum Mitylensem propositis interrogationibus cumulate satisfecisse. Et quamvis ibi relatus non sit illius responsionum tenor; non aliter tamen interrogationibus satisfecisse censendus est, quam ostendendo antiquitatem huiusmodi ritus per plura saecula in Orientali Ecclesiâ observari, cuius ea est significatio, ut diversos innuat fines, ob quos sacrificium offertur. *Puto dixerit, hanc esse antiquam Orientalis Ecclesiae consuetudinem, qua utitur illa Ecclesia ad declarandos varios fines sacrificii:* sunt ipsa Arcudii verba, *praefat. lib. 3, cap. 9*. Porro nullam diximus super hoc ritu viguisse controversiam inter catholicos: e schismaticis enim constat, Simeonem Archiepiscopum Thessalonicensem in suo tractatu *de Sacramentis* addubitare se ostendisse de consecratione particularum. Sed quam irrationabile fuerit illius dubium, unusquisque facile deprehendere potest. Quum enim sacerdos ad sacrum altare consecrationis formam non minus proferat super maiore portione, quam super minoribus particulis, quumque et illius intentio ad omnium consecrationem aeque dirigatur, et earum omnium materia ad sacramentalem transmutationem idonea sit; si portio maior consecrationem recipit, profecto consecrari quoque oportet minores illas particulas quae, ut iam diximus, *Merides* appellantur.

Temerar. dubium de portionum minorum consecratione a schismat. excitatum.

Controversia vigens de oblatione diacona-

§ 41. Controversia quidem fuit inter catholicos circa oblationem, quam a diaconis

lem ac dissidentes de ea script. sententiae.

fieri superius innuimus. Arcudius *lib. 3, cap. 17,* demonstrandum sumit, id illis per sacros canones licitum omnino non esse. Goarius *ad Euchologium pag. 72* testatur, oblationem diaconalem in magnâ Constantinopolitanâ Ecclesiâ usu receptam non fuisse. Nec defuerunt qui contenderent, expungenda esse ab Euchologio verba quae pertinent ad oblationem diaconalem, utpote a schismaticis adiecta. Contra vero Cardinalis Bona *Rer. Liturgic. lib. 2, cap. 1, num. 7,* nullum esse canonem tuetur, qui huiuscemodi ritui obsistat, quum sacri canones eam quidem oblationem excludant, quam diaconus ad sacrum altare facere praesumeret, non autem eam quam ad Prothesim peragit, quippe quae nihil aliud est, quam praeparatio ad aliam a sacerdote perficiendam in sacro altari. Ad haec idem Cardinalis ostendit, antiquum esse ritum oblationis diaconalis et a pluribus saeculis in Ecclesiâ Graecâ observatum; cumque de eo disputatum fuerit etiam in Florentino Concilio, satisfactum fuisse Patribus ibi adunatis per responsiones ab Archiepiscopo Mitylenensi datas. Similiter Berlendis *tractatu de Oblationibus impresso Venetiis anno* MDCCXLIII., § *5, pag. 143,* inter functiones diaconorum admittit ritum oblationis ad Prothesim, interdicto eisdem iure offerendi ad altare, quod solis sacerdotibus competit. « Illud offerendi diacono munus attributum, intelligi de prima particularum oblatione, dum super mensam, Prothesim vocatam, adhuc adsunt; non vero de aliis duabus oblationibus, quae a sacerdote inter liturgiam fiunt. »

Dispensatio seu consecrat. Corpor. Chr. in nonnullis veteribus monum. diaconis tributa, quid importet.

§ 42. S. Ambrosius virtutem S. Laurentii praedicans, qui, diaconus quum esset, una cum S. Sixto Pontifice ad martyrium duci exoptabat, sic eum loquentem inducit: ***Experire utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*** Scimus quidem nonnullos codices pro verbo ***dispensationem*** hoc aliud habere, ***consecrationem.*** At consecratio hoc loco nihil aliud significat, quam ministerium sive assistentiam sacerdoti consecranti praestitam: ***Nobis diaconis consecratio illius salutaris hostiae committitur, non ut conficiamus, sed ut conficientibus humiliter assistamus:*** ait Petrus Blesensis *in suâ epist. 123.* Nec absimilis est explicatio Petri Cantoris apud Menardum *in notis et observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii, pag. 287.* Subdiaconis enim vetitum semper fuit Eucharistiam populo ministrare, sive sub specie panis sive sub specie vini iuxta canonem Laodicenum XXV. et in eum notas Balsamonis, Zonarae et Aristeni, uti videre est apud Beveregium *tom. 1, pag. 464.* Non sic autem diaconis, quibus olim specialiter demandata erat sola Dominici Sanguinis distributio, quae deinde, ob enatos quosdam abusus, ipsis etiam adempta fuit, uti demonstrat Cotelerius *ad cap. 13, l. 8 Constitutionum, quae Apostolicae dicuntur, tom. 1.*

Diaconalis oblatio ad Prothesim intacta servatur, et quare?

§ 43. Iam vero in Congregationibus habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus, minime praetermissum fuit examen propositae quaestionis, utrum tollenda esset oblatio, quae a diaconis fiebat ad Prothesim. In eâ autem, quae habita est die III. *ianuarii anni* MDCCXLV. rescriptum fuit, nobis deinde approbantibus, ***nihil esse innovandum.*** Validiores enim atque firmiores visae sunt rationes huic ritui faventes per Cardinalem Bonam allatae, quam illae, quas ad oppugnandum eumdem ritum congessit Arcudius. Itaque in novâ Euchologii editione intactus relictus est oblationis diaconalis ritus. De quâ licet nulla mentio fiat in eo capite secundi Moniti, de quo hucusque egimus, nos tamen hic aliquid circa eam innuendum duximus; tum quia una est e sacris actionibus, quae ad Prothesim fiunt, quaeque praecedentis sermonis obiectum fuerunt; tum quia nullam elabi sinimus occasionem, qua vobis, venn. fratres, dilecti filii, magis magisque testatum fiat, nequaquam infensam esse vestris ritibus Romanam Ecclesiam, quin potius eam pro viribus id agere, ut inviolati serventur ii, qui errorem nullum nihilque indecorum contineant.

Tertium Monitum de sacr. Extremae Unctionis.

§ 44. Tertium modo se se offert Monitum, duabus partibus constans, et sequentibus verbis conceptum: « Praeterea meminisse debent sacerdotes, sacramentum Sancti Olei, quod Euchelaeon dicitur, a Christo esse institutum tamquam caelestem medicinam, non pro animae tantum, sed etiam pro corporis salute; solis proinde infirmis administrandum, non autem bene valentibus, et in eo quidem tempore, in quo sibi constant et sui compotes sunt; ut ita maiorem sacramenti gratiam recipiant, si cum fide ac devotâ voluntate accedentes Oleo Sancto ungantur. Item sciendum est quod, quamvis Orientalis Ecclesiae Pontifices in conficiendo sacro Chrismate pluribus de more aromatibus utantur, necessa-

ria tamen sacramenti materia sunt oleum et balsamum, quibus, secundum antiquum Ecclesiae Orientalis morem, aliae aromatum species recte admiscentur, si iuxta praescriptum adsint. Verum si earum quaedam desint (dummodo oleum et balsamum adsint) tanquam non necessaria ad Chrismatis materiam, rite omnino sanctum Chrisma conficitur. »

Varia nomina quibus sacr. illud a Latinis Graecisque designat.

§ 45. Sacramentum hoc, quod a Latinis *Extrema Unctio* dicitur, eodem plane nomine a Graecis appellatum legitur in Concilio generali Lugdunensi secundo, ex Orientis et Occidentis praesulibus coacto anno Domini MCCLXXV., cuius Acta leguntur in collectione Harduini, *tom. 7, pag. 695,* quum scilicet Latini simul et Graeci formulae fidei communibus sententiis probatae subscripserunt. Dicitur etiam a Graecis sacramentum hoc, Oleum consecratum et sanctificatum precibus sacerdotum, atque perfectio seu consummatio sacramenti Poenitentiae. In Euchologio Goarii *pag. 346, num. 42, et pag. 349, num. 1,* nominatur *Euchelaeon:* idemque nomen a scriptoribus sequioris aevi usurpatum legitur, uti videre est apud Georgium Pachymerem *lib. 6 Histor. Palaeol., cap. 32,* ubi Possinus idem quoque notavit, *lib. 1 Glos., pag. 386,* apud Gabrielem Philadelphium *de Sacramento Euchelaei, et tom. Actorum Ecclesiae Orientalis, pag. 338.* Praeterea nonnunquam, licet raro, idem sacramentum a Graecis nuncupatum invenitur *Heptapapadum,* quemadmodum legitur in Synodo Constantinopolitanâ sub Patriarcha Ioanne Vecco habitâ an. Domini MCCLXXVII. *in dictâ Collectione Harduini, t. 7, p. 758 B,* ubi idem Patriarcha, amplectens confessionem fidei in Lugdunensi Concilio statutam, ita ad Romanum Pontificem Ioannem XX., dictum XXI., scribit: *Extremam Unctionem etiam recipimus similiter cum aliis sacramentis, quae et a nobis celebrata Heptapapadum nominatur,* idest officium septem sacerdotum, hoc quippe modo a Graecis sacramentum illud ministratur.

Nonnulla de hoc sacram. alibi videnda, indicantur.

§ 46. Nos hic nihil dicemus de huius sacramenti institutione a Christo factâ, aut de illius effectu; nihil de legibus circa illius ministrationem servandis, ut scilicet solis fidelibus graviter aegrotantibus, non autem bene se habentibus, ministretur, neque tamen expectetur tempus illud, quo aeger iam suae mentis compos non est; nihil praeterea de quibusdam ritibus Ecclesiae Graecae, in qua videlicet Oleum infirmorum, non solum ab Episcopo, ut apud Latinos, sed etiam a simplice presbytero benedicitur, et sacramentum Extremae Unctionis non ab uno tantum sed a pluribus simul sacerdotibus ministratur; quum de his omnibus plura tradiderimus in nostro tractatu *de Synodo Dioecesanâ, noviss. ed., lib. 8, a cap. 1 ad tot. cap. 8.* Sed ad illustrandam tantummodo priorem partem huiusce tertii Moniti, hoc adiiciemus, quod quum et olim sub Urbano VIII. et superioribus pontificatus nostri annis disceptatum diu fuerit, an a graeco Euchologio delenda essent quaedam verba, quae innuere videntur, licitum esse hoc sacramentum etiam bene valentibus ministrare; in consessu habito *die* III. *septembris anni* MDCCXLVII. definitum fuit, deindeque a nobis probatum, ut nihil in textu immutaretur; sed quae necessario servanda erant, adnotarentur in Monito, quod initio Euchologii praeponeretur; id quod est factum per verba superius exscripta, monendo graecos sacerdotes, ne sacramentum Extremae Unctionis ministrent bene valentibus, sed iis dumtaxat qui gravi morbo laborant. Porro nihil necesse visum est Euchologii textum hic mutare; propterea quod, illius verbis undequaque perpensis, apparuit, rectum illis sensum sanamque interpretationem tribui posse. Neque enim ibi dicitur, ut sacramentum ministretur iis qui bene valent, seu ut ii quoque inungantur, qui ad ecclesiam se conferunt; id quod percommode intelligi potest de iis etiam, qui, licet gravi morbo affecti, possunt nihilominus ad ecclesiam vel pedibus suis accedere, vel aliorum ope deferri: ibique, ut propriae devotioni magis satisfaciant, Extremae Unctionis sacramentum sibi ministrari postulant; cuiusmodi exempla in ipsâ quoque Occidentali Ecclesiâ non desunt, uti videre licet apud Martene, *de antiquis Ecclesiae ritibus, lib. 2, cap. 7, art. 2, n. 7 et 8,* et penes Mabillonium *in praefatione ad saeculum primum, in Actis Sanctorum Ordinis Benedictini, § 9, num. 101.*

Iusta interpretatione explicantur, adiecto praesenti Monito.

§ 47. Cohaerentia sunt cum hac primâ parte tertii Moniti duo haec quae advertenda subiicimus. Primum, quod quamvis Graecis diserte vetitum fuerit Extremae Unctionis sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis et quidem gravi morbo laborantibus; iisdem nihilominus interdictum non est, quominus oleo lampadis, quod ad sanandas infirmitates in ecclesiâ asservatur,

Subiect. capax extremae unctionis Christifid. graviter aegrotans.

Inunctio benevalentis oleo lamp., ut apud Graecos in usu est, non prohibetur.

inungant energumenos aliosve, qui vel devotionis gratiâ vel ut aliquo incommodo liberentur, huiusmodi unctionem petunt; quum oleum in lampade asservatum nequaquam ab Episcopo aut sacerdote consecratum sit ad effectum utendi eo in Extremae Unctionis administratione. Haud ignoramus postulatum alias fuisse, ut Graecis permitteretur, Extremae Unctionis oleo extra gravis infirmitatis casum sese inungere, absque eo quod sacramentalis forma a sacerdote pronunciaretur, eâ scilicet ratione allatâ, quod per solam applicationem materiae sacramentum minime conferretur, quum ad id necessaria omnino sit simultanea formae prolatio. Verum nec id receptum fuit, nec recipi ullo modo potest; quum minime liceat sacramentum a Christo institutum in arbitrariam quamdam, licet piam, caeremoniam convertere; ut etiam recte observat pater de Carboneano *in Appendice ad Tractatum P. Antoine de Extrema Unctione, § 4, pag. 661:* et quamvis, pro eo quod pertinet ad Latinam Ecclesiam, Quintadvenas *in tract. 5 de Extrema Unctione, singular. 11,* asseruerit, licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes Oleum Sanctum infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur, vel tamquam abutens sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa sacramentum Extremae Unctionis, ut opportune advertit Clericatus *de Sacramento Extremae Unctionis, decis. 70, num. 32.*

Non tamen licet sacrum oleum adhibere, quamvis non proferatur sacram. forma.

Multo minus unctionem cum sacro oleo imponere sacrament. confessis in satisfactionem sacramental.

§ 48. Alterum est, quod, stante prohibitione administrandi sacramentum Extremae Unctionis extra gravis morbi necessitatem, quum iam definitum sit, satisfactionem seu poenitentiam, quae a sacerdote confessario sacramentaliter confessis imponitur, constare potissimum debere precibus, ieiuniis, et eleemosynis (quemadmodum habetur in decreto a fel. record. Eugenio PP. IV. pro Instructione Armenorum edito) (1); minime licet, poenitenti confesso pro satisfactione seu poenitentiâ imponere, ut Extremae Unctionis oleo inungatur. Invecta sane olim fuit inter Orientales huiusmodi unctio veluti mere caeremonialis, uti deprehenditur ex canone LXXIV. ex iis, qui in versione arabicâ Nicaeno Concilio tribuuntur *in Collectione Harduini, t. 1, p. 492,* ubi statutum legitur, ut si quis fidelis cum infideli muliere impudice versatus fuerit, post diuturnam peractam poenitentiam Ecclesiae reconcilietur *per aquam benedictam et Oleum infirmorum.* Exinde vero, si fides habenda est Ioanni Nathanaeli in responsione *de Moribus Graecorum* et Francisco Richardo *de Expeditione sacra, c. 12,* abusus alter inductus fuit, ut poenitentibus divitibus pro sacramentali poenitentiâ huiusmodi sacra unctio passim imponeretur: ex cuius satisfactionis usu non exigua pecuniarum retributio colligebatur. Gravissimo huic absurdo occurrere non praetermisit fel. record. Innocentius IV. Pontifex Maximus, dum in epistolâ suâ ad Tusculanum Episcopum ita scripsit § *6: Nulli per sacerdotes vel confessarios pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo iniungatur.* Hoc idem statutum legitur in Synodo apud Nicosiam celebrata, *in dict. Collect. Harduini, t. 7, pag. 1714,* nosque etiam huiusmodi praeceptum instauravimus in constitutione nostrâ: *Etsi Pastoralis, § 5, Bullarii nostri tom. I., num. 57,* videatur etiam Thiers *de Superstit., lib. 8, cap. 6.* Porro Arcudius loquens de graecis presbyteris, qui poenitenti apud se confesso sacram unctionem poenitentiae loco imponebant, asserit eos, in ipsâ unctione peragendâ sacramentali formâ uti consuevisse, idque gravibus sane verbis reprehendit, ut legitur in eius opere *de Concordiâ, lib. 5, cap. 4, § Ego praesentem.* Verum Goarius *in notis ad Euchologium, pag. 350,* negat, hanc Graecis mentem fuisse, ut in eiusmodi unctione peragendâ sacramentum conferrent: *non ita tamen ac unctio precibus adiuncta ex opere operato animae deleat infirmitates, sed, si quid possit, ex poenitentis tantum devotione, aut ex sacerdotis deprecantis caritate, idest ex opere operantis, illud valet producere.* Nihilominus praefatam qualemcumque consuetudinem ipsemet improbare non omittit, dum omnino curandum dicit, ut Graeci hac in re ita se gerant, quemadmodum docet S. Romana Ecclesia omnium Christifidelium mater et magistra; quum praefatae unctionis usu plura et gravia sequantur absurda, dum vel sacramentum Extremae Unctionis confertur bene valenti, adeoque ei qui subiectum capax huiusmodi sacramenti non est; vel sacramenti materia et forma adhibetur, ut

Caerem. inunctio cum sacro oleo quando, et quibus casibus apud Oriental. invecta.

An in ea unctione perficienda prolata fuerit sacram. forma, confectumque sacrament.

Absurda, ob quae reprobata fuit huiusmodi unctio.

(1) Quod vide in app. op. cum ceteris docum. institutioni Cong. de P. F. anterioribus.

superius indicatum fuit, absque intentione ipsius sacramenti conficiendi et ministrandi.

Sacrum Chrisma ex quibus apud Gr. conficiatur.

§ 49. Secunda pars tertii Moniti pertinet ad sanctum Chrisma; quod quidem a Graecis conficitur non oleo dumtaxat et balsamo, sed admixtis etiam aliis aromatibus. In hac autem Moniti parte unicuique videre licet, haud quidem interdictam esse huiusmodi aromatum permixtionem, sed illud dumtaxat tenendum doceri, in oleo et balsamo consistere materiam sacramenti, adeoque, si aliquod deficiat ex aliis aromatibus admisceri solitis, nihil deesse quod necessarium sit ad sacrum Chrisma conficiendum.

Apud eos nulla mentio de impositione manuum in Confirmationis sacram. ministr.

§ 50. Apud Graecos nihil praescriptum legitur de impositione manuum in administrando Chrismatis sacramento. Morinus in suo tractatu *de Confirmatione, cap. 4,* ita scribit: *ut Latini constantissime impositionem manuum unctioni coniunxerunt, sic Graeci non minus constanter alterum ab altero separarunt, soloque Chrismate in administratione istius sacramenti usi sunt; manuum enim impositionis non meminerunt nec recentia Euchologia nec antiqua.* Hoc idem constanter asserit Goarius *in Euchologio pag. 299, num. 28.* Renaudotius *in opere de Perpetuitate, tom. 5, lib. 2, cap. 12,* testatur, a pluribus retro saeculis, nullum in Ecclesiâ Graecâ reperiri vestigium impositionis manuum in conferendo sacramento Confirmationis; suaeque assertionis auctores laudat recentiores Graecos sacrâ eruditione praestantes, Simeonem Thessalonicensem, Gabrielem Philadelphium, Sirinum, aliosque. Modernus scriptor Chardon *in Historiâ Sacramentorum, lib. 1, cap. 1 de Confirmatione,* contendit quidem, prioribus saeculis in Ecclesiâ Graecâ adhibitam fuisse manuum impositionem in conferendo Chrismatis sacramento, sed tamen ultro concedit, multis ab hinc saeculis, nullum illius superesse vestigium. Denique dilectus filius Ioseph Augustinus Orsi Ordinis Praed., nunc temporis palatii nostri apostolici Magister, in dissertatione historicotheologicâ, quam olim edidit *de Chrismate Confirmatorio,* compluribus monumentis erudite congestis demonstrat, materiam sacramenti Confirmationis apud Graecos non esse manuum impositionem, sed sacrum unguentum.

Nefas tamen est asserere in Eccl. Graec. deficere Confirmationis sacram.

Nec ideo dici potest, id quod a nullis temere affirmatum fuit, non adesse in Ecclesiâ Graecâ sacramentum Confirmationis, propterea quod in eâ impositio manuum deficiat. Alioquin id sequeretur, quod nemo sibi persuaserit, tot saeculorum decursu, in tam amplâ christiani orbis parte, atque in Ecclesiâ, non minus doctrinâ quam sanctitate illustri, defecisse Confirmationis sacramentum: ut optime ad rem nostram pergit Goarius *loco cit.* « At vero tam amplam et spatiosam, tam eruditam et apostolicarum ecclesiasticarumque sanctionum tenacem christiani orbis portionem adeo exquisitum sacramentum respuisse, neglexisse, vel ignorasse, pauci, me quidem iudice, dicere attentabunt. »

Theolog. quaestion. de ritu ab Apostolis servato in ministranda Confirmatione, deque eiusdemque sacramenti materia.

§ 51. Caput hoc iniustae atque inopportunae dissensionis inter Latinam et Graecam Ecclesiam originem traxit a controversiis, quae inter nostrates theologos agitari solent. Disputant hi, utrum Apostoli sacramentum Confirmationis ministraverint per manuum impositionem, an etiam sacro Chrismate adhibito; et quidem, ut assolet, nonnulli affirmant quod alii negant. Disceptatur etiam inter eos, an sola manuum impositio sit materia huius sacramenti; nonnullis tenentibus, in eâ dumtaxat consistere sacramenti materiam, dum alii malunt in sacro Chrismate statuere materiam remotam sacramenti, proximam vero in illius applicatione, quae fit cum signo crucis ad confirmandi frontem iuxta id quod legitur in decreto pro Armenorum instructione ab Eugenio IV. Pontifice edito: *Secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiae, et balsamo, quod odorem significat bonae famae, per Episcopum benedicto.* Ubi etiam Pontifex loquens de manuum impositione, quae ab Apostolis hoc sacramentum ministrandis fiebat, ita subdit: *loco autem illius manus impositionis datur in Ecclesiâ Confirmatio.* Alii denique impositionem manuum et Chrisma simul iungunt dicentes, tam illam quam istud materiam esse sacramenti Confirmationis: sed etiam aeque ac istud materiam inadaequatam, quotiescumque seorsim considerentur; si autem simul iungantur, tunc, aiunt, in iisdem ita coniunctis materiam totalem sacramenti consistere. Caeterum ipsam manuum impositionem alii putant eam esse protensionem manuum, quam facit Episcopus versus confirmandos sub initium sacrae actionis, dum priores recitat preces; alii eamdem agnoscunt in ipso ungendi actu, quo Episcopus signat frontem illius quem confirmat, cum nequeat alicuius frons unguen-

to liniri, nisi manus eidem imponatur. Hae sunt controversiae de quibus theologi nostri disputant, et circa quas unicuique licet eam sequi partem quae magis ipsi placuerit. At nemini fas est asserere, in Ecclesiâ Graecâ non adesse sacramentum Confirmationis. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifeste obstaret vetus orientalis disciplina, quam Apostolica Sedes optime perspectam habuit, nec unquam damnavit aut improbavit, iuxta in Graecorum ritualibus libris nulla fit mentio de manuum impositione tamquam materiâ adaequatâ aut inadaequatâ sacramenti Confirmationis. Quare ad evadendum huius difficultatis labyrinthum, alio filo utendum est, quod quidem diligenter inquirenti non deerit, absque eo quod super propositione incertâ et nullibi definitâ stabiliatur reprobatio alienae opinionis et sententiae, quae defensoribus orthodoxis non caret.

Licet opinionem quamlibet sequi, dummodo non negetur adesse in Graeca Ecclesia Chrismat. sacram.

Quaestionibus sepositis, traditur quid tuto sentiendum et tenendum sit, de sacramento Confirm. in Latina Ecclesia.

§ 52. Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesiâ Latinâ Confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro Chrismate, seu oleo olivarum balsamo commixto et ab Episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronunciat. Et quidem pro iis regionibus, in quibus vera balsami species non reperitur, haud recusarunt Romani Pontifices indulgere, ut ad conficiendum Chrisma liceret uti certo quodam fragranti succo seu liquore, qui communiter pro vero balsamo accipitur, ut videre est in constitutione 180 S. Pii V. *in Bullario novo Romae edito, tom. 4, part. 3,* per quam videlicet constitutionem, Indiarum Episcopis eiusmodi indultum conceditur, et in constitut. 47 Sixti V. *eodem Bull. eodemque t. 4, part. 3,* ubi, expositâ veri balsami penuriâ ex eo potissimum proveniente, quod arbusta illa, ex quibus maior illius copia educebatur, quaeque olim in Palaestina et maxime in valle Ierichо frequentia erant, a Turcis excisa et radicitus extirpata fuerant, conceditur Archiepiscopis et Episcopis Lusitaniae, ut in conficiendo sacro Chrismate adhibere possint balsamum ex Brasiliâ aliisque novi orbis Indiarumve regionibus allatum, eâque in re Pontifex suorum praedecessorum Pii IV. et Gregorii XIII. exempla sequi se profitetur. Quorum sane Pontificum providentiam collaudat Morinus in suo opere posthumo *de Sacramento Confirmationis, pag. 35.* In Ecclesiâ Graecâ similiter Confirmationis sacramentum confertur adhibito sacro unguento, quod compositum est ex oleo olivarum et balsamo, ac insuper ex aliis fragrantium herbarum speciebus, quae sunt numero vigintitres, adiectâ quoque aliquâ vini portione. Praedictas omnes herbas odoriferas accurate enumerat Habert *in librum pontificalem Ecclesiae Graecae, observat. 5 ad Ritum Chrismatis,* et pater Berti *tom. 7 suae Theologiae, lib. 32, cap. 5,* qui tamen subdit, difficile admodum sibi videri, omnes illas herbas ab Haberto indicatas sacro unguento a Graecis infundi, quum nonnullae ex illis incognitae sint, ita ut vix aliqua earum mentio extet in lexicis et in libris auctorum, qui de plantis herbisque tractarunt. Sed quidquid sit de his, quum antiquus sit usus commiscendi has herbas oleo et balsamo, intactus relictus est ritus in Monito de quo nunc agimus, admonitis tantummodo Graecis, ne aliud quidpiam ad materiam sacramenti necessarium putent praeter oleum et balsamum; utque proinde validam agnoscant huius sacramenti ministrationem, quae fiat cum oleo et balsamo ab Episcopo rite benedictis, etiamsi aliquae forte defuerint ex illis herbis, quae, iuxta eorum ritum, in sacri unguenti compositione admisceri solent. Sapienter etiam et magnâ cum ratione in Synodo Zamosciae habitâ anno MDCCXX. animadversum fuit a patribus, § 2 *de Confirmatione,* quidquid herbarum balsamo adiiciatur, cavendum esse, *ut maxima pars Chrismatis semper sit oleum balsamo mixtum.*

Appendix ad tert. Monitum.

§ 53. Expensa iam secundâ parte tertii Moniti, nonnulla hic, appendicis loco, subnectemus, quae nec inopportuna, nec a proposito aliena iure censeri poterunt, quum et eiusdem sacramenti Confirmationis doctrinam respiciant, et ad Euchologii correctionem pertineant.

Forma sacram. Confirm. apud G. *Signaculum Doni Sancti spiritus.*

§ 54. Forma sacramenti Confirmationis in Graecâ Ecclesiâ, iuxta communem receptamque sententiam, sequentibus verbis continetur: *Signaculum Doni Sancti Spiritus;* quae verba pronunciantur ab eo, qui sacramentum ministrat, dum suscipientis fronti cum sacro unguento crucis signum imprimit; uti colligitur ex canone 7 Concilii Constantinopolitani I., *in Collectione Harduini, tom. 1, pag. 811,* utque ex illius canonis verbis recte perpensis infert Bessarion S. R. E. Cardinalis *in suo Opusculo de Eucharistiâ,* quod impressum habetur in Bibliothecâ Patrum *edit.*

Lugdunen. tom. 26, pag. 165: « Secunda Oecumenica Synodus verba, quae sacrum Chrisma perficiunt, tradens in septimo canone, ita inquit: obsignantes, hoc est sacratissimo Chrismate eos chrismantes, dicimus: *Signum Doni Spiritus Sancti:* et haec verba, secundum eos, Chrismatis sacramentum perficiunt. » Quamvis autem haec Cardinalis assertio oppugnata fuerit a Lupo *in notis ad Canonem 95 Concilii Trullani,* vix tamen erit, ut Lupi sententia plures inveniat suffragatores prae sententiâ Cardinalis Bessarionis, ut optime advertit Arcudius *lib. 2, cap. 7,* ubi, post relatum Bessarionis effatum, haec subdit: *hactenus Bessarion; quo certe, quae fiunt in Ecclesiâ Orientali circa sacramentorum administrationem, praestantius callere poterat nemo.* Arcudio consentit Goarius *in notis ad Euchologium, pag. 301, n. 31.* Item Habert *in suis notis ad Pontificale Graecorum Observat. 4, num. 2.* Et omissis aliis, qui facile cumulari possent, satis hic erit afferre, quae habentur in Synodo Zamosciae, ubi agitur de sacramento Confirmationis: « Forma, quam probata et schismate ipso antiquiora laudant Euchologia, haec est: *Signaculum Doni Spiritus Sancti, amen:* eaque semel dumtaxat simul cum ipsâ unctione proferri debet. »

Ex decreto Sancti Methodii de reconciliandi Apostatis et ex nonnullis Euchologiis, dubium ingeritur, de iteratione sacramenti.

§ 55. Celebre est in Ecclesiâ Graeca decretum S. Methodii Patriarchae Constantinopolitani, qui medio circiter nono saeculo floruit ac semper in id maxime incubuit, ut aberrantes ad sanctae unitatis gremium revocaret. In quo decreto quum illud statutum reperiatur, ut, qui ab Ecclesiâ desciverunt, deindeque ad illius sinum revertuntur, sequenti ratione recipiantur: « Oratione completâ, sacro unguento accepto secundum baptizatorum consuetudinem, illum inungit, crucis signo expresso in fronte, et oculis, et naribus, et ore, et duabus auribus, et manibus, et pectore, et scapulis, dicens: *Signaculum Doni Spiritus Sancti.* » Hinc oritur magni sane momenti difficultas, dum alterutrum dicendum videtur; aut scilicet ea verba: *Signaculum Doni Spiritus Sancti,* non esse in Ecclesiâ Graecâ formam sacramenti Confirmationis; aut in eâdem Ecclesiâ Graecâ sacramentum hoc iterato conferri iis, qui iam semel ipsum, et quidem valide susceperunt, si deinde post apostasiae crimen ad Ecclesiam reverti velint; quod sane contrarium est receptae sententiae, quae pro inviolabili regulâ habetur, ut sacramenta quae characterem imprimunt, iterari nequeant iis, qui semel valide ea susceperunt; iuxta definitionem Tridentinae Synodi *sess. 7 de Sacramentis in genere, Can. 9.* Nec quidquam prodest confugere ad supra citatum canonem 7 Concilii Constantinopolitani I., quo statuitur, ut sacro Chrismate reconcilientur Ariani, Macedoniani, Novatiani et Apollinaristae, quum ab haeresi conversi ad Ecclesiam se recipiunt. Huius namque canonis sanctio praenominatos tantummodo haereticos respicit, qui sacramentum Confirmationis aut nullo modo aut invalide conferebant. At S. Methodii decretum generale est, eosque omnes complectitur, qui post defectionem ad Ecclesiae sinum redire cupiunt. Quum autem in quibusdam Euchologiis, ubi de poenitentium reconciliatione agitur, eadem legantur praescripta, quae habentur in decreto S. Methodii, sequitur, ut eadem difficultas, quae circa decretum huiusmodi offenditur, in praeindicatis etiam Euchologiis occurrat.

Variae de eo decr. opiniones minus tutae.

§ 56. Incredibile est quantopere se torqueant scriptorum ingenia, ut propositae difficultati satisfaciant. Sunt qui asserunt, decretum illud nequaquam conditum fuisse a S. Methodio Patriarchâ Constantinopolitano, qui, ut superius innuimus, floruit anno Christi DCCCLXIII., sed ab alio quodam Methodio Patriarchâ schismatico, qui urbis regiae sedem occupabat anno MCCXL. Sed quum Goarius, *in notis ad ipsum decretum,* quas addidit ad calcem Euchologii a se illustrati *pag. 698,* testetur se complura vidisse monumenta temporibus huiusce Methodii antiquiora, quae illud ipsum decretum S. Methodio Patriarchae tribuunt; hoc satis est ad demonstrandam responsionis huiusce levitatem. Sunt alii, qui et admittunt verba illa « *Signaculum Doni Spiritus Sancti* » esse formam sacramenti Confirmationis, et agnoscunt, iuxta decretum S. Methodii, quoties apostatae conversi in unitate Ecclesiae recipiebant, eadem verba proferri debuisse, dum poenitentes sacro unguento ungebantur: sed tamen putant non ideo affirmari posse, sacramentum Confirmationis collatum fuisse iis qui iam semel illud susceperant: quum ad collationem sacramentorum necessaria sit intentio ministri, in eâ autem actione satis appareat non fuisse ministri intentionem, ut sacramentum conferret, sed ut apostatam conversum Ecclesiae reconciliaret. Hac responsione utitur Du Hamel, *Theologiae tom. 6, edit. Paris., ann. 1605, pag. 383,*

Applicat. materiae sacram. cum prolatione formae, seclusa intentione confic. sacram. nec praesumitur, nec licita est.

eamque innuunt quoque Goarius *in notis ad Euchology. pag. 598, § Verum potuisset*, Tournely *in Tractatu de Confirmatione, circa finem*, ubi ad obiecta respondet, *pag. 612 et seq., iuxta editionem Parisien.*, et Assemanus Iunior, *Codicis Liturgici lib. 3, De Confirmatione, pag. 63*. Verum aliis pluribus responsio haec non probatur, et praesertim Iuvenino, *De Sacramentis, Dissertat. 3 de Confirmatione, quaest. 7, c. 1, art. 1, § 1*, qui observat primo, nullum adduci graecum monumentum, ex quo inferri possit, eum, qui apostatam reconciliat, cum sacro unguento illum ungit et profert verba, quibus continetur forma sacramenti Confirmationis, animum habere a collatione sacramenti alienum: deinde, nequaquam recte agere, quin immo peccare ministrum, qui sacramenti materiam et formam ei applicat, qui eidem suscipiendo idoneus non est, etiamsi sacramentum ei conferre non intendat. Alii denique advertentes, priorum saeculorum monumenta testari, in Occidentali Ecclesiâ reconciliatos aliquando fuisse apostatas per manuum impositionem, fatentur quidem nunc temporis vetitum esse Confirmationis sacramentum iterato conferre iis, quibus semel valide collatum fuerit; at olim non ita se rem habuisse aiunt, proindeque concludunt, non adeo mirum videri debere, si in decreto S. Methodii, quod pertinet ad Orientalem Ecclesiam, praescribitur, ut apostatae reduces iterum sacramento Chrismatis confirmentur, quantumvis alias id ipsum valide susceperint. At minime tutum est hoc etiam systema. Quum enim nondum ex indicatis monumentis diserte testentur, apostatas receptos fuisse *solâ manuum impositione*, si quis hanc ipsam putat fuisse collationem sacramenti Confirmationis, hoc probare tenetur, solâ manuum impositione nullâque unctione adhibitâ sacramentum istud tunc temporis collatum fuisse. Si quis autem dixerit (quod aliquo etiam exemplo fulcire posset) una cum impositione manuum sacram quoque unctionem in huiusmodi poenitentium reconciliatione adhibitam fuisse, illud nihilominus, ad evincendam iterationem Sacramenti, ostendendum illi supererit, an aliqua et quaenam verborum formula proferri soleret ab eo, qui et manus imponebat et Chrismate ungebat. Marchus Rhemensis in *Tractatu de variis Capitibus Ecclesiae, cap. 18*, plures recenset species impositionis manuum. Hoc ipsum accurate praestitit auctor Glossae in *Can. Manus impositio 1, quaest. 1*. Duo celebres viri, Sirmondus *in suo Antirhetico secundo, cap. 5*, et Morinus *de sacram. Confirm., cap. 12, pag. 56*, et iterum *in Tract. de Poenitentiâ, lib. 9, cap. 9 et 10*, existimant, impositionem manuum, de qua nunc loquimur, fuisse confirmatoriam. At Petrus Aurelius contendit, eamdem in reconciliandis haereticis adhibitam meram fuisse caeremoniam, non vero alicuius sacramenti collationem. Et hanc quidem sententiam amplectuntur, Lupus *in Can. 7 Constantinopolitanum tom. 2, pag. 46 et seq.;* Arcudius *lib. 2, cap. 18;* Suarez *in 3 part. Divi Thomae, tom. 3, quaest. 72, disput. 34, sect. 1, § Unde est tertia responsio, et disput. 36, art. 11, sect. 3, § Ad rationem dubitandi*. Quapropter Witasse *in suo Tract. de Sacram. Confirmat.* post relata monumenta omnia, quae alterutri opinioni favere possunt, denique *pag. 63* utramque in suâ probabilitate relinquit; eâdemque prudentiâ se gerit auctor additionum ad Estium *in lib. 4 Sentent., dist. 5, § 16, litt. B, p. 87*.

Impositio manuum ubi non constat de unctione et prolatione formae, non probat collation. sacram. Confirm.

Meliore responsione satisfit difficultati exorta ex decr. Sancti Methodii.

§ 57. Alia itaque ineunda est ratio, ut satisfiat praedictae difficultati, quae oritur ex decreto S. Methodii et ex his, quae in aliquibus Euchologiis cohaerenter ad idem decretum adnotata reperiuntur. Et primum quidem, quod ad decretum attinet, relatum idem legitur in Annalibus ven. Cardinalis Baronii, *ad annum Christi* DCCCXLII. sed diverso plane modo ac ab aliis refertur, quemque a nobis superius conscriptum fuit. In eo enim, quod refert Baronius, minime praescriptum legitur, ut in apostatae reconciliatione proferantur verba: *Signaculum Doni Sancti Spiritus*, licet praescribatur unctio cum sacro unguento peragenda. Et quamvis adhuc legatur: *Chrismate ungantur, ut solent inungi qui baptizantur;* nihilominus (omisso etiam, quod aliqui satis verisimiliter defendunt, haec verba additilia esse, iisdemque admissis tamquam authenticis) eorum naturalis germanusque sensus is semper erit, ut in reconciliatione apostatae ungantur eaedem corporis partes, quae inungi solent quum post Baptisma Confirmatio ministratur. Cumque nihil adiiciatur de prolatione verborum *Signaculum Doni Spiritus Sancti*, evanescit vis omnis propositae difficultatis. Accedit insuper quod, quum Legati a S. Nicolao Papa I. in Bulgariam missi Confirmationis sacramentum iis contulissent, quibus iam idem a graecis

presbyteris ministratum fuerat, ob eam praecipue rationem, quod huiusmodi presbyteri facultatem a Sede Apostolicâ non obtinuissent pro talis sacramenti administratione, acerrimam adversus eos querelam instituit Photius in suis encyclicis literis, hoc illis vitio vertens, quod sacramentum Chrismatis contulissent iis, qui iam semel confirmati fuerant. « Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mentecapti audire non dubitarunt, ut illos, qui semel Chrismate uncti sunt, iterum chrismarent, excelsa denique mysteria in nugas et derisum convertentes? » Ex hoc autem aperte evincitur, S. Methodium in suo decreto minime statuisse aut voluisse, ut sacramentum Chrismatis iterato ministretur iis, qui iam antea confirmati fuerant, si forte post apostasiae crimen ad Ecclesiam redirent. Nam Photius, qui quadraginta circiter annis post mortem S. Methodii floruit, quique pravi sane animi sed doctus et cautus homo semper habitus fuit, non id Apostolicis Legatis adeo acriter obiecisset, quod sacramentum Chrismatis iterassent, si Sanctus Methodius antea decrevisset, aut eâ mente fuisset, ut apostatae ad Ecclesiam redeuntes idem sacramentum iterato susciperent; facile enim prospexisset hoc sibi responsum a Legatis redditum iri, se nihil ultra citrâve egisse, quam quod Ecclesia Orientalis ex decreto S. Methodii servare consueverat, dum aberrantes in unitatem recipiebat.

Verba ex Euchol. allegata additiția probant.

§ 58. Quod autem pertinet ad Euchologia, si in eorum aliquo praescriptum legitur, ut in poenitentium reconciliatione adhibeatur sacra unctio cum prolatione verborum: *Signaculum Doni Sancti Spiritus,* id utique tribuendum est interpolationi schismaticorum, quibus a Theodoro Balsamone persuasum fuit, ut si quis Latinus ad Graecos commigraret, huic sacramentum Confirmationis denuo conferendum esset; uti testatur Gregorius Protosyncellus in Apologiâ adversus Marcum Ephesium, *in Collectione Concil. Harduini, Tom. 9, pag. 640.* At enunciatae formulae prolatio minime praescripta reperitur in quamplurimis manuscriptis Euchologiis, quae inspexit et recognovit vir summâ fide dignus Ioannes Matthaeus Cariophylus Cydonius, quemadmodum refert Arcudius, *l. 2 de Reformat., cap. 18;* quodque magni aestimandum est, nihil eiusmodi legitur in celebri Euchologio Cryptae Ferratae. Quare in Congregationibus super correctione Euchologii habitis tam sub Urbano VIII. quam nostris hisce temporibus, nobis annuentibus, decretum fuit, ut in Euchologio, quod correctum typis edendum erat, ritus reconciliationis poenitentium ad eam plane formam exigeretur, qua descriptum legitur in Euchologio Cryptae Ferratae: id quod est factum. Quum enim in Congregatione habitâ die VII. ian. MDCCXLVIII. propositum fuisset dubium, an corrigendus esset ritus reconciliandi apostatas in unitatem Ecclesiae redeuntes ad formam in decreto Methodii traditam; animadversum fuit, unctionem eorum, qui reconciliantur, ibi quidem faciendam praescribi eo modo, quo unguntur ii qui baptizantur; sed ut in huiusmodi unctione peragendâ proferri debeant verba: *Signaculum Doni Spiritus Sancti,* id in paucis solummodo iisque recentibus Euchologiis adscriptum reperiri. Itaque in aliâ Congregatione habitâ die XVIII. sequentis mensis februarii decretum fuit: *corrigatur Euchologium impressum ad formam Euchologii Patriarchalis Cardinalis Bessarionis, nunc Cryptae Ferratae.* Factâque nobis relatione, atque omnibus per nos inspectis libratisque, decretum idem approbatione nostrâ roboratum fuit.

Pristinae integrit. restituuntur omnia.

§ 59. Agendum nunc sequitur de quarto Moniti capite, quod est de peculiaribus quibusdam immunditiis, ad quas expurgandas nonnullae benedictiones et preces in Euchologio appositae leguntur. En autem Moniti verba: « Denique sciendum, quod, si contigerit, immundum quid aut contaminatum incidere in puteum aut in aliud vas liquidi cuiuscumque, sive etiam rem immundam tangi aut manducari, sive in Ecclesiâ animal impurum gigni aut mori, sacerdotes quidem Orientalis Ecclesiae precibus et benedictionibus in Euchologio contentis, secundum ecclesiae suae consuetudinem, utuntur; nullatenus tamen intendunt observare praecepta antiquae legis, quae sunt per adventum Christi sublata, quemadmodum omnibus manifestum est. »

Quartum Monitum de quib. immunditiis et precibus ad eas abstergend. in Euchol. appositis.

§ 60. In Euchologio, cuius correctioni adlaboratum est, prout etiam in celebri Euchologio Cryptae Ferratae olim Cardinalis Bessarionis, et in aliis vetustissimis huiusmodi codicibus, oratiô quaedam legitur, in qua et commemoratur id quod in lege veteri statutum fuerat de differentiâ inter cibos mundos et immundos, deque immunditiâ legali, quam contrahebat quicumque contra interdictum legis immundum quid

Oratio de cibis mundis et immundis, quae in Euchol. legitur,

comedisset; et simul adiicitur, non posse eum, qui cibos immundos ediderit, pretiosum Corpus et Sanguinem Christi sine peccato suscipere. Id autem in causâ fuit, ut discutiendum proponeretur, num ex praedictâ aliisque similibus orationibus, seu ex his, quae in huiusmodi precibus continentur et enunciantur, iusta praeberetur occasio suspicandi, ne forte observatio caeremoniarum legalium veteris legis una cum novâ lege et Evangelio cumulari seu retineri vellet. Ut igitur deprehendatur, an suspicio haec aliquo fundamento innitatur, sequentes propositiones strictim indigitabimus, ex quibus omnia illustrentur, et propriâ in luce collocentur.

An retinenda, vel tollenda esset addubitatum, et quare?

Animadversiones ad rem recte definiendam necessar. distinct. ciborum, cæremon. fuit veteris legis præceptum, per adv. Christi sublatum.

§ 61. Prima est, caeremonias legis Mosaicae per adventum Christi fuisse sublatas et, post promulgationem Evangelii, non posse amplius absque culpa servari. Quum itaque discrimen a lege veteri inductum inter cibos mundos et immundos ad caeremonialia praecepta pertineat; hoc satis est ut asseri iure possit, nullum amplius superesse aut statui debere discrimen inter cibos mundos et immundos. Quamvis enim beatissimi Apostoli, *Actor. cap. 15,* fidelibus interdixerint, ne sanguine et suffocato vescerentur iuxta sententiam Iacobi in Concilio Hierosolymitano propositam in haec verba: « Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex gentibus convertunt ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine »; hoc tamen constat ideo tunc sancitum fuisse, ut omnis dissidii occasio inter Iudaeos et Gentiles ad Christum conversos tolleretur: quâ causâ iamdudum sublatâ, eius quoque effectus sublatus dici debet. « Item, legalia veteris Testamenti, seu Mosaicae legis caeremonias, sacra, sacrificia et sacramenta Domino nostro Iesu Christo adveniente cessasse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse. Eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia pertinere, quae surgente Evangelio transierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato illi tempori congruisse, ut inter Iudaeos et Gentiles dissensionis materia tolleretur, cuius apostolicae prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. »

Consona allato principio Pontificum et Concilior. decreta.

§ 62. Praemissa verba desumpta sunt ex professione fidei orthodoxae, quam Orientales ex praescripto Urbani Papae VIII. emittere debent, quaeque impressa fuit typis Congregationis de Propagandâ Fide anno MDCXLII. Consonat iisdem doctrina Sancti Thomae, quam is fuse tradit *1, 2, quaest. 103, art. 4 ad tertium.* Neque desunt antiquiora monumenta, quibus eadem doctrina firmatur. Siquidem S. Gregorius II. in suo Capitulari, quo instructos in Bavariam ablegavit Marinianum Episcopum et Georgium presbyterum, *cap. 7* ita loquitur: *ut nihil in perceptione ciborum iudicetur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum, quia, iuxta quod magisterio apostolico docetur, omnis creatura Dei bona, et nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Similiter S. Nicolaus I. in responsis ad Consulta Bulgarorum, *num. 43,* de animalibus mundis et immundis haec habet: « Quae animalia seu volatilia liceat manducare, quantum existimo Dominus evidenter ostendit, cum post diluvium animalia cuncta Noe tribuit et filiis eius edenda..... Itaque omne animal, cuius cibus minime corpori nocivus esse probatur, et societas hoc in cibum admittit humana, comedi non prohibetur. » Itaque in Concilio Florentino in decreto pro Iacobitis edito, *in Collectione Labbeana, tom. 13, pag. 1209,* sequentia verba leguntur: « Sacrosancta Romana Ecclesia etc. firmiter credit, profitetur et praedicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: quia, iuxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicae legis ciborum mundorum et immundorum differentiam ad caeremonialia asserit pertinere, quae surgente Evangelio transierunt..... Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana: nec inter animalia discernendum, per quemcumque sive virum sive mulierem et quocumque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiasticâ disciplinâ, possint et debeant multa non negata dimitti, quia, iuxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt. »

Potest tamen Eccles. caerem. praecepta innovare, exceptis iis, quae venturum Messiam refereb.

§ 63. Altera propositio est: Quamvis promulgato Evangelio cessarint caeremonialia praecepta veteris legis, et nullum in lege novâ extet praeceptum quo mundi ab immundis cibis secernantur, cuiusmodi erat in lege veteri, non minus tamen in pote-

state est Ecclesiae Christi, iustis concurrentibus rationibus gravibusque de causis, ut obligationem redintegret observandi aliquod ex praeceptis caeremonialibus, quae erant in lege veteri, licet in novâ, ut innuimus, abrogata sint; dummodo praeceptum non sit ex eorum numero, quae in lege veteri praecipue ordinata erant ad praefigurandum Messiam venturum; cuiusmodi patet fuisse, exempli gratiâ, Circumcisionem et animalium sacrificia, uti ad rem nostram advertit Vasquez *in 1, 2 D. Thomae, tom. 2, disp. 182, cap. 9, § Ex quibus omnibus;* sed sit ex genere eorum, quae ad externam disciplinam et corporis munditiem pertinebant, in quorum classem profecto referenda veniunt quae de cibis mundis et immundis praescripta fuerant. Id autem assumptum non minus ex Occidentalis quam ex Orientalis Ecclesiae disciplinâ, et quidem ex priorum saeculorum monumentis, comprobatur.

Religiosae priorum christianor. observantiae argumentum.

§ 64. Celebris est calumnia in primaevos illos christifideles a Gentilibus conficta, quod scilicet hominum, praesertim infantium, carnibus vescerentur humanumque sanguinem biberent. Huic causam dedit religiosa, quae tunc vigebat, Arcani disciplina, iuxta quam servato inter fideles secreto circa praesentiam realem Corporis Christi in eucharisticâ mensâ, ex qua iidem pascebantur, quum tamen subobscura quaedam mysterii notitia ad Gentilium aures pervenisset, hanc ipsi ansam arripuerunt, ut praedictam calumniam in christianos excogitarent et in vulgus spargerent, uti recte demonstrat Schelstratus in *Dissertat. de Disciplinâ Arcani, artic. unic., cap. 4, § 17.* Aeque tamen celebris est responsio, quam veteres illi apologiarum pro christianis scriptores absque secreti violatione Gentilibus reddere consueverunt dicentes, fieri nullo modo posse, ut Christi discipuli humanas carnes ederent et sanguinem biberent, quum satis compertum esset, eos ab animalium quoque sanguine et a suffocatis animalibus abstinere. Hoc argumento utitur Tertullianus *Apologetici cap. 9.* Ex hac autem responsione manifeste evincitur, temporibus illis, nimirum prioribus Ecclesiae saeculis, ciborum delectum apud christianos aliquâ ratione viguisse, eosque potissimum a sanguine et suffocato abstinuisse, ut sapienter observant Nicolaus le Nourry, *tom. 2 Apparatus in Biblioth. Patr., Dissert. 4 in Tertullianum, c. 12, art. 2,* et Pamelius *in dictum cap. 9 Tertulliani, num. 138.* Neque vero christiani illi existimabant vigentem adhuc esse eâ de re Mosaicae legis sanctionem; neque porro ignorabant, sublatum iam esse apostolicum interdictum de abstinentiâ a sanguine et suffocato, nec aliâ demum de causâ illicitas putabant huiusmodi escas; sed tamen ab iis abstinebant ex consuetudine a maioribus traditâ, quam sequi et servare maxime conveniens arbitrabantur. ***Mos itaque abstinendi a sanguine et suffocato in illis ecclesiis tanta religione servatus est, quia consuetudinem illam a maioribus acceperant, quamvis usum sanguinis et suffocati absolute illicitum esse non censerent;*** verba sunt Natalis Alexandri *Histor. Ecclesiast. saecul. 1, Dissert. 10.*

Ad quod usque tempus ea disciplina viguerit in latinis ecclesiis.

§ 65. Asserit Calmet *in suis Commentar. ad cap. 15 Actuum Apostol.* ad ea verba *et suffocato et sanguine,* in aliquibus ecclesiis latinis per plura saecula, et quidem usque ad decimum et undecimum aerae christianae saeculum, observatam fuisse distinctionem inter cibos mundos et immundos, servatamque abstinentiam a sanguine et suffocato. Et quamvis ipse assertionem hanc suam nullis probationibus ibi confirmet, comprobari tamen facile posset a quolibet in monumentis ecclesiasticis parumper versato. Etenim Canisius in lucem edidit vetus Poenitentiale Romanum, saeculo octavo labente vel nono ineunte compositum: in quo sub *tit. de Suffocatis* statuitur poenitentia ab eo subeunda, qui suffocati animalis carnem ediderit; sub titulo autem *de Laceratis,* praescribuntur poenitentiae et ieiunia iis iniungenda, qui vel piscem comederint in piscinâ mortuum, vel aquam biberint ex eo puteo in quo demortuus mus vel gallina reperti fuerint, nisi prius exhaustus omnino fuerit ipse puteus. Humbertus autem Cardinalis Silvae Candidae, qui S. Leonis Papae IX. legatus fuit, et quidem Constantinopoli cum Graecis acriter disputavit, in ipsis disputationibus huiusmodi aperte fassus est, nullam hac de re dissensionem esse inter Latinos et Graecos; siquidem adhuc in aliquibus latinis ecclesiis observabatur, non secus ac apud Graecos, abstinentia a sanguine et suffocato. « Antiquam consuetudinem seu traditionem maiorum nostrorum diligenter retinentes, nos quoque haec abominamur, adeo ut sanguine vel quocumque morticinio, aut aquis seu quacumque negligentiâ humanâ praefocato apud nos aliquando vescentibus, absque extremo periculo vitae

huius, poenitentia gravis imponatur. » Et alibi: « Nos ergo, quamvis a Domino et ab Apostolis licentiam habeamus manducandi omnia, quae nec nostrae nec fraternae saluti officiunt, consuetudine tamen provinciarum et praeceptis maiorum nostrorum hactenus detentis, devitamus comedere nonnulla, non quia mala et immunda sunt, sed quia aut nobis aliquando non expediunt, aut longo usu in naturam iam verso abhorrent. »

Apud eosdem Lat. nunc penitus absolet.

§ 66. Iam vero in latinis ecclesiis nullum amplius superest huiusmodi abstinentiae vestigium, si fidem habeamus Cornelio a Lapide *in Commentar. in Actus Apost., cap. 15, verbo Et sanguine.* Viget illa tamen vel nunc in Ecclesiâ Graecâ, quae sibi laudi duxit, apostolicum praeceptum de abstinentiâ a sanguine et suffocato retinere et custodire, quemadmodum notant praecitati Calmet et a Lapide *in d. cap. 15 Actuum Apost.*, pergitque Christianus Lupus in notis ad can. 67 Concilii Trullani: *Graeci etiam dudum postea in observantiâ istius apostolicae legis manserunt constantes:* retentâ nimirum lege praedicti canonis Trullani 67, in quo ita legitur: « Divina nobis scriptura mandavit, a sanguine et suffocato, et fornicatione abstinere. Eos autem, qui propter lautum et delicatum ventrem cuiuscumque animalis sanguinem arte aliquâ esculentum condiunt ac instruunt, atque ita illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis ergo deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, si sit quidem clericus deponatur, sin autem laicus, segregetur. » Soli autem Armeni, quod quidem sciamus, in acceptandâ unione cum Ecclesiâ Romanâ huiusmodi Graecorum consuetudinem se relinquere professi sunt. Licet enim Vartanes schismaticus iis persuasisset, ut quibusdam cibis abstinerent, quos lex Mosaica immundos pronunciavit, exceptâ solum carne suillâ, quam eis a S. Gregorio Illuminatore, primo eorum nationis Patriarchâ, concessam fuisse asserebat; eosdemque docuisset confringere vasa oleo vinoque plena, si forte musca vel aliud animalculum huiusmodi in eâ cecidisset; nihilominus in collationibus habitis ad conciliandam adeo exoptatam unionem Ecclesiae Armenae cum Romanâ, statutum fuit ut sequitur: « Patres Armeni tum Sisensis tum Adanensis Concilii, cum Romanâ Ecclesiâ suam conciliantes, approbarunt Epistolam Dogmaticam Gregorii Armeniae Patriarchae ad Regem Haytonem, ubi hebraica illa ciborum discretio his verbis refellebatur: Cibos autem immundos, praecipue qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Dei purificatos haberi iubemus, quos et orationibus benedici docuit dominus Nierses, nimirum Ghelaiensis, qui similiter Armeniae doctor et Patriarcha fuerat. » Quae omnia videri possunt apud Galanum, *tom. 2, De conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romanâ.*

Viget tamen adhuc in Ecclesia Graeca.

Armeni hac in re Latinis pleneconsentiunt.

Quomod. licita sit Graecis distinctio ciborum, ususque precum ad absterg. immund. inde contractam.

§ 67. Tertia denique propositio ea est, quae innuitur etiam in ipso capite quarto Moniti, de quo nunc agimus: videlicet minime prohibitum intelligi graecis sacerdotibus usum ullius ex precibus aut benedictionibus, quae in eorum Euchologio continentur, quantumvis respiciant pertineantque ad eas ipsas res, quae in lege veteri subiectum erant caeremonialium praeceptorum, dummodo quidquid ab iis fit, non eo animo fiat, ut veteris iam abolitae legis praeceptis pareatur, sed ut obsequium praestetur vel novae ecclesiasticae legi, vel canonicae consuetudini, diuturni et continui temporis observantiâ roboratae. Lorinus *in cit. cap. 15 Actuum Apost., vers. 20, § Si abstinent,* circa Graecorum morem abstinendi a sanguine et suffocato, haec advertit: *Si abstinent hodie Graeci a sanguine, putantes hac se lege teneri, superstitiosi sunt, quia neminem nunc ligat, et eius observatio sapit caeremonias veteris legis: si vel quod naturaliter ab eiusmodi cibo abhorreant, vel honestâ aliâ de causâ, reprehendi non debent.* Goarius autem ad Euchologium Graecorum, *in variantibus lectionibus*, ubi eam orationem expendit, quae fit *pro iis, qui prohibita et immunda comederunt,* sequentem ponit adnotationem: *Non Mosaicae sed ecclesiasticae legis studio ab immundis degustandis sibi cavent Orientales etc. Proindeque a Iudaico ritu observando, dum Ecclesiae observant traditiones, longe alienos se praestant, quidquid in adversum garriat et falso imputet Catumsyritus.* Cuius quidem audax assertio aliquid fundamenti haberet, si ad id, quod faciunt Graeci, non tam praeindicatis rationibus adducerentur, sed potius adstrictos se esse putarent ex falsâ opinione vigentis adhuc apostolici praecepti de abstinentiâ a sanguine et suffocato, quam opinionem parum feliciter tueri nititur Guillelmus Beveregius *tom. 2 Codicis primitivae Ecclesiae illustrati et*

Temer. schismat. assertio in Latinam Ecclesiam eiusque resuscitatio.

vindicati, cap. 7, num. 5. Tentarunt quidem schismatici Ecclesiam latinam veluti iudaizantem traducere, propterea quod in azymo consecret et sabbata observet, regumque unctionem inter sacros ritus retineat. At Leo Allatius in suo egregio opere *De perpetuâ Consensione Ecclesiae Occidentalis et Orientalis, lib. 3, cap. 14,* temerariam hanc illorum assertionem refellit; specialiter vero *sub num. 4* ita adversus argumentatur: *Quia Iudaei sabbata servant, qui servat sabbata Iudaeum agit: ergo qui suffocata non manducat, Iudaeum agit, cum Iudaei ex lege prohibeantur illa comedere: sed Graeci suffocata non edunt; ergo Graeci iudaizant.* Deinde *num. 9* ad rem nostram recte concludit, minime posse absolute et indistincte dici, quod is iudaizet, qui in Ecclesiâ aliquid agit et servat consentaneum et simile caeremoniis antiquae legis. « Si quis sub alium finem et commoditatem, etiam ex intentione cultus et tamquam religiosas caeremonias, non tamquam spiritu illius legis nec tamquam habentia in illâ fundamentum, sed vel ex proprio arbitrio, vel ex aliquâ consuetudine humanâ, vel ex praecepto et institutione Ecclesiae observaret, neque peccaret, neque diceretur iudaizare. Quare non semper quisquis in Ecclesiâ aliquid agit, quod cum caeremoniis veteris legis similitudinem habet, statim dicendus est iudaizare. »

Append. ad quartum Monitum.

§ 68. Quoniam vero unicuique ex tribus prioribus Monitis, de quibus in hac nostra Encyclicâ egimus, quamdam veluti appendicem addidimus; priusquam scribendi finem faciamus, huic etiam quarto Monito suam appendicem subnectere volumus, quae et ab ipsius Moniti subiecto et a correcti Euchologii editione aliena non sit.

Levitici Lex de purificat. mulier.

§ 69. In Lege Levitici *cap. 12* statuitur, ut mulier, quae masculum peperit, immunda sit septem diebus, deinde aliis triginta tribus diebus maneat *in sanguine purificationis suae;* si vero foeminam enixa fuerit, duabus hebdomadis immunda sit, et sexaginta sex diebus maneat similiter *in sanguine purificationis suae;* ita ut sanctuarium ingredi nequeat, antequam elapsum sit huiusmodi tempus; quum autem primo templum adierit, certam oblationem afferre debeat.

Non absimilis Lex viguit quoque primitus in Eccl.

§ 70. Hoc interdictum in Ecclesiâ per aliquod tempus viguisse negari nequit; legitur enim in canonibus poenitentialibus Theodori, quos refert Ivo *in suo Decreto,* quosque commemorat ven. Card. Baronius ad annum Christi CCLXVI: ***Mulier, quae intrat in ecclesiam ante mundum sanguinem post partum, si masculum genuerit, triginta tres dies poeniteat, si foeminam, quinquaginta sex. Si quae autem praesumpserit ante tempus praefinitum ecclesiam intrare, tot dies poeniteat in pane et aquâ, quot ecclesiâ carere debuerat.*** Sed neque negari potest huiusmodi prohibitionem labentibus temporibus in Ecclesiâ Latinâ abrogatam fuisse. ***Si eâdem horâ, qua genuerit, actura gratias intrat ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur:*** verba sunt S. Gregorii Papae relata etiam in Decreto Gratiani *Can. 2, dist. 5.* Subdit autem Innocentius III. in decretali: *Volens, De purificatione post partum,* (recitato prius eo textu: *Lex per Moysem data est; gratia, et veritas per Iesum Christum facta est);* mulierem puerperam, quae religionis causa ab ingressu ecclesiae aliquamdiu abstinere velit, non prohiberi; ingredientem non peccare: *nullâ proinde peccati mole gravantur, nec ecclesiarum aditus est eis aliquatenus denegandus, ne poenam in culpam convertere videamur. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.* Cumque B̃ma Virgo Maria, quantumvis in praeindicatâ Levitici lege minime comprehenderetur, nihilominus eidem se se subiicere voluerit, dum, elapso puerperii tempore, se ipsam divinumque Filium in templo praesentavit; in huius praeclarissimi facti memoriam institutus fuit ritus, qui descriptus legitur in Rituali Romano Pauli V. Pontificis iussu edito, iuxta quem mulier prolem enixa, post puerperii terminum, ad ecclesiam se confert, ubi prae foribus a sacerdote excipitur, et aquâ benedictâ cum prece aspergitur; deinde tenens extremam partem stolae eiusdem sacerdotis pergit ad altare, et coram eo genuflexa orat, gratias agens Deo de beneficiis sibi collatis. Verum haec benedictio mulieris post partum in Ecclesiâ Latinâ nullo iure praecipitur, eamque praetermittens mulier minime peccat, nisi forte id ageret per spretum atque contemptum; ut optime monet Quartus *in suo opere de Benedictionibus, tit. 3, sect. 12, dub. 1.*

Quae tamen subinde abrogata fuit in Ecclesia Latina.

Quid nunc temporis apud Lat. hac in re servetur.

Severior graeca disciplina de puerperio menstruatisque mulieribus.

§ 71. In Graecâ autem Ecclesiâ puerperii lex tamquam de praecepto religiose custoditur, nec mulier partum enixa permittitur ante praestitutum tempus ad ecclesiam accedere; quin etiam superioribus

saeculis eo severitati pervenerat Graecorum disciplina, ut menstruatas mulieres ab eucharisticâ communione repellerent, quantumvis in vitae periculo versarentur. Qua de re graviter reprehensi fuerunt ab Humberto Cardinali Sylvae Candidae, ut videre est apud Cardinalem Baronium *ad annum Christi* MLIV. Et quamvis subinde temperatus fuerit huiusmodi rigor, exclusis a sacrâ mensâ mulieribus menstruatis tunc solum quum nullo vitae periculo premerentur (quod consentaneum visum est epistolae canonicae Dionysii Alexandrini, et novellae 13. Leonis Sapientis Imperatoris); peropportune tamen huc revocanda venit animadversio praedicti Cardinalis Baronii *ad annum Christi* CCLXVI., *num. 11,* ubi observat, Dionysium in citatâ epistolâ opinionem suam tantummodo exposuisse, ut eam aliorum iudicio, et Basilidis praesertim, censurae subiiceret. *Ego non ut doctor haec scripsi, sed ut, cum omni simplicitate convenit disserere, meam sententiam in communi ederem, quam tu cum examinaveris saepissime, quod iustum meliusque apparuerit, vel etiam an sic de eis haberi existimes, rescribe.* At ex adverso, nimis perspicua est ratio per S. Gregorium Magnum adducta in suâ epistolâ, cuius partem Gratianus inseruit *Can. 4, dist. 5: Naturae superfluitas in culpam non valet imputari, et per hoc quod invite patitur, iustum non est, ut ingressu ecclesiae privetur.* Quod autem pertinet ad eucharisticam communionem, non quidem improbat S. Doctor, si mulier ab illâ ex reverentiâ se abstineat; sed, si nihilominus eo etiam tempore communicet, aperte declarat, se eam non damnare: *Si autem ex veneratione magnâ percipere non praesumit, laudanda est; sed si percipiat, non iudicanda: bonarum quippe mentium est, etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est.* Itaque Graecorum disciplina hac in parte nequaquam probatur Theophilo Rainaudo *tom. 16 illius operum,* in eo, quod inscribitur *«Heteroclita spiritualia», impress. Lugdun. pag. 33, num. 28.* Ac ipse etiam Goarius, perpetuus caeteroquin graecorum rituum fautor et defensor, *in notis ad Euchologium, pag. 270,* ultro fatetur, in nimium rigorem vergere et praeter omnem regulam invectam esse legem, quae menstruatas mulieres a sacrâ mensâ repellit: *Mitius tamen cum impuris mulieribus agendum, et naturae imbecillitas non spontaneo se onere levantes; quidquid in adversum obiectent et obtrectent Graeci etc.* Post quae verba praemissam affert auctoritatem Sancti Gregorii ex citatâ ipsius epistolâ desumptam.

Vim coactivi praecepti habet lex de puerperis, apud Graecos.

§ 72. Sed quidquid sit de mulieribus menstruatis, tam quoad earum ingressum in ecclesiam, quam circa permittendam ipsis Dominici Corporis participationem; sermonem nunc referentes ad eas, quae a partu recentes sunt, quamvis puerperii observatio in Ecclesiâ Latinâ, uti iam dictum est, non praecipiendi modo illis praescripta sit, sed mere consulendo proposita; in graecâ tamen Ecclesiâ viget praeceptum, ut ab ingressu ecclesiae abstineant, donec certus dierum numerus elapsus sit. *Obedientiam illam ex debito requirunt Graeci, Latini nonnisi ex reverentiae observantiâ:* ita Goarius loco citato, *pag. 269.* In Euchologio autem leguntur preces per sacerdotem eâ occasione recitandae; sicut etiam in eodem Euchologio describitur universus ritus, quo puerperii caeremonia completur.

Iterata huiusce disciplinae discussio, et nonnullorum de ea iudicium.

§ 73. Itaque in Congregationibus pro Euchologii correctione habitis tam sub Urbano VIII., quam nostri pontificatus tempore, de hac materiâ diligentissime actum quaesitumque fuit. Nemo sane extitit, qui expungendum proposuerit ex Euchologio puerperii ritum; fuit tamen, qui suggesserit, ut tolleretur praefinitio termini quadraginta dierum, utque aliae preces subrogarentur in locum illius orationis, quae in Euchologio legitur, quaeque nimium alludere videbatur ad immunditiam legalem, ob quam Iudaei mulieres suas quadraginta diebus post partum ab omni commercio segregabant, et a templo excludebant; quum praesertim ibi minus proprie supplicari Deo videatur in hunc modum: *Ab omni peccato et ab omni sorde perpurga etc. sordes corporis eius, et maculas animae ablue in quadraginta dierum cursu.*

Solidior probataque aliorum sententia, eiusque fundam.

§ 74. Verum, quum alii sapienter animadverterint, posse utique in novâ lege servari aliquem ex caeremonialibus ritibus antiquae legis, dummodo id non fiat tamquam in vim ipsius legis antiquae, quae evacuata est; sed morem gerendo aut legitimae consuetudini, aut novo praecepto ab eo edito, cui legislativa simul et coercitiva potestas competere dignoscatur, uti prosequitur Vasquez *cit. tom. 3 in part. S. Thomae, disp. 210, quaest. 80, art. 7,* satis id visum est, ut nemo mirari iure possit,

si puerperii observatio, latinis mulieribus consilii modo proposita, graecis pro lege praescripta inveniatur. Cumque praeterea Graeci non eâdem ratione, qua olim Hebraei, puerperii ritum adimpleant; neque enim sacerdoti obligationem iudaico more afferunt; quin potius eumdem ritum sanctificaverint per appositas preces, quibus Deus rogatur, ut mulieri peccata, si quae patraverit, dimittere dignetur, invocato in hunc ipsum finem Deiparae Virginis patrocinio: idcirco in sessione habitâ inter eos, qui a nobis, ut initio diximus, Euchologii correctioni praepositi fuerant, die VIII. ianuarii MDCCXLVII. conclusum fuit, nihil hac in parte innovari; nosque subinde huiusmodi resolutionem approbavimus. Pronum est enim, supra relatis graecae orationis verbis rectum sensum aptare, dicendo nimirum, Deum ibi rogari, ut et mulieris animam ab omni culpâ penitus emundet, et corpus etiam illius liberet ab omni immunditiâ, non quidem legali, sed naturali, quatenus spiritualem immunditiam significat; quum etiam externa corporis munditiës pars sit cultus et venerationis debitae erga ecclesias atque res sacras; quapropter prioribus saeculis ecclesias non ingrediebantur fideles, nisi prius diligenter loti fuissent, uti testatur S. Ioannes Chrysostomus; neque privatim sacrorum Evangeliorum codicem attingere audebant, quin antea manus lavissent.

Pontificis cohortat., paterni amoris referta, ad Graecos, qui novo correctoque Euchol. uti iubentur.

§ 75. Haec vobis exponenda censuimus, venn. fratres, dilecti filii, per has nostras encyclicas literas, ut et causas intelligatis, ob quas Apostolica Sedes laboriosam hanc provinciam iamdudum suscipiendam existimavit, ut Euchologii vestri correctioni manus apponeret; et vobis compertum sit, qua diligentiâ, quo studio, et quam aeque prudentique ratione susceptum opus peractum fuerit. Intacta relicta sunt omnia, quaecumque reperta sunt in iis euchologiis, quae et antiquitate et auctoritate caeteris praestant: nihil ademptum aut emendatum est, nisi quod in recentiores quasdam editiones nonnullorum oscitantiâ aut malitiâ irrepsisse apparuit; omnia retenta fuerunt quaecumque demum retineri posse visa sunt, et benigna quaevis interpretatio adhibita est, ne ritus vester aliquâ in re labefactari videretur. Ex quibus omnibus quum sinceram nostram et Apostolicae Sedis in vos caritatem testatam vobis esse non dubitamus, tum etiam illud vos intellecturos confidimus, incredibili nos studio et solicitudine urgeri, ut et vos, venn. fratres, dilecti filii, in sanctâ unione constantes perseveretis, et alii aberrantes et ad eamdem societatem et ad salutis viam aliquando per Dei gratiam revocentur. Vestrum erit in posterum correctâ hac Euchologii editione uti, ac diligenter curare, ut, si nova aliqua eiusdem editio fiat, ea ad normam huius, quae prodiit an. MDCCLIV. e typis Congregationis de Propagandâ Fide, omnibus numeris exigatur; quo interclusus sit aditus erroribus omnibus, et absurdis, quae superioribus temporibus in alias quasdam editiones irrepserunt, easque foedarunt. Hoc denique a vobis petimus, ut nos, in arduâ Ecclesiae universae procuratione laborantes, orationum vestrarum subsidio iuvetis; vobisque apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. martii MDCCLVI., pontif. nostri anno XVI.

CLXXV.

Definit quae sit auctoritas Proto-Archimandritae Rutheni Ordinis S. Basilii M. in Lithuaniâ et Poloniâ in Archimandritas, et in quibus hi subesse debeant Metropolitano, et sive ipsi sive alii monachi ad eum appellare possint; pariter, quae sit auctoritas Episcoporum in monachos qui curam animarum exercent, vel inserviunt ecclesiis cathedralibus; tandem contendentibus patronatum in Archimandrias eiusdem Ordinis, aliaque circa ipsas petentibus, indicit ut iura propria per Nuncium Apostolicum S. Sedi exhibeant, quo haec sententiam suam proferre possit.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Pontificis cura de fidei puritate ac discipl. integrit.

Super familiam Domini coelestis Patris ordinatione constituti, ad omnes nationes et gentes, quae catholicâ societate continentur, solicitudinis nostrae curas extendimus; quaeque ad religionis ac fidei puritatem et ecclesiasticae disciplinae integritatem ubique servandam pro diversâ regionum opportunitate magis proficua fore prospicimus, ea peculiari studio fovere et, quantum in nobis est, augere ac promove-

Ordinis commendatio, nec non Pont. sollicitudo de optimo illius regimine.

re non praetermittimus. Quapropter, quum satis compertum habeamus, Ordinem monachorum S. Basilii Magni apud inclytam Ruthenorum nationem, iampridem catholicae Romanae Ecclesiae inviolabili unitatis foedere iunctam, spiritualibus ecclesiarum et populorum utilitatibus eximiam operam assiduosque labores et antea semper impendisse, et adhuc laudabiliter impendere; officii nostri partes esse duximus, ad ea, per quae Ordo ipse in proprio instituto firmius consistere ac etiam felicioribus in dies incrementis augescere valeat, animum nostrum intendere, comparatisque necessariis rerum notionibus, ac saepius auditis tum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, tum aliorum Sedis Apostolicae ministrorum conciliis, complura decrevimus et constituimus, quae ad praedicti Ordinis eiusque provinciarum ac monasteriorum perpetuam stabilitatem et ordinatam tranquillitatem, nec non ad definienda et asserenda eiusdem superiorum iura et monachorum regimen ac disciplinam, magis opportuna fore, et in Domino salubriter iudicavimus.

Quanto in id praestiterit Pontifex.

§ 1. Iam enim usque ab anno Domini MDCCXLIV. pluribus praehabitis consultationibus editae a nobis fuerunt literae apostolicae, quibus initium est *Inter plures,* impressae deinde in Bullarii nostri *t. 1, p. 98,* quibus potissimum unio monasteriorum omnium praedicti Ordinis S. Basilii Ruthenorum, tam in Lithuaniâ quam in Poloniâ seu Russiâ existentium, in unam Congregationem ex duabus provinciis coalescentem, de qua unione inter ipsius Ordinis archimandritas et professores convenerat, per nos approbata et confirmata fuit: cumque superiore anno MDCCXLIII. habitum fuisset in civitate Dubnensi generale eiusdem Ordinis capitulum, sub praesidentiâ ven. fratris Athanasii totius Russiae Metropolitani, assistente etiam in eo ven. quoque fratre Georgio Episcopo Zenopolitano, quem tunc existens noster et Apostolicae Sedis Nuntius in Poloniae regno constitutus ad id subdelegaverat: huiusmodi capituli generalis deliberationes atque decreta diligenter expensa, ac per supradictas literas nostras partim approbata et confirmata, partim temperata et reformata fuerunt. Quum vero indecisa tunc temporis relicta fuerit quaestio, utrum Abbates seu Archimandritae monasteriorum praedicti Ordinis iurisdictioni Metropolitani an potius Proto-Archimandritae totius Congregationis immediate subiecti esse deberent, propterea quod opportuna documenta ad eam quaestionem dirimendam nondum allata fuerant; exhibitâ nobis postmodum huiusmodi documentorum serie, una cum copiosis allegationibus, quibus unaquaeque ex contendentibus partibus rationes et iura sua fuse deduxit; tandem die XXIII. novembris elapsi anni MDCCLV. coacta fuit coram nobis nonnullorum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregatio, cui etiam interesse voluimus venn. fratres Albericum Archiepiscopum Nicaenum almae Urbis gubernatorem, qui Apostolici Nuncii munere in praefato Poloniae regno plures annos laudabiliter perfunctus est, ac praedictum Georgium olim Episcopum Zenopolitanum nunc autem Theodosiae Archiepiscopum: quorum omnium sententiis auditis, non solum definita fuit quaestio iamdudum pendens, utrum nimirum Abbates immediatae Metropolitani vel potius Proto-Archimandritae iurisdictioni subesse debeant, opportuno quodam inito temperamento, quo et regularis disciplinae conservationi prospiciatur, et minime recedatur ab obsequio ac dependentiâ, quam Ordo S. Basilii Magni Ruthenorum erga propriae nationis Metropolitanum innumeris atque solemnibus actibus semper professus est: verum etiam alia condita fuerunt decreta, ad consulendum animarum saluti earumque spirituali curae, et ad divinum cultum promovendum, ut ex inferius afferendis perspectum fiet, maxime idonea.

Quaestio de subiectione Abbatum seu Archim. hactenus indecisa,

Sedulo praemisso examine definitur, aliaque opportuna superadduntur decreta.

Abbatum seu Archimandritarum subiectio.

§ 2. Primo itaque definitum atque decretum fuit, Abbates seu Archimandritas monasteriorum praefatae Congregationis immediatae iurisdictioni Proto-Archimandritae pro tempore existentis subesse debere; ita tamen ut unusquisque eorum, institutionem quidem a Metropolitano, installationem vero a Proto-Archimandritâ suscipere teneatur; obedientiae autem iuramentum in Metropolitani manibus praestent; cuius quidem iuramenti formula ita concepta sit, ut relationem habeat ad omnia iura, constitutiones et decreta ab Apostolicâ Sede emanata, et signanter ad ea, quae in praecitatis, quarum initium est *Inter plures,* et in praesentibus nostris literis continentur.

Iisdem ius vocis activae et passivae in capitulis tribuitur.

§ 3. Secundo statutum est, ut praedicti Abbates seu Archimandritae in posterum tam in provincialibus suarum respective provinciarum, quam etiam in generalibus universae Congregationis capitulis, activi et

passivi suffragii iure fruantur, servatis tamen ac religiose impletis iis, quae circa vocalium numerum decreta fuerunt in saepedictâ epistolâ *Inter plures;* ita videlicet, ut in designato huiusmodi numero Abbates ipsi includantur.

Proto-Archimandr. ius visitandi, et corrigendi asseritur.

§ 4. Tertio decretum fuit, Proto-Archimandritae licitum fore, Abbates regulares seu Archimandritas monasteriorum praefatae Congregationis visitare, atque etiam eos in actu visitationis huiusmodi, quoties id exigat monasteriorum utilitas, ab officio suspendere: reservato tamen suspensis iure appellandi in devolutivo ad Metropolitanum tamquam Sedis Apostolicae Delegatum; ac etiam appellandi in suspensivo ad eumdem, si forte Proto-Archimandrita in praefatâ visitatione ad alias poenas corporis afflictivas aut infamiam irrogantes contra praedictos Abbates processerit.

Extra visitation. quomodo in causis gravior. procedat.

§ 5. Quarto, si extra visitationis actum Proto-Archimandrita procedere velit adversus dictos Abbates in causis graviorum et personalium criminum, quae ex iuris praescripto depositionis poenâ, vel aliâ corporis afflictivâ aut infamiam irrogante, punienda essent; decretum fuit, id aliter ab eo praestari non posse, quam legitimo processu efformato, et una cum consultorio suo, collatis sententiis, statuendo quidquid in causâ decernendum et pronunciandum existimaverit: ab illius autem sententiâ licitum et integrum fore appellationem etiam in suspensivo interponere ad praedictum Metropolitanum tamquam Sedis Apostolicae Delegatum.

Ab illato per ipsum gravam. quomodo sibi mon. possint consulere.

§ 6. Quinto permissum fuit monachis quibuscumque, si forte gravamen sibi aliquod a Proto-Archimandritâ illatum fuisse contendant, recursum habere ad Metropolitanum tamquam praedictae Sedis Delegatum, salvâ tamen semper Apostolicae Nunciaturae eiusdemque Sedis auctoritate.

Subsidiar. monach. cooptatio ad curam animar. vel in cathedrales quomodo peragenda.

§ 7. His autem adiecta sunt alia decreta, quae animarum Christifidelium salutem eorumque spiritualem curam concernunt: quibus edicendis occasionem et causam id praebuit, quod nobis et Apostolicae Sedi innotuit, saepe contingere, ut propter penuriam sacerdotum saecularium ritus graeco-rutheni necessario cogantur eiusdem nationis Episcopi monachos praedicti Ordinis ad gerendam animarum curam evocare; ac etiam aliquando nonnullos ex iis ad inserviendum ecclesiis cathedralibus arcessere. Quod itaque spectat ad monachos animarum regimini praeponendos, decretum fuit ut, quoties e clero saeculari sacerdotes ad id muneris idonei revera deficiant, non omittant Episcopi rem cum Proto-Archimandritâ communicare, et cum ipso agere, quo sibi eos monachos concedi obtineant, qui in regimine et administratione ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, defectum suppleant saecularium sacerdotum; utque huiusmodi monachi in exercitio muneris sibi concrediti Episcopis ipsis subiecti esse debeant, eisque rationem reddere de iniuncti sibi officii administratione: ita ut quicumque regulares ad animarum curam et sacramentorum administrationem, ut supra, assumpti fuerint, in iis, quae ad utrumque huiusmodi ministerium pertinent, immediatae Episcoporum iurisdictioni, visitationi et correctioni subesse debeant; nunquam vero animarum curam suscipere possint, nisi antea opportunam eorumdem Episcoporum approbationem obtinuerint, quam quidem hi, praevio eorum examine circa idoneitatem, si id necessarium et expediens esse iudicaverint, ipsi elargientur. Si autem aliquos ex monachis ad inserviendum ecclesiis cathedralibus assumi contingat, hos etiam decretum fuit, in iis, quae ecclesiarum huiusmodi servitium divinumque cultum respiciunt, praedictorum Episcoporum iurisdictioni subesse debere.

Episcop. in eos iurisdictio.

Iterata praedictorum confirmatio.

§ 8. Quas quidem omnes resolutiones, ut supra, captas, nos tunc approbavimus; et nunc iterum, praeviâ confirmatione supra citatae constitutionis nostrae *Inter plures,* quoad ea omnia, quae iisdem resolutionibus hucusque relatis contraria non sunt, praesentium literarum nostrarum tenore eas approbamus et confirmamus, atque omnimodae executioni mandari volumus et statuimus.

Novae propositae instantiae definitio ob res incompert. ampliatur.

§ 9. Quum vero, post praemissarum quaestionum examen atque definitionem, expositum nobis fuerit, nonnulla extare monasteria, gubernari olim solita per Abbates, qui inibi ad nominationem carissimi in Christo filii nostri Poloniae Regis, Magni Ducis Lithuaniae pro tempore existentis, seu etiam aliorum inferiorum patronorum, constituebantur, eaque nunc a superioribus et monachis provinciae Lithuaniae in simplices superioratus conversa fuisse; nobisque proinde supplicatum fuerit, ut huiusmodi monasteria in pristinam abbatiarum dignitatem restitui, ac debita patronatus iura super illis, tum regiae maiestati tum aliis inferioribus patronis, illaesa manere

iuberemus; providentes praeterea, ut quoties huiusmodi abbatias vacare contingat, earum administratio ad Metropolitanum deferatur seu ad Ordinarium loci, in cuius dioecesis finibus monasteria ipsa consistunt, donec legitima per patronos praesentatio expleta fuerit; nos, qui ex unâ parte certam atque distinctam de praemissis scientiam non habemus, ex aliâ vero promptos atque paratos nos esse profitemur ad ius suum unicuique reddendum, omnibus et singulis, qui in huiusmodi negotio ius aliquod sibi competere seu quavis ratione id sua interesse putabunt, denunciamus ac respective iniungimus, ut fundamenta iurium, quae super qualibet ex supradictis abbatiis sibi asserunt, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio distinctim exhibeant: eidem vero nunc et pro tempore existenti Apostolico Nuntio committimus, ut monumenta omnia, quae tum ab iis, qui huiusmodi monasteriorum patronatum sibi vindicare intendant, tum ab aliis, qui eorumdem libertatem propugnare conentur, sibi fuerint exhibita, ad nos et Sedem Apostolicam transmittat, ut, omnibus visis atque perpensis, sive a nobis, sive a successoribus nostris Romanis Pontificibus, tam circa asserta nominandi seu praesentandi iura, quam super vacantium huiusmodi abbatiarum et monasteriorum administratione, prout iustum fuerit, definiatur et opportune provideatur.

Atque interim opportuna colligi transmittique documenta praecipit.

Fides asseritur exemplis.

§ 10. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis, etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die XXX. martii MDCCLVI. pontificatus nostri anno XVI.

CLXXVI.

In ecclesiis et nosocomiis Ordinis fratrum Bethelemitarum concedit unum altare privilegiatum, per Ordinarios locorum designandum.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

§ 1. Salvatoris Domini Nostri Iesu Christi aeterno Patri consubstantialis et coaeterni, qui pro redemptione generis humani de summo coelorum solio ad huius mundi infima descendere, et carnem nostram ex utero B. Mariae semper Virginis assumere et in Bethelem Iuda nasci dignatus est, vices, licet immeriti, gerentes in terris, et eius exempla sectantes, animabus Christifidelium defunctorum in purgatorio existentibus, quae per caritatem Deo unitae ab hac luce decesserunt et piorum suffragiis iuvari meruerunt, opportuna de thesauro Ecclesiae auxilia subministrare studemus, ut illae, quantum Divinae Bonitati placuerit, adiutae ad coelestem patriam facilius pervenire valeant.

§ 2. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas, Ordinis Fratrum Bethelemitarum etiam in dicti Ordinis nosocomiis ubique existen., in quibus aliud altare privilegiatum perpetuum, seu ad tempus nondum elapsum ab hac Sancta Sede forsan reperitur concessum, quod per praesentes auctoritate apostolica revocamus, et in ea qualibet ex dictis ecclesiis et quolibet nosocomio situm altare per Ordinarios locorum semel tantum designandum hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus dilecti filii moderni praefecti generalis dicti Ordinis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, sive alterius Ordinis, Congregationis et Instituti regularis, sacrosanctum Missae sacrificium ad praedictum altare per Ordinarios locorum repective semel tantum specificandum, ut petitur, in dictis ecclesiis et nosocomiis existen. pro anima cuiuscumque Christifidelis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; itaut eiusdem Domini Nostri Iesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus.

§ 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae muni-

tis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III. aprilis MDCCLVI., pontificatus nostri anno XVI.

CLXXVII.

Confirmat Decretum Congregationis Consistorialis, quo fuit declaratum, sub constitutione Innocentii PP. XII. super capitulationibus Sede Vacante initis comprehendi etiam monasteria et collegia utriusque sexus, necnon eadem constitutione prohiberi quascumque pactiones et capitulationes, etiam per se honestas et licitas.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Pont. cura in iis confirmandis quae provide sunt constituta.

Pastoralis regiminis sollicitudo ex alto nobis immerentibus commissa exigit, ut non solum curemus novas leges, si quando rerum conditio aut necessitas postulat, concedere; sed etiam ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris provide ac salubriter constituta sunt, apostolicae confirmationis robore communire.

Decretum Congreg. Consistor. refertur.

§ 1. Alias siquidem a Congregatione rebus consistorialibus praeposita emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet: « Cum san. mem. Innocentius PP. XII. per constitutionem editam die XXII. sept. MDCXCV. quae incipit *Ecclesiae catholicae* (1), innovatis etiam pluribus aliorum praedecessorum Pontificum sanctionibus, districte

---

(1) In constitut. Innoc. XII. *Ad hoc unxit Deus* ed. MDCXCII. die XXIII. octobris, pontif. a. II., agitur de suppressione venalitatis quorumdam officiorum Camerae; in praesenti cit. a Bened. XIV. interdicuntur conventiones in providendis ecclesiis seu monasteriis, cum innovatione quarundam constitutionum simili de re, ac adiectione novarum poenarum.

INNOCENTIUS PP. XII.

ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini, meritis licet imparibus, divinâ dispositione praesidentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, sive ad illicitorum ac praesertim ecclesiasticae libertati adversantium iuramentorum abusum tollendum, sive ad quamcumque avaritiae labem a personis in sortem Domini vocatis, quas non quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, quaerere maxime convenit, excludendam, prudenti salubrique consilio, ac illo, qui secundum scientiam est, zelo constituta et ordinata esse noscuntur, apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus, novisque praesidiis, ut serventur exactius, constabilimus, ac aliàs desuper concessae nobis a Domino potestatis partes studiosâ charitate interponimus, sicuti ecclesiarum omnium, quam gerimus, sollicitudo postulat, nosque, omnibus maturae considerationis trutinâ perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam, rectam ac felicem ecclesiasticarum rerum directionem, necnon animarum pretioso unigeniti Dei filii et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum salutem, expedire in Domino arbitramur.

A Nicolao III. interdicta fuere, et nulla declarata iuramenta circa impossibilia, illicita et ecclesiasticae libertati contraria.

§ 1. Dudum siquidem [postquam felicis recordationis Nicolaus PP. III. praedecessor noster (accepto in nonnullis ecclesiis de earum consuetudine observari, ut, cum earum praelati ad ecclesias ipsas primo accederent, vel cum de recipiendis ibidem novis canonicis ageretur, nec praelatos admitti, nec canonicos aliter recipi in iisdem ecclesiis, nisi iurassent statuta et consuetudines ipsarum ecclesiarum scripta et non scripta inviolabiliter observare; inter laicos quoque multarum civitatum, castrorum et terrarum eum consuetudinis morbum in suis potestatibus, rectoribus vel officialibus assumendis irrepsisse, ut ipsi potestates, rectores et officiales ad eiusmodi potestarias, rectorias et officia nullatenus admitterentur, nisi prius se statuta ipsorum locorum clausa servaturos similiter iurassent; in statutis vero ac consuetudinibus supradictis interdum aliqua reperiri illicita sive impossibilia vel ecclesiasticae libertati obviantia), ne sub tali generalitate iurandi sic iurantibus peccandi occasio praeberetur, animarum periculis obsistere cupiens, salubri suâ ac generali constitutione praeceperat, a quibuscumque, scientibus contineri in praedictis consuetudinibus et statutis illicita, impossibilia vel libertati ecclesiasticae obviantia, iuramenta huiusmodi nullo modo praestari; ac praeterea decreverat talia iuramenta, eâ intentione facienda vel facta ut etiam illicita vel impossibilia seu ecclesiasticae libertati obviantia observarentur, cum etiam sub tali intentione praestari non possent absque divinae maiestatis offensâ, in huiusmodi illicitis, impossibilibus, seu libertati ecclesiasticae obviantibus non servanda; quin potius pro animarum salute, si sub formâ praefatâ vel simili aliquos ignorantes praedicta illicita seu impossibilia vel libertati ecclesiasticae obviantia iurare contigisset, ad observanda dumtaxat licita, possibilia et libertati ecclesiasticae non obviantia iurantium intentionem referri debere; declarans insuper iuramenta sub huiusmodi generalitate qualitercumque et sub quacumque verborum formâ praestita vel praestanda, ad licita, possibilia ac ecclesiasticae libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipsosque iurantes ad alia per praestationem iuramenti huiusmodi non teneri] recolendae memoriae Gregorius Papa XIII. etiam praedecessor noster per quasdam suas desuper sub plumbo expeditas litteras, quarum initium *Inter apostolicas, etc.*, praedictam Nicolai praedecessoris constitutionem, itidemque alias omnes canonicas sanctiones de abusu et reprobatione iuramentorum huiusmodi promulgatas innovavit, voluitque, eas ubique ab omnibus, etiam quoad praeterita, inviolabiliter observari: praeterea praecepit et interdixit praelatis, canonicis et aliis supradictis, necnon ecclesiarum capitulis et monasteriis, ceterisque conventibus, civitatum quoque, castrorum et terrarum communitatibus et personis quacumque dignitate praeditis, ne ulla omnino iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel libertati ecclesiasticae aut decretis Concilii Tridentini obviantia, sive ante sive post electiones, confirmationes, privationes, receptiones, admissiones, aut alios actus,

A Greg. XIII. innovata fuit constitutio Nicolai III.

Innoc. PP. XII. constitut. vetat Sede vacante quascumque capitulationes contra sacros Can. ante electionem initas.

interdixerit, ne, occurrente ecclesiarum sive monasteriorum quorumvis vacatione, pactiones ullae, sive capitulationes, aut concordata, aut statuta, adversus sacrorum Canonum et apostolicarum Constitutionum dispositionem, ab iis, ad quos personarum praeficiendarum electio pertinet, ante electionem vel postulationem fiant; et, ubi nihilominus inita fuerint, ea prorsus irrita et invalida, nec observanda esse, etiamsi

---

ubicumque ac quocumque tempore, etiam praetextu cuiusvis consuetudinis quantocumque (*) tempore observatae, quae potius corruptela esset censenda, sive in genere sive in specie praestare, reddere vel exigere, neve super praestitis, redditis vel exactis eousque quempiam in iudicio vel extra illud inquietare auderent quoquo modo vel turbare: ac illos, qui iuramenta illicita, impossibilia, damnosa, vel ecclesiasticae libertati aut decretis dicti Concilii obviantia exigere contendissent, Episcopos quidem et alios quoscumque pontificali dignitate praeditos, a divinis suspendit; capitula vero et conventus, eorumque ecclesias, et loca omnia interdicto ecclesiastico supposuit; ac singulares personas excommunicationis sententiâ innodavit, inhabilesque fecit ad obtenta et alia obtinenda eo ipso, sibique et Romano Pontifici pro tempore existenti relaxationem suspensionis et interdicti necnon absolutionem ab excommunicationis sententiâ huiusmodi perpetuo reservavit: decernens, eos, qui tale iuramentum scienter praestitissent, usu et commodo rei ac gratiae, cuius causâ iurassent, eo ipso privatos esse; alios vero ignorantes ad praestitorum iuramentorum huiusmodi observationem minime teneri: et aliàs, prout in praefatis Gregorii praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Sed antea Pius V. omnes in electionibus sacris pactiones improbaverat.

§ 2. Porro, antequam litterae huiusmodi emanassent, similis memoriae Pius Papa V. etiam praedecessor noster, eiusmodi Concilii Tridentini decretis (quibus, ne quidquam, quod in usus pios non convertatur, in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel aliâ provisione, sive admissione ad possessionem alicuius cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum, aut praebendarum, vel partem proventuum, seu ad distributiones quotidianas, quoquo modo persolvi possit, strictissime prohibetur) inhaerens, suam hac in re constitutionem ediderat tenoris qui sequitur, videlicet:

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Durum nimis et incommodum arbitramur, quod ecclesiarum ministri, in iis quae ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca, cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei avaritiae pravitatem, editas antehac sanctiones minime satis esse intelligimus, novae constitutionis subsidio cogimur providere.

Concilium Tridentinum, sess. XXIV., cap. XIV., mandavit Episcopis ut pravas consuetudines et statuta aliquid recipiendi in provisione beneficiorum reiicerent. (**)

§ 1. Cum itaque alias ex plurium ecclesiarum cathedralium et collegiatarum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligeretur ut, in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicuius cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum aut praebendarum vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas, certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponerentur, licet sancta synodus, haec detestata, mandaverit, Episcopis ut quaecumque huiusmodi, quae in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscerent, et illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas et scandalosas reiicerent; eos vero qui, adversus praedicta, quavis ratione commisissent, poenis contra simoniacos editis teneri decreverit; multorum tamen indomita cupiditate, tam praedicta quam alia ad beneficium et commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur.

Hic Pont. modo revocat consuetud. et constitutiones huiusmodi;

§ 2. Quare nos, pro divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiusque consulendum fore rati, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, consuetudines et statuta quarumcumque ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum ac maiorum necnon collegiatarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica aut alio quovis praesidio munita, ac etiam supra hominum memoriam et longissimo ac quantocumque tempore, etiam continuo, observata, sive pro solvendis ecclesiarum vel praelatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis, etiam maioribus, maximis et urgentissimis, causis concessa et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa et moderata, quod, vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis et officiis, fructus ac etiam quotidianae distributiones, ex eis primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri, mensae episcopali seu capitulari aliove loco integre vel partim remaneant seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios canonicos et personas ecclesiae seu capituli dividantur. Quodque nullus, etiam apostolica auctoritate provisus, in canonicum recipi, aut ad dignitatem seu portionem, beneficium vel officium admitti, vel alias in eius possessionem induci possit, nisi prius de observandis huiusmodi privilegiis, consuetudinibus et statutis iuramentum praestiterit, et obtentae illorum derogationi ac fructuum et distributionum perceptioni renunciaverit, seu capitulo et personis praedictis cesserit, seu (ut appellant) dulciaria aut quid aliud praestiterit; quorum omnium tenores, causas et effectus habemus praesentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus et aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires et effectum de cetero non habere.

Poenasque aliquid recipientibus imponit.

§ 3. Praecipimus igitur et interdicimus omnibus Episcopis, capitulis, collegiis et personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus aut distributiones huiusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, neve ipsorum cessionem vel renunciationem aut dulciaria vel alia quomodocumque petant vel exigant, aut quemquam, sive ordinaria sive apostolica auctoritate provisum, ad praestandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi praedicta non facienti possessionem impediant vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si ecclesiarum Antistites, tamdiu a pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem

---

(*) *Edit. Main. legit* quantumcumque.

(**) *Vide etiam sess.* XXI., *cap. 18, et const. Iulii II.* Cum tam divino *etc.*

Quae vero post elect. facta fuerint, iubet iudicio subiici Romani Pontificis.

iuramento munita fuissent, declaraverit et decreverit; quae vero post electionem seu postulationem fieri contingeret, ea ad Romanum Pontificem deferri, eiusque iudicio subiici, suspensa interim eorum executione, donec a Sede Apostolica impetrata fuerit confirmatio, praeceperit, prout in memorata constitutione uberius continetur; dubitatum vero fuerit, primo, an sub ea comprehendantur etiam monasteria foemi-

---

Apostolicam suspensio relaxetur; capitula vero et collegia quaecumque ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi praestita iuramenta non tenere, nec quemquam illis obligari; quinimmo iurantes in huiusmodi censuram incidere; necnon irritum et inane quidquid secus super his per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Declaratio praedictorum.

§ 4. Et nihilominus statuimus ut ubicumque huiusmodi fructus et distributiones fabricae vel sacristiae aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; decreto praedictae synodi ac constitutione felicis recordationis Ioannis Papae XXII., quae incipit *Suscepti*, et aliis iuribus hac de re disponentibus nihilominus alias in suo robore duraturis.

Alia declaratio.

§ 6. Ceterum per praedicta non intendimus illis praeiudicare capitulis, collegiis, mensis aut personis, fructus et distributiones, inter vacationem beneficiorum et eorum collationem sive possessionis apprehensionem, provenientes ex statuto, consuetudine vel privilegio huiusmodi percipientibus vel retinentibus, quo minus ipsi illos interim ut antea exigere valeant et habere.

Fides transumptorum.

§ 7. Postremo volumus ut praesentium exempla, etiam impressa, etc.

Sanctio poenalis.

§ 8. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo septuagesimo, kalendis iunii, pontificatus nostri anno v.

Causae huius constitutionis.

§ 3. Cum autem, sicut non sine gravi animi nostri dolore ex quamplurium ac praesertim nonnullorum venerabilium fratrum Archiepiscoporum et Episcoporum ad apostolatum nostrum delatis querelis accepimus, adeo creverit tam salutarium legum transgressorum impudentia, ut non desint, qui, sive avaritiae, quae est idolorum servitus, improbo affectu, sive ambitioso ecclesiasticorum graduum cupiditatis consilio ducti, hominibus trepide paciscentibus fidem habentes, et tamen Deo veraciter promittenti minime credentes, sacras ipsas electiones, quas sanctissimi Ecclesiae canones omni pravâ pactione submotâ peragi tam districte praecipiunt, illicitis, iniustis, ac per tot apostolicas sanctiones reprobatis conventionibus per electos, quicumque illi sint, observandis, quibus canonica praesulum iurisdictio, ut plurimum, circumscribitur, vacantium ecclesiarum iura laeduntur, ac ipsius etiam Apostolicae Sedis auctoritas interdum violatur, temere inquinare satagant, atque ita abominationem desolationis in sanctuarium invehere, sacrasque Ecclesiae dignitates, ad quas olim nonnisi ex persecutionis tolerantiâ ascendebatur, in turpem quaestum ac tenebrarum negotium commutare minime vereantur, non sine gravissimâ ecclesiasticae disciplinae perturbatione, fidelium scandalo, ac salutis animarum detrimento:

Iste Pontifex statuit ut in rubrica.

§ 4. Hinc est quod nos, qui libertatis, iurisdictionis, aliorumque iurium ecclesiasticorum assertores in terris a Domino constituti sumus, omniumque Christifidelium curam supernâ dispositione gerimus, abusus quoscumque circa praemissa introductos e medio tollere, illisque in futurum omnem ansam praecidere, necnon animarum periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habitâ super iisdem praemissis cum particulari Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, qui rem mature discusserunt, diligenti deliberatione, de illorum consilio pariter et assensu, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula praemissa a praefatis Nicolao, Pio et Gregorio praedecessoribus constituta, ordinata, interdicta, decreta et respective declarata, ut praefertur, expeditasque (*) desuper illorum constitutiones seu litteras supradictas, tenore praesentium perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illisque perpetuae atque irrefragabilis apostolicae firmitatis robur, patrocinium et praesidium adiicimus.

Adiectio novarum poenarum.

§ 5. Praeterea, ut eadem praemissa firmius atque inviolabilius de cetero observentur, ultra omnes et singulas poenas in iisdem constitutionibus seu litteris impositas, privationis dignitatum, canonicatuum et praebendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, et, quoad regulares, etiam vocis activae et passivae, ac graduum, munerum et officiorum quorumcumque per eos respective obtentorum, perpetuaeque inhabilitatis ad illa et alia similia vel dissimilia quaecumque in posterum quomodolibet obtinenda poenas, per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendas, adiungimus.

Prohibitio conventionum ante provisionem ecclesiarum seu monasteriorum sub praedictis poenis, et provisiones nullae declarantur.

§ 6. Porro, ad penitus extirpandum atque evellendum abusum capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum seu statutorum quorumcumque, quae perperam ac adversus sacrorum et canonum et constitutionum apostolicarum dispositionem, occurrente ecclesiarum quarumlibet praesertim cathedralium, metropolitanarum, seu monasteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio personarum idonearum ipsis ecclesiis seu monasteriis ad electionem huiusmodi respective praeficiendarum iuxta privilegia et indulta apostolica eis desuper concessa aut aliâs legitime spectat, sive ante sive post electionem praedictam interdum iniri, condi aut fieri consueverunt, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, earumdem tenore praesentium, omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae vel dignitatis fuerint, sub eisdem omnino poenis superius expressis, quarum absolutionem seu relaxationem nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus, districte prohibemus et interdicimus, ne capitulationes, pactiones, concordata seu statuta huiusmodi ante ipsam quidem electionem seu etiam postulationem de cetero inire, condere

---

(*) *Male edit. Main. legit* expeditas quae *pro* expeditasque.

Dubitat. an sub ea constit. comprehendantur etiam monasteria foeminarum et collegia utriusque sexus.

narum, vel capitula, seu collegia, quae iuxta nonnullarum provinciarum consuetudinem, sunt mixta ex maribus et foeminis, sub unius abbatissae seu praepositae sive priorissae regimine; secundo, an praedicta constitutio eas etiam afficiat pactiones, quae in ecclesiarum vel monasteriorum ipsorum utilitatem cedunt, vel quae alioquin, si per se spectentur, non iudicantur illicitae.

Et an etiam non illicitæ pactiones prohib. censuit congregat. praedicta, monasteria seu collegia praedicta compr.

§ 2. Hinc ad tollendas huiusmodi dubitationes et animarum pericula tutius submovenda, Congregatio particularis consistorialis, a Sanctissimo Domino nostro deputata, censuit, si Sanctitati suae videbitur,

---

aut facere audeant quovis modo seu praesumant; illaque proinde, quatenus de facto contra praesentis nostrae prohibitionis formam inita, condita seu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribusque et effectu penitus et omnino vacua, ac nullius roboris et momenti esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum seu cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri aut obligatum existere vel fore, decernimus et declaramus.

Declaratio circa conventiones post dictam provisionem factam.

§ 7. Quae vero electione seu postulatione huiusmodi secutâ quomodolibet iniri, condi seu fieri contigerit, ad nos seu eumdem Romanum Pontificem pro tempore existentem quamprimum deferri, atque ita nostro et Sedis Apostolicae iudicio subiici praecipimus, suspensâ interim eorum omnium et singulorum executione, donec et quousque ab eâdem Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, apostolicae confirmationis robur in totum vel in partem receperint.

Rem circa conventiones ante præsentem constitutionem initas.

§ 8. Ceterum per praesentes non intendimus ea, quae antehac contra supradictarum Nicolai, Pii et Gregorii praedecessorum, seu forsan aliarum apostolicarum constitutionum seu litterarum formam quomodolibet gesta fuerunt, ullatenus approbare, nec poenas eâ de causâ per transgressores incursas remittere vel condonare.

Clausulae.

§ 9. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquis, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis existant, et aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iuridicâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensûs, aliove quolibet etiam quantumvis magno et substantiali, ac incogitato et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos iuris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris vel facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare posse, sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis praefatae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 10. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum et monasteriorum quorumvis, et illorum Ordinum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem ecclesiis, monasteriis et Ordinibus, illorumque praesulibus, capitulis, abbatibus, aliisque superioribus et personis quibuslibet, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ac plenissime et amplissime derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque; aut si praefatis vel aliis quibuslibet communiter vel divisim ab eâdem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Harum publicatio.

§ 11. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campiflorae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari; sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. septembris MDCXCV., pontificatus nostri anno V.

declarandum et decernendum, sub praemissa Constitutione Innocentii XII. eiusque omnibus praescriptionibus, etiam quoad inflictas poenas, omnino comprehendi etiam monasteria vel capitula, seu collegia mixta ex utriusque sexus personis, regimini vel iurisdictioni unius abbatissae, seu praepositae, sive priorissae subiectis, ac de eiusmodi etiam monasteriis, capitulis sive collegiis praefatam constitutionem esse intelligendam, proinde ac si de iis quoque expressa, et specialis mentio habita fuisset: adeoque pactiones, capitulationes, concordata, seu statuta quaecumque huiusmodi, occasione electionis personae praedictis monasteriis, sive capitulis et collegiis praeponendae, tum facta, tum quae deinceps fieri contingeret, tametsi interposita iurisiurandi religione roborata, omnino obnoxia esse et fore prohibitioni, nullitati, poenae, caeterisque omnibus et singulis ordinationibus, decretis et declarationibus respective in ea, ut praefertur, constitutione contentis, et, quatenus opus sit, ad huiusmodi etiam monasteria vel capitula, sive collegia mixta ex utriusque sexus personis, praefatam constitutionem esse extendendam.

Et prohiberi licitas etiam pactiones si ante electiones fuerint initae;

§ 3. Praeterea, cum valde ecclesiasticae disciplinae intersit omnem ambitiosae cupiditati aditum praecludere ac providere, ne ullo modo etiam indirecte, laesa remaneat libertas eligendi personas magis dignas magisque idoneas, quae assentiri forsan recusarent iis pactionibus, quibus aliae minus idoneae, ad obtinendum electionis commodum, annuerent; similiter declarandum et decernendum censuit, memorata constitutione affici eas etiam pactiones, ante electionem vel postulationem initas, quae caeteroquin ecclesiis ipsis vel monasteriis utiles sint, vel quae intrinsecus et per se consideratae, nullam mali suspicionem redoleant, sed quae ideo malae sunt, quia iure humano, et per sacros canones, sive apostolicas constitutiones, ac praesertim illam Innocentii XII. interdicuntur.

Si vero post, Sedis Apost. iudic. esse subiiciendas.

Quo vero ad eas, quas post electionem vel postulationem fieri contingeret, servandam itidem esse memoratam Innocentii XII. constitutionem, ut scilicet illae statim ad summum Pontificem deferantur, et Sedis Apostolicae iudicio subiiciantur, suspensa interim earum executione, donec ab eadem Sancta Sede, sine cuius auctoritate nihil omnino in similibus pacisci fas est, confirmationis robur in totum vel in partem obtinuerint. Facta autem per me infrascriptum praefatae Congregationis secretarium de praemissis relatione SSmo Domino nostro, eiusdem Congregationis sententiam Sanctitas Sua approbavit; atque ita ab omnibus, ad quos pertinet, perpetuo et inviolabiliter servari et iudicari mandavit, cum omnibus etiam derogationibus praefatae Constitutioni Innocentii XII. insertis; nec non literas apostolicas in forma Brevis super praesentis decreti confirmatione et approbatione expediri iussit.

Datum Romae, hac die xvi. augusti MDCCXXVII.

P. Cardinalis Corradinus.

Dominicus Rivera
dictae Congreg. Secretarius.

Loco † sigilli

Hoc decr. apostol. auctoritate roborat

§ 4. Huiusmodi autem tam providum, ac salubre decretum, quo firmius subsistat et servetur exactius, tenore praesentium, apostolica auctoritate approbamus et confirmamus, ac de novo, quatenus opus sit, statuimus et innovamus, atque illud ab omnibus cuiuscumque ordinis, gradus, status ac dignitatis, in perpetuum servari et custodiri praecipimus et mandamus: decernentes, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari: quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Et illius perpetuae firmitati consulitur, non obstantib. quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv. iulii MDCCLVI., pontificatus nostri anno xvi.

CLXXVIII.

Iosepho S. R. E. Cardinali Spinelli facultatem facit, subscribendi et proprio sigillo muniendi scripturas cuiusque generis, mandata etc. ad contractus et negotia quaevis spectantia quae fiant ex S. Congregationis praescripto.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

Cum bo. mem. Sylvius Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis Valenti nuncupatus, alias a nobis ad mandata et alias scripturas, quae et quas de ordine et mandato Congregationis venn. fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae in universum mundum Fidei praepositorum pro tempore quomodolibet fieri contigerit subscribendum, proprioque sigillo muniendum deputatus, diem vitae obierit extremum; nos pro nostrâ vigilantiâ, negotiorum ac bonorum et rerum dictae Congregationis, ne aliqua propterea patiantur detrimenta, fecili directioni et progressui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes, ac de singulari ven. fratris nostri Iosephi Episcopi Praenestini S. R. E. praedictae Cardinalis Spinelli nuncupati fide, prudentiâ et integritate plurimum in Domino confisi, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, eidem Iosepho Episcopo Cardinali, ut quaecumque mandata et alias scripturas quovis nomine nuncupatas, tam ad quasvis pecuniarum summas percipiendas, exigendas et levandas, necnon solvendas et exbursandas, quam haereditatum et legatorum acquisitiones, Locorum Montium et aliorum bonorum emptiones, et quosvis alios contractus ac negotia cuiusvis generis, qualitatis et speciei concernentia ac concernentes, quae et quas de ordine et mandato dictae Congregationis pro tempore quomodolibet fieri contigerit, subscribere et proprio sigillo munire libere et licite, vitâ suâ durante, possit ac valeat, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, facultatem concedimus et impertimur. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos spectat, inviolabiliter observari: sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus litteris san. mem. Gregorii PP. XV. praedecessoris nostri super applicatione annulorum ipsius S. R. E. Cardinalium eidem Congregationi factâ sub die XXII. iunii MDCXXII. expeditis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibusvis dictae Congregationis decretis in contrarium praemissorum quomodolibet emanatis. Quibus omnibus et singulis eorum omnium tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLVI., pontif. nostri anno XVII.

CLXXIX.

Patriarchae Graeco-Melchitae significat approbationem constitutionum Monachorum, ut supra; ab eoque postulat ut curet ne ea Congregatio ab aliquo vexetur, sed ut tranquille iuxta easdem constitutiones Deo famuletur (1).

Venerabili fratri Cyrillo Patriarchae Antiocheno Gaecorum Melchitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Constitutiones Ordinis S. Basilii Magni, quas dilecti filii Abbas generalis, necnon abbates et monachi Congregationis sub invocatione S. Ioannis Baptistae de Soairo sibi, iuxta constitutionem nostram super ritibus Graecorum Melchitarum de monachorum et monialium disciplinâ die XXIV. mensis decembris anno MDCCXLIII. editam, quae incipit, *Demandatam caelitus humilitati nostrae,* concinnarunt, postquam dilectus filius noster Fortunatus S. R. E. Cardinalis Tamburinus unus ex Congregatione Propagandae Fidei praepositâ accurate examinatas a nobis pariter approbari et confirmari posse censuit; nos per alias nostras in simili formâ Brevis literas inviolabili apostolicae firmitatis patrocinio munivimus.

(1) Ex Bul. de P. F. collatum cum Reg. Vatic.

Quoniam autem tibi prae caeteris, ven. frater, magis compertum exploratumque est, quos inter populos tam fraternitas Tua quam reliqui dilecti filii Christifideles orthodoxi habitare et vivere teneamini, nimirum vel infideles, vel haereticos, vel schismaticos, orthodoxae fidei cultoribus semper infensos infestosque; tuum igitur esse, sicut probe intelligimus, ita te, venerabilis frater, maximopere rogamus et poscimus, ut omnem operam studiumque adhibeas, ne eadem Congregatio a quibuslibet vexetur, sed ut in religiosâ pace ac tranquillitate iuxta easdem Constitutiones altissimo Domino famulari pergat, et ad repositam in coelo legitime laborantibus coronam a iusto aeternoque remuneratore Deo donandam consequantur laudatae Congregationis alumni. Interim tibi, ven. frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLVI., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXX.

Missionariis Ordinis Carmelitarum in Insulis Americanis Francorum Regi subiectis degentibus facultatem ad XX. *annos concedit dispensandi nigros neophytos in gradibus consanguinitatis et affinitatis, illosque absolvendi qui in iis gradibus iam contraxerint* (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

§ 1. Ut dilecti filii fratres Ordinis B. Mariae de monte Carmelo, missionarii degentes in Insulis Americanis Guadalupae, Mariagalante, S. Dominici, S. Christophori, et adiacentibus dominio carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis Christianissimi subiectis a suis superioribus deputati, iniuncta sibi munera ad christifidelium illarum partium utilitatem, adiuvante Domino, facilius exequi valeant; ex commissi nobis coelitus sacrosancti apostolatus officio providere cupientes de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in totâ Republica Christiana Generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum consilio, fratribus missionariis praefatis, cum nigris neophitis earumdem insularum tum indigenis tum advenis in quocumque vel quibusvis consanguinitatis vel affinitatis gradibus a iure divino non prohibitis, primo tamen excepto et in eodem primo, etiam rectae lineae, affinitatis ex copula illicita resultantis, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, auctoritate apostolicâ gratis dispensandi et eos qui in primo affinitatis gradu huiusmodi matrimonium, etiam scienter, contraxerint, ab excessibus et excommunicationibus aliisque censuris et poenis ecclesiasticis eâ de causâ incursis, in foro conscientiae tantum gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam et suscipiendam legitimam decernendi, facultatem, ad viginti annos tantum duraturam, donec interim in illis partibus aliquis Episcopus constituatur, dictâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

§ 2. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dicti Ordinis subscriptis et sigillo dilecti filii Generalis Ordinis praefati vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. septembris MDCCLVI., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXI.

Privilegia a praedecessoribus concessa alumnis sinensibus collegii apostolici Sinensium Neapoli existentis, ad alumnos in provinciis Turcarum dominio inge-

(1) Ex Arch. S. Cong. de Prop. Fide.

nitos et in collegio receptos et recepturos extendit (1).

BENEDICTUS PP. XIV.
ad perpetuam rei memoriam.

Seminaria et collegia maximo cum orthodoxae fidei et catholicae religionis incremento ac praesidio instituta eo maiori apostolicae benignitatis et providentiae studio adaugere, nos in sacrosancti apostolatus specula, meritis licet imparibus, constitutos decet, quo maiorem in dies inde orthodoxis populis in via mandatorum Dei per christianae pietatis et sanae doctrinae exempla dirigendis afferri utilitatem non sine maxima animi nostri laetitia experimur. Quamobrem oblatam nobis quamcumque ad eadem seminaria et collegia amplificanda et provehenda opportunam occasionem libenter arripere gestimus, et omnes apostolicae auctoritatis nostrae partes conferre satagimus.

§ 1. Quoniam autem, sicut pro parte dilecti filii Ianuarii Fatigati presbyteri ac moderni superioris congregationis et collegii sub invocatione sacrae familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitanae nobis expositum fuit quod alias fel. rec. Clemens Papa XII. praedecessor noster, postquam per quasdam suas in simili forma brevis die VII. aprilis MDCCXXXII. institutum congregationis et collegii huiusmodi approbaverat, regulasque confirmaverat per alias suas itidem in pari forma brevis die XIV. martii MDCCXXXVIII. expeditas literas de tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio privilegia a rec. itidem me. Urbano Papa VIII. praedecessore quoque nostro alumnis et convictoribus Congregationis de Propaganda Fide concessa, et in quibusdam eiusdem Urbani praedecessoris literis contenta ad tunc et pro tempore existentes collegiales collegii sacrae familiae Iesu Christi civitatis Neapolitanae sinenses, et ad eos, qui ex regionibus Indiarum advenerint, extendit atque eisdem concessit, ut ipsi absque literis dimissorialibus suorum Ordinariorum, et etiam sine titulo beneficii ecclesiastici, sed ad titulum tantum missionis a quocumque quem maluerint catholico Antistite ad quatuor minores etiam unico festivo vel feriato, nec non etiam ad sacros et presbyteratus ordines tribus dominicis seu aliis festivis et continuis vel interpolatis diebus etiam extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoverentur in primo quoque suscepto ordine, se minime exercuissent aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non fuerint, dummodo tamen essent aetatis legitimae, nec eis aliud canonicum obstaret impedimentum et haberent literas testimoniales rectorum aut eorum apud quos educarentur et instruerentur, promoveri et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, ita tamen ut quotiescumque contigeret aliquos ex iisdem Sinensibus et Indis ad ordines promoveri debere, antequam e collegio dimitterentur, dictus pro tempore existens superior, si sedes archiepiscopalis Neapolitana esset plena, teneretur eos dirigere cum attestationibus de illorum baptismate, vita, moribus et in scientiis profectu ad pro tempore itidem existentem Archiepiscopum Neapolitanum, quatenus vero idem Archiepiscopus quacumque ex causa illorum ordinationem peragere non valeret, liberum esset dicto pro tempore existenti collegii praedicti superiori illos ad quemcumque catholicum Antistitem gratiam et communionem supradictae Sedis habentem pro ordinibus suscipiendis dirigere, servata in reliquis praedictarum memorati Urbani praedecessoris literarum forma et dispositione, et alias prout in eiusdem Clementis praedecessoris literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Et subinde nos monasterium abbatiam nuncupatum Sancti Petri de Eboli Salernitanae dioecesis collegio huiusmodi auctoritate apostolica perpetuo univimus et incorporavimus, reservatis super illius fructibus, reditibus et proventibus una cum pluribus pensionibus annuis usque ad summam quingentorum ducatorum monetae regni Neapolis pro persona seu personis per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nominanda seu nominandis, quam quidem pensionem annuam anno MDCCXLIX. auctoritate apostolica ad fa-

(1) Ex originali in tabul. Collegii servato. Vide vol. I., pag. 173 et vol. II., pag. 431, 488, 490.
In appendice operis vide constit. Clem. XII. *Pro suprema* die XIV. martii MDCCXXXVIII. dat., qua indulget alumnos Collegii ordinari posse ad titulum missionis, quamque suo non retulimus loco, quippe nondum ipsam, tunc temporis, in tabul. Collegii nobis fas fuerat invenire.

vorem dicti collegii delevimus, hoc tamen adiecto onere, ut a dicto collegio praeter memoratos Chinenses et Indos octo pueri in provinciis dominio Turcarum ingeniti in collegiales semper reciperentur, et admitterentur, et admitti ac recipi deberent, ac proinde ipse Ianuarius superior indultum huiusmodi ad favorem dictorum Sinensium et Indorum concessum ad collegiales in dominio Turcarum ingenitos per nos extendi et ampliari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 2. Nos igitur ipsum Ianuarium superiorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auditis consilio et sententia venerabilis fratris nostri Iosephi Episcopi Praenestini S. R. E. presbyteri Cardinalis Spinelli nuncupati dictae Congregationis praefecti, et venerabilis fratris Nicolai Archiepiscopi Rhodien. eiusdem Congregationis secretarii, indulta et privilegia a memorato Clemente praedecessore sinensibus et indis collegialibus collegii huiusmodi suscipiendi praesertim minores et sacros ordines extra tempora absque literis dimissorialibus ad titulum missionis concessa ad ceteros collegiales memorati collegii sacrae familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitanae in provinciis dominio Turcarum subiectis ingenitos in dicto collegio pro tempore existentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium, servata in omnibus et per omnia forma et dispositione dictarum literarum Clementis praedecessoris extendimus et ampliamus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae idem Clemens praedecessor voluit in suis literis praedictis non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII. decemb. MDCCLVI., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXII.

Confirmatis praedecessorum dispositionibus circa processus inquisitionis in qualitates eorum, qui consistorialiter promovendi sunt ad regimen cathedralium, statuit quaesita pro diversis ecclesiis ad processum efformandum super eos, qui a Cong. de P. F. praeficiendi sunt ecclesiis ab eius iurisdictione dependentibus (1).

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Prooem. Providentiae Pont. circa ea, quae a praedec. san-

Gravissimum apostolicae procurationis ministerium, quod a supremo pastorum Principe Iesu Christo per ineffabilem divi-

---

(1) Ab initio sui pont. Bened. XIV. sequenti constitut. erigebat congregationem particularem super promovendis ad Archiep. et Episc. quam hic perutile referre existimamus.

BENEDICTUS PAPA XIV.

servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam.

Sollicitudo Pontificis pro delectu episcoporum, iuxta mentem Concilii Tridentini.

Ad apostolicae servitutis onus, nullis licet nostris opitulantibus meritis, clementissimo divinae mentis consilio nuper provecti, statim cogitare coepimus, quam vere meritoque Tridentini Concilii patres edixerint, nihil magis Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut Romanus Pontifex sollicitudinem ex sui muneris officio universae Ecclesiae debitam potissimum in id impendat, ut bonos maxime atque idoneos pastores singulis ecclesiis praeficiat, neque erretur in electione eorum, qui tamquam lucernae super candelabrum positae lucere debent omnibus, qui in domo Dei sunt, ne alioquin totius familiae Domini statum et ordinem luctuose nutare contingat, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite. Urgebat nos quoque, angebatque plurimum eiusdem sacri generalis Concilii gravissima Romano Pontifici proposita consideratio, videlicet, dominum nostrum Iesum Christum de eius manibus requisiturum sanguinem ovium suarum, quae ex malo negligentium, et officii sui immemorum pastorum regimine perierint.

Erectio Congregat. particularis, cuius consilio hac in re uti statuit.

§ 1. Cupientes itaque tanto huic negotio, quod ad Episcoporum creationem spectat, quantum fieri possit, tutius salubriusque consulere, praeter ea, quae iam circa id, tum per memorati Concilii decreta, tum per praedecessorum nostrorum constitutiones, sapienter statuta sunt, congregationem particularem tenore praesentium erigimus, instituimus et specialiter deputamus, cuius consilio hac in re et nos uti volumus, et Romanos Pontifices successores nostros usuros itidem esse in Domino confidimus. Huic autem Congregationi quinque (neque enim pauciores aut plures censuimus expedire) ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, pietate, doctrina, prudentia, rerumque usu praestantes, nuper a nobis nominatos, adscribimus, eiusdemque Congregationis secretarium dilectum filium auditorem nostrum deputamus.

Onus Congregationis probandi digniores et aptiores

§ 2. Porro huius Congregationis partes erunt, omni studio atque opera adhibita, et quovis humano respectu posthabito, nobis assistere, ut, iuxta enixum desiderium nostrum ad patriarchales, pri-

cita sunt pro iis, qui ad pastorale munus sunt promovendi.

nae bonitatis suae abundantiam imbecillitati nostrae impositum est, et praeclara apostolicae providentiae ratio a fel. record. Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris inita, servata ac tradita, iure ac merito a nobis quoque exigunt, ut illa, quae ipsi Romani Pontifices praedecessores quomodolibet, ac praesertim pro formâ ac dispositione promovendorum ad pastorale ecclesiarum in infidelium partibus existentium populumque fidelem habentium regimen statuerunt, sive novâ confirmatione, quo firmius subsistant et serventur exactius, sive pro rerum vicissitudine novis praescriptionibus et additamentis indigeant, de novo deinceps approbare, et apostolicae au-

---

qui ad episcopatus promoveri possint.

matiales, archiepiscopales et cathedrales ecclesias regendas assumantur viri, morum integritate, sacra doctrina, rerum ecclesiasticarum peritia, zelo domus Dei, et vero salutis animarum studio praediti, quique non ad propria commoda, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria sese vocari intelligentes, nec quae sua sunt, sed quae Iesu Christi quaerentes, ministerium suum, iuxta venerabiles beatorum patrum et sacrorum canonum sanctiones, laudabiliter sint impleturi, ita ut, pro vacantium ecclesiarum qualitate et conditione, omnino digniores et ad eas fructuose gubernandas eligantur aptiores, quales semper, adiuvante Domino, a nobis electum iri intendimus et speramus. Quocirca cum eadem Congregatione communicaturi sumus de quibus viris ad episcopatum promovendis mentem nostram subierit cogitatio, necnon de documentis ad eorum qualitates et merita spectantibus.

Et requirendi secreto ab Episcopis et superioribus regularibus, an et qui episcopatu digni habeantur.

§ 3. Et ne diutius Pastoribus careant ecclesiae, si post earum vacationem quaerantur, qui ad eas promoveri merito possint; volumus et mandamus, ut statim quidem post editam hanc nostram constitutionem, ac deinde unoquoque biennio, per Cardinalem praefatae Congregationis praefectum scribatur diversorum locorum Episcopis iuxta a nobis traditam designationem, praecipiendo eis nomine nostro, et sub secreti lege, et eorum conscientias districte onerando, fideliter referant, diligenti investigatione praemissa, an, et qui, sive saeculares, sive regulares sacerdotes in eorum dioecesi, vel in propinquis locis existant, quos episcopali muneri idoneos, secundum Deum existiment, explicando singulorum originem, natalia, aetatem, anteactae vitae institutionem, ecclesiasticarum functionum exercitium, gradus, quos obtinuerint, officia, quae obierint, doctrinam, pietatem, prudentiam, ceterasque animi dotes, quibus quisque valeat. Epistolae vero, quas hac de re Episcopi rescripserint, secreto asservabuntur, ut quotiescumque alicui ecclesiae de novo Pastore providendum fuerit, absque mora resumi valeant, indeque facile et expeditum sit recognoscere, quinam viri digniores, ac vacanti ecclesiae congruentiores iudicari possint a nobis. Et quoniam ii, qui in aliqua regulari familia vitam ducunt, cognosci penitus possunt, et solent ab eorum superioribus, tam generalibus, quam provincialibus, ipsos quoque sub eodem secreti vinculo interrogari ad praemissum effectum volumus.

Tum suggerendi Sanctissimo, occurrentibus vacationibus.

§ 4. Praeterea, cum primum alicuius ecclesiae vacatio innotuerit, auditor noster certiores de ea faciet memoratos quinque Cardinales, ut et ipsi de viris tali ecclesiae utilius praeficiendis, nobisque suggerendis, cogitare specialiter possint, peculiaremque investigationem pro eorum prudentia adhibere: quod quidem praecipue, et a nobis ipsis fiet. Deinde vero, quanto citius fieri poterit, habenda erit congregatio, cui antedicti quinque Cardinales una cum auditore nostro interfuerunt, ibique perpensis omnibus qualitatibus et meritis virorum, quorum notitia, vel a nobis ipsis, vel per antedictas Episcoporum epistolas, vel per investigationem a dictis Cardinalibus factam, accepta fuerit, deliberandum erit quid consilii dandum nobis sit, ut auditor noster referre deinde ad nos possit quicquid praedicti Cardinales in eum finem nobis duxerint significandum. Quod si alicuius viri conditiones nondum satis exploratae visae fuerint in una congregatione, differenda in alteram erit consultatio, ut interea per opportuna media accuratior indagatio fieri valeat.

Item examinandi causas translationum.

§ 5. In hac etiam congregatione a nobis, ut praefertur, deputata, agendum deinceps esse decernimus de Episcopis ab una ad alteram ecclesiam auctoritate nostra transferendis; debita nimirum maturitate examinando, num graves, legitimae, sacrisque canonibus probatae interveniant causae, quae huiusmodi translationem suadeant, inspecta dumtaxat ecclesiarum necessitate vel utilitate, ad quam profecto causae omnes illae reducuntur: ne alioquin, ob inconsultam facilitatem, cupiditas et ambitio eorum qui forsan ad ampliores ecclesias aspirarent, aut ditiores, foveretur, simulque via aperiretur spiritualibus incommodis, quae gregibus obvenire ex crebra pastorum mutatione consueverunt. Eiusdem vero Congregationis consilium postea itidem ad nos per eumdem nostrum auditorem erit referendum, ut determinari a nobis possit quicquid magis expedire iudicabimus.

Indicitur secreti custodia.

§ 6. Utque haec omnia in antedicta Congregatione liberius perfectiusque adimpleantur, secretum ad instar illius, quod pro negotiis ad sanctam Inquisitionem pertinentibus servatur, singulis praedictis Cardinalibus, nec non auditori nostro iniungimus; cum facultate tamen communicandi de rebus ad ipsam Congregationem spectantibus, sub simili secreti lege, cum uno cuiusque ipsorum auditore, sive studiorum adiutore, et uno amanuensi, nec non cum iis, quos iisdem de rebus interrogandos vel consulendos censuerint, ad assequendas notitias in eum scopum conducentes, quosque eidem pariter secreto obnoxios esse debere statuimus.

Commonitio ad eos qui aliquod ius habent, vel operam praestant, in promotionibus Episcoporum.

§ 7. Confidimus vero etiam omnes eos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque ius quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant (nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando), ob oculos assidue habituros, in eorumque animo semper haesuram (prout et hactenus factum pro ipsorum pietate ac religione putamus) commonitionem illam adeo ponderosam, quam praedictum Concilium Tridentinum censuit inculcandam, videlicet, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores, et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, et ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint.

Sanctio constitutionis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, constitutionis, decreti, statuti, hortationis et monitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo, sexto decimo kalendas novembris pontificatus nostri anno I.

ctoritatis praesidio, quatenus opus sit, munire aliisque pontificiae benignitatis documentis et statutis ampliare et augere satagamus et adnitamur.

Constit. hac de re edita a Greg. XIV. atque etiam instructione ab Urbano VIII. et Clemen. XI. pro confic. in promovendos processu evulgatae.

§ 1. Sane post provida ac salutaria decreta Concilii Tridentini super iis, qui ad cathedrales ecclesias promoveri deberent, fel. record. Gregorius PP. XIV. praedecessor noster, qui dum in minoribus esset eidem Tridentino Concilio interfuerat, statim apostolicas suas sub plumbo expeditas literas dedit. In ipsis certe omnia ad huiusmodi negotium opportuna ac necessaria continentur. Porro, quo clarius ad praxim eadem ab ipso Gregorio praedecessore statuta reducerentur, iussu recol. mem. Urbani PP. VIII. itidem praedecessoris nostri anno MDCXXVII. ex typographiâ Camerae Apostolicae prodiit in lucem Instructio particularis circa conficiendos processus inquisitionis in qualitates eorum, qui promovendi sunt ad regimen cathedralium aut aliarum superiorum ecclesiarum vel monasteriorum, ad hoc ut in dictis processibus conficiendis serventur sacri canones et concilia generalia, praesertim Tridentinum et constitutio fel. rec. Gregorii PP. XIV. super formâ processuum conficiendorum sub dat. idibus maiis MDXCI. pontificatus sui anno I. (1). Hanc autem Instructionem alia quoque subsequuta fuit, quae in Congregatione particulari nonnullorum Romanae Curiae praelatorum deputatâ a fel. pariter rec. Clemente PP. XI. itidem praedecessore nostro et de nobis meritissimo, atque in aedibus bon. mem. Iosephi eiusdem S. R. E. Cardinalis Sacripanti, tunc temporis Congregationi de Propagandâ Fide Praefecti, die IX. mensis octobris anno MDCCXVI. habitâ, maxime vertitur, cum adveniente casu vacationis, ac proinde provisionis, earum ecclesiarum, quae sunt in partibus infidelium et nihilominus habent populum fidelem, processus promovendorum ad huiusmodi ecclesias plerumque difficulter in hac almâ Urbe nostrâ confici possit.

Pro Eccl. quae sunt in partibus infid. haud facile, quae in illis instr. decreta sunt, praestari possunt.

§ 2. Verum cum ecclesiae, quae sunt in partibus infidelium et populum habent fidelem, proponantur in Congregatione de Propagandâ Fide, et consentaneum sit, ut quantocius de iisdem provideatur, ne diutius pastore careant cum spirituali animarum detrimento; atque etiam cum processus super statu ecclesiarum meritisque eligendorum, iuxta laudatam utramque Instructionem, difficulter in Urbe confici possint, et experientiâ compertum sit, huiusmodi processus longius protrahi, si alicui Episcopo in illis partibus immoranti committantur; eapropter nos pro apostolicâ omnium ecclesiarum solicitudine nobis iniectâ a pastorum Principe Iesu Christo, cuius supremas vices in terris plane immerentes gerimus, primum quidem apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, utramque Instructionem, tum Urbani tum Clementis praedecessorum nostrorum, quae hisce praesentibus pro insertis haberi volumus, confirmamus, atque in iis, quae infra dicenda sunt quatenus adversentur et opus sit, derogamus et derogatum esse statuimus; deinde vero decernimus et mandamus, ut ad omnes et singulos venn. fratres Antistites transmittantur Interrogatoria in hisce nostris praesentibus literis inserta. Praeterea praecipimus, ut responsiones ipsi Antistites reddant, easque suâ manu subscribant, ac proprio sigillo obsignent. Insuper iubemus huiusmodi responsiones asservari in Archivio eiusdem Congregationis de Propagandâ Fide, ut quoties vacatio alicuius ecclesiae contigerit, loco processus super illius statu exhibeantur. Denique volumus ac statuimus, ut cum novus Episcopus vel Archiepiscopus possessionem ecclesiae susceperit, ad ipsum mittantur praedicta Interrogatoria, quibus, ut supra, respondebit; ex quo colligi possit, utrum spatio temporis aliqua mutatio intervenerit.

Eaedem instruct. confirm. et approbatae subiiciuntur tamen quae loco processus satis haberi debeant, super statu eccles. in partibus infidel.

Interrogatoria super statu ecclesiarum Albaniae, Macedoniae, Serviae, Bulgariae, Persidis et Armeniae.

I. In qua provinciâ sit civitas etc. cuius situs, qualitatis, et magnitudinis sit; quot confletur domibus et a quibus Christifidelibus inhabitetur; cuius dominio in temporalibus subiaceat?

II. An in illâ civitate sit ecclesia cathedralis vel metropolitana; sub qua invocatione; cuius structurae et qualitatis; aut aliquâ reparatione indigeat?

III. Si est ecclesia archiepiscopalis, quot Episcopos suffraganeos habeat et qui sint; si vero est episcopalis, cui Archiepiscopo sit suffraganea?

(1) Urbani VIII. instructionem *Si processus* vide suo loco vol. I., pag. 92, quam in nota sequitur Gregor. XIV. const. *Onus apostolicae servitutis* super eligendos ad regimen cathedralium.

IV. An in dictâ ecclesiâ cura animarum exerceatur; per quem; an sit in eâ fons baptismalis, ac servetur sacrosancta Eucharistia publice; an vero privatim cum lampade, necnon olea sacra cum decentiâ?

V. An habeat sacrarium sufficienter instructum cum sacrâ supellectili, ceterisque rebus ad divinum cultum, et etiam ad pontificalia exercenda necessariis; et coemeterium, in quo catholicorum corpora solummodo sepeliantur?

VI. An sint in eâ corpora vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum; et quomodo asserventur?

VII. An habeat domum pro Archiepiscopi vel Episcopi habitatione, ubi, et qualem, quantum distet ab ecclesiâ; et an reparatione indigeat?

VIII. Qui sit verus valor redituum mensae archiepiscopalis vel episcopalis; ad quam summam annuatim ascendant, et in quibus consistant?

IX. Quot existant in illâ civitate ecclesiae parochiales; et an unaquaeque habeat fontem baptismalem; quot item in illâ existant beneficia ecclesiastica, legata pia, et confraternitates? Quinam ibi sint regulares, et an conventus formatos habeant aut hospitia?

X. Quantum sit ampla dioecesis, quot et quae loca amplectatur; et quot in singulis locis existant familiae catholicae?

XI. An et quantum catholicae Religionis exercitium, sacramentorum administratio, divinique verbi praedicatio a gubernatoribus infidelibus permittatur?

XII. Quot sacerdotes saeculares indigenae et exteri sint in dioecesi; et quot clerici sint studiorum causâ in aliquo collegio vel seminario?

XIII. An sit magister aliquis, qui iuventutem in literis et rudimentis fidei instituat?

Interrogatoria super statu ecclesiarum Maris Aegei.

I. In qua provinciâ sit civitas etc., cuius situs, qualitatis, et magnitudinis sit; quot conficetur domibus; et a quibus Christifidelibus inhabitetur; cuius dominio in temporalibus subiaceat?

II. An in illâ civitate sit ecclesia cathedralis vel metropolitana; sub qua invocatione; cuius structurae et qualitatis; aut aliquâ reparatione indigeat?

III. Si est Ecclesia archiepiscopalis, quot Episcopos suffraganeos habeat, et qui sint; si vero est episcopalis, cui Archiepiscopo sit suffraganea?

IV. Quot et quales sint in dictâ Ecclesiâ dignitates, canonicatus et alia beneficia ecclesiastica; quis sit numerus omnium presbyterorum et clericorum inibi in divinis inservientium; quae sit dignitas maior post pontificalem; quales sint reditus dignitatum, canonicatuum, et aliorum beneficiorum; et an adsint praebenda theologalis et poenitentiaria?

V. An in eâ cura animarum exerceatur; per quem; an sit in eâ fons baptismalis?

VI. An habeat sacrarium sufficienter instructum sacrâ supellectili caeterisque rebus ad divinum cultum et etiam ad pontificalia exercenda necessariis, chorum, organum, campanile cum campanis et coemeterium?

VII. An sint in eâ corpora vel aliquae insignes reliquiae Sanctorum; et quomodo asserventur?

VIII. An habeat domum pro Archiepiscopi vel Episcopi habitatione, ubi, et qualem; quantum distet ab ecclesiâ; et an reparatione indigeat?

IX. Qui sit verus valor redituum mensae archiepiscopalis vel episcopalis; ad quam summam annuatim ascendant; in quibus consistant?

X. Quot existant in illâ civitate ecclesiae parochiales, et an unaquaeque habeat fontem baptismalem; quot monasteria virorum et mulierum; quot confraternitates, et hospitalia; et an ibi sit Mons Pietatis?

XI. Quantum sit ampla dioecesis; quot et quae loca amplectatur; quot in singulis locis existant familiae catholicae; an et quantum catholicae Religionis exercitium, sacramentorum administratio, divinique verbi praedicatio a gubernatoribus infidelibus permittatur?

XII. Quot sacerdotes saeculares indigenae et exteri sint in dioecesi; et quot clerici sint studiorum causâ in aliquo collegio vel seminario?

XIII. An sit magister aliquis, qui iuventutem in literis et rudimentis fidei instituat?

Quid in processu super qualitatibus promovendi servandum sit, praescribitur.

§ 3. Qui ad huiusmodi ecclesias promovendi sunt, si Romae adfuerint vel in Italiâ, processus super qualitate personae conficiatur. Si vero extra Italiam morentur, ac duo testes in Urbe sint, qui possint de illis ferre testimonium, tunc idem processus super qualitate personae minime prae-

termittatur. Quod si praedicti testes non adsint, tunc sufficiens habeatur iudicium eiusdem Congregationis, quae illum a summo Pontifice eligendum consuluit.

Interrogatoria super qualitatibus promovendi.

I. An cognoscat promovendum, quomodo, a quo tempore citra: an is sit eiusdem promovendi consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, aemulus, vel odiosus?

II. An sciat in qua civitate vel loco et dioecesi promovendus sit natus; et quae sit causa scientiae?

III. An sciat, ipsum esse natum ex legitimo matrimonio, atque honestis et catholicis parentibus; et quae sit causa scientiae?

IV. An sciat cuius aetatis sit, praesertim an expleverit annum trigesimum; et quae sit causa scientiae?

V. An sciat eum esse in sacris ordinibus constitutum; quibus, a quo tempore citra, praesertim an ante sex menses; et quae sit causa scientiae?

VI. An sciat, eum esse in ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum susceptorum diu versatum, in susceptione sacramentorum frequentem et devotum; et quae sit causa scientiae?

VII. An sciat, eum semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse; et quae sit causa scientiae?

VIII. An sciat, eum praeditum esse innocentiâ vitae bonisque moribus, et an sit bonae conversationis et famae; et quae sit causa scientiae?

IX. An sciat, eum esse virum gravem et prudentem, et usu rerum praestantem; et quae sit causa scientiae?

X. An sciat, eum aliquo gradu in iure canonico, vel in sacrâ theologiâ insignitum esse; quibus in locis; quanto tempore, et quo fructu ipsi theologiae vel iuri canonico operam dederit; et an vere eâ doctrinâ polleat, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere; et quae sit causa scientiae?

XI. An sciat, eum aliquo munere aliquando functum esse, vel circa curam animarum aut regimen alterius ecclesiae se exercuisse; quomodo in eis se gesserit tam quoad doctrinam quam quoad prudentiam, integritatem, et mores; et quae sit causa scientiae?

XII. An sciat, eum aliquando publicum aliquod scandalum dedisse circa fidem, mores, sive doctrinam; vel aliquo corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad ecclesiam cathedralem promoveri; et quae sit causa scientiae?

XIII. An eum idoneum esse existimet ad bene regendam ecclesiam cathedralem, et praesertim eam, ad quam ipse est promovendus; an dignum qui ad illam promoveatur; et an ipsius promotionem eidem ecclesiae utilem et proficuam futuram esse censeat; et quare ita existimet?

§ 4. Si quis Episcopus ab unâ ecclesiâ ad aliam transferendus sit, tunc observentur ea omnia, quae num. 2 decernuntur, quoad processum super statu ecclesiae; pro altero vero, qui conficiendus erit super qualitate transferendi, ea serventur, quae num. 3 praescribuntur. **Quid si Episcopus ab una ad aliam eccl. transfer.**

Interrogatoria super qualitate Episcopi ad alteram ecclesiam transferendi.

I. An testis cognoscat Episcopum transferendum; quomodo et a quo tempore citra; an sit ipsius consanguineus, cognatus, affinis, nimium familiaris, inimicus, aemulus vel odiosus?

II. An sciat, ipsum consecrationis munus suscepisse; et quae sit causa scientiae?

III. An sciat, per quot annos fuerit Episcopus illius ecclesiae; et quae sit causa scientiae?

IV. An sciat, eum in suâ ecclesiâ et dioecesi assidue resedisse; et quae sit causa scientiae?

V. An sciat, eum diligenter saepedictam suam ecclesiam et dioecesim visitasse, opportune omnibus necessitatibus occurrisse et providisse; eiusque decreta et mandata debitae exequutioni demandari curasse; et quae sit causa scientiae?

VI. An sciat, eum saepe solemniter celebrasse; ordinationes iuxta necesssitatum exigentiam habuisse; Confirmationis sacramentum administrasse; ceteraque pontificalia exercuisse; et quae sit causa scientiae?

VII. An sciat, eum pietatis, caritatis et prudentiae in gubernando specimen dedisse, ac verbo et exemplo profecisse; et quae sit causa scientiae?

VIII. An sciat, eum prudenter ubilibet et diligenter se gessisse in defendendis, conservandis et augendis iurisdictionibus

spirituali et temporali, iuribus ac bonis omnibus suae ecclesiae, et quae sit causa scientiae?

IX. An sciat, vere eâ doctrinâ ipsum ad praesens pollere, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere; et quae sit causa scientiae?

X. An dignum eum existimet, qui transferatur ad ecclesiam N.; et an censeat, eius translationem fore ipsi ecclesiae N. utilem et proficuam; et quare ita existimet et censeat?

Quid demum in Vicariis Apostol. charactere episcopali insignitis?

§ 5. Denique, cum pro Vicariis Apostolicis, titulo et charactere episcopali insignitis, nullus processus conficiatur super statu ecclesiae, attamen si in Urbe vel in Italiâ commorentur, sin autem extra Urbem et Italiam extiterint, ac duo testes in Urbe reperiantur qui testimonium ferre possint, tunc fiat processus super qualitate personae. Processus vero in hac almâ Urbe nostrâ conficiendi omnino conficiantur coram nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis auditore. Quod si etiam testes deficiant, sufficiens habeatur iudicium eiusdem Congregationis, quae illum a summo Pontifice eligendum consulet.

Firmitati praemissorum consulitur.

§ 6. Omnia itaque et singula a nobis, ut praemittitur, praescripta, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, salvâ tamen semper auctoritate memoratae Congregationis de Propagandâ Fide. Decernentes praesentes literas et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, et quosvis alios quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quibuscumque decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sumpt. fides.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Praefecti et secretarii praefatae Congregationis subscriptis et sigillo eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVII. ianuarii MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXIII.

Confirmat decretum Congregationis Supremae Inquisitionis respondentis ad plura dubia proposita circa facultates matrimoniales earumque extensionem et usum per constitutiones apostolicas concessas presbyteris Societatis Iesu in Indiis Orientalibus et Occidentalibus.

BENEDICTUS PP. XIV.
ad futuram rei memoriam.

Cath. Regis stud. pro tollendis dissidiis inter missionarios Soc. Iesu et Ordin. locorum in Indiis circa dispensationes, quoad impedim. matrim. excitatis.

§ 1. Cum ven. frater noster Ioachimus S. R. E. Cardinalis Protocarrero nuncupatus Episcopus Sabinensis, nomine carissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis Catholici, cuius regiis negotiis apud nos et Apostolicam Sedem agendis praeest, nobis exposuerit, obortis quibusdam dubiis circa facultates concedendi dispensationes matrimoniales, quibus dilecti filii presbyteri Societatis Iesu missionarii per Indias Orientales et Occidentales constituti ex Apostolicae Sedis indultis gaudere dicuntur, et circa huiusmodi facultatum usum et exercitium; ad removendas dissensiones inter eosdem presbyteros missionarios et Ordinarios locorum, sedandosque conscientiarum et animorum motus, nostram eiusdemque Ap. Sedis definitionem magnopere exoptari; cumque, praeter urgens pastoralis curae et solicitudinis debitum, quo ad huius praesertim generis officia impellimur, gratissimum nobis accidat iustis semper et aequis praefati Catholici Regis votis obsecundare; statim propositae materiae discussionem demandavimus Congregationi ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, in rebus fidei, aliisque S. Officii nuncupati negotiis generalium Inquisitorum, haud tamen propterea refugientes laborem studiumque singula per nos ipsos inspiciendi atque dis-

Libentissime a Pontifice praestita ad hoc negotium opera, coacta coram se Congr. Card. S. Officii.

cutiendi. Itaque coactâ coram nobis die XXIX. iulii elapsi anni MDCCLVI. praedictorum Cardinalium Congregatione, auditis etiam prius consultoribus, tum sacrae theologiae magistris, tum canonici iuris peritis, captae editaeque fuerunt sequentes resolutiones distinctim expressae in infrascripto decreto, quod ipsi iam tum approbavimus et confimavimus, cuiusque tenor talis est, videlicet:

Hoc editum ab ea decretum.

DECRETUM.

Cum olim R. P. Ignatius de Padilla, quo tempore civitati S. Dominici in Insulâ Hispaniolâ Indiarum Occidentalium praeerat Archiepiscopus, complures excitasset controversias adversus presbyteros Societatis Iesu circa dispensationes matrimoniales, quibus nimirum ipsi, in vim specialium facultatum sibi, ut asserebant, competentium, cum neophytis Indiarum Orientalium et Occidentalium super impedimentis matrinii dirimentibus et antea dispensaverant et adhuc dispensare pergebant, cumque subinde R. P. Ioseph Moreno Curiel, qui, postquam praefatus R. P. Ignatius ad ecclesiam Iucatanensem in Indiis Occidentalibus Hispanicis sitam translatus fuit, eidem in archiepiscopatu S. Dominici successit, illius actionem eâ de re studiumque prosequutus fuerit; ut huiusmodi controversiis quantocitius finis imponatur, infrascripta dubia proposita, discussa et dirempta sunt a SSmo D. N. Benedicto PP. XIV. feliciter regnante, auditâ prius sententiâ et consilio Rmorum DD. Cardinalium generalium Inquisitorum in Congregatione coram Sanctitate Suâ habita die XXIX. iulii anni MDCCLVI.

Occasio obortae controv. recenset.

Dubia autem proposita sunt, quae sequuntur:

Dubia proposita in Congr.

Primum: an facultates in apostolicis Brevibus concessae presbyteris societatis Iesu, qui missionariorum munus per Indias exercent, atque illae potissimum quae matrimoniales dispensationes respiciunt, ad eas provincias protendantur et loca, quae pluribus abhinc annis ad sanctam catholicam Religionem redacta sunt, in quibus reperiuntur infideles aliunde profecti et ultro Christi fidem amplexi; adeo ut missionarii operam studiumque suum impendant, non quidem in iis ad sanctam Religionem convertendis, sed tantummodo in iisdem christianae doctrinae institutionibus rectisque moribus informandis?

Secundum: quatenus memoratae facultates ad huiusmodi regiones protendantur, ac praesertim facultas concedendi dispensationes quoad praedictorum matrimonia exerceri valeat, an id ita accipiendum sit, ut concessa dicatur auctoritas dispensandi super impedimentis publicis pro foro externo, tum ante, tum post contractum matrimonium?

Tertium: an positâ extensione facultatum ad publica quoque impedimenta pro foro externo, et in casibus contrahendi aeque ac iam contracti matrimonii, huiusmodi facultatibus uti possint missionarii per ea loca, in quibus Episcopus dioecesanus easdem obtinet facultates sibi ab Apostolicâ Sede peculiaribus indultis concessas?

Quartum: etsi possent missionarii dispensationes concedere, suisque uti facultatibus etiam pro foro externo, an tamen id ipsis praestare liceat sine praeviâ summariâ informatione, coram notario locique vicario captâ, ad comprobandas dispensationis causas et impedimentorum qualitates; an potius satis ad id habenda sit verbalis et extraiudicialis instructio seu informatio?

Quintum: an, quatenus huiusmodi facultates concessae tantummodo dignoscantur missionariis adlaborantibus pro conversione infidelium et non aliis, revalidanda sint matrimonia celebrata in vim dispensationum, quas pro exteriori foro indulsissent missionarii illi, qui in tradendis fidei rudimentis informandisque moribus solummodo exercentur?

Priusquam vero ad propositorum dubiorum decisionem procedatur, summatim recensenda sunt ea, quae pertinent ad facultates, quae presbyteris e Societate Iesu missionariis, cum pro Orientalibus tum pro Occidentalibus Indiis, peculiaribus apostolicis Brevibus tribuuntur: exinde enim pendet iusta dubiorum resolutio. Utque res ordine procedat, primo exponetur summa memoratarum facultatum quoad impedimenta matrimonii, deinde expendetur concessum ius ipsis facultatibus utendi tam in interiori quam in exteriori foro; tertio indicabuntur personae, cum quibus dispensare possunt missionarii; quarto recensebuntur loca, in quibus integrum ipsis est praefatis facultatibus uti; quinto denique attingentur quaecumque ad rectum dispensationum usum conferre possunt; atque omnia desumentur ex concessionum Brevibus a superioribus Romanis Pontificibus

Nonnulla ad rectam dubiorum resolutionem expendenda praemittuntur.

atque etiam a SSmo Domino Nostro feliciter regnante expeditis.

Et primo, quae vis insit facultatibus dispensandi concessis missionariis Societ. Iesu.

Ducto itaque initio, iuxta praestitutam methodum, ab ipsâ vi atque substantiâ facultatum quoad impedimenta matrimonii concessarum; quum olim facultas amplissime protenderetur ad omnia impedimenta sive gradus non vetitos iure divino, ea in subsequentibus pontificiis Brevibus nonnihil cohibita fuisse dignoscitur: prohibentur namque modo missionarii dispensare *in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu* (1), excepto tantum *primo gradu, etiam rectae lineae, affinitatis, ex illicitâ tamen copulâ resultantis* (2). Atque haec quidem omnia, ad hoc ut *fideles matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere possint* (3). Quibus verbis tam inita quam ineunda matrimonia comprehenduntur.

Qualis esse debeat earum usus quoad internum externumve forum.

Proximum est, ut de praefatarum facultatum usu quoad internum externumve forum videatur. Licet autem facultates in prioribus indultis concessae ad forum conscientiae restrictae essent, in posterioribus tamen concessionibus ad externum quoque forum ampliatae conspiciuntur; eâ tamen lege adiectâ, ut quibus in locis reperiuntur Ordinarii easdem habentes facultates ab Apostolicâ Sede sibi de more concessas, vel absunt ducentis saltem passuum millibus, nequeant Societatis missionarii suis uti facultatibus pro foro externo. Ordinariis etenim reservata est privativa facultas dispensandi in exteriori seu iudiciali foro; neque datum est missionariis, ut dispensationes eiusmodi indulgere, concessisque sibi pro fòro externo facultatibus uti valeant, praeterquam in iis locis, in quibus nulli adsunt Ordinarii, Episcopi nimirum seu eorum Vicarii, vel, si qui existunt, ultra dùas diaetas, non minus ducentis passuum millibus, inde absunt; aut, si praesentes adsunt vel parum distant, non tamen a Sede Apostolicâ impetrarunt facultativa dispensandi indulta, quae patribus missionariis concessa reperiuntur (4). Ad forum porro conscientiae tantum semper cohibita apparet tributa facultas dispensandi *in primo gradu rectae lineae affinitatis ex copulâ illicitâ resultantis,* super quo impedimento dispensare permittuntur *in occultis, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis* (5).

Cum quibus personis dispensare possint.

Hinc transeundo ad personas, cum quibus missionarii, sive pro conscientiae sive pro iudiciali foro, iuxta praemissa, dispensare possunt, Neophyti quidem hi sunt. Neophytorum autem appellatione, secundum editas et a summis Pontificibus approbatas resolutiones, non solum intelliguntur ii qui paulo ante baptismum susceperunt, sed etiam eorum filii, quamvis in infantiâ baptizati fuerint, ac insuper ii, qui ex indo neophyto et ex muliere europaea, vel ex europaeo viro et indicâ muliere sunt progeniti, ideoque ***mixti*** seu ***mistitii*** vocitantur. Atque hae sunt omnino personae, cum quibus dispensare possunt missionarii (6); interdictâ ipsis quacumque facul-

---

(1) *In quocumque seu quibusvis, non tamen in primo, consanguinitatis vel affinitatis gradibus.* Ita legitur in Brevi san. mem. Alexandri PP. VIII. quod incipit *Animarum saluti:* quod est in vol. II. huius operis, pag. 119.

(2) *In primo gradu etiam rectae lineae ex copulâ illicitâ resultantis.* Haec sunt verba Brevis san. mem. Clementis PP. XII. quod incipit; *Cum dudum:* et est in vol. II. huius op., pag. 453.

(3) *Ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant.* Ita legitur in Brevibus summorum Pontificum Alexandri VIII., Clementis XII. et aliorum.

(4) *Praeterea eiusdem Societatis Iesu provincialibus, vel ab eis deputandis presbyteris, cum neophytis provinciarum utriusque Indiae aliarumque maris Oceani regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, et non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas existunt, in quocumque seu quibusvis, non tamen in primo, consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel alias coniunctis seu se attinentibus, ut Matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, in foro conscientiae tantum, gratis tamen dispensandi; et insuper ibidem, locorum Ordinariis etc. etiam in iudiciali foro: in reliquis autem provinciis praefatis Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis ultra duas dietas praedictas, non minus ducentis millibus passuum remotis, provincialibus et deputatis presbyteris praedictis cum eisdem neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro gratis dispensandi.* Itá legitur in citato Brevi san. mem. Alexandri VIII. § 9, et in citato Brevi san. mem. Clementis XII., § 2.

(5) *Cum eisdem neophytis in primo gradu, etiam rectae lineae, affinitatis ex copulâ illicitâ resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen, et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, gratis tamen dispensandi.* Sunt verba citati Brevis san. mem. Clementis XII. § pariter 2.

(6) *Et insuper, quia a nonnullis dubitatum seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum regionum oriundi et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantiâ baptizati, iure* neophyti *appellari possint, idcirco tenore earumdem praesentium decernimus et declaramus, omnes oriundos seu naturales supradictarum omnium tam Orientalium quam Occidentalium partium, imo etiamsi Aethiopes, Angolani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii, et in infantiâ baptizati, vel etiam inter se vel cum Europaeis mixtim progeniti sint ad concessionis huiusmodi effectum, esse et intelligi debere neophytos.... Quin etiam quia de mixtim progenitis, quos* mixtos *vocant, maius dubium accepimus, cum eis-*

tate dispensandi cum *Quarteronibus* et cum *Pucuellibus;* cum iis nimirum, qui vel pro unâ tantum parte ducunt originem ab indis neophytis, ideoque dicuntur *Quarterones;* vel per proavum aut proaviam dumtaxat ab indis neophytis trahunt originem, proindeque *Pucuelles* appellantur, quum hi neophytorum nomine seu appellatione contineri non possint, ac consequenter nequeant missionarii cum illis, sive in foro conscientiae, sive in foro iudiciali, super matrimonii impedimentis dispensare: eorum enim facultas cohibita est ad neophytos; quorum nomine veniunt tantummodo ii, qui fuerunt superius designati (1).

Loca, in quibus dispensandi facultate uti possint.

Quod spectat ad loca, in quibus missionarii praefatis dispensandi facultatibus, ut supra, uti possunt, satis perspicua res est, quum indulta ipsis concessa utriusque, Orientalis nempe et Occidentalis, Indiae partes seu provincias, aliasque maris Oceani regiones diserte complectantur (2).

Iusta debet subesse causa dispensationis, et omnia gratis expedienda.

Quare nil aliud reliquum est, quam ut ea tradantur, quae ad rectum probatumque dispensationum usum conferre possunt. In quo sane, praeter exactam observationem eorum, quae superius adnotata sunt, duae potissimum generales regulae servari debent: prima nimirum, ut in omni dispensatione iusta adsit illius concedendae causa; altera ut, tunc etiam quum pro exteriori foro conceditur dispensatio, nihil plane recipiatur, sed omnia gratis fiant (3). Quamvis autem in Brevibus facultativis, quae olim tradi solebant Episcopis et Ordinariis praefatarum regionum pro dispensationibus super impedimentis matrimonialibus in foro interno externoque concedendis, iniunctum iis legeretur, ut in dispensationibus pro foro externo indulgendis, missionariorum consilium exquirerent, quoties hi tam longe non abessent, ut id sine magno incommodo praestari non posset; cum tamen Episcopi subinde petiissent, se levari hoc onere, quod, etsi alias poterat opportunum videri, nunc quidem temporis nonnisi ad serendas discordias aptum dignoscebatur; ut omnis dissidiorum et offensionum inter Ordinarios locorum et missionarios occasio submoveretur, plena libertas iisdem Ordinariis relicta est dispensandi etiam in foro externo, sublato penitus onere memoratum antea consilium requirendi (4).

Ordinarii locorum in dispensationibus conced. non tenentur missionar. consilium exquirer.

In quo casu teneantur Episcopi subdeleg. missionar. pro elargiendis dispensat.

Praeterea, cum Episcoporum arbitrio concredita reperiatur facultas subdelegandi idoneos probatosque sacerdotes, qui pro ipsis Episcopis subdelegantibus in remotioribus dioecesum locis dispensationes concedant pro exteriori seu iudiciali foro (5); ad confovendam eo magis inter Episcopos et missionarios animorum consensionem statutum est, ut, si pro iis locis nulli deputati re-

dem mixtis quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praedictis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare posse, eisdem presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam. Verba sunt citati Brevis san. mem. Alexandri VIII. § 16, in quo etiam confirmatur similis alia praecedens constitutio san. mem. Clementis PP. IX. quae incipit: *Animarum saluti*, expedita die VIII. ianuarii MDCLXIX.

(1) Proposito in generali Congregatione Cardinalium generalium Inquisitorum habitâ feriâ IV. die II. iunii MDCXVIII., sequenti dubio: *An appellatione* neophytorum *Indi solum noviter conversi comprehendantur; an non etiam qui sunt originarii per omnes eorum lineas, qua pro una dumtaxat parte ab illis originem trahunt, vulgo* Quarterones *appellati; et an comprehendatur, qui octavam partem per proavum et proaviam, et sive ab alterutro, sive ab utroque habeant, vulgo* Pucuelles *nuncupati:* huic dubio responsum fuit: *Non comprehendi Quarterones, multoque minus Pucuelles.* Hoc Congregationis responsum confirmatum subinde fuit, instante Rege Catholico, una cum aliis declarationibus a san. mem. Clemente PP. XI. in suis apostolicis literis expeditis in formâ Brevis die XXIX. aprilis MDCCI., et iterum aliis literis apostolicis in formâ Brevis expeditis a summo Pontifice Benedicto XIV. die XVII. iulii MDCCXLVIII.

(2) Verba Brevium pro re, de qua nunc agitur, sunt comprehensiva *omnium tam Orientalium quam Occidentalium partium, et etiam Aethiopum, Angolanorum, et quarumvis aliarum transmarinarum regionum.* Id colligitur ex praecitatis verbis contentis in Brevi san. mem. Alexandri VIII. § 16.

(3) Verbum *gratis* reperitur in omnibus apostolicis literis et concessionibus ad hanc materiam spectantibus.

(4) Feria IV. die III. maii MDCCLII. lecto memoriali, in quo procurator generalis Societatis Iesu postulabat renovationem facultatum extraordinariarum in formâ Brevis, quae ab anno MDCCXXXIV. san. mem. Clemente XII. ad annos viginti pro missionariis eiusdem Societatis prorogatae fuerant, Emi ac Rmi DD. Cardinales generales Inquisitores dixerunt: *pro gratiâ* renovationis Brevis, demptâ tamen clausulâ, si SSmo Domino Nostro placuerit; et est quae sequitur: *et insuper locorum Ordinariis, ut de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum, in locis praefatis, et, ubi eorum commode haberi potuerit copia, consilio et cum illis, etiam in iudiciali foro.* Et feria V. die IV. eiusdem mensis in consuetâ audientiâ per R. P. Assessorem S. Officii a SSmo D. N. Benedicto Papa XIV. habitâ, Sanctitas Sua benigne annuit pro renovatione Brevis, demptâ tamen clausulâ ut supra. Hoc decretum communicatum fuit per R. P. Assessorem S. Officii R. P. Secretario S. Congregat. de Propagandâ Fide sub eâdem die quintâ maii MDCCLII.

(5) *Dictisque Ordinariis alios presbyteros idoneos a se prius approbatos in locis, ubi non adsint missionarii similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui locum subdelegandi, licentiam et facultatem auctoritate apostolicâ tenore praesentium concedimus et impertimur.* Ita legitur in citato Brevi san. mem. Clementis PP. XII., § 2.

periantur vicarii, vel absint spatio ducentorum milliariorum, non possint ab Episcopis alii subdelegari sacerdotes, quam qui ab Apostolicâ Sede habent dispensandi facultatem; hi autem soli consueverunt esse missionarii.

Quamdiu facultas dispensandi in mission. duret.

Denique ad rectum usum facultatum dispensandi adnotasse iuvabit, facultatem dispensandi in foro conscientiae perpetuo concessam esse; eam vero, quae ad forum iudiciale spectat, intra viginti annorum curriculum esse cohibitam (1). Cumque iuxta receptam praxim, soleat huiusce facultatis confirmatio indulgeri, omnino necesse est, ut missionarii hac in re sibi provide consulant, non redigentes ad suprema propemodum statuti termini momenta cogitationem et curam petendae confirmationis, ne periculum subeant vel nullitatis actus, si quid efficiant post elapsum facultatum terminum, vel fraudandi pauperes Christifideles opportunis malorum remediis, quatenus eo deveniant, ut huiusmodi facultatibus amplius uti non valeant. Haec sunt, quae in apostolicis constitutionibus san. mem. Pii IV. Pont. Max. aliorumque ipsius successorum, et in pontificiis Brevibus Clementis IX., Alexandri VIII., Clementis XI., Clementis XII. et SSmi D. N. Benedicti XIV. feliciter regnantis continentur; quibusque, ut par est, observatis ac respective perpensis, non solum omnes submoventur controversiae, verum etiam facilis evadit et obvia responsio ad dubia, quae ad sacram Congregationem examinanda ac dirimenda transmissa fuerunt.

Responsa ad proposita dubia.

Primo itaque dubio, quo quaeritur, an facultates concessae presbyteris Societatis Iesu missionariorum munus per Indias obeuntibus, et nominatim illae, quae dispensationes matrimoniales respiciunt, ad ea protendantur loca et provincias, in quibus non alii reperiuntur infideles, quam qui aliunde venerunt, Christique fidem ultro amplexi sunt; affirmativum redditur responsum, ad formam tamen Brevium et constitutionum apostolicarum, quae superius indicatae fuerunt.

Secundo itidem dubio, quo quaeritur, an, quatenus facultates ad memorata quoque loca protendantur, eaedem comprehendant dispensationes matrimoniales super impedimentis publicis, pro foro externo, tam ante quam post contractum matrimonium concedendas, affirmative respondetur, iuxta tamen disposita in apostolicis Brevibus superius indicatis.

Tertio dubio, quo exquiritur, an missionarii praefatis facultatibus uti possint in iis locis, in quibus dioecesani Episcopi similes obtinent facultates: respondetur, posse eos uti memoratis facultatibus pro foro externo, tam in matrimoniis contractis quam in contrahendis dispensando, in iis tamen locis in quibus non existunt Ordinarii similibus facultatibus instructi, vel absunt ultra duas dietas non minus ducentis millibus passuum, iuxta id, quod itidem in Brevibus et constitutionibus apostolicis cautum reperitur.

Quarto, quo definiendum proponitur, num in iis casibus, in quibus possunt missionarii dispensare in iudiciali foro, hoc ipsis praestare liceat sine praeviâ summariâ informatione coram notario et vicario loci captâ ad comprobandam dispensationis causam et impedimenti qualitatem, vel potius sufficere dicenda sit verbalis et extraiudicialis informatio; responsum est, ***nihil esse innovandum:*** et quoniàm superioribus temporibus sufficiens visa est moralis certitudo tum causae dispensandi, tum obstantis impedimenti, quantumvis iudicialibus documentis non innixa, satius esse, ut eadem methodus in futurum quoque tempus retineatur.

Ad quintum denique dubium respiciens convalidationem matrimoniorum, de qua quaerebatur sub hypothesi eorum nullitatis desumptae ex defectu facultatum in iis, qui dispensationes concesserunt ad ea matrimonia ineunda: quum ex datâ superius responsione ad primum dubium satis deprehendere licuerit, huiusmodi positionem seu hypothesim non subsistere, nullus relinquitur respondendi locus.

A Pont. approbantur.

Haec itaque sunt responsa data seu resolutiones captae in Congregatione Rmorum S. R. E. Cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum habitâ coram SSmo D. N. Benedicto PP. XIV., quas Sanctitas Sua, praevio maturo examine, approbavit et confirmavit: volens easdem, ad maiorem solemnitatem, apostolicis literis in formâ Brevis roborari: praecipiensque, ut, quoties casus confirmandi

(1) In Brevi apostolico san. mem. Pii IV. expedito die xv. iunii MDLXIII. habentur haec verba: *in foro conscientiae tantum perpetuo:* prorogatio ad annos viginti *pro foro externo* legitur tam in hoc quam in aliis subsequentium summorum Pontificum Brevibus.

huiusmodi facultates obvenerit, in posterum confirmatio non concedatur, nisi praemissâ seriâ adnotatione temporis, quo indultum antea concessum fuerat, ut ita deprehendatur, an constitutus in eo terminus sit elapsus, exindeque valeat hac super re opportune provideri: ac denique iniungens omnibus ministris seu officialibus utriusque Secretariae, videlicet Brevium secretorum, et Congregationis de Propagandâ Fide, ut, sive nova fiat concessio, sive confirmatio facultatum iampridem obtentarum indulgeatur missionariis Societatis Iesu, tam concessio, quam confirmatio, ad normam eorum, quae praesenti decreto exposita sunt atque statuta, in omnibus et per omnia redigantur et conformentur.

Decret. huiusmodi apost. auctor. munimine coroboratur.

§ 2. Nunc autem cupientes, ut ea, quae, praevio tam sedulo accuratoque examine, in praeinserto decreto definita, decisa et constituta fuerunt, eo semper firmius subsistant et serventur exactius, praeinsertum decretum, singulaque in eo contenta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, et, quatenus opus esset, eadem illa ex integro ac in omnibus et per omnia, iuxta praeinserti decreti seriem et tenorem, dictâ apostolicâ auctoritate, ac earumdem praesentium literarum tenore, statuimus, decernimus et ordinamus, illiusque inviolabilis firmitatis robur adiicimus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque integros et plenarios effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, ac respective ab iisdem observari debere; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinalium Congregationes, dictaeque Apostolicae Sedis Nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

§ 3. Non obstantibus contrariis forsan, etiam apostolicis, seu in synodalibus aut provincialibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, seu per dictas Indiarum regiones invectis usibus et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, dictarum regionum ecclesiis, etiam metropolitanis, earumque Praesulibus, seu cuiusvis Ordinis et Instituti, etiam praefatae Societatis Iesu, missionibus et presbyteris missionariis, in genere aut in specie, etiam ad Regum aliarumque sublimium personarum instantiam, seu quorumcumque meritorum intuitu, sub quacumque formâ concessis ac saepius confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque.

§ 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Sumpt. fides.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XVII. ianuarii MDCCLVII., pontif. nostri anno XVII.

CLXXXIV.

Approbat Regulas Seminarii Italo-Graeci Panormi instituti tum ad colendos fideles graecos in Sicilia degentes, tum ad missiones iussu S. Congregationis in Oriente exercendas.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Ad pastoralis dignitatis fastigium, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam evecti, ea, quae a Christifidelibus quibuscumque pro salubri Collegiorum pie sancteque institutorum erectorumque, uberesque pietatis fructus, Deo adiuvante atque incrementum dante, proferre iugiter satagentium directione felicique personarum illis adscriptarum in viâ mandatorum Dei progressu provide prudenterque constituta et ordinata esse dignoscuntur, ut firma semper, atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Paulus Parino presbyter ac rector Seminarii Italo-Graeci Epirotarum sive Albaniae in civitate Panormitanâ canonice instituti, quod, pro felici prosperoque dicti Seminarii regimine et gubernio,

salubrique directione, et perpetuâ conservatione nonnullas regulas condere curavit tenoris sequentis, videlicet... (1)

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Paulus regulas huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; nos specialem ipsi Paulo gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc similiter porrectis inclinati, de venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis Propagandae Fidei praepositorum consilio, praeinsertas regulas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XXV. februarii MDCCLVII. pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXV.

Patriarcham electum Antiochenae nationis Maronitarum confirmat (2).

Dilecto filio Tobiae Gazeni Archiepiscopo nuper Cypri in Patriarcham Antiochenum electo,

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, salutem et apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem pastor ille coelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita ecclesiis praetulit universis, solicitudo requirit ut circa cuiuslibet ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, ut per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium, quandoque vero per ministerium translationis accommodae, prout personarum locorum et temporum qualitas exigit atque ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet, ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum salubriter dirigat et informet ac bona ecclesiae sibi creditae non solum gubernet utiliter, sed etiam multimodis efferat incrementis. Sane Ecclesia patriarchalis Antiochena nationis Maronitarum, cui bonae memoriae Simon Petrus Evodii dum viveret Patriarcha Antiochenus nationis praefatae praeerat, per obitum eiusdem Simonis Petri Patriarchae, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destitutae, nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta ad provisionem eiusdem patriarchalis Ecclesiae Antiochenae celerem et felicem, ne Ecclesia ipsa Antiochena longae vacationis exponatur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae Antiochenae praefatae nationis personam utilem ac etiam fructuosam cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te Archiepiscopum Cypri, quem venerabiles fratres nostri Archiepiscopi et Episcopi ac dilecti filii clerus nationis praefatae iuxta illorum morem ad praefatam Ecclesiam Antiochenam nationis praedictae postularunt, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et quod tu qui Ecclesiae Cypri hactenus laudabiliter praefuisti, dictam Ecclesiam Antiochenam nationis praedictae sciens volens et

(1) Has reg. vide in Suppl. Bul. Pont. de Prop. Fide vol. III., p. 184.

(2) Constitut. et Bullar. per Viam de Curia Vol. ab an. MDCCLIII. ad an. MDCCLVIII. pag. 171, 172.

potens auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam dictae Ecclesiae Antiochenae nationis praefatae quam eius Gregi Dominico salubriter providere, te a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac postulationem ipsam de eorumdem fratrum nostrorum consilio apostolica auctoritate admittentes, iuxta decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et a nobis approbatum, te a vinculo quo dictae Ecclesiae Cypri cui praees teneris, de simili consilio et potestatis plenitudine absolventes, ad eamdem Ecclesiam Antiochenam nationis praedictae de consilio et potestatis plenitudine paribus transferimus, teque illi in Patriarcham eiusdem nationis praeficimus et Pastorem, curam regimen et administrationem dictae Ecclesiae Antiochenae nationis praefatae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad dictam Ecclesiam Antiochenam eiusdem nationis transeundi licentiam tribuendo. In illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos praefata Ecclesia Antiochena nationis praedictae sub tuo felici regimine regetur utiliter et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa, tu igitur ad eamdem patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis praedictae cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas solicite fideliter et prudenter, quod Ecclesia ipsa Antiochena nationis praedictae gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis prooemium nostrae et dictae sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Quocirca eisdem venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis suffraganeis ac dilectis filiis Capitulo et Vassallis Ecclesiae Antiochenae nationis praedictae ac clero et populo civitatis et dioecesis Antiochenae eiusdem nationis per apostolica scripta mandantes, ut suffraganei tibi tamquam membra capiti obsequentes et Capitulum tibi tamquam Patri et Pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas ita, quod mutua inter te et ipsos suffraganeos gratia gratos sortiantur effectus, et nos eorum devotionem possimus propterea in Domino merito commendare, ac clerus te pro nostra et eiusdem sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent, populus vero te tamquam Patrem et Pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem te debito honore prosequentes tibi fidelitatem solitam et consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam quam rite tuleris in rebelles, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Volumus autem, quod tu, antequam regimini et administrationi dictae patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis praedictae te in aliquo immisceas, in manibus alicuius catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis ac in illis partibus degentis, fidei catholicae professionem a sede praefata *Orientalibus* praescriptam iuxta unam expresse emittere, et fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta alteram formas praesentibus adnotatas praestare omnino tenearis, ac professionis fidei quam emiseris et iuramenti huiusmodi quod praestaveris formas eidem Congregationi de Propaganda Fide de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius destinare procures. Volumus autem, quod tu domus patriarchalis reparationi pro viribus incumbas, conscientiam tuam super his onerando. Forma autem professionis fidei quam emittes, haec est. — *Ego Tobias Gazeni electus patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis Maronitarum firma fide. . . . Evangelia.*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, MDCCLVII. V. kalendas aprilis, pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXVI.

Pallium Patriarchae Antiocheno nationis Maronitarum Tobiae Gazeni concedit (1).

Venerabili fratri Tobia Gazeni Archiepiscopo nuper Cypri in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum electo,

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum nos nuper te a vinculo quo Ecclesiae Cypri cui tunc praeeras tenebaris, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio et apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad Ecclesiam patriarchalem Antiochenam nationis Maronitarum certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutam de fratrum eorumdem consilio apostolica auctoritate transtulerimus, teque eidem patriarchali Ecclesiae Antiochenae nationis praefatae in Patriarcham praefecerimus et Pastorem, curam et administrationem dictae patriarchalis Ecclesiae praefatae nationis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo iuxta decretum in Congregatione de Propaganda Fide emanatum et a nobis approbatum, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Ac postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuerit nobis per

---

(1) Constitut. et Bullar. per Viam de Curia Vol. ab an. MDCCLIII. ad an. MDCCLVIII. pag. 153, 154.

Die duodecima februarii, anni MDCCLVI. *cum e vivis excessisset reverendissimus dominus Simon Petrus Evodius, Patriarcha Antiochenus Syrorum Maronitarum: is nimirum, quem Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV. Pontifex Maximus datis die* XVI. *martii* MDCCXLIII. *literis, ad compescendas dissensiones in electione Patriarchae subortas, Patriarcham auctoritate apostolica constituerat; die autem* XIII. *iulii* MDCCXLIV. *in consistorio semipublico, ad complementum patriarchalis dignitatis, pallio pontificio donaverat: peractis de more novendialibus, Archiepiscopi et Episcopi eiusdem nationis Syrorum Maronitarum, quibus eligendi Patriarchae ius competit, convenerunt in Chesroano apud Anturam in aede Sancti Iosephi; et unanimi omnium consensu, die* XXVIII. *eiusdem mensis februarii, elegerunt in Patriarcham, reverendissimum dominum Tobiam Gazenium, Cypri Archiepiscopum.*

Die XXVII. *martii, eiusdem anni* MDCCLVII. *indicto de more secreto consistorio, postquam in eo propositiones ecclesiarum et alia occurrentia negotia fuerunt absoluta, Sanctissimus Dominus noster de pallio latino Patriarchis Orientalibus, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, concedendo, deque Maronitis, eorumque ritibus latino simillimis et eximio in Sanctam Sedem obsequio praefatus, quid in electione tum huius novi Patriarchae Tobiae, tum decessoris eius Simonis Petri Evodii gestum fuerit, luculentissima hac allocutione exposuit:*

VENERABILES FRATRES,

Quadraginta iam, et ultra, effluxerunt anni, ex quo, suborta controversia, num Patriarchae Alexandrino graeci ritus indulgeri posset latinum pallium, quantumvis idem opportunis prolatis monumentis comprobaret, se schisma eiurasse, suumque legitimum procuratorem ad Urbem ablegasse, qui humiles enixasque preces suas ad ipsum pallium obtinendum afferret; coacta fuit coram sanctae memoriae Clemente XI. praedecessore nostro satis frequens S. R. E. Cardinalium ac praelatorum Congregatio, cui nos quoque interfuimus, et in qua statutum fuit, ut expetitum latinum pallium concederetur; nobisque ipsis contigit, pro advocati consistorialis munere, quo tunc fungebamur, ipsam pallii petitionem in consistorio exponere: quod magnae postmodum consolationi nobis extitit, quum scilicet in manus nostras subinde pervenit vetus decretum, seu resolutio multos ante annos edita (*1), per quam ad propositum dubium, an Patriarchis graeci ritus latinum pallium esset concedendum, quoties illud, positis omnibus necessariis conditionibus, postularent, affirmative responsum fuit; quae quidem resolutio ignota tunc erat, quum Patriarchae Alexandrino facta est latini pallii concessio (*2).

Ex quo autem nos nullis nostris meritis ad summum pontificatum evecti fuimus, nostris ipsi manibus Patriarchae Armeniae minoris et Ciliciae, confirmata prius illius electione, latinum pallium imposuimus (*3). Atque id ipsum, in consistorio semipublico, concedendum transmittendumque decrevimus Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum, postquam examini subiecta probataque fuerat illius electio, ipseque per legitimum ad id constitutum procuratorem, enixis precibus sibi latinum pallium concedi postulaverat (*4). Quod ipsum latinum pallium aliis duobus Patriarchis Armenis, subsequentibus temporibus, a nobis ipsis datum est (*5).

Quod autem ad Maronitas pertinet, compertum unicuique est, eos uti Azymo, non secus ac utitur Occidentalis Ecclesia, et sacra adhibere indumenta nostris simillima (*6). Nostis praeterea, venerabiles fratres, nos olim, ad compescendas dissensiones in eorum Patriarchae electione subortas, Patriarcham Antiochenum Maronitarum illis constituisse Simonem Petrum Evodium, atque hunc fuisse a Maronitis libentissime exceptum, eidemque subinde concessum a nobis fuisse latinum pallium, pro quo legitimus ipsius procurator necessariis documentis instructus, in consistorio iusteterat (*7).

E vivis nuper excessit praememoratus Simon Petrus Evodius; quumque Maronitae elegerint ipsi

---

(*1) *Videlicet* die IX. iunii MDCXLII.

(*2) *Ut in nostro opere* De Synodo dioeces., lib. 13, cap. 15, num. 19.

(*3) Cit. lib. 13 eiusd. operis cap. 15 sub num. 18.

(*4) *In nostra consistoriali allocutione* die III. februarii MDCCXLIV.

(*5) *Scilicet in consistorio habito* die XXIII. sept. MDCCL., *et in consist. habito* die XXII. iulii MDCCLIV.

(*6) *Vid. nostram epistolam encyclicam* Allatae *ad missionarios per Orientem constitutos.*

(*7) *In nostra consistoriali allocutione habita* die XIII. iulii MDCCXLIV.

dilectum filium Philippum Mariam Pirelli nostrae Consistorialis Aulae advocatum cum ea qua decrevit instantia postulatum, nos tuis supplicationibus annuentes, Pallium ipsum de Corpore Beati Petri Apostoli sumptum praedictos venerabiles fratres nostros Archiepiscopos vel Episcopos in istis partibus degentes ac gratiam et

successorem, is plane est, qui per suum ablegatum, opportuna quaeque documenta proferentem, pallium sibi concedi postulat, quemadmodum mox ipsi audietis ex ipsius legitimo procuratore, quem iam nunc in consistorium ab eo, cui id munus est, induci mandamus.

Post pallii petitionem Sanctissimus intermissam allocutionem prosequens, electionem ipsius Patriarchae Tobiae quam libenter et qua clausula se confirmasse, eidemque optatum pallium benigne concedere, emissa prius tam hic in Urbe ab ipsius procuratore, quam in Monte Libano ab ipsomet Patriarcha fidei professione; totam denique Syrorum Maronitarum nationem, ne unquam obliviscantur sinceram suam adhaesionem catholicae fidei et Sedi Apostolicae, monendam esse, eisque simul nomine pontificio apostolicam benedictionem impertiendam, ornatissimis hisce verbis exponere dignatus est:

Audistis, venerabiles fratres, expositam a legitimo electi Patriarchae procuratore, pro pallio instantiam. Audistis praeterea, quibus illa fundamentis innitatur. In Congregatione negociis Propagandae Fidei praeposita, iam expensa fuerunt electionis validitas, electi merita, quique peractam electionem consequutus est, omnium assensus et plausus. De his omnibus ad nos accuratissime relatum fuit: nosque exhibitum a Congregatione consilium sequentes, electionem ipsam quam libenter confirmavimus. In ipsa confirmatione clausulam illam praetermisimus, per quam aliae nonnunquam electiones validari solent, *etiam quoad substantialia;* quum nihil in ea desideretur ex iis, quae ad validitatem actus, iuxta orientalem disciplinam, necessaria existimantur; neque vero affirmari pro certo valeat, Occidentalis Ecclesiae leges, quibus aliquae inductae fuerunt substantiales electionum nullitates, Orientalem quoque Ecclesiam afficere, de qua in ipsis legibus nulla occurrit mentio (*). Quae quum ita sint, annuentes precibus ab electi Patriarchae procuratore expositis, libenti animo optatum pallium ipsi concedimus; ita tamen ut idem legitimus procurator, nomine illius, a quo constitutus est, priusquam ipsi fiat pallii traditio, professionem fidei emittat, iuxta formulam ab Urbano VIII. praedecessore nostro statutam; et id ipsum subinde fiat ab ipsomet Patriarcha: cui impense iniungimus, ut suos Maronitas moneat, ne unquam obliviscantur sinceram nationis suae adhaesionem catholicae fidei et Sedi Apostolicae, quae tanto eos amore amplexa est, et complectitur; eisdemque simul nostro nomine apostolicam benedictionem impertiatur.

Sequentibus literis S. P. de electionis confirmatione et pallii concessione Archiepiscopos, Episcopos et Proceres Maronitarum certiores facit.

Venerabili fratri Tobiae Petro
Patriarchae Antiocheno Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Et venerabilem fratrem Arsenium Archiepiscopum Heliopolis a fraternitate tua ad nos atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem omnium Ecclesiarum catholici orbis matrem et magistram ablegatum, et humanissimas literas praeclaris tuae erga nos observantiae, et debitae erga eamdem Sanctam Sedem reverentiae obedientiaeque documentis insignes nobis inscriptas, nobisque a memorato Arsenio Archiepiscopo redditas ea, qua praedecessores nostri Romani Pontifices, nosque ipsi alias prosecuti fueramus, pontificia benignitate et apostolica caritate excepimus. Quemadmodum autem nobis permolestum accidit nuntium, viam nimirum universae carnis ingressum, et, uti in iusto remuneratore supremo pastorum principe Iesu Christo sperare decet, ad aeterna beatae stationis in coelis tabernacula receptum fuisse cl. mem. Simonem, dum in humanis ageret, Patriarcham Antiochenum multis nominibus commendatum; ita ingenti laetitia in Domino exultavimus, quod tu, venerabilis frater, in ipsius locum et Patriarchalem Sedem per unanimem venerabilium fratrum Antistitum suffragantium concordiam electus suffectusque fueris. Nobis sane compertum exploratumque erat, fraternitatem tuam sacerdotalibus pastoralibusque virtutibus insignitam, in excolenda Christi vinea tibi commissa laudabiliter adlaborare; atque adeo nobis pro certo pollicemur, te, venerabilis frater, maiori dignitate, auctoritate et honore cumulatum, maiori sollicitudine, vigilantia operaque fore adnixurum, ut istam inclytam Maronitarum nationem, de qua districtam aeterno iudici Iesu Christo rationem reddere debes, Apostolicae huic Sanctae Sedi semper addictissimam, et veluti solem inter offusissimas tot errorum tenebras et caligines lucidius praefulgentem, magis magisque confirmes, illustres, adaugeas et promoveas. Porro quod ad electionem tuam a nobis probandam, confirmandamque, palliumque de corpore S. Petri Apostolorum principis sumptum tibi mittendum enixis precibus exposcis, fraternitati tuae persuasum esse cupimus, nos a gravissima diuturnaque infirmitate sensim per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam convalescentes, ubi nobis integrum fuit, ne quidquam per nos moraretur, e lecto secretum cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consistorium habuimus. In hoc itaque consistorio electionem tuam approbavimus, et apostolica auctoritate nostra confirmavimus, palliumque de more tibi tradendum mandavimus, prout ex aliis nostris apostolicis literis plenius intelliges. Nec dubitamus, quin idem Arsenius Archiepiscopus ablegatus tuus, a quo et pallium accipies, de omnibus per nos in hoc negotio actis gestisque fraternitatem tuam fusius edoceat. Praeterea fraternitatem tuam, quam plurimi facimus, magnoque honore prosequimur, et apostolica caritate in vinculo unitatis complectimur, vehementer rogamus, atque in Domino hortamur, ut nostram imbecillitatem in ferventioribus tuis apud Deum obsecrationibus commendatam habere satagas. Caeterum, venerabilis frater, bono animo esto, praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam cum corona iustitiae, quam repositam digne laborantibus in caelo reddet tibi quoque Dominus in illa die iustus iudex. Nos interim ad prosperi successus divinique praesidii auspicium, et studiosae nostrae ad fraternitati tuae universaeque Maroni-

(*) *Vid. citatam nostram epistolam encyclicam* Allatae.

communionem Sedis Apostolicae habentes tibi assignandum per venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Heliopolienscm duximus destinandum, ut iidem Archiepiscopi vel Episcopi aut eorum alter illud tibi sub forma infrascripta assignent vel assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub alia etiam praesentibus

---

tarum nationi, cum opportuna sese dederit occasio, gratificandum voluntatis pignus apostolicam benedictionem uberrima cum caelestium charismatum copia coniunctam tibi, venerabilis frater, eidemque Maronitarum nationi tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis Patriarchatus Antiocheni nationis Maronitarum.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Non possumus sane satis aptis verbis explicare, venerabiles fratres, et dolorem, quo affecti sumus ob interitum cl. mem. Simonis, dum viveret, Patriarchae vestri Antiocheni meritis laudibus nominandi, et ingentem pontificii cordis nostri laetitiam inde conceptam, quod fraternitates vestrae tanta cum animorum alacritate et consensione, tantaque cum celeritate et sollicitudine, ne quidquam detrimenti interea temporis viduata pastore suo Patriarchalis Sedes Antiochena pateretur, legitime et canonice eligere et in Patriarcham vestrum constituere studueritis venerabilem fratrem Tobiam Petrum Cypri Archiepiscopum. Nos autem statim atque faustum de electione huiusmodi nuntium ad nos perlatum fuit per humanissimas et ipsius Tobiae Petri electi constitutique Patriarchae et fraternitatum vestrarum ac dilectorum filiorum Procerum Maronitarum literas, supremo pastorum principi Iesu Christo, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, immortales agere gratias non omisimus. Nulla igitur gravissimae diuturnaeque infirmitatis nostrae ratione habita, lecto etiam decumbentes, secretum cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus consistorium habere voluimus, ut quamcitissime peragerentur de more omnia, quae ad electionem huiusmodi apostolica auctoritate approbandam confirmandamque, et ad pallium de corpore S. Petri Apostolorum principis sumptum laudato Tobiae Petro Patriarchae vestro mittendum tradendumque semper servata fuere. Quamobrem vos, venerabiles fratres, de hisce per nos actis certiores facientes, vobiscum ex animo gratulamur; atque insimul bonorum omnium largitorem Deum, qui dat affluenter omne donum optimum et ad aeternam animarum salutem semper profuturum, supplices exoramus, ut fraternitates vestras nova virtute induat ex alto, quo de virtute in virtutem crescatis in Templo Sancto Dei, et magis magisque satagatis vigilare, custodire, ac per viam mandatorum Dei ducere populos pastorali curae vestrae commissos. Hinc profecto factum fore in Domino confidimus, ut consentanea virtutibus laboribusque vestris merces tribuatur a iusto remuneratore Deo. Interea huius voti nostri auspicem et pontificiae nostrae erga fraternitates vestras benevolentiae testem esse cupimus apostolicam benedictionem, in populos quoque vestrae curae creditos redundaturam, quam vobis, venerabiles fratres, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

Dilectis filiis Proceribus Maronitis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Quam praeclare de vestra omnibusque inclytae Maronitarum nationis catholica sinceraque fide et constanti Apostolicae huic Sanctae Sedi adhaesione opinionem praedecessores nostri Romani Pontifices, nosque ipsi semper habuimus, magis magisque confirmaverunt humanissimae vestrae literae, quas una insimul cum literis venerabilium fratrum tum Tobiae Petri Archiepiscopi Cypri in Patriarcham Antiochenum vestrum electi, tum caeterorum nationis vestrae Antistitum coniunctas ad nos attulit venerabilis item frater Arsenius Archiepiscopus Heliopolis. Per ipsas sane literas vestras explicare studuistis et filialem vestram erga nos et Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantiam reverentiamque, et electionem de eodem Tobia Petro in Patriarcham unanimi memoratorum Antistitum consensu vobisque plaudentibus factam. Nos autem vobis omniumque studiis benigne annuentes, nihil omisimus, quod ad huiusmodi negotium apostolica auctoritate nostra peragendum conficiendumque requirebatur. Quamobrem hoc unum superest, ut vobis, dilecti filii, quos paterna pontificiaque caritate complectimur, ab Omnipotenti Deo bonorum largitore uberrimam caelestium charismatum copiam apprecemur; atque vestram pietatem, religionemque meritis laudibus celebremus. Interim, dilecti filii, vobis apostolicam benedictionem, perenne nostrae erga vos praecipuae benevolentiae dilectionisque testimonium, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

Ex Benedicti Papae XIV. Epistolis ad Principes et alios viros an. XVII., pag. 198, desumimus seq. lit. qua Archiepiscopo Heliopolis ablegato Patriarchali Maronitarum committit, ut redux pallium tradat Patriarchae suo, postquam fidei professionem et consuetum emiserit iuramentum, quorum documenta ad Sedem Apostolicam ipse mittere debeat.

Venerabili fratri Arsenio Archiepiscopo Heliopolis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Qua fraternitatem tuam praeclaris meritis ac pastoralibus virtutibus insignem et praecipuis filialis tuae erga Apostolicam hanc Romanam Sedem obedientiae argumentis, ac praesertim singularis tuae erga nos observantiae obsequiis commendatam, pontificiâ benignitate excepimus cum ad hanc almam Urbem nostram accessisti, pari cum apostolicâ caritate hinc ad inclytam tuam nationem Maronitarum revertentem comitamur. Tibi enim, ven. frater, prae ceteris magis explorata sunt omnia, quae nos, ut primum benedicente Domino potuimus, adhuc a gravissimâ diuturnâque infirmitate nostrâ lectulo decumbentes, peragenda curavimus quoad ablegationem tuam a ven. fratre Tobiâ Pe-

inserta forma fidelitatis debitae solitum recipiant seu recipiat iuramentum. Tu autem Pallio eodem infra dictam patriarchalem Ecclesiam Antiochenam nationis praefatae illis diebus dumtaxat utaris, qui expressi in ipsius ecclesiae privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, quatenus humilitatem et iustitiam dante Domino qui dat praemia et munera elargitur observare studeas, quae suum servant et promovent servatorem, ac eamdem patriarchalem Ecclesiam Antiochenam dictae nationis sponsam tuam cures solicite authore Domino spiritualiter et temporaliter augumentare. Quocirca praefatis Archiepiscopis vel Episcopis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo vel alter eorum dictum Pallium iuxta eamdem subsequentem formam tibi curent seu curet assignare, et a te nostro et eiusdem Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiant vel eorum alter recipiat iuramentum, eiusdemque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius destinare procures. Forma autem qua praefati Archiepiscopi vel Episcopi in assignando tibi proprio Pallio utentur, haec est: « Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatae Mariae Virginis ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Domini Nostri Domini Benedicti Papae XIV. et S. R. E. necnon patriarchalis Ecclesiae Antiochenae nationis Maronitarum tibi commissae tradimus tibi Pallium de Corpore beati Petri Apostoli sumptum, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ut utaris eo intra ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica Sede concessis. » Forma autem iuramenti quod praestabis, talis est: « Ego Tobias Gazeni Archiepiscopus nuper Cypri in Patriarcham Antiochenum nationis Maronitarum electus ab hac hora in antea fidelis et obediens... »

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXVII.

Mandat Patriarchae Antiocheno Maronitarum ut propriâ et S. Sedis auctoritate, delatis actis Capituli generalis a Congregatione Libanensi Monachorum an. MDCCLIV. *celebrati, impediat divisionem eiusdem Congregationis in Aleppinam et Libanensem; novum insuper capitulum celebret, cui ipse praesideat, absolutis monachis inobedientibus, vel, si Capitulum cogi nequeat, ipse eligat Abbatem generalem et definitores, a quibus reliqui Abbates eligantur, indictis poenis in renuentes* (1).

Venerabili fratri Tobiae Petro Patriarchae Antiocheno Maronitarum,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Supremum gravissimumque sacrosancti Apostolatus ministerium imbecillitati nostrae a Summo pastorum Principe Iesu Christo demandatum iure ac merito a nobis exigit et requirit, ut omni curâ ac studio ad ea iugiter intendamus, per quae Christifidelium sub suavi praesertim religionis iugo mancipatorum quieti et tranquillitati consulitur, et, quae religiosum eorum propositum turbare possunt, solicite removeamus, ut, nullâ re praepediti ac sublatis animorum dissidiis et aemulationibus, iu-

---

tro Patriarchâ Antiocheno eiusdem Maronitarum nationis ad Apostolicam hanc S. Sedem nosque ipsos factam pro apostolicâ nostrâ ipsius in Patriarcham electi et constituti confirmatione. Quoniam autem laudatum Tobiam Petrum Patriarcham sacro ecclesiastico pallio de corpore S. Petri Apostolorum Principis sumpto decorare statuimus more maiorum, ac fraternitati tuae, ut ad ipsum Patriarcham deferas, consignandum mandavimus, te quoque, ven. frater, seligimus, ut nostro nomine usitatis caeremoniis eidem tradas. Volumus tamen et mandamus, ut antequam illud tradatur, memoratus Patriarcha coram fraternitate tuâ edere teneatur catholicae fidei professionem iuxta formulam praescriptam a fel. rec. Urbano VIII. decessore nostro, et iureiurando apud te pariter profiteatur, se perpetuo servaturum Supremae Romanae Sedi obedientiam ac fidelitatem. Tuum igitur erit imposito isti ministerio rite diligenterque perfungi, reique bene gestae authenticum documentum ad nos transmittere. Interim ad itineris navigationisque tuae prosperitatem tuamque incolumitatem et rerum omnium felicem successum et auspicium apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX. aprilis MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

(1) Ex Arch. S. Congr. coll. cum Reg. Vat.

xta regularia suorum Ordinum instituta in pacis amoenitate gratum Altissimo impendant famulatum, felicioribusque in dies in viâ Domini proficiant incrementis.

§ 1. Tibi sane, ven. frater, prae ceteris magis comperta atque explorata sunt non solum deploranda partium studia et dissidia inter dilectos filios monachos S. Antonii Abbatis Congregationis Libanensis nuncupatae iamdiu exorta, saepissime non sine bonorum omnium Christifidelium atque ipsorum Infidelium istarum partium offensione et scandalo, et maximâ cum animarum pernicie et incredibili cum religiosae regularisque disciplinae dedecore ac detrimento agitata, et de praesenti ita adaucta, unde, nisi opportune provideatur, timendus sit eiusdem Congregationis interitus; verum etiam omnia apostolicae providentiae nostraeque caritatis et auctoritatis inita consilia, adhibita remedia, ac decreta per venn. fratres nostros S. R. E. Cardinales Congregationi Propagandae Fidei praepositos nostro nomine super huiusmodi negotio edita. Nos autem, qui in sublimi hac catholicae Romanae Ecclesiae cathedrâ per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, ab imposito nobis tam ingenti onere nihil curavimus impensius, quam ut omnes Christifidelium contentiones, lites et controversiae, quemadmodum decet, caritate potius quam summo iure et auctoritate, componerentur, per nos ipsi omnia ad hanc dissidiorum causam spectantia, quae ad memoratos Cardinales Congregationis Propagandae Fidei accurate examinanda remiseramus, ipsorumque Cardinalium consilium et suffragium exquisiveramus, iterum expendere studuimus.

§ 2. Itaque de omnibus et singulis probe edocti, atque de eorumdem Cardinalium consilio, in eam venimus sententiam, ut fraternitati tuae, de cuius eximiis pastoralibusque virtutibus praeclaram habemus opinionem et plurimum in Domino confidimus, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, committamus et mandemus, prout committimus et mandamus, ut in gravissimo hoc negotio ad maiorem divini honoris cultum amplificandum, aeternam animarum salutem procurandam, pristinam regularis disciplinae observantiam reducendam, et christianam pacem concordiamque inter eosdem monachos conciliandam confirmandamque per te, ven. frater, peragendo absolvendoque, tam auctoritate nostrâ apostolicâ quam ordinariâ tuâ iurisdictione, nostro nomine in ipsis monachis notum facias; nimirum mentem nostram esse et fore ut, posthabitis et revocatis ac penitus deletis omnibus et singulis actis gestisque, praesertim in asserto Capitulo generali anno MDCCLIV. celebrato, quae acta ac gesta auctoritate et tenore paribus nos annullamus ac nullius roboris et momenti esse ac fore volumus, statuimus et declaramus, nullo pacto fiat separatio ac divisio Congregationis in Libanensem et Aleppinam, sive Montanorum et Aleppinorum, sed semper una eademque, prout antea, atque indivisa sit et habeatur Congregatio Libanensis nuncupata. Deinde, ut Capitulum generale, quo citius convocari possit, omnino convocetur, ut convocatio huiusmodi a fraternitate tua indicatur, ut in eodem Capitulo fraternitas tua apostolicâ auctoritate nostrâ tuâque ordinariâ iurisdictione praesideat; ut antequam eiusdem Capituli generalis celebratio habeatur, dilectos filios monachos Ioachimum Ecchelensem, Clementem Masdrani et Raphaelem Zucchi, petitâ tamen veniâ, ab ecclesiasticis censuris et poenis, in quas incurrerint, absolvas et absolutos esse atque in ipsâ Congregatione perseverare debere declares; reliquos vero monachos in suis respective gradibus constituas. Quocirca tibi, ven. frater, omnes necessarias et opportunas facultates auctoritate et tenore paribus tribuimus et impertimur.

§ 3. Verum, si Capitulum generale huiusmodi, a fraternitate tuâ iam indictum, vel convocari non possit vel iam convocatum canonice absolvi, nec canonica quoque superiorum electio perfici possit; nos in quolibet horum eveniente casu, auctoritate et tenore paribus, fraternitati tuae facultatem similiter tribuimus et impertimur per te ipsum dumtaxat eligendi Abbatem generalem et quatuor Diffinitores generales, qui, te quoque praesidente, et alios Abbates eligant et congregationis universae gubernium assumant atque ita regant, perinde ac si in generali Capitulo electi fuissent. Atque sub ecclesiasticis censuris et poenis, quatenus opus sit, eos qui electos, ut praemittitur, Abbatem et Diffinitores generales aliosque Abbates recognoscere eisque parere detrectaverint, cogas et compellas.

§ 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrio nostro imponendis poenis, omnibus et singulis saepememoratae congregationis monachis et aliis, ad quos

spectat, et spectabit in futurum, ut tibi in omnibus et singulis praemissis prompte pareant et obsequantur, tuaque salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles, ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 5. Decernentes, praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et a monachis saepe memoratae congregationis inviolabiliter et inconcusse observari debere, irritum enim decernimus et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 6. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae nostrae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, dictaeque congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus, pro hac vice tantum, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Interim, ad prosperum antedictorum omnium successum, et caelestis praesidii auspicium, et pontificiae nostrae studiosaeque voluntatis pignus, apostolicam benedictionem tibi, ven. frater, quam ipsis monachis fraternitati tuae parentibus nostro nomine elargiri valeas, ex intimo corde depromptam impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. maii MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXVIII.

Monachos Maronitas Congregationis Libanensis ad concordiam et unitatem revocat, eosque hortatur ad parendum Patriarchae in iis quae ipsi mandata sunt per antecedentes literas (1).

Dilectis filiis Superioribus, Abbatibus et Monachis Congregationis S. Antonii Abbatis Libanensis nuncupatae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanta quidem pontificiâ caritate ac beneficentiâ quantisque apostolicae providentiae munificentiaeque argumentis congregationem vestram, dilecti filii, per omne tempus Romani Pontifices praedecessores nostri prosecuti fuerint, nosque ipsi complecti pergamus, vobis prae ceteris notum compertumque esse non ambigimus. Quantâ vero maiori curâ, solicitudine et labore ac molestiâ adhuc afficiamur ob exorta inter vos gravissima dissidia, partium studia et regularis disciplinae detrimenta, non sine ingenti bonorum omnium offensione et scandalo in dies increscentia, nec nos ipsi verbis explicare, sed lacrymis adaequare, nec vos ipsi comprehendere valetis. Quoniam autem immensa supremi pastorum Principis Iesu Christi, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, caritas urget nos, et iniecta omnium ecclesiarum solicitudo exposcit, ut nulla apostolici ministerii nostri officia ubique gentium desiderari patiamur; eapropter ad auferenda et penitus e medio congregationis vestrae tollenda ea, quae perturbant, dissidia, et ad veram stabilemque vobis conciliandam pacem et concordiam, ut maiori cum alacritate, pietate et regularis disciplinae observantiâ suave iugum et leve onus Iesu Christi, quod hilari libentique animo suscepistis, in religiosâ Congregatione vestrâ portare studeatis; alias nostras in simili formâ Brevis literas hac ipsâ die damus ad ven. fratrem Tobiam Petrum Patriarcham vestrum. In ipsis sane literis ea continentur apostolicae providentiae, caritatis auctoritatisque mandata, quae ad antedictum effectum consequendum maxime conducunt. Itaque, dilecti filii, rogamus vos atque in Domino hortamur, ne in vacuum recipiatis Apostolicae huius Sedis gratiam, sed potius, quemadmodum decet potissi-

(1) Ex Arch. Congr. coll. cum Reg. Vat.

mum religiosos viros sub suavi Religionis iugo ad famulandum Altissimo mancipatos, ita vos geratis, ut unanimes ipsum Patriarcham vestrum iis, quibus fas est, reverentiae, obedientiae et amoris sensibus excipiatis, eiusdemque mandatis, nostro nomine et auctoritate praescribendis, ita parere contendatis, ut et nostram et Apostolicae Sedis benevolentiam magis promereatis, atque uberrimam coelestium munerum copiam a bonorum omnium largitore Deo iusto remuneratore vobis polliceri valeatis. Nos interim apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII. maii MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

CLXXXIX.

Missam celebrantes, aut fidelium confessiones excipientes, ad presbyteratus ordinem non promoti, quibus poenis ex sacrorum canonum et apostolicarum constitutionum praescripto subiiciantur; quae praxis hactenus in iudiciis adversus huiusmodi reos sit servata, et quomodo in posterum sit providendum.

Epistola Encyclica ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, locorum Ordinarios.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Pontific. constit. de celebr. non promotis, eorumque poenis.

§ 1. Quam grave horrendumque scelus admittat quicumque, sacerdotali ordine non initiatus, sacrificium missae celebrare praesumit, superfluum censemus multis verbis demonstrare; quum omnibus perspectae sint rationes, ob quas sacrilegum huiusmodi crimen merito detestandum, atque districto poenarum gladio vindicandum censetur. Satis itaque erit apostolicas praedecessorum nostrorum constitutiones hic indicare, quibus severissimae adversus memorati criminis reos poenae statuuntur; quae scilicet a fel. record. Paulo IV., Sixto V., Clemente VIII. et Urbano VIII. Romanis Pontificibus editae fuerunt; quarum sanctionibus decernitur, ut quicumque sacerdotali charactere destitutus, compertus fuerit missam celebrasse, foro saeculari puniendus tradatur.

Addita huiusm. sanctionis firmitas contra excogitatas fraudes.

§ 2. Has omnes constitutiones nos ipsi memoravimus et confirmavimus in nostra, quam usque ab anno incarnationis dominicae MDCCXLIV. pontif. nostri IV., sub dat. XII. kalen. maias edidimus, cuius initium est: *Sacerdos in aeternum,* quaeque impressa est in Bullario nostro *t. 1, n. 97* (1), ubi praeterea plures tolluntur exceptiones et subterfugia, quae per defensores reorum afferri solebant, ut eos eximerent a decreta poena traditionis brachio saeculari; quantumque legitimis probationibus plane constaret, eosdem, sacerdotali ordinatione nunquam suscepta, missam celebrasse.

Poenam in perditos homines sic irrogat Eccl., ut lenis piaeque Matris spiritum servet.

§ 3. Quamvis autem Ecclesia praefatos celebrantes non promotos, iustitia sic exigente, saeculari Foro tradendos decrevit; quum tamen eadem pia mater sit, et, ut omnibus constat, lenitatis et misericordiae viscera gerat, nec umquam omisit, nec adhuc desinit mansuetudinis suae argumenta praebere, tum in statuenda forma degradationis verbalis quae realem degradationem praecedit, tum in ipsa reali degradatione exequenda, tum denique in providis legibus et cautelis editis atque susceptis, ut nequissimos homines arceret a sacrilego ausu se se immiscendi sacror. mysteriorum celebrationi, absque sacerdotali ordine et charactere, viam illis quodammodo praeoccupando, qua in praefatam poenam traditionis brachio saeculari proruere possent.

Id eruitur primo ex praescripta verbalis degradationis forma.

§ 4. In Pontificali Romano habetur forma degradationis verbalis, per quam videlicet profertur sententia decernens realem degradationem, non minus in eos, qui sacris Ordinibus, excepto presbyteratu, insigniti sunt, quam et caeteros clericali tantum tonsura aut minoribus initiatos. Hoc solum inter utrosque intercedit discrimen, quod in clericos minorum ordinum, aut simpliciter tonsuratos, verbalis degradatio peragitur, seu quod idem est degradatio realis decernitur a solo Episcopo, absque aliorum quorumcumque interventu: in alios vero maioribus ordinibus infra sacerdotium insignitos non licet Episc. ad verbalem degradationem procedere, nisi assistentibus et suffragium simul ferentibus aliis quibusdam personis, quarum praesentiam sententiamque canonicae leges exposcunt.

---

(1) Vide supra pag. 139.

Indicant. de ea canonicae sanctiones.

§ 5. Celebris est decretalis praedecessoris nostri Bonifacii Papae VIII. *in cap. Degradatio, de poenis in sexto,* ubi haec leguntur: *Super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio seu depositio ab ordinibus vel gradibus ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione clericorum in sacris constitutorum Ordinibus certo Episcoporum numero definito canonibus, facienda; quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum praesentia, sufficiat in degradatione eorum, qui minores dumtaxat ordines receperunt.*

Subsidiaria degradationis forma a Concilio Tridentino permissa.

§ 6. Notae sunt etiam sanctiones canonum, quos indicat glossa canonica, *in cit. cap. Degradatio, in verbis Canonibus de poenis, in sexto,* quique definiunt numerum Episcoporum, qui assistere debent, ubi pronuncianda sit degradatio verbalis adversus clericum in maioribus ordinibus constitutum.

Assessores in verbali degradat. quo iure fruantur.

§ 7. Nec quemquam latere potest, quod in sacro Concilio Tridentino statutum fuit *Sess. XIII. cap. 4 de reform.*, ubi quum animadversum fuisset, non ita facile in occurrentibus degradationum casibus reperiri posse numerum Episcoporum a canonibus requisitum, facultas fit Episcopis procedendi etiam absque illis; adhibitis tamen sibique ea in re assistentibus totidem abbatibus, in civitate aut dioecesi residentibus, atque usu mitrae et baculi ex Apostolicae Sedis indulto decoratis, vel, si hi non adsint, aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, matura aetate et sacrarum legum scientia spectabilibus.

§ 8. Quoniam vero, iuxta veterem disciplinam, verbales degradationes peragebantur in Synodis provincialibus, et in his quidem singuli Episcopi suum proferebant suffragium; quum nunc Episcopi, vel alii ecclesiastici viri, de quibus diximus, locum gerant Patrum in Conciliis Provincialibus assidentium, facile intelligitur, in hos derivatum esse ius ferendi suffragii in degradationibus verbalibus, ad quas, uti assessores, invitantur; quemadmodum plene demonstratum a nobis fuit in nostro Tractatu *De Syn. dioec., lib. 9, c. 6, n. 4 noviss. ed.*

In reali quoque degradat. Ecclesia eadem praebet lenitatis argum.

§ 9. Verbalem degradationem sequitur degradatio realis, cuius exequendae ratio distincte praescribitur in Pontificali Romano. Et in hac etiam Ecclesia minime omittit perspicua lenitatis et pietatis suae argumenta praebere. Etenim, priusquam degradatum tradat saecularis curiae ministro, pro eo efficaciter deprecatur, ne poena mortis aut mutilationis membrorum, eidem infligatur: *Domine Iudex,* verba sunt citati pontificalis, *rogamus vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, pietatis et misericordiae intuitu, et nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis vel mutilationis periculum inferatis.* Multoque ante Pontificalis Romani compilationem, idipsum expressum legitur in *Cap. Novimus,* quod est Innocentii III. *De verbor. significat.* ibi: *Pro quo tamen,* sermo est de degradato saeculari curiae tradendo, *debet ecclesia efficaciter intercedere,* apud iudicem laicum, *ut, citra mortis periculum, circa eum sententia moderetur.* Videri quoque potest Alteserra *ad cit. Cap. Novimus, de verb. signif.* ubi plures colligit patrum auctoritates congruentes iis, quae in praeindicata decretali statuuntur.

Idem spiritus eruitur ex cautelis ad praecavenda delicta statutis.

§ 10. Ad confirmandum autem assumptum nostrum, de summo pietatis studio, quo Ecclesia etiam nil tale meritos prosequitur, viamque ipsi intercludere nititur, ne mortis poenam per delicta incurrant, dicimus, antiquissima providentia cautum fuisse, ut, qui e propria in alienam dioecesim transgreditur, nisi fuerit in hac plene cognitus, secum ferat Ordinarii sui literas, quibus fides fiat, eum esse sacerdotem, nulloque, quod sciatur, canonico impedimento detentum, quominus sacra mysteria celebrare queat. Iam id decretum habetur in sacra Chalcedonensi Synodo; ubi quum interdictum legatur clerico atque lectori e sua in aliam dioecesim commigrare, non praeobtentis memoratis literis, quas *discessus* appellamus, a proprio Episcopo, Iacobus Cuiacius aliique post eum accurati scriptores monuerunt, cum vera textus lectione non congruere verbum *lectori,* sed *ignoto;* quemadmodum et ipsi adnotavimus *in nostra institutione 34, editionis latinae,* § *1.* Quod si vetustiora etiam propositae disciplinae principia investigare libeat, consuli possunt canones, qui apostolici vocantur, apud Cotelerium in editione *Patrum Apostolicorum, Tom. 1, lib. 8,* inter quos adest Canon. XIII. ita decernens: *Si quis clericus, aut laicus, a communione suspensus, vel communicans, ad aliam properet civitatem, et suscipiatur praeter commendatitias literas, et qui susceperunt et qui susceptus est communione priventur: excommunicato vero protuletur ipsa correptio, tamquam in men-*

Provida sanctio de sacerdot. e propria in alien. dioecesim commigr.

Vetustiora circa id ipsum monum.

titus sit, et Ecclesiam Dei seduxerit. Consonat huic Canon XXXIV., ut patet ex subiectis illius verbis: *Nullus Episcoporum peregrinorum, aut presbyterorum, aut diaconorum, sine commendatitiis suscipiatur epistolis; et cum scripta detulerint, discutiantur attentius; et ita suscipiantur, si probatione pietatis extiterint: sin minus, nec quae sunt necessaria subministrentur eis, et ad communionem nullatenus admittantur, quia per subreptionem multa proveniunt.*

Canonum apostol. auctoritas et antiquit.

§ 11. Porro, quidquid disputent eruditi de vero Canonum Apostolicorum auctore, certum est, eos magnum auctoritatis pondus habere, quum saltem saeculo Ecclesiae tertio decurrente collecti fuerint ex pluribus Conciliis ante Nicaenam Synodum celebratis: uti nunc temporis inter sacrarum antiquitatum investigatores convenire videtur.

Vetustioribus congruunt recentior. ecclesiae leges.

§ 12. Sanctissimis hisce legibus conformes sunt Concilii Tridentini sanctiones: conformes sunt epistolae encyclicae a Congregationibus Urbis ad ecclesiarum Antistites saepe transmissae. Idque etiam pro firmo tenendum est, quod licet non oporteat Episcopum sollicitum esse de regularibus, qui in propriis ecclesiis missas celebrare intendunt, quum eius rei cura reservata sit eorum superioribus regularibus; si quis tamen saecularis sacerdos in ecclesiis regularium missam celebrare velit, hic etiam debet literas Discessus a proprio Ordinario obtentas exhibere Episcopo, in cuius dioecesi sacrum vult peragere, uti videre quoque est in nostra *Institutione 34, latinae editionis,* § *1.*

Novae cautelae in ipsum excogitatae, ac praescriptae.

§ 13. Veterem hanc iustissimamque sanctionem, de cuius executione plura tradiderunt nostri scriptores pragmatici (quos inter merito memorandus est diligentissimus Monacellus *Formular. legal. part. 1, tit. 4, formul. 8, pag. 81, et formul. 6, pag. 79 item tit. 6, formula 18, pag. 160*), providis excogitatis cautelis plurimum roboravit magnus Ecclesiasticae disciplinae restitutor S. Carolus Borromaeus, cuius hac de re decreta pluribus in locis extantia studiose legenda et expendenda monemus; videlicet in Concilio Provinciali Mediolanensi primo habito anno MDLXV. *par. 2,* in secundo pariter provinciali anni MDLXIX. *Tit. 2, Decret. 1,* ac in provinciali tertio, anni MDCCLIII., item de instructione ad sacerdotes de celebratione missae, ac denique in Concilio Provinciali quarto celebrato anno MDLXXIX. Quibus in locis constitutum habetur, ut parochus, in cuius paroecia sacerdos alienigena domicilium figit, si id per dioecesim contingat, intra octo ad summum dies, illius adventum nunciare debeat vicario foraneo, qui rem ad Episcopum defert: si autem in civitate, parochus ipse de omnibus certiorem faciat Episcopum, qui sibi literas discessus ab huiusmodi sacerdote exhiberi mandet, easque inspiciat, totumque earum tenorem sedulo expendat. Si enim Ordinarius subdito sibi sacerdoti licentiam abessendi ad certum definitumque tempus indulserit, facultas celebrandi missam eidem non ultra tempus illud concedenda decernitur. Notanda quoque iubetur dies qua expeditae fuerunt literae discessus; ne scil. ante eam diem, qua inspiciendae ac discutiendae offeruntur, antiquiores sint duobus, vel quatuor, aut respective sex mensibus: duobus nimirum, si literae confectae sint intra provinciam; quatuor vero, si extra provinciam, in Italia tamen, expeditae fuerint; sex denique, si extra Italiam datae comperiantur.

Praemissorum conclusio.

§ 14. Ex omnibus hisce tum generalibus, tum peculiaribus sanctionibus manifeste desumitur, quantopere Ecclesia abhorreat ab ea poena ad effectum perducenda, quam sacri Canones in celebrantes non promotos sanxerunt; quandoquidem tot veluti aggeres hominibus obiiciuntur, ne in eiusmodi delictum labantur, unde locus fiat executioni eiusdem poenae sacris legibus definitae.

Instaur. validius argum.

§ 15. Maioris tamen ponderis, ad hoc ipsum evincendum, est id, quod subiicimus. Sistit se aliquis coram ecclesiastico iudice, seque ipse denunciat, quamvis sacerdotali ordine destitutum, missarum sacrificia celebrasse, vel etiam sacramentales Christifidelium confessiones audisse. Ita se sponte sistens, eo privilegio gaudet, ut, impositis ipsi salutaribus poenitentiis, dimittatur; nisi tamen in ipso suo constituto diminutus, ut aiunt, vel aliunde praeventus fuerit; in his enim casibus carceribus custodiendus includitur. Sed si idem subinde iudici interroganti, an sciat causam, ob quam carceribus mancipatus sit, statim, non expectatis ulterioribus interrogationibus seu quaesitis, sincere rem totam aperiat; quamvis de illius incursu in poenales apostolicarum constitutionum sanctiones non dubitetur, ideoque dignus sit, qui saeculari foro, uti capitalis criminis reus, libere tradatur; nihilominus admittitur ad

Cum se sponte sistentibus, vel crimen statim fatentibus quomodo res transigat.

beneficium minorationis poenae, commutata ipsi poena mortis in damnationem perpetuam ad triremes; uti testatur bon. mem. Cardinalis Albitius harum rerum peritissimus, in suo tractatu *de inconstantia in fide, part. 1, cap. 14, num. 70. Si vero citatus et vocatus ad generalem interrogationem, an sciat qua de causa fuerit vocatus, vel sciat causam suae carcerationis, vel quomodo hic reperiatur, fatetur de plano veritatem, is tractatur ac si esset sponte confessus, et cum eo mitius agitur, praesertim post condemnationem, ut scilicet gravior poena commutetur in mitiorem etc. Et ita fuit resolutum in sacra Congregatione sub die* XII. *maii* MDCIV.

Hodierna praxis circa verbalem et realem degradat.

§ 16. Illud etiam animadversione dignum est, quod quamvis in Pontificali Romano praescripta reperiatur degradatio, etiam a prima clericali tonsura, licet de hac quaestio sit, an inter ordines numerari debeat, nec ne; possitque iudex ecclesiasticus, uti praenotavimus, quando agitur de minoribus ordinibus, solus per se verbalem degradationem peragere, quod ipsi non licet sine aliorum interventu, ubi res est de ordinibus maioribus; nihilominus nunc temporis sacerdotes, aliique clerici, tam maiorum, quam minorum ordinum, ad triremes libere amandantur, vel etiam perpetuo carceri mancipantur, sine praevia verbali, multoque minus reali, degradatione; uti cuique perspectum est, et adnotatum quoque fuit a sacerdote Catalani *Comment. ad Pontif. Rom., Tit. 16, § 4, n. 6, Tom. III.*

Factum unde exorta praesens quaestio.

§ 17. In tribunalium ecclesiasticorum carceribus nunc quoque satis superque reperiuntur aliqui, eo nomine detenti, quod sacerdotali Ordine carentes, missas celebraverint, sacramentales fidelium confessiones exceperint, iisdemque etiam eucharisticam communionem expetentibus particulas distribuerint a se nulliter consecratas. Hos inter, duo erant, qui statim ac interrogati fuerunt, num detentionis suae causam scirent, omnia ingenue confessi sunt; orta est quaestio, an iidem admittendi essent ex quo ad beneficium minorationis poenae; ita nimirum, ut non quidem saeculari foro traderentur, tamquam capitis rei; sed potius in triremes seu carcerem perpetuo detruderentur.

Iudicum, consultorumq. circa ipsam sententiam.

§ 18. Nulla quidem discordia detecta est in suffragiis eorum, qui sive consulendo, sive iudicando, in praedictorum causis sententiam dixerunt, super eo, an uterque reus poenam traditionis foro saeculari, atque adeo capitis poenam incurrisset. Verum nonnulli subdiderunt, attenta eorum prompta confessione, quo unusquisque delictum suum plene aperuerat, non expectatis ulterioribus iudicis interrogationibus; ambos promeritos esse, ut pro sponte confessis haberentur, utque propterea ad triremes dumtaxat vel carcerem perpetuo damnarentur. Alii autem numero plures censuerunt, eosdem, tamquam capitis reos, brachio saeculari libere tradendos esse.

Definitivum de eadem iudicium Pontificis.

§ 19. Nos vero, quamvis ob aegritudinis nostrae pervicaciam, Congregationibus super his habitis, ut semper alias nobis in more positum fuit, interesse non potuerimus; quum tamen subinde omnia perlegere et expendere non omiserimus, pontificiae clementiae et mansuetudini magis consentaneum existimavimus, in mitiorem sententiam concedere; eo vel magis, quod et Cardinalis Albitius in huius generis rebus adeo versatus testatum reliquit, eiusmodi poenae minorationem, veluti prooemium, indulgeri consuevisse iis, qui ad primam iudicis interrogationem delictum suum integre aperteque fatentur; et plura suppetunt exempla causarum, quae in similibus circumstantiis ita transactae fuerunt. Itaque volumus praefatos reos promeritae poenae minoratione in praesenti casu gaudere, nimirum triremibus perpetuo addici; ita ut ab iis nunquam dimitti, seu poenae huiusmodi commutationem ullam impetrare valeant, praeter quam a Romano Pontifice pro tempore existente, ac de eorum delictis, cum omnibus adiunctis circumstantiis, edocto; relicta dumtaxat iudicibus facultate, ut quoties perpetuum triremium opus praefatis reis minime congruere videatur, in illius locum subrogare valeant perpetuam in ergastulo aut reclusionem carcere, si reliqua ipsis ad id necessaria non desint. Praeterea volumus atque mandamus, ut quum damnatio ad triremes, seu ad perpetuam reclusionem, ut supra, praefatis reis formiter intimanda erit, id fiat a iudice, praesentibus iis, qui ad ecclesiarum sacraria moderanda deputati sunt, quique ad huiusmodi actum evocandi erunt ab ipso iudice sub poenis eiusdem arbitrio infligendis; atque ea occasione gravis admonitio iis fiat, de omnimoda observantia et executione eorum, quae saepe praescripta sunt; ne scilicet ignotos sacerdotes missam celebrare permittant, nisi postquam literae discessus, quas secum a

Sententia in huiusmodi reos quomodo a iudice ferenda.

propria dioecesi prodeuntes attulerunt, recognitae et examinatae fuerint per eum, cui huiusmodi cura demandata est. Id ipsum enim praestitum alias fuisse meminimus in hac eadem Urbe, sub fel. rec. praedecessore nostro Clemente Papa XI. tunc quum saeculari foro traditus fuit reus quidam capitali poena plectendus, eo quod sacerdot. ordine non insignitus, missam celebraverat.

Haec quoad anteactum tempus. Nova in futurum contra nequissimum scelus parantur subsidia.

§ 20. Cum iis igitur, qui usque nunc comperti fuerint ad sacrum presbyteratus ordinem non promoti missam celebrasse, aut sacramentales confessiones excepisse, iuxta rationem hactenus descriptam, a competentibus iudicibus et tribunalibus agendum decernimus. Sed quoniam huiusmodi crimen, utpote gravissimum, et satis superque frequentatum, omni ratione praecavendum, et, quantum fas est, a Christiana Republica eliminandum extirpandumque nobis esse cognoscimus; novam hac de re legem a nobis statutam per apostolicam constitutionem (cuius exemplum epistolae huic adnexum fraternitas tua accipiet) in posterum, post tres scilicet menses ab eiusdem constitutionis data computandos, omnino servari et ad effectum perduci mandamus, tibique interim, venerabilis frater, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II. augusti MDCCLVII., pontif. nostri anno XVII.

CXC.

Celebrantibus missam, aut fidelium confessiones excipientibus, sine sacerdotali charactere, sincera criminis confessio facta in primo interrogatorio generali nihil suffragatura decernitur, ad evadendam poenam traditionis brachio saeculari, indictam in constitutionibus apostolicis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§ 1. Divinarum humanarumque legum custodia vigilantiae nostrae concredita hoc nobis onus imponit, ut et assiduo studio caveamus, ne scelera atque flagitia contra ipsas leges committantur et ut ea, quae ab iniquitatis filiis perpetrari contingat, iusto poenarum rigore, ad formam sanctionum iisdem legibus adscriptarum, puniri et vindicari curemus.

Praedecessor. Pontific. constitution. de celebrantibus non promotis iam pridem a Pontifice confirm. ac plurib. additam. elucidatae.

§ 2. Sane nos alias, gravissimum eorum delictum detestantes, qui ad Sacerdotalem Ordinem non promoti missarum sacrificia celebrare, fidelium confessiones excipere, et accedentibus ad eucharisticam mensam panem a se nulliter consecratum distribuere ausu temerario praesumerent; edita constitutione, quae incipit: *Sacerdos in aeternum:* data XII. kalendas maii anno Incarnationis dominicae MDCCXLIV. pontificatus nostri IV., antiquiores praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones adversus huius generis delinquentes iampridem editas confirmantes et innovantes, complures alias declarationes atque cautelas addidimus, ad eliminandum a Christiana Republica sacrilegum eiusmodi facinus maxime opportunas, quae distincte legi possunt in citata constitutione nostra, impressa in Bullario nostro, *Tom. I., n. 97.*

Nova provid. adversus novum effugium nunc roborandae.

§ 3. His tamen ampliorem providentiam nunc superaddere cogimur, ut aliud delinquentibus effugium ibi non enunciatum, et ab invecta sensim in tribunalibus consuetudine iam ipsis pene concessum, quo debitas sibi graviores poenas plerique evadere possent una cum caeteris per dictam constitutionem nostram sublatis, pariter adimamus.

Benigna agendi ratio cum reis delictum suum prompte fatentibus iam pro consuetudine recepta

§ 4. Invenimus siquidem hunc morem hactenus observari consuevisse, ut si reus constitutus, quum primum a iudice interrogatus fuerit, an sciat qua de causa carceribus inclusus sit, aperte et candide delictum suum fateatur et narret; tunc is, veluti sponte confessus, ad obtinendam poenae minorationem habilitetur; quod nimirum eo recidit, ut ad Triremes, vel ad carcerem perpetuo damnetur, sed nequaquam foro saeculari tradatur, tamquam capitalis criminis reus; quemadmodum praefatae praedecessorum nostrorum constitutiones, a nobismet ipsis, ut supra diximus, confirmatae et innovatae praescribunt; uti latius a nobis expositum est in epistola encyclica ad Antistites Ordinarios locorum, et iudices in hac materia competentes, hac ipsa die per nos data.

Eadem delinquentibus nota, impunitat. plerisque praestat.

§ 5. Quum autem experientia compertum fuerit, plerosque reos, qui sacerdotali charactere carentes missam celebrarunt, aut sacramentum Poenitentiae nulliter mi-

nistrarunt, de huiusmodi tribunalium indulgentia satis edoctos, vix umquam omittere, quin statim atque carceribus detenti et coram iudice constituti fuerint, delictum suum diserte confiteantur, ad hoc ut traditionem foro saeculari, extremumque supplicium exinde consequens evadant; quumque hac ratione reipsa eveniat, ut vix ullus sit ex huiusmodi criminis reis, qui moderationem poenae in praefatis constitutionibus statutae non obtineat, eoque beneficio fruatur, ut, quum saeculari foro, tamquam capitali iudicio damnatus et mortis reus, tradendus fuisset, perpetuo potius carceri aut triremibus mancipetur;

Huiusmodi praxis in posterum tempus proscribitur, et constitut. rigor servandus iubetur.

§ 6. Idcirco nos perniciosam huiusmodi praxim de medio tollere coacti, motu proprio, et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, per hanc nostram perpetuo valituram constitutionem decernimus atque statuimus, in posterum, videlicet post tres menses a data praesentium literarum computandos, nulli amplius clerico sive laico saepedicti criminis reo promeritae poenae minorationem ullam concedi debere, sive posse, intuitu promptae apertaeque confessionis, qua delictum suum in circumstantiis superius enunciatis iudici fassus fuerit; sed, ea non obstante, omnes et singulos in praecedentibus constitutionibus hac de re editis comprehensos, a iudice competente, in casibus ibidem expressis, praevia etiam degradatione, quatenus opus sit, tradendos omnino fore et esse brachio saeculari, capitali poena puniendos.

Tollitur aliter iudicandi interpretandique facultas.

§ 7. Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. Cardinales, nostrosque et Apost. Sedis etiam de latere legatos, seu Nuntios, et in quibuscumque tribunalibus et officiis, etiam specifica mentione dignis, sublata cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari, definiri et post lapsum trium mensium, ut supra, ad executionem et effectum omnino perduci debere.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus contrariis quibusvis generalibus vel specialibus constitutionibus, ordinationibus et decretis; nec non dictorum tribunalium et officiorum praxi, stylo, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; personarum quoque, locorum et ordinum, congregationum, societatum, institutorum et militiarum privilegiis, exemptionibus et indultis, quae supradictae prioris constitutionis nostrae executioni decrevimus non obstare: quibus omnibus et singulis, etiam ad praesentium literarum nostrarum effectum, iterum plenissime derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§ 9. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrorum decretorum, statutorum et derogationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Dei omnipotentis, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCLVII., quarto nonas augusti, pontificatus nostri anno XVII.

CXCI.

Laudat monachos Graeco-Melchitas Ordinis S. Basilii Congr. S. Ioannis Baptistae de Soairo in Syria, quod Const. Demandatam *pareant, quodque constitutiones suas S. S. approbationi subiecerint; moniales in suum patrocinium suscipit ab ipsis dirigendas etc.*

Dilectis filiis Ignatio Gerbua abbati generali, nec non abbatibus et monachis Graecis-Melchitis ordinis S. Basilii M. congregationis sub invoc. S. Ioannis Baptistae de Soairo in Syria,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecti filii,
salutem et apostolicam benedictionem.

Non possumus satis aptis verbis explicare ingentem laetitiam qua, supremas pastorum Principis Iesu Christi vices in terris gerentes, inter gravissima sacrosancti apostolatus curas et solicitudines sese undique aggerentes perfundimur, cum audimus ea, quae a nobis maximâ cum providentiâ, salutari consilio et maturâ deliberatione alias ad regularem monasticae disciplinae observantiam sive inducendam sive adaugendam opportune decreta et praescripta sunt, sincerâ cum obedientiâ suscepta alacri animo debitâque apostolicis constitutionibus veneratione sedulae executioni dari et studiosissime observari. Eapropter maximopere laetati sumus dilectis filiis abbate Ioanne Naccasi et monacho Thoma Cheobagi eiusdem Ordinis vestri expresse professis ad

Apostolicam hanc S. Sedem accedentibus, qui retulerunt non solum omnia decreta in constitutione nostrâ super ritibus Graecorum Melchitarum die XXIV. mensis decembris anno MDCCXLIII. datâ, quae incipit *Demandatum caelitus humilitati nostrae,* contenta in Ordine memorato exacte servari; verum etiam regulas et constitutiones iuxta laudata decreta nostra a vobis concinnatas, ut apostolicâ auctoritate nostrâ approbare et confirmare dignaremur, nomine ac supplicationibus et bo. me. Nicolai Saieg, dum in humanis ageret, Abbatis generalis praedecessoris tui, et totius Congregationis tuae humiliter exorari. Interea dum dilectus filius noster Fortunatus S. R. E. Cardinalis Tamburinus unus ex Congregatione Propagandae Fidei praepositâ, ad quem antedictas regulas examinandas remiseramus, expenderet, dolentes quidem ipsum Nicolaum Saieg viam universae carnis ingressum, te vero, dilecte fili Ignati, in eiusdem locum et munus suffectum esse Abbatem generalem gaudentes accepimus, quippe qui praeclaram de religiosis virtutibus tuis habebamus opinionem; proinde tecum, dilecte fili, atque cum totâ Congregatione ex animo gratulamur, fore in Domino nobis pollicentes, ut Congregatio huiusmodi auspicio ductuque tuo nova semper catholicae pietatis, ortodoxae fidei, et regularis disciplinae incrementa accipiat et proferat, etiam quoad dilectas in Christo filias moniales sub pari regulâ Domino famulantes; quas quidem sub protectione Apostolicae huius S. Sedis et eiusdem Congregationis de Propagandâ Fide recipimus; ipsarum vero regimen tum spirituale tum temporale ad vos spectare decrevimus. Porro cum laudatus Fortunatus Cardinalis saepedictas Regulas et Constitutiones laudasset et approbasset, necnon dignas existimasset, ut per apostolicas nostras in simili formâ Brevis literas confirmarentur, nos pontificiâ benignitate et auctoritate praestare non omisimus. Ceterum, dilecti filii, qui inter densissimas infidelium, haereticorum et schismaticorum tenebras, aeque atque alii orthodoxi populi Apostolicae huic S. Romanae Sedi addictissimi cum quibus regiones Syriae incolitis, tamquam stellae fulgetis, satagite ut, novâ semper luce adaucti, ardentes faces iis praeferre studeatis, qui veritatis lumen non aspiciunt. Nos interim coelestis praesidii auspicem, et columen studioseque nostrae ad vobis gratificandum voluntatis pignus esse cupimus apostolicam benedictionem, quam uberrimâ cum divinorum munerum copiâ coniunctam vobis atque ipsis monialibus peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII. augusti MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVII.

CXCII.

Damnat et prohibet epistolam manuscriptam, quae directa legitur: Amplissimis S. R. E. Cardinalibus, et clarissimis Theologis in Urbe Praeneste congregatis, post pacem Ecclesiae Gallicanae restitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide ad haereticos profligandos, ad gentiles et atheos in sinum Ecclesiae reducendos.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad perpetuam rei memoriam.

Epist. cui praefixa est direct. huiusmodi *Amplissimis* etc. Theologi, quorum examini a Pontifice subiecta fuit, damnandam et proscribend. esse censuerunt.

§ 1. Cum ad nonnullos ex venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus pervenerint exempla manuscripta cuiusdam epistolae, cui praefixa est directio huiusmodi — *Amplissimis S. R. E. Cardinalibus et clarissimis theologis in Urbe Praeneste congregatis post pacem Ecclesiae Gallicanae restitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab alumnis Collegii Urbani de Propaganda Fide, ad Haereticos profligandos, ad Gentiles et Atheos in sinum Ecclesiae reducendos,* quae incipit: *Haec sunt dubia etc.,* ac desinit in ea verba: *et explodendam novitatem;* unumque etiam ex huiusmodi exemplis transmissum fuerit ad dilectum filium nostrum Albericum eiusdem S. R. E. Cardinalem Archintum nuncupatum, nostrum in universi status negociis secretarium, eo scilicet consilio, ut nostris quoque oculis epistola ipsa subiiceretur, id quod est factum: cumque officii nostri partes sint, pro commissi nobis divinitus gregis dominici cura, animarum periculis atque detrimentis, quae ex praefatae epistolae lectione et usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere: idcirco nos statim aliquot viros doctos, theologicae facultatis professores, nulliusque partis studio addictos, elegimus, iisque iniunximus, ut de praedicta epistola, deque in ea contentis, iudicium

facerent, qui sane mandatis nostris diligenter obtemperantes, sententiis suis docte prudenterque conscriptis, unanimiter censuerunt, praedictam epistolam, utpote refertam assertionibus respective falsis, temerariis, scandalosis, multimode iniuriosis, contumeliosis, impudentibus, captiosis, seditiosis et schismati faventibus, damnandam a nobis et proscribendam fore.

Horum theolog. iudicium comprob. nonnulli S. R. E. Cardinal. quibus a Pontifice eiusdem epistolae examen fuit demandat.

§ 2. Relato theologorum examini successit aliud, quod nos ipsi pariter commisimus nonnullis venn. fratribus nostris praedictae S. R. E. Cardinalibus theologicarum disciplinarum scientia praestantibus; qui eadem epistola mature perpensa, ponderatisque dictorum theologorum suffragiis, in eamdem cum ipsis sententiam convenerunt, quaeque ab illis adducta et firmata sunt, suis quoque calculis comprobarunt.

Rem totam ipse per se Pontif. confider. et expendit, negotiumque communicavit cum S. R. E. Card. S. Inquisit. qui pariter epistolam proscribendam iudicar.

§ 3. Nos denique ipsi, quaecumque in primo et altero examine discussa fuerant, inspicere, legere et considerare non praetermisimus; dictaeque epistolae tenorem cum illius censura studiose comparavimus. Subinde vero nos ipsi rem totam communicavimus cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Repub. Christ. generalibus inquisitoribus adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica deputatis, in sacrorum Canonum sanctionibus, graviorumque negociorum tractatione apprime versatis; quibus quum omnia distincte exposuerimus, quae tum a nobis gesta sunt, tum a praedictis theologis et Cardinalibus in priori et posteriori epistolae examine prae oculis habita fuerunt; his quoque consentibus praedictam epistolam damnandam et proscribendam esse; nos, inhaerentes huiusmodi theologorum et Cardinalium iudiciis atque consiliis, ac etiam motu proprio, et certa scientia nostra, praesentium literarum tenore, saepedictam epistolam, tamquam continentem assertiones respective falsas, temerarias, scandalosas, multimode iniuriosas, contumeliosas, impudentes, captiosas, seditiosas et schismati faventes, auctoritate apostolica damnamus et reprobamus, eiusque exempla legi, describi, et retineri prohibemus: mandantes omnibus et singulis Christifidelibus, qui eiusmodi exempla penes se habuerint, seu in quorum manus subinde pervenerint, ut illa, statim atque praesentes literae eis innotuerint, haereticae pravitatis Inquisitoribus, seu eorum Vicariis, ubi adsit Sancti Officii Tribunal, alioquin Episcopis seu Ordinariis locorum, tradere et consignare teneantur: sub poena excommunicationis maioris, quoad personas saeculares; quo vero ad personas ecclesiasticas, etiam regulares, huiusmodi mandato nostro non obedientes et contrafacientes, sub poena suspensionis a divinis, ipso facto, absque alia declaratione incurrendis; quarum absolutionem et respective relaxationem, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, reservamus; excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam, uniuscuiusque mortis articulo, quo nimirum confessarius quilibet ab huiusmodi censura, ut praefertur, incursa, absolvere poterit.

Apostol. idcirco auctorit. damnatur, eiusque epistolae exempla legi, describi et retineri prohib.

§ 4. Quia vero aequum non est, ut impunitus remaneat auctor praedictae damnatae et proscriptae epistolae, qui per assertiones, ut supra, reprobatas, carpere atque traducere ausus est rectissimam agendi rationem eorum Cardinalium, quorum nos consilio et opera usi sumus, ubi actum fuit de conscribenda epistola encyclica, quae prodiit superiore MDCCLVI. sub Dat. die XVI. mensis octobris; idemque contra ipsam epistolam nostram encyclicam audendo, nos etiam, qui eam conscripsimus, malignitatis suae iaculis petere non veretur; idcirco nos Officio Sanctae Inquisitionis committimus et iniungimus, ut exactissima diligentia adhibita, curet auctorem saepedictae damnatae epistol. qui adhuc latet, detegere et agnoscere: volentes, ut statim ac collecta fuerint indicia, quae semiplenam, ut aiunt, probationem constituant, ad capturam rei eiusmodi indiciis gravati, iuxta stylum et consuetudinem Sancti Officii, deveniatur; deindeque completo et concluso processu, ad ulteriores poenas adversus eum procedatur, iuxta sacrorum Canonum et Constitionum Apostolicarum sanctiones; sic exigente iustitia publica, quae perniciosos huiusmodi ausus severiori vindicta coerceri iubet.

Publicat. harum literar. apost. decernit. et fides earum sumptis habenda.

§ 5. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae generalis in Monte Citatorio et in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illarum personaliter

notificatae et intimatae fuissent: ipsarum autem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, exhibitae si forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die v. septembris MDCCLVII. pontificatus nostri anno XVIII.

CXCIII.

Ignatio Reali, sacr. caeremoniarum praefecto pontificio, scribit de loco spectante Archimandritam Messanensem tam in cappella pontificia, quam in processionibus, nec non de sacris indumentis eidem competentibus in eiusdem cappellae processionibus (1).

Dilecto filio Ignatio pontificiarum caeremoniarum praefecto,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Com'ella ben sa, Monsig. Giovanni di Gregorio, Archimandrita di Messina, diede un Memoriale in cui domandava di avere il luogo nella Cappella *immediate post Episcopos* e che di più se gli prescrivesse il luogo, che doveva avere nelle Processioni non essendo per anche *in Sacris:* Ed avendo noi veduta la materia rispondiamo come appresso.

Indultum ab Urb. VIII. concessum Archimandritae Messanensi super loco in Capella Papali.

Rocco Pirro *nella Sicilia sacra al tom. 2* della stampa di Palermo dell'anno 1733, nella vita di Diego Requisiense Archimandrita di Messina dice che Esso ottenne dal Pontefice Urbano VIII. l'indulto d'intervenire alla cappella papale con rocchetto e cappa, e di sedere nel sedile de' Vescovi dopo l'ultimo Vescovo, e che ciò fu posto in esecuzione nel giorno 13, 14 e 17 d'aprile del 1634; e lo stesso Autore *nell'Auctario sacro dell'Archimandritato di S. Salvatore di Messina* dice che l'Archimandrita esercita giurisdizione quasi episcopale, che fa i Pontificali, che porta avanti di sè la Croce quando visita la sua diocesi, in quella parte però che è separata dalla Diocesi dell'Arcivescovo di Messina. E queste ed altre cose sono pur riferite dalla buona memoria del Cardinal Petra *ad Constitutiones Apostolicas tom. 2, pag. 121 et seq.* dell'Edizione Romana.

Eidem competit iurisdictio quasi episcopalis.

Exempla quoad locum et habitum in Capella Pontificia.

Ma, lasciando Noi da parte queste cose che non hanno che fare a dirittura col caso nostro, e che unicamente si appoggiano al detto d' autori per altro gravi, Noi diremo, ricavarsi dai Diari di Paolo Alaleone, maestro di cerimonie della Cappella Pontificia, che Monsig. Felice Novello d'Amelia, Archimandrita di Messina, assistè nel tempo di Clemente VIII. alla Cappella Pontificia in cappa, sedendo sotto tutti i Vescovi: *Qui fuit cum cappa post omnes Episcopos:* che nel 1634 nel Pontificato di Urbano VIII. fu, coll'esempio di quanto era seguito nel pontificato di Clemente VIII. ammesso nella stessa maniera l'Archimandrita di Messina alla Cappella Pontificia: *Archimandrita Messanae, qui his superioribus diebus venit Romam, et sedit sub ultimo Episcopo, ut sedit de anno* MDXCIX. *tempore Papae Clementis VIII. alius Archimandrita. Iste Archimandrita induit habitu nigro Prothonotarii, videlicet veste subtana cum manteletto. In Cappella fuit, ut suus Antecessor, cum rocheto et cappa violacea cum pellibus armellinis.* E descrivendo lo stesso Maestro di Cerimonie quelli che intervennero ad un'altra susseguente Cappella, così dice: *Archimandrita Messanae cum rocheto et cappa sub ultimo Episcopo.*

Licet careant ordine sacro.

Ed essendo stato la buona memoria del Cardinale Valenti immediato predecessore nell'Archimandritato di Messina del presente Monsig. Gregori, esso intervenne alla Cappella delli 11 marzo 1731, e nell'altra dei 12 maggio dell'anno stesso, sedendo *indutus cappa et rocheto post Episcopos,* ancorchè non fosse allora per anche Diacono e Prete, avendo ricevuto in due ordinazioni separate il diaconato, e poi il presbiterato nel susseguente mese di giugno nell'oratorio, o sia cappella interiore de' Padri di S. Filippo Neri di Roma, come si deduce dai libri del Cardinal Vicario che si sono fatti riconoscere; ed essendo po-

---

(1) Ex Arch. et Bibl. Domus professae Soc. Iesu. Romae, ex typis Generosi Salomoni, MDCCLVIII. Vide inferius, suo loco, quae Pius IX. de Messanensi Archimandrita statuit.

scia stato consegnato Vescovo nello stesso mese di giugno del 1731 col titolo di Arcivescovo di Nicea *in partibus Infidelium.*

Quid vox Archimandrita; quaeque eius iurisdictio?

Archimandrita, o Egumeno, significa Superiore e Governatore. Fu comune questo nome nella chiesa greca ai superiori di ciaschedun Monastero; e moltiplicati poscia i Monasteri e le Congregazioni, quello che presedeva a più Monasteri chiamavasi Archimandrita, come bene osserva il Morino *de Sacris Ordinationibus alla pag. 201.* Una volta l'Archimandrita di San Salvatore di Messina, che è quello di cui ora parliamo, era capo di più di trenta monasteri Basiliani, che oggi dipendono dal Padre Abbate generale dell'Ordine di S. Basilio; e questo stesso monastero è passato in Commenda, come anche bene comprova il celebre Padre Bianchi *nel suo Trattato della Potestà e Polizia della Chiesa al tom. 4, lib. 2, cap. 2, § 3, num. 9.* In molte terre e luoghi ha la giurisdizione quasi episcopale con territorio perfettamente separato; ma ciò non fa che sia obbligato alla residenza: come, disputatasi la materia nella Congregazione del Concilio nel giorno 14 aprile 1646, fu pienamente risoluto: *Sacra Congregatio Concilii post maturam discussionem censuit, supradictum Archimandritam commendatarium ad personalem residentiam non teneri,* come può vedersi *al lib. 18 de Decretis, pag. 72;* essendo però per antichissima consuetudine astretto ad assumere il sacerdozio; come prosiegue il Bianchi *nel luogo citato al § 4, num. 2,* e risulta dalle Bolle Apostoliche spedite a pro di Monsig. Gregori per ottenere l'Archimandritato: *Et cum decreto quod dictus magister Ioannes infra annum proximum ad omnes sacros, etiam presbyteratus ordines se promoveri facere omnino teneatur; alioquin Commenda per praesentes facta cesset, eaque cessante monasterium vacet eo ipso.*

Archimandrita Messanensi non tenetur ad residentiam.

Tenetur ad suscipiendum sacerdotium.

Eiusdem iurisdictio.

Nulla diremo della giurisdizione dell'Archimandrita ordinaria, civile, contenziosa, e criminale in tutti i luoghi della sua Diocesi, ed anche nella città di Messina, sopra i suoi sudditi, essendosi tolte di mezzo tutte le antiche strepitose differenze fra l'Arcivescovo e l'Archimandrita, mediante una transazione ideata, trattata e proposta dal fu Cardinale Valenti, e susseguentemente approvata da Noi con nostra Bolla speciale. Solamente accenneremo, che essendo dopo la detta concordia insorta una nuova controversia in ordine agli esaminatori sinodali necessari per regolare i concorsi nelle provviste delle chiese parrochiali, e ciò per essersi dubitato se avesse l'Archimandrita la facoltà d'intimare il Sinodo, non bastando per quest'effetto il territorio separato, ma essendo necessario un particolare indulto apostolico; propostosi il punto nella Congregazione del Concilio, fu da essa risoluto non aver l'Archimandrita facoltà di tenere il Sinodo per difetto del sopradetto apostolico privilegio, come può vedersi *nel tom. 8 del Tesoro delle risoluzioni della Congregazione del Concilio del 1738, pag. 117 e pag. 125* dell'Edizione Romana: al qual difetto fu poscia da noi rimediato con aver concessa al predetto Cardinale la facoltà di tenere il Sinodo in qualche luogo della sua giurisdizione, fuori però della città di Messina; come il tutto può vedersi *nel nostro Trattato de Synodo Dioecesana* dell'ultima stampa *al lib. 2, cap. 11, num. 7,* ove anche dicesi che il Breve fu personale pel Cardinal Valenti, e che ogni Archimandrita successore dee spedire un nuovo Breve se vuol godere della contrastata prerogativa: *Per praesentes non intendimus, privilegium huiusmodi, circumspectioni tuae specialis favoris gratia concessum, aliis pro tempore futuris Archimandritis suffragari, nisi singuli Archimandritae ab hac Sancta Sede indultum praedictum prius obtinuerint:* sono parole del nostro Breve spedito ai 14 gennaro del 1741.

Nequit examinatores Synodales deputare nisi apostolicum indultum obtinuerit cogendi Synod.

Conceditur ea facultas per Breve extra civitatem Messanensem habendi Synodum, sed in loco suae iurisdictionis.

Gli obblighi dunque di Monsig. Gregori Archimandrita di Messina sono di farsi Sacerdote dentro l'anno, e di spedire il riferito Breve, se vuol godere della grazia concessa al suo predecessore: ma benchè egli non abbia fatta veruna delle predette due cose, ciò non deve impedire che esso sia ammesso alla Cappella vestito colla cappa e rocchetto, sedendo il primo dopo i Vescovi, sì perchè questo è il luogo già stabilito per l'Archimandrita di Messina, sì perchè corre, e non è per anche passato, l'anno entro cui deve ordinarsi sacerdote, nè si sa che sia venuta veruna occasione di tener concorso per la vacanza di qualche chiesa parrocchiale, e finalmente perchè il suo immediato predecessore, come abbiamo veduto, fu ammesso a sedere nella Cappella Pontificia immediatamente dopo i Vescovi vestito colla cappa e rocchetto prima che fosse ordinato sacerdote, non essendo la cappa ed il rocchetto rigorosamente abito sacro, e non essendo cosa nuova

Potest in Capella Papali sedere indutus rocheto et cappa primus post Episcopos, quum non sit sacerdos.

che chi non è per anche *in sacris*, vestito però di cappa e rocchetto sieda in cappella e preceda ad altri che vestano cappa e rocchetto, e sono *in sacris*, come si vede nei Prelati, Governatore di Roma, Uditore della Camera, Tesoriere, Maggiordomo, che il più delle volte non sono *in sacris*, e che vestiti di cappa e rocchetto godono nella Cappella Pontificia la precedenza anche sopra i Vescovi.

In Processionibus Capellae Pontificiae Episcopi et Abbates assumunt pluviale et mitram.

Resta il punto delle Processioni che si fanno nella Cappella Pontificia, come sono per esempio quella della festa della Purificazione di Maria Vergine, e l'altra delle Palme, cercandosi se, e come debba l'Archimandrita di Messina intervenire in esse.

Ea indumenta non solent assumere carentes ordine sacro.

Intervengono, oltre i Vescovi, anche gli Abbati, e deposta la mozzetta e la mantelletta assumono il piviale e la mitra: e quando ciò si volesse fare da Monsignore Archimandrita non per anche costituito *in sacris*, si ecciterebbero vari rumori; non perchè il piviale sia abito sacro, portandosi anche dai chierici inferiori e dai laici, o manchino nella storia sacra esempi anche delle mitre portate dai laici; ma perchè essendo oggi ricevuta e praticata l'opinione della benedizione del piviale, come può vedersi nel Quarto *ad Rubricas Missalis, part. 1, tit. 20, dub. 2*, e nella *nostra notificazione ultima del tom. 1* dell'edizione italiana, che è *la 21* dell'edizione latina, e non vedendosi che la mitra col piviale si porti da altri che da chi almeno è sacerdote, il vedere che Monsignor Archimandrita nelle processioni di palazzo, senza esser sacerdote, deposta la cappa assume il piviale e la mitra, darebbe molto che dire.

Correndo l'anno 1690 dopo essere stato proposto in Concistoro un prelato di casa Spinelli per l'Arcivescovado di Calcedonia, ed annoverato fra i Vescovi assistenti al Soglio Pontificio, ed essere intervenuto alla processione della Candelora che si fa dal Papa colla Corte Pontificia, vestito con piviale e mitra, non essendo per anche *in sacris*, domandò d'esser prosciolto dal legame della chiesa di Calcedonia per poter prender moglie, e mantenere la sua ragguardevole famiglia, che era in altra maniera senza speranza di successione.

Il bisbiglio che nacque per Roma, fu indicibile; sostenendo alcuni, che ostava al matrimonio l'impedimento di pubblica onestà, ed altri dicendo che vi voleva una dispensa pontificia, della quale non v'era esempio: per lo che fatta di ciò una formale questione nella Congregazione del S. Officio, questa consigliò Alessandro VIII. allora Sommo Pontefice a dispensare, dando con ciò la libertà all'oratore di prender moglie, come fece; ed il Breve fu spedito gli 8 d'aprile del 1690, in cui si leggono le seguenti parole: *Cessionem regiminis et administrationis dictae Ecclesiae Chalcedonensis, a te in manibus nostris sponte et libere factam auctoritate apostolica tenore praesentium recipimus et admittimus, teque a vinculo quo eidem Ecclesiae Chalcedonensi quovis modo teneris, absolvimus et liberamus.*

Non ha certamente questo caso che fare in tutto e per tutto col nostro, riconoscendo il nostro Monsignor Archimandrita l'obbligo di farsi sacerdote; e non essendo passato il tempo entro cui è obbligato ad assumere il sacerdozio, non chiede veruna dispensa. Ma il punto si riduce al bisbiglio che vi sarebbe, come fu nell'altro, allorchè si sapesse esser intervenuto Monsig. Archimandrita con piviale e mitra alla processione, non essendo per anche sacerdote.

Idem Archimandrita abstinere debet ab iis Processionibus, nisi sit sacerdos.

E però per conchiudere diremo che Monsignor Archimandrita assista alla Cappella nel luogo di sopra assegnato, non essendo per anche passato il tempo prefissogli a farsi sacerdote, ma che si astenga, sino a che sarà sacerdote, dall'assistere alle Cappelle nelle quali occorrono le processioni, o volendovi intervenire si ritiri prima che incominci la processione, giacchè ad essa dovrebbe assistere con piviale e mitra; nè il piviale e la mitra se gli possono accordare non essendo per anche sacerdote, peso impostogli nelle sue Bolle.

Ecco quanto volevamo far sapere al nostro Monsig. Reali, a cui diamo l'apostolica benedizione.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX. ianuarii MDCCLVIII., pontificatus nostri anno XVIII.

CXCIV.

Resolutionem congregationis particularis confirmat super dubiis vertentibus inter Archiepiscopum Limanum et presbyteros Sancti Philippi Nerii civitatis Limae.

BENEDICTUS PP. XIV.

ad futuram rei memoriam.

§ 1. Emanavit nuper a congregatione particulari venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium a nobis deputata, super octo dubiis vertentibus inter ven. fratrem Archiepiscopum Limanum ex una, et dilectos filios presbyteros saeculares Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limanae ex altera partibus, resolutio tenoris sequentis, videlicet: Limana, — Die veneris xxx. decembris MDCCLVII. in Ædibus eminentissimi et reverendissimi domini Cardinalis Sacripantes Vitutii, habita fuit congregatio particularis, a Sanctissimo deputata, eiusdem eminentissimi domini atque eminentissimorum et reverendissimorum dominorum de Matthaeis, et Argenvellieres, in causa Limana inter venerabilem Congregationem Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limae, et reverendum dominum promotorem fiscalem curiae archiepiscopalis eiusdem civitatis; et in ea fuerunt proposita et discussa sequentia dubia:

I. An Congregatio sit omnimode subiecta reverendissimo Archiepiscopo, in modo, forma, assumptis et materiis?

II. An Congregatio teneatur tradere Archiepiscopo visitanti, quatuor libros, quos iuxta constitutiones debent habere patres Oratorii; nec non libros seu indices archivii et bibliothecae, et inventarium supellectilium ecclesiae?

III. An asserta exemptio ab exhibitione praedictorum librorum cesset, dum Archiepiscopus uti Apostolicus Delegatus visitet?

IV. An interiores oeconomiae Congregationis, quoad expensas et computa, necnon electiones praepositorum, nominationes, admissiones et expulsiones presbyterorum, sint subordinatae directioni Archiepiscopi?

V. An casu quo Congregatio Oratorii de Urbe, necnon aliae Congregationes, sint a praedictis exemptae: idem ferri debeat iudicium de Congregatione Limana, cuius praesbyteri a fundatione usque ad praesens sunt valde pauci, vivuntque et aluntur, non tam ex proprio patrimonio, quam ex bonis relictis in commune Congregationi; et ex emolumentis ecclesiae hospitalis, pro funeribus, missis capellaniarum, confraternitatum, et ex aliis causis?

VI. An destinatio procuratoris pro curia Matriti, aut Romae, fieri a Congregatione debeat, cum interventu Archiepiscopi, sitque is certiorandus de causis ipsius destinationis, valeatque eas improbare?

VII. An Archiepiscopus sit iudex competens in causa nullitatis electionis ad praeposituram, et promotor fiscalis de ea iure agere valeat; prout etiam, pro observantia omnium constitutionum?

VIII. An adimplementum capellaniarum, aliorumque piorum operum existentium in Congregatione et ecclesia hospitalis, pertineat ad internum regimen, itaut sit extra visitationem Archiepiscopi, in casu etc.?

Eisdemque dubiis responsum fuit:

Ad primum. Affirmative; exceptis eius instituto, sive iis, de quibus loquuntur Constitutiones Congregationis.

Ad secundum. Negative, exceptis inventario supellectilium ecclesiae, necnon eorumdem visitatione.

Ad Tertium. Non esse locum in praemissis, iure delegato.

Ad Quartum. Negative in omnibus.

Ad Quintum. Affirmative in omnibus.

Ad Sextum. Negative in omnibus.

Ad Septimum. Affirmative quo ad primam partem; quo vero ad secundam, promotorem fiscalem agere non posse ex officio, et nullo ex sacerdotibus Congregationis instante pro nullitate electionis; quo ad tertiam, negative.

Ad octavum. Negative, servata tamen quoad ecclesiam hospitalis dispositione Brevis Sanctissimi Domini nostri tertia augusti MDCCLVII. Factaque per me infrascriptum relatione Sanctitati Suae omnium et singularum supradictarum resolutionum in audientia habita die VIII. ian. MDCCLVIII., eas dignatus est in omnibus approbare, mandavitque desuper expediri literas apostolicas in forma Brevis. In quorum fidem etc. Datum Romae ex palatio nostrae solitae habitationis hac die nona mensis ianuarii MDCCLVIII. C. M. Cardinalis Sacripantes Vitutii. Loco † sigilii.

§ 2. Cum autem, sicut dicti presbyteri saeculares nobis subinde exponi fecerunt, ipsi resolutionem huiusmodi quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad

effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertam resolutionem a memoratis Cardinalibus, ut praefertur, super dictis dubiis captam, auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper forsan intervenerint, supplemus et sanamus.

§ 3. Decernentes easdem praesentes literas, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXI. ianuarii MDCCLVIII., pontif. nostri anno XVIII.

CXCV.

Alumnis Congregationis S. Philippi Nerii Limae degentibus concedit ab Ordinario ordinari posse titulo missionis et mensae communis.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius de Amil Feixoo, presbyter saecularis ac procurator in Romana Curia Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Congregationis Limanae; quod tam ipsa Congregatio Limana, quam aliae Valentina, Hispalensis, Biacensis in dioecesi Giennen. et Cochensis, aliaeque in ditionibus charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Hispaniarum Regis catholici existentes, ita sunt institutae, ut alumni in illis recipi seu admitti minime possint, nisi annuas praestationes, aut alias certas et idoneas facultates, certosque annuos reditus habeant, quarum titulo ad sacros Ordines suo tempore promoveri valeant. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, non omnes sacro presbyteratus ordini adscribi cupientes tantum patrimonii habeant, ut de proprio vivere queant, necessitati vero Congregationis Limanae huiusmodi numerum sacerdotum in ea existentium minime congruens reperiatur, et defectus iste sensibilior seu verius perniciosior existat, etenim in ea satis novi orbis perampla civitate abundant quidem fideles, at non minor est paganorum aut de recenti ad fidem reductorum frequentia, unde sequitur, ut illius sacerdotes, etsi, numero tredecim, praeter laicos, extremos impendant labores, pares minime sunt spiritualibus populi necessitatibus; debent namque excipere Christifidelium confessiones magnae devotorum multitudinis, qui quotidie ad eorum ecclesiam ad id conveniunt; quotidie quoque verbum Dei, et catholicae legis praecepta docent et praedicant; occurrunt etiam quacumque hora invitentur, ut auxilium et assistentiam praestent in supremo agone constitutis; et demum famulantur et subveniunt pauperibus sacerdotibus infirmis se recipientibus in hospitali, cuius cura et administratio eisdem credita et demandata existit; ac proinde, dictus Vincentius ad augendam Dei gloriam, et ipsius Instituti incrementum, animarumque salutem promovendam, superioribus earumdem Congregationum facultatem excipiendi singulis annis in memoratas Congregationes, seu domos, octo vel sex ad minus idoneos viros caeteris qualitatibus praeditos, licet rerum temporalium inopes, quive ad sacros etiam presbyteratus ordines ad titulum missionis et mensae communis per Ordinarios locorum promoveri possint, sibi a nobis concedi plurimum desideret.

§ 2. Nos igitur, ipsius Vincentii votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomi-

ne nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut ex alumnis memoratae Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii Civitatis Limae, quos divino cultui promovendo, et animarum saluti procurandae, iuxta datam tibi a Domino prudentiam aptiores et sincera mente alacriores deprehenderis, singulis annis aliquot ad titulum missionis et mensae communis ad sacram ordinationem admittere, eosque ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines, servatis alias servandis, promovere libere et licite pro tuo arbitrio et prudentia auctoritate nostra apostolica possis et valeas, quotquot scilicet re ipsa ad suprascriptas enunciatas causas et indigentias, necessarios in Domino iudicaveris; ita tamen, ut, si huiusmodi promoti ad titulum missionis vel mensae communis a praedicta Congregatione quandocumque discesserint vel dimissi fuerint, suspensionem a divinis ipso facto incurrant, eo usque duraturam, donec sufficiens beneficium ecclesiasticum in titulum seu ecclesiasticam pensionem obtinuerint, vel patrimonium sacrum a te, seu pro tempore existente Archiepiscopo Limano, approbandum, sibi constituerint, absque eo quod Congregatio praedicta ullius praestationis onere gravetur, plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tribuimus et impertimur.

§ 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac dictae Congregationis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectuum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII. ianuarii MDCCLVIII., pontificatus nostri anno XVIII.

CXCVI.

Archiepiscopum Goanum docet, matrimonia ab incolis Goanis contracta Sundae, esse invalida, nisi contrahentes ibidem domicilium vel quasi domicilium acquisierint, cum decretum Con. Tridentini Goae publicatum sit; concedit facultatem ad decennium concedendi oratoria privata etc. (1).

Venerabili fratri Antonio Archiepiscopo Goano,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Paucis ab hinc hebdomadis fraternitatis tuae literas accepimus, die XVI. decembris MDCCLIV. datas, nescientes usque adhuc,

---

(1) Dubia ad quae S. P. respondet, Archiepiscopus Goae, Antonius Taveira, sequenti litera iam exposuerat.

SANCTISSIME PATER AC DOMINE

Angustiis, quibus acriter tribulor, circumseptus, ob aliquarum ovium mihi concreditarum a recto tramite secessum, operae pretium duxi tibi, Sanctissime Domine, tamquam omnium potentissimo Patri, has preces humiliter effundere, ut ea pietate commotus, qua sedulo uteris erga omnes, remedium praebeas opportunum, quo ab hac animi afflictatione reddar indemnis, illasque in viam veritatis reducam, atque damna instantia ac futura penitus avertantur.

Cum hanc Goanam dioecesim Dei et Apostolicae Sedis gratia regere coepi, magna iudicialis movebatur contentio circa cuiusdam matrimonii validitatem. Nam, licet inter illud contrahentes nonnisi impedimentum impediens ex sponsalibus cum alio antecedenter contractis ortum extaret, attamen, solemnitatibus Tridentini spretis, non coram proprio parocho cuiuslibet contrahentium contractum fuerat, sed coram uno ex apostolicis viris, quos missionarios appellamus, qui ad aliquos fideles instruendos in infidelium loco, vulgo Sunda, limitibus huius dioecesis vicino commorabatur, ad quem dolose se transtulerunt, dicentes, se velle ibi novum domicilium constituere; sed, contracto matrimonio, statim ad patriam convolarunt. Hoc idem in loco, vulgo Quittur, qui ultra huius dioecesis fines intra unam aut duas dietas ad plurimum distat, non semel postea inter impedimenta dirimentia habentes similiter contigit.

Ratio, cur aliquibus videtur, matrimonia, in his similibusque locis contracta, valida esse iudicanda, impedimentis dirimentibus seclusis, in eo fundatur, quia in illis Tridentini dispositio non viget, cum ibi publicatum non fuerit nec receptum, quapropter, ad dicta loca extendendum non esse, asserere non dubitant, ex plurium sententia cum Sanchez *lib. 3, de matrimon., disput. 18, quaest. 4, a num. 27*, qui acriter pro validitate pugnat. Hoc autem in Indiis Orientalibus, praecipue in hac dioecesi, cum sit proxima praedictis locis, nullatenus servandum est, ne illicitis ac peccaminosis coniunctionibus locum praebeat, prout experientia docet.

quaenam diuturnae huius morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod, cum receptum fuerit in dioecesi tua Tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia, quae sine praesentia parochi, sponsi vel sponsae, et sine duobus testibus, celebrantur. Cum vero dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, Sunda vocatus, ubi nonnulli missionarii sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad fidem catholicam pertrahendos edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contingit, ut quispiam difficultates praenoscens, quae matrimonium fortassis impedirent, quotiescumque in tua dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque Sundam pergit, ubi neque receptum neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique matrimonium coram missionario contrahit, ac subinde regrediens ad dioecesim tuam, validum esse contendit, eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur, praeterquam iis in locis, in quibus Concilii decretum receptum ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in eiusmodi matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longaevam, quin immo decrepitam aetatem, quam agimus, nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima nobis definitione servata; nihilosecius, cum divinae placuerit maiestati sanam nobis ac integram mentem servare, etsi, praeter senium, binae gravissimae infirmitates, quas perpessi sumus, nos eo perduxerint, ut sacro Viatico et extrema Olei unctione semel ac iterum muniremur, petitionibus tuis recta responsum dare non omittemus, cum ob experientiam, quam in eiusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre est in nostra *Ecclesiastica Institutione*, in lucem edita, dum in archiepiscopali Bononiensi cathedra sedebamus, quae est XXXIII. latinae editionis *sub num. 9*, tum vero etiam ob munus exercitum pluribus annis a secretis Congregationis Tridentini Concilii, dum in minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

In integra Decretali Alexandri III. nostri praedecessoris, sexta sub titulo *de homicidio*, quae in collectione Decretalium, qua utimur in scholis et foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba, quae nostrae favent intentioni: *Sicut dignum et omni rationi consentaneum est, graves et difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri: ita etiam nobis ex ministerio susceptae solicitudinis imminet easdem quaestiones, prout nobis Dominus dederit, solvere et singulis a nobis consilium postulantibus respondere: ut providentia Romanae Ecclesiae, quae ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, et removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum et circumspectum existere; cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, iuxta discretionem et providentiam nostram, tibi exinde respondere.*

Thomas Sanchez, qui quidem, nemo ignorat, qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad matrimonium spectantibus, quaestionem hanc agitat in suo opere *de Matrimonio, lib. 3, disp. 71 et seq.*, ubi *sub num. 29* defendit validum matrimonium initum in loco, ubi promulgatum non fuerit Tridentinum Concilium, quamvis ille, qui contrahit, domicilium habeat in loco, ubi concilium receptum est, in-

---

Igitur ad sedandas controversias, malaque ex similibus matrimoniis orta obvianda, opus esse mihi videtur, Sanctitatem tuam, meis precibus inclinatam, declarare, nulla esse talia matrimonia; prout olim declaratum fuit a Sacra Congregatione Cardinalium, approbante Sanctissimo Domino Urbano VIII. XIV. augusti MDCXXI. ad istantiam Archiepiscopi Coloniensis, ut refert Schmalzgrueber *lib. 4 Decretal., tit. 3, num. 112.* Aperte tamen constituendum est, incolas huiusmodi dioecesis ad talia et similia infidelium loca, etiam cum animo mutandi domicilia migrantes, ad matrimonia contrahenda admittendos non esse per missionarios, nisi cum Ordinarii licentia secundum dioecesis consuetudinem obtenta, praecedentibus tribus denuntiationibus in propriis ecclesiis, atque in iis, quarum domicilia reliquerint, solum enim tunc similia peccata cessabunt.

Die XIV. ianuarii MDCCXLIX. indulgentia oratoria privata concedendi per decennium antecessori meo per tuam Sanctitatem benigne permissa fuit. Eamdemmet gratiam humiliter exposco, consequique spero, cum causae finales illius concessionis adhuc vigeant. Nam, ea deficiente, quamplurimi nobiles praeceptum audiendi Sacrum certe non adimplebunt, tam ob distantiam a propriis parochialibus ecclesiis, quam ob paupertatem qua laborant. Pro his, et aliis beneficiis Deo gratias agam, enixe deprecans, te per plures annos ad Ecclesiae utilitatem incolumem servare.

Goa XVI. decembris MDCCLIV.

ANTONIUS TAVEIRA
Archiep. Goanus Primas Orientalis.

deque discesserit, ut eas difficultates aufugeret, in quas inciderat, vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur, intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem, ubi quis iure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco, in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium, ubi non sit receptum; vel, etiamsi fraus intercessisse credatur, eiusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchesii opinionibus adhaeret, in hac tamen eidem consentit; ut videri potest *lib. 5 de Matrim., cap. 9.* Et Diana *in coordinata editione, tom. 1, tract. 3, resol. 116 et 117,* Sanchesio et Pontio subscribit. Eiusdem sententiae sunt Bonacina *de Matrim. quaest. 2, punct. 7, num. 2, tom. 1,* Castropalaus *part. 5, disput. 2, de Sponsal., punct. 13, § 8, num. 4,* Leander *part. 2, tract. 9 de Matrimonii sacramento, disp. 7, quaest. 11,* Filliucius *tract. 10 de Matrimonio part. 1, cap. 6, num. 199,* Rosignolus *de Matrimonio 1, contract. 15, praenot. 21, n. 8.*

Ne vero plus quam par est sermonem protrahamus in aliorum Doctorum atque Theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus, non deesse, qui contrariam sententiam tueatur, doceatque, nullum esse matrimonium ab eo contractum qui ad evitandas difficultates, in quas incidit, vel incidere se posse veretur, si matrimonium ineat in loco domicilii, ubi viget Tridentina lex, transit ad alium, ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta, et post initum matrimonium, domum suam revertitur: qua de re observari poterunt Gobat *in Theologia experimentali tract. 9, num. 481,* Cardinalis de Lauraea *de Matrimonio disp. 22, n. 138, et seqq.,* Clericatus *de sacramento Matrimonii, decis. 35, n. 24,* Giribaldus *tract. 10 de Matrimonio, c. 7, n. 22,* Sbogar *in Theologia radicali, tract. 116 de Matrimonio, num. 52,* Schmalzgrueber *ad tit. de clandestina desponsatione num. 112,* Pichler *in eumdem titulum, num. 14,* Bockhn *ad tit. de Constitutionibus, § 3, num. 4,* Elbel *in Theologia Morali, part. 3, n. 301, et seq.,* Pontas *verb. Impedimentum clandestinitatis, cas. 3, § Ceterum ad casum.* Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchesii et Pontii sententias, *in eadem editione coordinata, t. 2, tract. 6, resolut. 74,* ab iisdem recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero *tom. 5 operum suorum, edit. Antuerpien. anni* MDCXCVIII., inter varias resolutiones *verb. Matrimonium, num. 8,* sapienter animadvertens, matrimonium esse validum, si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens, ubi Tridentinum Concilium promulgatum fuit, illud contrahit in loco, ubi non est promulgatum, postquam tamen ibidem novum quasi domicilium acquisierit; ex eo infert, nullum esse matrimonium, quotiescumque ille, qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit, quin speciem quamdam domicilii adeptus fuerit in loco, ubi matrimonium contraxit.

Sedente fel. rec. Urbano VIII. Pontifice Maximo, Archiepiscopus Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congregatione Concilii: *Quaeritur humiliter a sacra Congregatione, an incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus conthahere.*

Secundo, Quid, si eo praedicti incolae tam masculi, quam foeminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

Tertio, Quid, si iidem incolae tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant.

Hoc autem Congregatio dedit responsum *die* V. *septembris* MDCXXVI.: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude.*

Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.

Institerunt postmodum Archiepiscopi Coloniensis procuratores, ut Congregationis responsum Pontificio Brevi confirmaretur, siquidem Archiepiscopus elector cupiebat illud dioecesanae synodo, quam habiturus mox erat, adnectere. Petitioni Urbanus VIII. indulsit, iussitque expediri Breve; cuius prima perscriptio authographa, ab eodem subscripta, reperitur inter eiusdem Brevia anni MDCXXVII. Summa vero eiusdem ita se habet: *Confirmatio resolutionis non-*

nullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a sacra Congregatione Concilii emanatae: est iuxta eiusdem Congregationis decretum. Huius vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia primo ac secundo loco exposita, irrita ac nulla ab eadem Congregatione decerni, eo quia fraus intercessit; validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit, nihilominus is, qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium seu quasi domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit: *Nisi domicilium vere transferatur.* Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi domicilium adipiscatur in alio: in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo parocho, intra cuius paroeciae fines tunc inhabitat, cum matrimonio iungitur, iuxta communem sententiam, a nobis relatam sancitamque in superius memorata Institutione nostra Ecclesiastica, XXXIII., latinae editionis.

Firmiter eiusmodi principiis semper adhaesit eadem Congregatio, quotiescumque materiae huius discutiendae se se dedit occasio: etenim in quadam *Abulen.* proposita sub die prima decembris MDCXL. *lib. 16 decretor., pag. 470 a terg., et pag. 471,* ita respondit: *Sacra etc. censuit, non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi.* Dum in minoribus fungeremur munere a secretis Congregationis eiusdem, irritum ac nullum pariter declaratum fuit matrimonium ab eo contractum, qui, ut declinaret difficultates, quas proprius parochus obiiciebat, ad alium locum transierat, atque connubium fecerat coram parocho eius loci, a quo postmodum, contracto matrimonio, statim discesserat, ut ad pristini domicilii locum rediret; uti videri potest in *Lauretana* proposita ac definita die XIII. iulii MDCCXXV., *tom. 3 Thesauri resolutionum Congregationis edit. Urbinaten. de an.* MDCCXXXIX., *pag. 185.* Ex adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret, in quas offendisset, si matrimonium coram eiusdem loci parocho inire voluisset, atque illud inierat coram parocho alterius loci, postquam tamen legitimum ibidem quasi domicilium adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quae definitio lata fuit die XX. februarii MDCCXXIII. in *Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii,* quemadmodum videre est *tom. 2 supradicti Thesauri Resol., pag. 274 et seq.,* ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum diligenter collegimus. Demum, ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopolien. Matrimonii,* proposita sub die IX. iunii MDCCXXV., Congregatio principia eadem ad amussim retinuit, quemadmodum legere fas est *tom. 3 Thesauri eiusdem, pag. 161,* quibus pariter in eadem causa omnimode institerat Rota Romana *in decisione 1298, tom. 6* coram honorabilis memoriae Lancetta Rotae decano et sacrae Poenitentiariae regente.

Exposita Congregationis sententia, operae pretium erit modo referre quid Urbanus VIII. pro illius confirmatione peregerit. Equidem innuimus, iam tum ab eodem Pontifice roboratam fuisse pontificio diplomate: cuius cognitio cum temporis decursu ad spectabilis memoriae Cardinalem Ioannem de Lugo pervenisset, curavit is, exhiberi sibi ab administris Coloniensis Archiepiscopi authenticum Brevis exemplum; quod cum obtinuisset, operibus suis adnexum typis edidit *lib. 1, dub. 36 Respons. Moral.* Id ipsum quoque alii fecerunt scriptores a nobis collecti in superius memorata Ecclesiastica Institutione, XXXIII., latinae editionis; atque hoc ipsum Breve nuperrime in lucem vulgatum reperitur *in Bibliotheca canonica* P. Ferraris: adeo ut, ex sententia communiter hodie recepta atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii parochi, coram parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille, qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legitimum domicilium, vel quasi domicilium, revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur Salmanticenses *in cursu Theologiae Moralis, tom. 2, tract. 9 de Matrimonio, cap. 8, punct. 2, num. 31.*

Mittimus interea fraternitati tuae Urbani VIII. Breve, quod apostolicae auctoritatis robore confirmamus, iubentes una simul, ut confirmationis nostrae documentum asservetur in Actis Congregationis Concilii, atque in nostro secretiori Vaticano Tabulario, quemadmodum fraternitas

tua sub finem huius nostrae epistolae animadvertere poterit; tibique propterea, tuisque successoribus mandamus observantiam et implementum eiusmodi Brevis in ista dioecesi, ubi frequenter eiusmodi quaestiones incidunt, quibus per idem Breve opportune prospicitur: atque hoc pacto satisfecisse nos arbitramur petitioni, quam proposuisti in epistola diei XVIII. decembris MDCCLIV. ubi normam, quam sequereris, commonstrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum, qui ad evitandas difficultates, in quas vel offenderant, vel offensuri erant, si matrimonium in tua dioecesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo missionario matrimonium contrahunt, deinde vero ad eam regionem, ubi verum domicilium habent, revertuntur.

Post haec, necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum *in cap.* Significat, *de Parochiis,* ubi, earumdem contextu perpenso, haec habet ***sub num. 39: Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.*** Natalis Alexander ***in Theologia Dogmatica et Morali lib. 2, de sacrament. Matrim., cap. 2, art. 2, regul. 6,*** animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium, oportere, ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti. Dubitari autem posset, num ad quasi domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum, cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.

Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi iam contrahentes quasi domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum, quod prosequebatur epistola fraternitatis tuae. Verum de hoc sermonem habere nequimus, nisi prius a proposito paulisper digredientes, quidquam opportune praemittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae dioeceseos paroeciis matrimonia, priusquam inirentur; ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum nullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tum *Bannum* nuncupatae fuerunt. A dioecesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit; uti colligitur ex rescripto Innocentii III. ad Episcopum Beluacensem *in Cap.* Cum in tua, *de Sponsal. et Matrim.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi quarto ad universam Ecclesiam eiusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est *in Cap.* Cum inhibitio, *de clandestina desponsatione.* Atque sacra Tridentina Synodus, *sess. 24 de reform. matrim., cap. 1,* Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem neutiquam pertineant, adeo ut matrimonium, iisdem omissis, celebratum, illicitum quidem sit, sed tamen validum, non idcirco denuntiationum omissio gravi caret culpa, neque propterea negligi impune queunt in paroeciis, in quibus contrahentes inhabitant; quod si velint matrimonium extra dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is, qui matrimonio interest, exigere prius, ut denuntiationes factae iam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius dioecesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio, quod in sua dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense anni MDLXXXV. a Sixto V. Pontifice Maximo confirmatum, sicuti etiam Rituale Romanum. Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda collectione Decretalium *Cap. primo de clandestina desponsatione,* reperitur Decretalis Alexandri III. relata etiam per Gon-

zalez *in Cap.* Cum inhibitio, *sub n. 10, de clandestina desponsatione,* ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum edictum, unde appareat, nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

Constat igitur, presbyterum missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundae celebrantur, iisdem interesse neutiquam debere, nisi prius exhibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in tua dioecesi, ubi contrahentes domicilium habent, e quibus pateat, nullum inter eosdem impedimentum reperiri. Quod si missionarius obiiciat, Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse ut bene percipiat, quod, si onus eiusmodi repetere ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest, quin illud fateatur ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundae matrimonio iuncti fuere, ad dioecesim tuam redierint, si fraternitas tua iusserit fieri tum denuntiationes, ut pateat, num inter eosdem impedimentum ullum intersit, non tam muneri tuo satisfacies; verum, sic agendo, paulatim e medio tolles pravum nonnullorum morem adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum, in quas inciderent, si tua in dioecesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

Decretum sacri Tridentini Concilii, quo clandestina matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est, de quo plusquam de ceteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas patrum sententias: quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus *in Historia Concilii, lib. 22, cap. 4,* atque idem referunt P. Ioannes Stoz. *in succincta Relatione de gestis in Concilio Trid., sess. 4, art. 24, § 10, punct. 1, num. 548,* Ernestus Salomon Cyprianus in libro, cui titulus *Tabularium Ecclesiae Romanae seculi XVI. num. 159 et num. 180,* et Mutius Calinus, Iaderensis Archiepiscopus, in epistola diei XI. novembris MDLXIII. ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui quidquid in Concilio eveniret, feliciter referebat, ut ex manuscripto eiusdem epistolarum Codice.

Dubitabatur primo utrum Ecclesia abrogare posset clandestina coniugia, propterea quod legitimus contractus materia insimul ac forma est Sacramenti matrimonii: mutua nempe ac legitima corporum traditio, verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia; et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma. Ex quo nonnulli arguebant, quod, legitima traditione et acceptatione simul coniunctis, subest materia ac forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo, qui divinae gratiae est auctor, quae per sacramenta confertur: verum, reponentibus aliis, Ecclesiam posse conditionem quamdam praescribere, quae prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima neque valida traditio et acceptatio corporum, id satis erat, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem potestatis ecclesiasticae limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomae Aquinatis, *Quodlibet 5, quaest. 8, art. 15 Ad primum.* Non destitit quidam scriptor Paulus Sarpius *in Historia Concilii Tridentini,* quin contradicentium partes amplecteretur: verumtamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat atque impugnet, uti observari potest in adnotationibus ad eamdem Historiam Concilii *lib. 8, § 86, num. 88 et seq.,* et praesertim *num. 90.*

Asserta Ecclesiae potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimae intercederent causae ad clandestina coniugia, quae secundum canones erant dumtaxat illicita, ut infertur ex canone *Aliter,* aliisque subsequentibus, quorum unus incipit *Nullus,* alter *Nostrates, quaest. 1, caus. 30,* nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit, ex clandestinis coniugiis frequenter evenire, ut qui uxorem duxerat, eam derelinqueret, atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli uxorem habentes ad sacros ordines ascenderent, et una cum uxore ecclesiastica beneficia retinerent, quibus gravissimis malis ecclesiastici iudices mederi nequibant, cum matrimonii contracti necessariae probationes deessent, hoc satis superque valuit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex litera ipsius conciliarii decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica et Morali, de sacrament. Matrim., lib. 2, cap. 2, art. 2, proposit. 1.*

Iniiciebat scrupulum aliis consideratio illa, ne scilicet, clandestinis coniugiis abrogatis, iis nempe, quae sine parocho viri aut mulieris celebrantur — *huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos in praesenti decreto irritos, facit et annullat,* sunt verba Concilii —, posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla et consequenter illegitima soboles, quoniam coram catholico parocho ac binis testibus nunquam celebrata fuissent. Verum, Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus « *Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae, numerandos* », sicuti credibile non erat, decretum eiusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur, quod eorum matrimonia sine praesentia parochi et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent: ut prosequitur Cardinalis Pallavicinus *loco citato, cap. 8.*

Tandem cum praevideretur, facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini Decreti in qualibet paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset praescripta conciliaris decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet, approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eamdem promulgationem comprobandam, sufficere diuturnam observantiam eiusdem conciliaris decreti, cuius publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in paroeciis coram parocho ac duobus testibus celebrata fuerunt: ut videre est in *Tricarien.* XXVI. septembris MDCII., *lib. 10 Decretorum,* quae existunt in secretario eiusdem Congregationis *pag. 47,* et in quadam *Poloniae* XIII. novembris MDCXXXVIII., *lib. 19 Decretorum eorumdem, pag. 117,* atque nos ipsi observavimus in opere nostro *de Synodo Dioecesana,* novissimae editionis, *lib. 12, cap. 5, num. 6.*

Fatemur autem, postrema haec, quae respiciunt decretum abrogans clandestina coniugia, materiam quidem, non sic vero propositam quaestionem attingere. Verum, cum in epistola tua summam diligentiam perspexerimus, ingratum fraternitati tuae neutiquam fore arbitrati sumus, si haec omnia oculis tuis enucleate subiicerentur. Quod si nonnulla capita hucusque prosecuti sumus, ad materiam potius quam ad petitionem spectantia, epistolam nostram eo cum responso concludimus, quod, non materiam, sed aliam petitionem tuam pertingit. Cum igitur tuis in literis mentionem facias de facultate praedecessori tuo ad decennium tributa, concedendi nempe oratoria privata debitis cum cautelis, spectato videlicet loci decore et personarum merito, atque insimul postules eamdem tibi facultatem largiri, lubenter annuimus ad annos decem, eo prorsus modo, quo illam praedecessori tuo fuimus impertiti. Atque interea fraternitatem tuam amantissime complectentes, tibi ac universo gregi sollicitudini tuae concredito apostolicam benedictionem de plenitudine cordis largimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscat., die XIX. martii MDCCLVIII. pontificatus nostri anno XVIII.

DECRETUM

BENEDICTUS PP. XIV.

Cum venerabilis frater Archiepiscopus Goanus apostolatum nostrum consulendum censuerit super quibusdam dubiis respicientibus validitatem matrimoniorum, quae aliquando a fidelibus illius civitatis aut dioecesis oriundis contrahuntur extra ipsius iurisdictionis fines, non servata forma a sacro Tridentino Concilio statuta, propterea quod eiusdem Concilii Decretum *de Reformatione Matrimonii* in illius dioecesis finitimis numquam promulgatum rite fuerit; nos quidem ad proposita dubia per epistolam nostram eidem Archiepiscopo directam prolixius respondere non detrectavimus; eamque in rem, inter alia, usi sumus auctoritate quarumdam literarum felic. rec. praedecessoris nostri Urbani PP. VIII., quae cum a privatis scriptoribus relatae dumtaxat legantur, sed neque communibus Bullariis hactenus insertae, nec alia solemni ratione publicatae reperiantur, nos earumdem tenorem, cum authenticis huius Apostolicae Sedis regestis collatum, subiicimus, qui talis est, videlicet:

Urbanus PP. VIII.
ad futuram rei memoriam.

« Exponi nobis fecit venerabilis frater Archiepiscopus Coloniensis, quod, habito nuper per eum ad venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales, sacri Concilii Tri-

dentini interpretes, recursu super infrascriptis dubiis, videlicet: Primo, An incolae tam masculi quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? Secundo, Quid, si eo praedicti incolae tam masculi quam foeminae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio, Quid, si iidem incolae tam masculi quam foeminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant?, iidem Cardinales ad primum et secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude; ad tertium vero dubiorum huiusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum, responderunt et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus responsum, seu dubiorum praedictorum resulutionem huiusmodi, pro illius subsistentia firmiori, apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret; nos eumdem Archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, responsum seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi, auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: decernentes, illud seu illam, necnon praesentes literas valida, firma et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et iuxta illa per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. augusti MDCXXVII., pontificatus nostri anno V. »

Ut autem de huiusmodi literarum authoritate dubitari minime valeat, nos iterum eas apostolica auctoritate nostra et praesentis decreti tenore, in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus, ac novo huiusmodi approbationis et confirmationis robore communitas, ad praedictum Archiepiscopum transmittimus; mandantes eidem, ut in occurentibus casibus circa personas ex ipsius civitate aut dioecesi oriundas, seu alias in causis eiusdem generis ad illius iudicium legitime delatis, iuxta earumdem literarum continentiam et tenorem decernat, iudicet atque definiat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Volumus autem, ut, in nostrae huius approbationis et confirmationis monumentum, praesentis decreti nostri exempla, a nobis subscripta, in actis Congregationis venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium praedicti Concilii Tridentini Interpretum, necnon in secreto Archivio nostro Vaticano reponantur, ibique perpetuo asserventur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die XIX. martii MDCCLVIII. pontificatus nostri anno XVIII.



SUPPLEMENTUM (1)

TITULUS I.

DE IEIUNII DISCIPLINA

§ I.

An. C. 1741

1.

Pravas fidelium consuetudines adversus ieiunium quadragesimale inductas reprobat.

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Ieiunii quadragesimalis origo, utilitas et scopus.

Non ambigimus, venerabiles fratres, quin universis catholicae religionis cultoribus notum sit, a tota per christianum orbem Ecclesia inter praecipua orthodoxae disciplinae capita perpetuo adnumeratum retineri quadragesimale ieiunium; quod olim in Lege et Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini nostri Iesu Christi exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, a sacris Canonibus ubique praescriptum, et ab universali Ecclesia ab ipso sui primordio retentum et observatum est. Hoc nimirum, ut veteres tradidere patres, nobis quotidie peccantibus communis poenitentiae constituto remedio, per consortium Crucis Christi, nos etiam aliquid in eo, quod ipse propter nos praestitit, agimus; simulque ad recolenda sacratiora Redemptionis nostrae mysteria, quae per dominicae Passionis ac Resurrectionis memoriam quadragesimali potissimum tempore solemnius celebrantur, purificatis ieiunio corporibus et animis, dignius paramur. Hoc, veluti nostrae militiae tessera, ab inimicis Crucis Christi secernimur, flagella divinae ultionis avertimus, et coelesti praesidio in dies adversus principes tenebrarum munimur. Hoc despectui habito, non contemnendum divinae gloriae detrimentum, non leve catholicae religioni dedecus, nec dubium animabus christifidelium periculum oboritur; nec aliunde populis calamitates, rebusque publicis et privatis cladem exitiumque importatum esse constat.

Pravae consuetudines inter fideles inductae.

§ 1. Ab hac vero insita inhaerentique in omnium catholicorum hominum animis de sacratissima quadragesima aliisque diebus ieiunio consecratis persuasione et reverentia, quam aliena, quam discors, quam absona sit hodierna ieiunantium consuetudo, quantum ab ipsa ieiuniorum institutione, et servata semper, ubique, et ab omnibus disciplina quam longissime distet;

(1) Nimiam huius voluminis molem unius tantum pontificis acta continentis minime demiretur lector, si meminerit quantas Benedictus XIV. dederit literas et constitutiones, quibus non solum ius peculiare de propaganda fide, sed et rem catholicam novissimumque ius commune Concilii Tridentini decretis statutum, uti doctor illustravit et apostolica auctoritate firmavit. Iure igitur merito latiorem et accuratiorem operam navandam duximus quaerendi et colligendi huius Pontificis acta, ut ad missionarios pertinentia in unum collecta habeantur, sive quae in diversis Ecclesiae tabulariis adhuc inedita servantur, sive quae Pontificis et auctorum libris, aliis collectionibus iam inserta, inveniuntur.

Literas ad pontificium ius de propaganda fide prorsus pertinentes, sive de orientali sive de occidentali ritu pertractantes, in corpore iuris, qua potuimus diligentia, retulimus; ad eas adiecimus principaliores, quae universalem disciplinam communeque ius explicant, id quod in locis missionum fas est observari vel saltem perutile scire. Istarum aliquas in *Supplemento* hoc collegimus per titulos potius distinctas quam per appositos in actis dies, ut in unum collectas sub oculis habeat lector, quas in diversis annis de eodem argumento dederat pontifex. Eapropter si totius huius collectionis ratio est enciclopediam iuris novissimi tradere viris apostolicis, hos id hoc unico volumine Ben. XIV. fere consequi existimamus. Quod, si desideratum nostrum attingere non valuimus, huiusmodi legum colligendarum opus studiumque aggressuris satis est nobis ad meliora viam sternisse; quam ipsi percurrere valebunt altero volumine adiuti, in quo inedita cetera acta huius pontificis collegimus, quodque, inter paucos menses, particulari nostra cura, publicatum iri exoptamus.

vos, venerabiles fratres, qui populorum curae vestrae commissorum mores et usus probe nostis, pro singulari sapientia vestra, prae caeteris clarius intelligitis. Nos sane, quibus in hac sublimi apostolicae procurationis specula constitutis undique gentium nuntii afferuntur, lacrymis satis deplorare non possumus, augustissimam quadragesimalis ieiunii observantiam ob nimiam, nullis legitimis urgentibus causis, ubique indiscriminatim dispensandi facilitatem, plane sublatam esse; ita ut orthodoxae quidem religionis cultores merito querantur; haeresum vero sectatores illudant et exultent. Perniciosae huic corruptelae plurimorum insuper licentiam adiunctam esse graviter dolemus; quae usque adeo invaluit, ut nulla apostolici instituti, sacratissimique praecepti habita ratione, ieiuniorum tempore, palam et impune ab iisdem agitentur convivia, et epulae interdictae promiscue inferantur.

Excitantur Episcopi ad eas evellendas.

§ 2. Eapropter, quemadmodum quibus curis, solicitudinibus et angoribus urgeamur, cum fraternitatibus vestris communicamus; ita facere non possumus, quin pro iniuncto nobis supremo sacrosancti apostolatus officio, et ardentissimum fraternitatum vestrarum zelum ad opportunum hisce malis adhibendum remedium excitemus, et ad congruentes huiusmodi abusibus penitus extirpandis leges praescribendas meditemur. Interea, ven. fratres, gaudium et corona nostra, nobiscum considerantes, nihil Deo acceptius, nihil pastorali ministerio nostro dignius, nihil gregibus curae nostrae commissis utilius, quam ut verbo et exemplo praeeuntes, christifideles ad tam salutarem christianae poenitentiae et pietatis exercitationem alacrius suscipiendam, constantissime retinendam, et ea, qua instituta fuit, disciplina peragendam vehementius inflammemus, omni opera atque industria studeamus, ut fideles populi in conspectu Dei, per austeriorem ieiuniorum observantiam, tales permaneant, quales in ipso paschali festo dignum est inveniri.

Dispensatio nemini concedatur sine legitima causa, nec universitatibus, sine urgente necessitate.

§ 3. Debitum igitur paternae uniuscuiusque vestrum sedulitatis et caritatis officium iure postulat, ut omnibus notum faciatis et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio; multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima et urgente necessitate et in casibus per sacra canonum statuta praescriptis, cum debita apostolicae huius Sanctae Sedis reverentia, a quadragesimali ieiunio dispensationem, toties, quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicut alicubi in more positum esse accepimus, esse postulandam.

Unica comestio semper servetur.

§ 4. Gravissimam vero urgentemque necessitatem etsi non est cur vobis explicemus, nolumus tamen vos ignorare, cum huiusmodi necessitate, et servandam esse potissimum unicam comestionem, sicut alias hic Romae, ac nos ipsi hoc anno urgentibus causis dispensantes, expresse praescripsimus; et licitas atque interdictas epulas promiscue minime apponendas esse.

Epulae vetitae, cum licitis non apponantur.

Pontifex onerat conscientiam Episcoporum.

§ 5. Porro quemadmodum de eiusmodi indulgentia tam caute impertienda, si secus fieret, nos persuasum habemus, districtam supremo divino Iudici redditum iri rationem, ita conscientiam uniuscuiusque vestrum onerandam esse ducimus. Insimul fraternitates Vestras rogamus et, in Domino exhortantes, obsecramus, ut populos, qui communem omnium christifidelium poenitentiam ac disciplinam servare nequeant, commonere satagatis, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare et Deo satisfacere negligant; quinimmo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum casta ieiunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia et eleemosynae munera redimant. Interim solatium et levamen non leve moerori nostro a pastorali vigilantia et caritate vestra praestolantes, ac certo nobis pollicentes, apostolicam benedictionem, cum uberi caelestium charismatum copia coniunctam, in eosdem populos vestros redundaturam, vobis, venerabiles fratres, peramanter impertimur.

Dispensatos moneri iubet, ut alia pia opera ieiunii loco substituant.

Praesentium transumptis fidem tribuit.

§ 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXX. maii MDCCXLI., pontificatus nostri anno I.

II.

Declarat unicam comestionem diebus ieiunii ab omnibus servandam esse, etiam ab iis, quibus ob peculiares causas permittitur esus carnium, ovorum etc.

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Literae apostolicae pro observantia ieiunii iam emanatae.

In suprema universalis Ecclesiae procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam ut orthodoxae fidei assertores, sic etiam ecclesiasticae disciplinae custodes ac vindices constituti, quadragesimale praesertim ieiunium, quod inter praecipua orthodoxae disciplinae capita semper et ubique ab ipso Ecclesiae exordio numeratum esse nemo ex catholicis inficiatur, ab hodierna ieiunantium corruptela vindicare, et in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad fraternitates vestras die xxx. proxime elapsi mensis maii currentis anni datas, eximium fraternitatum vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis, ne hac in parte et optatum apostolicae nostrae solicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendae sacratissimi Ieiunii corruptelae remedium deesset. Quoniam autem paternae pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a ieiunio aliquando, legitima causa aut gravissima urgentique necessitate exigente, dispensandum esse ex apostolica benignitate censuimus, ita inter caetera praescripsimus unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas.

Quaestio exorta super earum sensu.

§ 1. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerunt, qui, per humanas et hominibus a christiana poenitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas et interdictas minime apponi debere, cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio dispensatur.

Declaratur.

§ 2. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam, et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in quadragesimae, aliisque anni temporibus et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus et edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis literas singulis utriusque sexus Christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima quadragesima, aliisque ieiunio consecratis diebus, vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse praescribimus atque praecipimus.

Adhortatio ad Episcopos.

§ 3. Eapropter fraternitates vestras rogamus atque in Domino obsecramus, ut populos vestrae curae commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi ieiunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam, de observando sustinendoque ieiunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite coelestium praemiorum, quibus assequendis non sunt condignae passiones huius temporis; immo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicae abstinentiae nostrae incommodum, magnum gloriae pondus operatur in coelis. Ab omnibus se abstinent, qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant: pudeat tam imbelles ac delicatos christianae militiae milites refugientes a consortio Crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare praecipit incorruptam! Ad cuius auspicium et pignus, fraternitatibus vestris apostolicam benedictionem, iisdem etiam populis vestris nostro nomine impertiendam, peramenter elargimur.

Praesentium transumptis fides habenda.

§ 4. Volumus autem, ut praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhibetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII. augusti MDCCXLI., pontificatus nostri anno II.

III.

Constitutiones de ieiunio ab ipso editae quomodo sint intelligendae exponit.

Venerabili fratri Andreae Archiepiscopo Valentiae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Recursus Archiepiscopi ad Summum Pontificem.

Cognovimus in fraternitatis tuae literis inveteratum Hispaniae pietatis morem, cui semper solemne et proprium fuit, explicandum proponere Apostolicae Sedi quicquid obscuritatis eius decreta habere videantur. Laudavimus autem pastoralem solicitudinem, qua sedare voluisti obortam inter aliquos tuae dioecesis disputationem de sensu literarum nostrarum, quibus quo pacto ecclesiastici ieiunii lex observanda, aut solvenda sit, constituimus. Respondemus igitur postulato tuo, nos in iisdem literis definiendum non suscepisse, an qui ecclesiastica auctoritate ab ieiunio excusantur, non solum vetitis cibis uti, sed iussae pariter vespertinae abstinentiae fines egredi queant. Praecipimus autem Episcopis eorumque Delegatis, ut nemini vescendi carnibus aliisque cibis vetitis veniam tribuant, nisi sub gravi, imperata simul unicae comestionis norma. Ita universale istud praeceptum pro tua spectatissima vigilantia gregi tuo indicendum iubeto. Interea fraternitatis tuae, haud ignari, qua ipse excellas religione, virtute, atque in nos Romanamque Sedem eximia observantia, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Qui quaestionem in abstracto definire non intendit.

Sed praescribere legem concedendae dispensationis.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XII. maii MDCCXLII. pontificatus nostri anno II.

IV.

Ab Archiepiscopo Compostellae propositas quaestiones circa ieiunii leges instauratas dirimit.

Ven. fratri Archiepiscopo Compostellae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Exordium.

Si fraternitas tua secum reputabit quot gravissimis et maximis curis propemodum obruamur, quantumque, hoc praesertim difficillimo tempore, prorsus nos teneat imposita tenuitati nostrae solicitudo omnium ecclesiarum, non sane mirabitur tamdiu sibi procrastinatum fuisse responsum ad eas literas, quibus apostolica auctoritate dissolvendas rogasti obortas in Hispania disputationes aliquas, e duabus nostris epistolis ad omnes Episcopos superioris an. MDCCXLI. XXX. maii et XXII. augusti, quibus intra legitimos fines coercuimus invalescentem ecclesiastici ieiunii relaxationem. Potius tibi in mentem veniet cogitare de singulari nostro in religiosissimam hispanam ecclesiam amore, unde nos immensa licet rerum mole fatigatos ad expediendum sibi in omni sua perplexitate salutis iter opem nostram praesto habet.

Pontifex non disceptantium quaestionibus, sed disciplinae relaxationi obviam ire intendit.

§ 1. Quamquam igitur, dum praenuntiatas constitutiones edidimus, non aliud propositum nobis fuerit, ac refraenare paucorum nimis ingenio fidentium theologorum licentiam, qui opinionum novitate gaudent; nec otium, nec animus nobis fuerit definire quicquid subtili indagatione deduci possit ex proposita a nobis ieiunandi regula; tamen eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos Romanae Sedis Hispanos, tantique facimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestrae libenter adiecerimus animum, et nos ipsi quaestiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent.

Propositis tamen dubiis respondet.

I. *Utrum, quae in antedictis nostris literis in forma Brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis, praescribuntur, sub gravi etiam praecepto prohibeantur?*

Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare, quam geminis hisce adiectis conditionibus,

videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero, qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

II. *An ii, quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci, quae ieiunantibus permittitur?*

Respondemus: non licere; sed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae meticulosae conscientiae.

III. *An qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comessatione uti debent, horam ieiunantibus praescriptam servare opus cum habeant?*

Edicimus, observandam iis esse.

IV. *Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi?*

Respondemus: Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas. Epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

V. *An praeceptum de utroque epularum genere non miscendo dies quoque dominicos quadragesimales complectatur?*

Affirmatur complecti.

VI. *Utrum haec lex ad eos quoque pertineat, qui ex Bulla Cruciatae edere possunt ova et lacticinia?*

Rescribimus: Nihil in praenunciatis nostris apostolicis literis statutum esse, quod respiciat gratiosum cruciatae diploma. Quare, qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant. Caveant autum, ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

VII. *Utrum memorata duo praecepta urgeant extra quadragesimam?*

Respondetur, urgere extra quadragesimam utrumque praeceptum; illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

Observantiam Sedi Apost. exhibitam commendat.

§ 2. Habes, venerabilis frater, penitus explicatum quicquid apud vos ex nostris saepius nuncupatis apostolicis literis dubitationem attulisse scribis. Qua quidem in re laudavimus consilium tuum interrogandae supremae Romanae Sedis, ut libero et non vacillanti gressu ad oves sana doctrina imbuendas incedere pastores queant, in istoque tuo suscepto consilio agnovimus hispanam religionem nihil sibi tutum, nisi e Divi Petri Cathedra acceptum, reputantem; qua splendidissima gloria tantum nomen, et incorruptae fidei fructum Hispania sibi peperit.

Certam normam demonstrat ad coercendam opinandi licentiam.

§ 3. Cavendum autem vobis est (idque plurimum ad te pertinet, qui illustris Archiepiscopi et Inquisitoris geris praecipuum munus) ne in expendendis Apostolicae Sedis constitutionibus, pro nimia exhauriendi argumenti solicitudine, nullus fiat disserendi ambigendique modus. Sedula deinde opera conferenda, ut istiusmodi dubia, quae facile, pro ingeniorum varietate, disputando emergunt, penitus inter vos dirimantur, ne diuturna unquam disceptatione fluctuent animi; praesertim cum constitutiones ipsae apostolicae scopum, quo tendunt, aperte demonstrent, et illuc prompte dirigi potest quicquid dubitando interturbare videatur. Id si animadvertissent, qui de praesenti negotio plura dubitarunt, nodum sibi exsolvissent. Patebat enim nihil aliud nobis in animo fuisse, quam cohibere vivida nonnullorum theologorum ingenia, qui nimium sacri ieiunii fines praetergressi, et non parum obliti illud ad retinendum in officio corpus divinitus institutum, hosti huic spiritus infensissimo blandiebantur. Statim siquidem comperissent, quid in propositis quaestionibus constituendum esset; nec tibi molestiam exhibuissent, nec nobis, quos gravissimae undique circumstant curae, non parum temporis occupassent: quod tamen pro singulari nostro in vestram gentem studio atque amore, libenter impendimus ad rectum vobis iter monstrandum, in posterum simul praecaventes, quomodo in huiusmodi quaestionibus firmare gressus vestros in promptu sit.

§ 4. Reliquum est, venerabilis frater, ut tibi, quod facimus ex animo, praecipuae benevolentiae nostrae pignus, apostolicam benedictionem peramanter impertiamur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die VIII. iulii MDCCXLIV. pontificatus nostri anno IV.

V.

Regulas tradit de ieiunii quadragesimalis dispensatione.

Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

Sollicitudo Pontif. pro conservatione ecclesiasticae disciplinae.

Libentissime quidem amplectimur, quae nobis offeruntur, occasiones ad vestros animos excitandos, ut ecclesiasticae disciplinae reparandae sedulam curam conferatis: etenim summi pontificatus dignitati, ad quam nos licet immerentes evecti fuimus, coniunctam esse intelligimus solicitudinem aliarum ecclesiarum, nobisque commendatam, qui plane tenuitatem virium nostrarum non ignoramus.

Ieiuniorum observantia a Conc. Trid. Episcopis commendata.

§ 1. Cum itaque praesentium literarum argumentum totum sit de ieiunio, quod tempore quadragesimae, veteri Ecclesiae instituto ac lege, fidelibus indicitur; supervacaneum ducimus longam orationem conficere de quadragesimae institutione, et patrum et conciliorum omnes super hac de re in medium proferre auctoritates. Difficile id quidem nobis parum videretur: sed potius alienum et nullo modo consentaneum vobis, quos doctrinae laude, canonum et sacrae historiae cognitione praestantes arbitramur. Porro ad scribendas has literas adducti fuimus gravissimis illis verbis Tridentinae Synodi, quae *sess. 25 de Reformat.* praecipit Episcopis, omne studium impendere, ut fideles ipsorum curae traditi magna religione perficiant ea, quae a sacris canonibus praescribuntur: *Ut illis omnibus, et iis praecipue sint obsequentes, quae ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et ieiunia.*

Pontificis sententia circa quaestiones de ieiunio.

§ 2. Ubi primum Bononiensem Ecclesiam administrandam suscepimus (ad quam beneficio Clementis XII. fel. rec. ab Sede Anconitana translati fuimus), mandatum evulgavimus (quod libro primo Institutionum nostrarum pro viris ecclesiasticis decimoquinto loco continetur). In illo plures difficultates indicavimus, ob quas minime solvendos ieiunii legibus putabamus illos, qui ob legitimam causam, et legitima prius auctoritate interposita, quadragesimae abstinentiam non observarent, minime, inquam, solvendos a ieiunio, itaut liceret ipsis quolibet die mensam bis instituere, non unica vice, vespertina superaddita refectione, quae permitti ieiunantibus consuevit.

Leges ad eas dirimendas promulgatae.

§ 3. Tandem in hac Pontificia Sede collocati, rem totam in examen iterum revocavimus, et praestantissimis quoque viris demandavimus, ipsam diligenter accurateque perpendere, ac suas deinde opiniones nobis exponere. His peractis, huiusmodi controversiae finem tribuere constituimus, illudque decrevimus, ne ulla in posterum, sive peculiaris, sive generalis pro aliqua civitate vel oppido, concedatur facultas adhibendi carnes ad mensam tempore ieiunii vel quadragesimae, nisi conditio servandi ieiunii, sive unius comestionis, interponatur; et illum quoque monitum addatur, nequaquam licere mensam eamdem carne ac piscibus instruere. Equidem, declinatis hac ratione nimium implicatis quaestionibus, existimavimus unicam singulis diebus comestionem inducere illis etiam, qui carnibus uti, cum ieiunium indicitur, rite obtinuerunt; et pravam illam consuetudinem, quae apud multos iam nimis invaluerat, penitus evellere, afferendi nempe carnes in mensam cum piscibus, postquam ipsi quadragesimalis abstinentiae praecepto soluti fuerunt, ob eam potissimum causam, quod grave detrimentum saluti ab esu piscium accipiant.

Quae executioni mandantur.

§ 4. Haec apertissime constant ex nostris apostolicis literis, quas in forma Brevis dedimus ad omnes Episcopos orbis catholici anno MDCCXLI., quarum primae incipiunt: *Non ambigimus,* alterae vero: *In suprema.* Nos profecto nulli umquam elargiti sumus vesci carnibus, cum tempus quadragesimae, sive aliud ieiunium, praecipitur, nisi indicta scriptaque conditione, quam superius commemoravimus. Maximam pariter laetitiam percepimus, cum redditae nobis fuerunt plures epistolae ac mandata vestra, literis nostris apostolicis omnino consentanea, quibus pro virili parte contendistis adducere populos vobis subiectos, ut propositam in illis disciplinam servarent.

Excitatae difficultates per organum Poenitentiariae Apostol. solvuntur.

§ 5. Interim promulgatis iisdem apostolicis literis, quas paulo ante nominavimus, plures cavillationes excogitatae sunt a nonnullis, uti nos antea facili coniectura suspicati fuimus. Plures etiam quaestiones propositae nobis fuerunt, exigui quidem ponderis ac momenti, quemadmodum nos opinamur; cum illae vel ipsius legis verbis, vel sensu, penitus corruant ac dissolvantur. Attamen sacro tribunali nostrae poenitentiariae, rerum huiusmodi conscio ac peri-

tissimo, easdem quaestiones expendendas commisimus, quibus omnibus plene cumulateque, quoties opus fuit, satisfecit.

Archiep. Compostellae plura dubia proposuit.

§ 6. Archiepiscopus Compostellae, in Hispaniarum Regnis primus Inquisitor, nuperrime vita functus, longam ad nos dedit epistolam, qua plures recensebat difficultates, quae literis nostris apostolicis adversabantur, quominus executioni mandarentur; eo quod nonnulli theologi in diversas opiniones ac sententias abirent in solvendis quibusdam quaestionibus, quibus literae nostrae apostolicae causam et occasionem praebebant; ac proinde de illis iudicium nostrum exquirebat. Equidem Archiepiscopi literae nos gravissimis ac difficillimis temporibus occupatos deprehenderunt: attamen, dum quaestiones in ipsis expositas percurrimus, visum nobis est non quidem expeti, ut iis quaestionibus responsum fieret, ipsisque solutis, nullum impedimentum sive obstaculum nostris literis apostolicis superesset; sed potius ut obiectis cavillationibus ad optatum finem ipsae minime adducerentur. Accedit etiam, quod epistola Archiepiscopi multis argumentationibus et obscuris vocibus redundabat; quamobrem, licet plures hortarentur, ne ullum Archiepiscopo responsum redderemus, illi tamen satisfecimus, res praecipuas ex eius literis delibantes, et quaestiones omnes ad certum numerum redigentes. Primum nostris occupationibus tribuendum testati sumus, quod tarde ipsi responsum daremus, eius studium commendavimus, et etiam magnopere probavimus, quod anceps ac dubius ad hanc Sanctam Sedem confugerit, ut consilium exposceret. Deinde prolatis quaestionibus satisfacere non praetermisimus, illum tamen monentes de instituto summorum Pontificum, qui leges condere solent, disciplinam decernere, neque ullam habere rationem illorum, qui dubitandi causas obiiciunt, ut, quae constituta sunt, perturbent ac evertant.

Quibus Pontifex satisfecit per literas apostol.

Hae pro norma habentur in similibus.

§ 7. Vix redditis literis, Archiepiscopus paulo post vitae cursum absolvit. Itaque non immerito suspicamur, responsa nostra, quae literis continebantur, haud cognita fuisse et perspecta illis, qui quaestiones excitaverant. Post haec alii parite rex Hispanis Episcopis nonnullas ex iisdem quaestionibus nobis proposuerunt; quare iisdem responsis usi sumus quae tradita prius Archiepiscopo Compostellae a nobis fuerant. Non defuerunt etiam praestantes inter italos theologos, qui literas nostras apostolicas datas anno MDCCXLI. egregiis commentariis illustrarunt: idem contigit responso, quod fecimus Archiepiscopo Compostellae *die* VIII. *iulii anno* DCCXLIV., quod sane integrum suis libris praefigendum curaverunt.

Earum exemplum Episcopis mittit.

§ 8. At, quoniam libri eiusmodi ad vos fortasse nondum pervenerunt, vel curis aliis distenti illos percurrere minime potuistis, his literis encyclicis adiungimus illas pariter, quas (uti dictum saepius est) ad Archiepiscopum Compostellae iam pridem scripsimus, ut quae disciplina vestris in dioecesibus tenenda sit, plane cognoscatis, ac ne vos deterreant difficultates, si quae a captiosis hominibus concitentur.

Sequitur tenor apostolici Brevis superius impressi num. IV. *pag.* 714.

Quaestionibus hisce sublatis, alii abusus tollendi.

§ 9. Cum haec ita se habeant, satis muneri nostro fecisse videmur, ne illi, quibus licet carnes edere, cum ieiunium tempore quadragesimae vel extra quadragesimam fidelibus praescribitur, unius comestionis limites excedant, ac ne piscibus simul et carnibus parari sibi mensam patiantur, neve cavillationes perscrutentur, ut legi tenebras offundant. Pauca tamen adhuc supersunt, quae remedium a nobis deposcunt.

Dispensationes generales nimis saepe petuntur.

§ 10. Siquidem advertimus iam multis abhinc annis non solum plures in qualibet Italiae urbe, vestra auctoritate, dissolvi a quadragesimali abstinentia, sed etiam magno studio contenditis, uti universam civitatem totamque dioecesim eadem abstinentia liberemus. Hinc factum est, ut in quibusdam civitatibus ac dioecesibus iam per multos annos fideles universi, absque ullo discrimine, carnibus per quadragesimam utantur.

Quid id timendum.

§ 11. Id quidem maximam nobis affert solicitudinem, eo quod deprehendimus certis testimoniis, in quibusdam regionibus Septemtrionis, toto quadragesimae cursu, lactis et ovorum usum libere permitti, qui per plures annos eamdem facultatem petierint, et ab Sede Apostolica consecuti fuerint: quamobrem illi populi sibi in animum induxerunt, non esse rursus ad Pontificem confugiendum pro huiusmodi facultate impetranda, sed priores concessiones singulis annis acceptas sufficere, ut lactis et ovorum consuetudo per quadragesimam comprobetur.

Concil. Trid. mens circa dispensationes.

§ 12. Praeterea maximi facienda esse ducimus ea verba Trident. Concil. *Sess. 25, cap. 18 de Refor.: Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut*

plenius, venientibus casibus et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat; sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.

Pontificis sanctio iam edita.

§ 13. In literis nostris apostolicis, quas *anno* MDCCXLI. ad omnes catholicos Episcopos dedimus, huic corruptelae viam praecludere cogitavimus ea ratione, illisque verbis, quae rursum hic subiicimus: *Debitum igitur paternae uniuscuiusque vestrum sedulitatis et charitatis officium iure postulat, ut omnibus notum faciatis et annuntietis, nemini quidem sine legitima causa, et de utriusque medici consilio, multitudini vero, veluti populo, aut civitati, aut genti indiscriminatim integrae, nonnisi gravissima et urgente necessitate et in casibus per sacra canonum statuta praescriptis, cum debita apostolicae huius Sanctae Sedis reverentia, a quadragesimali ieiunio dispensationem, toties quoties opus fuerit, concedendam, nec audacter fidenterque usurpandam, nec superbe et arroganter ab Ecclesia, sicut alibi in more positum esse accipimus, esse postulandam.*

Ratio servata in concedendis disp. general.

§ 14. Porro nos hanc normam secuti sumus, cum multitudinem, veluti populum aut civitatem integram, quadragesimali abstinentia immunem declaravimus. In primis loci Episcopus id postulare a nobis debuit, ac de gravissima urgentique necessitate suum testimonium interponere. Deinde carnes minime permissae fuerunt, si lactis et ovorum usus satis esse videretur. Tum vero facultas edendi carnes tribui solum consuevit, cum interposito Episcopi testimonio id omnino necessarium iudicaretur: nec sufficiens necessitati remedium afferri constaret, si ova solum et lacticinia concederentur. Quoties autem abstinentia quadragesimae nostra auctoritate soluta fuit, certos tamen dies praescripsimus, quibus integra abstinentia servaretur, nempe diem cinerum, dies quatuor temporum, vigilias praecepto obeundas, dies maioris Hebdomodae a Dominica Palmarum. Quandoque recensuimus etiam totam hebdomadam cinerum; aliquando etiam indiximus abstinentiam feriis sextis ac sabbatis, etiamsi facultas a nobis tradita, lactis et ovorum usum solum complecteretur. Postremo eam conditionem semper addidimus, ne ieiunii lex unius per diem comestionis ullo modo violaretur, ac ne simul in mensa carnes et pisces apponerentur.

Verificatio causae ab Episcoporum iudicio pendet.

§ 15. Dum rationem huius consilii nostri serio perpendimus, haud plene acquiescimus, ob eam solicitudinem ac dubitationem, ne causa ab Episcopo loci prolata, quam nos legitimam credidimus ad solvendam quadragesimae abstinentiam, eius naturae fortasse non sit, quae veram et urgentem necessitatem contineat. Quippe illud nobis semper ante oculos propositum habuimus, ut nihil a ratione alienum, nihil inconsulto ac temere faciamus. Haerent pariter animo defixa Sancti Bernardi verba ad Pontificem Eugenium *lib. 3 de Consideratione, cap. 4: Facitis hoc, quia potestis: sed, utrum debeatis, quaestio est et quomodo.* Attamen fidem praestitimus iis, quibus praestanda fuerat, Episcopis nempe locorum. Non enim alio pacto exerceri potest solicitudo peculiarium ecclesiarum ac dioecesum, nisi fides habeatur Episcopis, a quibus illae administrantur. Sed in posterum, ut gravissimum hoc negotium tutius, quam fieri possit, geratur, molestum vobis non sit, animum iis advertere, quae subiicimus.

Causae pro conced. dispensationibus personalibus.

§ 16. Non ignoratis ab Innocentio III. paedecessore nostro *cap. Consilium, de observatione ieiuniorum,* inter causas legitimas solvendi abstinentiam a carnibus ieiunii tempore, recenseri veram et existentem reipsa aegritudinem: *Praeterea de illis, qui in quadragesima vel in aliis ieiuniis solemnibus infirmantur, et petunt sibi esum carnium indulgeri, respondemus: quod, cum non subiaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cum urgens necessitas exigit, supportare potes et debes, ut maius periculum in eis evitetur.* Idem statuerant multo ante Innocentium III. patres octavi Concilii Toletani *Can. 9,* quod anno DCLIII. celebratum fuit: *Quisquis absque inevitabili necessitate, atque fragilitatis evidentis languore, seu etiam aetatis impossibilitate, diebus quadragesimae esum carnium praesumpserit attentare, non solum erit reus Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab eiusdem diei Sancta Communione... Illi vero, quos aut aetas incurvat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare praesumant, quam a sacerdote permissum accipiant.*

Aliae omnino requiruntur pro generalibus.

§ 17. Nemo est, qui non intelligat huiusmodi causas satis esse, ut aliqui a ieiunii legibus et abstinentia immunes existimen-

tur; non autem, ut populus vel integra civitas idem privilegium obtineat. Quis enim sibi persuadere possit, cives universos alicuius urbis vel dioecesis, eodem tempore gravissimo morbo teneri, vel in eodem discrimine versari omnes, ut periculosam aegritudinem contrahant? Nisi forte eos morbos intelligamus, qui ab aeris intemperie vel infectione promanant, de quibus paulo post verba faciemus. Quis credat umquam, populum universum alicuius dioecesis vel communi languore penitus extenuatum, vel extrema senectute confectum?

Quadragesimalium ciborum caritas non est causa sufficiens pro disp. gen.

§ 18. Neque vero causa sufficiens habenda est, ut aliqua civitas vel populus abstinentia quadragesimali liberetur, ipsique carnes permittantur, si forte pisces vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes habent egenos cives, ita etiam opulentos; e quibus etiam alii vitae sustentationem labore ac sudore sibi comparant, alii vero patrimonio ac divitiis satis superque abundant. Itaque, si pro emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non vero divitibus, suffragatur. Id asserunt etiam nonnulli theologi haud severioris disciplinae, quorum sententiam recensuimus capite nono libri tertii nostrarum Institutionum, quas Bononiae typis impressimus.

Nec militum stationes.

§ 19. Illud etiam inane commentum prorsus existimari debet, solvendas esse abstinentia quadragesimae civitates vel dioeceses, ubi exercitus versantur, eo quod milites in iis locis permanentes abstinentiae leges minime observant. Id potius animos civium inflammare deberet ad ieiunium rite religioseque suscipiendum, ut nempe milites tanta virtute temperantiae permoti, ipsorum exemplum sequantur. Illud solum pro legitima causa in medium proferri potest, copias militum tantam afferre civitati penuriam herbarum atque olei, licet quadragesimae ieiunio non obtemperent, ut harum rerum pretia summopere augeantur. Tunc autem eadem statuenda sunt, quae paulo ante diximus, cum pisces et ova cariori pretio comparantur.

Nec alia ex peculiaribus causis supra recensitis.

§ 20. Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, in posterum pro causa solvendae abstinentiae non adducantur, nisi forte civibus universis iidem morbi communes habeantur ob aliquam aeris corruptionem: neque in posterum herbarum, olei, piscium et ovorum pretia tanti ponderis esse censeantur, ut omnis civitas vel dioecesis ab instituto quadragesimae ieiunio ac temperantia liberari contendat. Quod si veras ac legitimas a nobis causas ad hanc facultatem obtinendam expetitis, duas potissimum percensebimus, quarum prima ex iure canonico, altera vero ab ipsa rerum magistra experientia, deprompta est.

Causae legitimae: I. Deficientia piscium, olei etc.

§ 21. Innocentius III., quem superius nominavimus, *eodem cap. Consilium, de observatione ieiuniorum*, Archiepiscopo Bracarensi postulanti, qua poena plectendos iudicaret illos, qui tempore quadragesimae a carnibus non abstinuerant ob summam rerum caritatem et angustiam, itaut plures fame enecarentur, respondit his verbis: *Cum autem quaesieris, quae sit illis poenitentia iniungenda, qui diebus quadragesimalibus, tempore quo tantae famis inedia ingruebat, quod magna pars populi propter inopiam annonae periret, carnes comedere sunt coacti; respondemus: quod in tali articulo illos non credimus puniendos. Preces tamen Domino pro illis et cum illis effundas, ne ipsis aliquatenus imputetur; quia bonarum mentium est, ipi timere culpam, ubi culpa minime reperitur;*

Disciplinae veteris rigor.

Si quis hoc tempore Episcopus, adductus exemplo Bracarensis Antistitis, idem consilium peteret a Sede Apostolica, tamquam ineptus ac simplex haberetur; sed illo Ecclesiae felicissimo saeculo maximi pendebatur, uti aequum est, quadragesimae praeceptum. Hinc magna severitate inquirebantur illi, qui minime paruissent, licet talis causa intercederet, ut liberi ab eodem praecepto viderentur: nec ulla ratio habebatur virorum principum, licet ipsorum incolumitas cum Reipublicae felicitate coniuncta putaretur; uti nos fuse ostendimus in decima quinta nostrarum Institutionum libri primi. Sed iis omissis, et aliis bene multis, quae in hanc rem congeri a nobis possent, illud primum delibabimus ex responso Innocentii III., tunc quadragesimae abstinentia solvi posse integram civitatem vel dioecesim, cum reipsa non suppetunt ea, sine quibus praeceptum quadragesimae observari nequit. Itaque si revera in aliquo loco neque oleum, neque pisces comparari possint, tunc incolis eiusdem loci permitti fas est, ut lacte et ovis utantur: si haec autem revera deficiant, tunc carnis, salubris tamen, edendae facultas concedetur, interposita semper ieiunii servandi conditione.

Exemplum dispensation. concessae pro Insulis Americae.

§ 22. Insula Sancti Dominici in America Meridionali in temporalibus paret charissimo in Christo filio nostro Ludovico Gallia-

rum Regi christianissimo, nec ei ullus praeest Episcopus. Praefectus patrum Societatis Iesu anno MDCCXLII. a nobis quaesivit, an ex concessione sibi facta a Sede Apostolica dispensandi super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore ieiuniorum et quadragesimae, dici posset, sibi etiam datam fuisse facultatem dispensandi nedum particulares personas, sed etiam multitudinem hominum, et omnes sui districtus incolas, quando coram Deo id expedire iudicasset: habitoque responso, facultatem ei fuisse concessam dispensationem indulgendi particularibus hominibus, non autem multitudini hominum, et omnibus incolis sui districtus; pro concessione exoravit. Pro causa exposuit veneficam piscium qualitatem; exiguum piscatorum numerum, qui longe ab insula piscantes, pisces deferebant aut foetentes, aut corruptos ob nimios calores; paupertatem earum gentium, quae oleum emere non poterant pro cibis quadragesimalibus necessarium; deficientiam denique olerum et leguminum, quae in ea regione facile corrumpuntur, aut a vermibus consumuntur. Re subinde mature discussa coram nobis in Congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis *die* XII. *aprilis anno* MDCCXLII., habita ratione regionis nimis remotae, a qua quilibet anno impossibilis erat ad Sedem Apostolicam recursus; indulgentes necessitati fidelium degentium in insulis ditionis Gallicae in America, facultatem concessimus praefectis missionum illarum partium, ut in casu verae et ineluctabilis necessitatis, et tantum de anno in annum, praefataque vera necessitate durante et non aliter nec alio modo, uti possent et valerent cum fidelibus populis ipsorum regimini commissis dispensare super esu ovorum et lacticiniorum, et etiam carnium tempore quadragesimali, indicta simul cum huiusmodi dispensatione observantia ieiunii per unicam comestionem, onerataque praedictorum Praefectorum conscientia, si adamussim iuxta praescriptum concessa facultate usi non fuissent.

II. Causa: morbus epidemicus.

§ 23. Sed iam ad experientiam deveniamus. Quindecim ab hinc annis per totam fere Europam morbus invaluit, qui pectoris inflammationem inferebat, ita tamen, ut ex una civitate in aliam, et ex una provincia in aliam haec funesta lues promanaret. Id contigit an. MDCCXXX., MDCCXXXIII., MDCCXL. Licet autem morbus eiusmodi, qui universos hominum ordines atque aetates corripiebat, lentam solum in pectore inflammationem excitaret, tamen senibus matura iam aetate debilitatis extremam afferebat perniciem; nam ex ipso febres acutissimae ac mortales sequebantur. Idem morbus in periculum trahebat iuniores etiam, qui paululum infirmo pectore laborarent. Postremo multorum pectora adeo labefactavit, ut gravissima deinde mala provenerint. Alios quoque morbos huius generis, pectoris inflammationem magno cum periculo afferentes, aegros in discrimen vitae adduxisse, medici scriptores luculenter testantur.

Medici audiendi super qualitate morbi.

§ 24. Itaque si medicinae professores acciti monitique graviter ut nihil a veritate alienum respondeant, unanimi consensu fateantur (ut nobis ipsis accidit, cum adhuc Bononiae versaremur) morbum esse talis naturae, qualem superius commemoravimus, itaut nulla aetas libera et incolumis esse queat; et affirment, illis ipsis, qui inter cives salvi et integri numerantur, eamdem perniciem imminere; id praeterea conferre plurimum ad eiusmodi luem depellendam aut evitandam, si tum aegrotantes, tum sani a piscibus et oleo, et quandoque pariter a lacte et ovis abstineant; si, inquam, res ita se habeat, tum procul dubio causa sufficiens iudicanda est, quae experientiae innititur, et quae semper probata, et in posterum probanda videtur, ut nempe populus seu civitas integra a carnibus abstinendi praecepto non teneatur.

Eorum attestationes exhibendae.

§ 25. Neque ulla difficultas promovere vos debet a consulendis medicis, qui praestantiores habeantur. Cavendum pariter, ut quidquid revera senserint, scripto testari non praetermittant; quae conditio si desit in posterum, nulla umquam facultas civitati aut dioecesi, carnibus aut lacticiniis vescendi tempore quadragesimae tribuetur: quippe id necessarium omnino videtur. Accedit etiam, quod medici facilitate quadam incredibili peculiares quidem cives a quadragesimae praecepto liberos et immunes decernere soleant; (de qua re gravissime monendi a vobis sunt, ne suas animas indulgendo nimis aggravent): cum vero pro universis civibus idem statuendum proponitur, tum se difficiles, anxios, ac solicitos praestare, nos ipsi experti sumus. Postremo, si velint percurrere ea, quae in Italia, et extra ipsam, praeclarissimi auctores medici typis evulgarunt, facile deprehendent, abstinentiam ciborumque parsimoniam ab illis magnopere commendari; discrimen inter mor-

Quid observandum pro indulg. esu carnium et ovorum.

bos constitui; e certis rationibus ostendi, in curandis quibusdam morbis nequaquam requiri, ut iusculum et carnes, loco piscium, olei et herbarum substituantur; in aliis vero iuvare plurimum, si sublatis carnibus, cum indicitur ieiunium, oleo vel lacte aegrotantes utantur. Demum advertent, quam diligenter accurateque scribant de pectoris incommodis, cum in omnibus generatim excitantur, ne corripiantur eodem morbo, qui adhuc incolumes a communi lue supersunt.

Episcopi ne facile petant dispensationes generales.

§ 26. Haec vobis indicanda putavimus. Reliquum est, ut vos hortemur, ne tam facile suscipiatis negotium petendae facultatis utendi carnibus et lacticiniis tempore quadragesimae pro universa civitate vel dioecesi. Quippe abrumpenda tandem est consuetudo, ob quam iam per tot annos in quibusdam locis hae facultates tribui consueverunt. Illud etiam experientia a vobis compertum erit, delicatis quoque ac mollibus abstinentiam quadragesimae nullam inferre perniciem; neque plures ob hanc causam inter aegrotos vel mortuos recenseri.

Praemissis non servatis, dispensatio denegabitur.

§ 27. Hanc rationem et institutum nos ipsi secuti sumus Romae ac Bononiae (cuius Sedem adhuc retinemus), cum nuper quadragesimae tempus ageretur. Si vos id quoque praestabitis, neque facile a nobis pro universa civitate vel dioecesi facultatem solvendi quadragesimae abstinentiam postulabitis, vel (si necessarium id arbitremini) non aliter, quam servatis praemissis conditionibus dispensationis instantia ad nos deferretur, non solum ii fructus provenient, quos iam indicavimus; sed etiam repulsae pudorem evitabitis, nosque pariter ea molestia vindicabitis, quam ferimus, dum votis vestris minime obsecundamus. Postremo vos omnes peramanter amplectimur, et apostolicam benedictionem vobis populisque vestris impertimur.

Datum ex Arce Castri Gandulphi, die x. iunii MDCCXLV., pontificatus nostri anno v.

§ II.

VI.

Ex Iacobi III. Britanniae regis supplicatione sanctam Communionem suscipiendi, cum ex aegra valetudine ipsam sumere non possit ieiunus, occasionem captat explicandi ea, quae pertinent ad naturale ieiunium communioni praemittendum.

Dilecto filio Magistro Ludovico de Valentibus Sancti Officii Assessori,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Pium Regis Britannici votum communionem sumendi etsi non ieiunus.

§ 1. Quadam, de more, tibi impertita audientia, detulisti ad nos pium aeque religiosum carissimi in Christo filii nostri Iacobi III. Magnae Britanniae regis votum ut sibi liceret eucharisticum sumere sacramentum, etsi de media nocte antevertente diem, quo sacris mysteriis participem se fieri cupit, quandoque, ex aegra valetudine, cibum aliquem sumere cogatur, quo vires reficiat, atque id quidem haud se facere paratum esse, nisi sui confessarii consilium et approbatio accesserit.

Ieiun. natur. parvit. materiae non patitur.

§ 2. Facilioris doctrinae theologus responderet, nulla regem indigere dispensatione, cum res sit de exiguo cibo, necessitate cogente, non ex animi levitate sumpto, atque non minus in naturali ieiunio, quam in ecclesiastico materiae, ut inquiunt, parvitas indulgeatur. Verum opinio isthaec, etsi a Pasqualigo propugnata, falsa est; veluti pluribus demonstrant Suarez *in 3 part., tom. 3, quaest. 80, art. 8, disput. 68, sec. 4,* § *Dico secundo,* Salmaticenses, *t. 1 Cursus theologici moralis, tract. 4, cap. 7, quaest. 4, num. 66.* Eamdemque refutavimus ipsi pro viribus ac facultate, in nostro tractatu *de Sacrificio Missae, sect. 2, cap. 4,* § *2, Patavinae editionis.* Alia itaque via insistendum his, quae sequuntur, propositis.

Potuit Ecclesia, decuitque, ut naturale ieiunium commun. praemittendum statueret.

§ 3. Primum, etsi peramabilis Redemptor noster sacra sui Corporis Communione participes fecerit Apostolos non ieiunos; cum tamen peculiaribus quibusdam gravioribusque de causis id praestiterit, haud tamen ademit ipse Ecclesiae suae auctoritatem constituendi prout reipsa constituit, ne cui, Viatici aliisque paucis exceptis casibus, videndis apud theologos morales, non ieiuno, et quidem a media superiori nocte communionem praecedente, eucharisticum sacramentum ministretur. Rem hanc tractat S. Augustinus *Epist. 54, alias 118 ad Ianuarium, cap. 6,* ubi postquam retulit, Christum discipulis non ieiunis Corpus

suum ministrasse: *Liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli Corpus et Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos;* ita subdit: *Numquid tamen propterea calumniandum est Universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper accipiatur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam caeteri cibi.* Quod, post S. Augustinum, traditur quoque a magistro sententiarum *in 4 sent., dist. 8,* et a S. Thoma *3 part., quaest. 80, art. 8.* Suntque in hoc ipsum gravia et momentosa verba Pontificis S. Nicolai I. *ad consulta Bulgarorum, cap. 65.*

Ab hac ieiunii lege solus Pontifex dispensare potest.

§ 4. Alterum, cum generali lege caveatur, ut nonnisi ieiuno universim sacra ministretur communio, quam ipsam legem innuit quoque Synodus Constantiensis *sess. 13* ubi haec leguntur: *Huiusmodi sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis a iure vel ecclesia concesso vel admisso.* Ut alicui expressis casibus non comprehenso liceat, etsi non ieiuno, sacra participare mysteria, necesse erit, eumdem expressa dispensatione iuvari, quae porro dispensatio a nemine, praeter Romanum Pontificem, potest indulgeri. Id solide tuetur Henaus *de Euchar., disp. 14, sect. 3, num. 54.* Et Suarez *citat. loco, sect. 5, § Nihilominus,* quaestionem versans, num possit sacerdos etsi non ieiunus missam celebrare, ut aegro in vitae discrimine constituto sacram Eucharistiam ministret, pervalide oppugnat sententiam asserentium, id ipsi licere ex dispensatione Episcopi: *Non potest Episcopus dispensare, quia est praeceptum universale totius Ecclesiae, et nulla auctoritate vel consuetudine constat, datam esse Episcopo facultatem dispensandi in illo. Per se autem non potest inferior in lege superioris dispensare.* Firmissimam in hanc regulam consentit Cardinalis de Lugo, *de Eucharistia, disput. 16, sect. 2, num. 55,* et haec sunt eius verba: *In hoc praecepto ieiunii naturalis dispensare potest solus Papa. De facto autem neque ipse dispensare solet.* Dignumque animadversione est praepositum verbum *solet,* innuens rariora esse similium dispensationum exempla, veluti scite expendit Tamburinus *in metodo expeditae communionis, cap. 2, § 8.*

Disp. eiusmodi causam praerequirit et quam.

§ 5. Tertium, quandoquidem omnem dispensationem ex causa esse oporteat, in proposita autem facti specie unica tantum viget ratio indulgendi pietati ac religioni Regis Britannici, eucharistico pane se frequenter reficientis: expendendum propterea est, an satis idonea haec causa sit, numve afferri possint vetera similium dispensationum exempla; nos enim difficiliores quidquam aggredimur novi, quod nulli praedecessores nostri praestiterint.

Aliqua exempla Commun. sumptae a non ieiunis.

§ 6. Ut facilior imploratae dispensationi fiat locus, posset quisquam ad disciplinam confugere quarumdam ecclesiarum Africae, in quibus christifideles feria sexta maioris hebdomadae coenati sacram sumebant communionem, idque ex religioso cultu erga institutionem Sanctissimi Sacramenti, ut praedictum est, a Christo Iesu Apostolis, postquam comederant, distributi: *Nonnullos probabilis quaedam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Coenam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri, et accipi liceat Corpus et Sanguinem Domini.* Verba sunt Sancti Augustini *in cit. epistola ad Ianuarium, cap. 7,* ad diu toleratam in Occidentalibus et Orientalibus Ecclesiis praxim, cum scilicet post baptisma communio ministrabatur infantibus, quibus matres vel nutrices, etiam ante sumptam sacram Eucharistiam, eorum imbecillitatem commiserando, lac exhibere permittebantur; *ad epistolam 125* S. Ioannis Chrysostomi *ad Cyriacum Episcopum,* ubi vir sanctus incusatus, quod communionem pasto cuidam ministrasset, his respondet: *Quod si mihi obstinata mente id obiicere pergunt, Paulum etiam de dignitatis gradu deiiciant, qui coenatus universam domum baptizavit; Domino item ipsi auctoritatem abrogent, qui Apostolis post coenam communionem dedit;* ac denique ad celebre factum S. Udalrici Augustae Episcopi, de quo in Chronica incerti Authoris *ad annum* CMLXXVIII. haec leguntur: *Iste Udalricus Episcopus fecit prandium cum Conrado Constatiensi Episcopo, et eodem die, facto prandio, celebravit missam cum clero et populo. De hoc accusatus respondit, ego non comedi, sed caritas.*

Irrelevantia ostenduntur nonnulla quidem, quia proscripta, vel obsoleta.

§ 7. In nostro tractatu *de Synodo Dioecesana, novissimae editionis, lib. 6, cap. 8, num. 4,* egimus de communione in nonnullis ecclesiis feria quinta in Coena Domini ministrari solita etiam non ieiunis, deque eucharistia infantibus porrecta illico post baptismum; verum monumenta ista

viam nihilo faciliorem ad id, quod proposuimus, efficiunt. Invectum quippe usum communicandi post comestionem feria quinta maioris Hebdomadae proscripserunt subinde Patres Synodi tertiae Carthaginensis, quorum decreto congruit omnino Canon 29 Concilii Trullani habiti a. DCXCII. uti etiam videre est in eruditis adnotationibus P. Lupi *ad dictum Canonem Trullanum,* et apud Iuenin *de Sacramentis, dissert. 4, quaest. 8, art. 2, § 1, concl. 2.* Quod autem spectat ad communionem pueris, statim post baptismum ministratam, iam a quadringentis et amplius annis is ritus in Occidentali Ecclesia obsolevit. Nonnulla quidem supersunt adhuc vestigia in Orientali Ecclesia; at et ipsa quoque pedetentim et antea, et nunc quoque temporis studuit ab eo deflectere, quemadmodum latius ostendimus in nostris encyclicis literis ad missionarios per Orientem § 24, typis editis superiore anno MDCCLV.

Caetera vero quia apocryph. vel saniorem habentia interpretationem.

§ 8. Mox supra indicata epistola S. Ioannis Chrysostomi genuinum eiusdem opus agnoscitur a Lupo, Tillemontio et Montfoconio; verum tamquam supposititia reiicitur multis haud levibus coniecturis ab erudito Patre Stiltingio, Bullandiani operis prosequutore, in acta S. Ioannis Chrysostomi illustrata editaque anno MDCCLIII. nobisque dicata, uti videre est § *69, n. 1072 et seq.* ac praecipue *num. 1081.* At, utut epistola genuinum opus S. Ioannis Chrysostomi haberi vellet, vir sanctus haud probat, communionem ministrari cuiquam non ieiuno, inficiatur se umquam eamdem porrexisse pasto; profitetur, siquid eiusmodi attentasset, dignum se, qui de Episcoporum catalogo, atque fidelium electorumque libro expungatur; subinde vero ex quodam orationis impetu superaddit ea, quae superius allata sunt de communione non ieiunis a Christo exhibita: ita ille inquit: *Multa adversum me struxerunt, aiuntque, me post epulas quibusdam communionem impertiisse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxae fidei volumine scribatur, quoniam ecce, si quidquam eiusmodi perpetravi, Christus e regno suo me abiiciat:* hisque verbis cum addat Chrysostomus caetera superius expressa, facile intelligitur, haec quemdam animi impetum importare, et argumentandi modum, quo utuntur plerique, qui post factum solide inficiatum, ultra progressi, non verentur ex falsa hypothesi illud concedere, pugnantes tamen nullatenus exinde confici, quae adversarius inferre contendit. De S. Udalrico Episcopo nihil plane addemus; cum pura putaque fabella sit illud, quod quidam de eo comminiscuntur, uti innuit Christianus Lupus *in notis ad Can. 29 Trullanum,* et latius prosequitur recens eruditus Catalanus *in suis commentariis ad eumdem canonem.*

Alia nonnulla recentiora exempla pontif. dispensationis.

§ 9. Itaque cum ea, quae hucusque demonstrata est, via minus tuta reperiatur: aliam inire opus est, eritque haec haud ita vetustis monumentis suffulta, propterea quod nititur proximiorum temporum concessionibus a praedecessoribus nostris emanatis. In secreto Vaticano Tabulario inter Brevia praedecessoris nostri Pii IV., *tom. 18, num. 63,* extat Breve ab eodem Pontifice ad preces Sebastiani Lusitaniae Regis relaxatum, in quo sacerdotibus per Indias enunciati regis dominio subiectas commorantibus, qui vel ob contractam aegritudinem vel coeli inclementiam, post noctem mediam, aliquem sumunt cibum, fit facultas successivo die sacrum peragendi. Innocentius XIII. Pontifex per suas apostolicas literas in forma Brevis Romanorum Reginae Elisabethae Christinae concessit facultatem sumendi Eucharistiam, etiam post aliquod degustatum cibum, quo die in Bohemiae Reginam ungi solemniter coronarique debebat; ita exposcente imbecilli eiusdem valetudine, quae tam diuturnam functionem, nullo recreata cibo, perferre non potuisset. *Tecum, ut dictae tuae unctionis et coronationis die, necessarium ientaculum, antequam Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suscipias sumere libere et licite possis et valeas, harum serie dispensamus.* Simileque indultum ab eodem Pontifice datum reperitur regnanti Regi Christianissimo, qui cum solemni consecrationis suae die sacram Communionem sumere deberet, eaque tunc esset aetate, in qua nondum obfirmata valetudine uteretur, iustum ingesserat timorem, ne, ullo praegustato cibo, tam diuturnae functioni non posset interesse. Perspectum denique est quid quotannis fiat Romae in pontificio sacello nocte Nativitatis Domini; in eodem quippe celebratur missa ante mediam noctem, nec semper ab eo, qui praecedenti die ab omni cibo abstinuerit. Scripsere nonnulli, singulis annis concedi a Pontifice dispensationis literas in forma Brevis; at id a veritate aberrat. Verum, cum Pontifici perspectum sit, qua hora celebretur missa; innotescat quoque haud semper esse ieiu-

num qui sacrificium offert, nec tamen quidquam obloquatur, nec quidquam statuat, remque ita transigi sinat; locus fit tacitae cuidam dispensationi, quae tutam efficit conscientiam eius, qui ea nocte missam celebrat non ieiunus; uti a nobis fuit pluribus demonstratum in nostro tractatu *de Synodo Dioecesana, nuperae edit., lib. 6, cap. 8, num 13 et sequent.*

Haec quoque nec casui omnino congruere demonstratur.

§ 10. Exempla isthaec profecto propius ad casum nostrum accedunt, quam caetera superius relata; verum nec plane rem praesentem attingunt: cum nunc disseratur de sacrae Communionis participatione, ex singulari religione ac pietate exoptata; proxime autem indicata exempla versentur circa missae celebrationem vel sumptionem Eucharistiae, quodammodo necessarias et quae praetermissae admirationem induxissent, vel etiam offensionem. Facultatem fecit Pius IV., uti praenotatum est, Indiarum sacerdotibus celebrandi missam adhuc etiam post sumptum, evoluta iam media nocte, cibi aliquid vel potus; verum cum per eas regiones haud ita frequens esset presbyterorum numerus, sacerdos quilibet sacrum singulis diebus offerre tenebatur. *Quodque nonnulli presbyteri, qui aut propriae infirmitatis, aut aeris intemperiei occasione, quibusdam remediis comestibilibus aut potabilibus nocte uti consueverunt, dubitant, si ipsos contingat post mediam noctem eisdem remediis uti, licere sibi missam, ad cuius celebrationem ob penuriam aliorum presbyterorum in illis partibus quotidie tenentur, die sequenti celebrare.* Sunt hae circumstantiae casus ad Pontificem delati; quas idem in ipsa concessione repetens, ita subdit: *Si eos dictis remediis post mediam noctem uti contigerit, si urgentissima fuerit celebrandi necessitas, ac paululum inde dormierint, nihilominus die sequenti celebrare libere et licite valeant, auctoritate apostolica etc. licentiam et facultatem concedimus et impertimur.* Facile quisquam animadvertet, quod, cum debeant reges summique principes, quo consecrantur die, sacra Eucharistia refici, tum ut statutis regulis et Ritualium legibus satisfaciant, tum ut populis suo exemplo praeluceant, si cum iis dispensatur, ut sacramentum eo die sumant, licet quidpiam prius comederint, hanc tamen dispensationem minime pertinere ad privatam communionem, ex privato devotionis affectu susceptam, sed ad publicam Eucharistiae sumptionem, cuius neglectus admirationem secum tulisset ac scandalum; eodemque ferme modo obtinere dici potest, quod relatum est de eo, qui nocte Natalis Domini in pontificio sacello sacrum facit; cum nimis urgeat, ne praeindicata nocte sacra functio in pontificia cappella omittatur, simulque haud ita facile sit adesse semper Cardinalem, qui, non obstante aetate, quam plerumque agunt praedicta dignitate decorati, potens sit protrahere naturale ieiunium a media nocte superiore ad alteram, in qua solemne intra memoratum Sacellum offert sacrificium. Accedit insuper, in praxim omnino induci non posse, ut, media nocte transacta, constituatur initium missae, dum ipsi intersunt Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi, qui sequente die, horaque congrua, ad reliquas pontificii sacelli functiones redire debent, quod porro non praestant, nisi lecto iam privatis in sacellis suis, oblatoque trino sacrificio; quemadmodum a nobis latius enarratum fuit in nostro tractatu *de Synodo Dioecesana, designato loco.*

Exempl. affertur casui plane accommodatum.

§ 11. Unicum itaque exemplum privatae communionis ex devoto religionis affectu sumptae, in vim obtentae a Summo Pontifice facultatis eamdem sumendi, adhuc etiam post refectionis aliquid degustatum, ita exposcentibus imbecillitate indigentiaque corporeae habitudinis in Carolo V. Imperatore suppetit. Is secum ipse cogitavit, constituitque de German. Prov. cedendis, uti contigit, Ferdinando fratri, subinde etiam Imperatori; deque transferendis reliquis ditionibus, id quod etiam perfecit, in Philippum filium suum, Hispaniarum Regem eius nominis II.; tum se recepit in monasterium S. Iusti Monachorum S. Hieronymi situm in Extremadura, vitamque iniit eremiticam, adstans simul cum monachis divinae psalmodiae; patrum volumina perlegens, res divinas saepe commemorans, saepe sacramentali confessione abstergens peccata, sacramque communionem pio affectu frequentans, uti latius prosequitur Famianus Strada *De bello Belgico, decade prima, libro primo, sub titulo, Carolus V.* Cumque pius Imperator Eucharistiam ieiunus sumere nequiret, eidem suasere medici, ut nonnihil antea cibi degustaret. Ita aliquamdiu se gessit; at cum rescivisset, apostolica opus esse dispensatione, ut liceret praefato modo ad communionem accedere, recursum habuit ad Iulium III. Pontificem, qui eidem, quod in praeteritum

gesserat, relaxavit, indulsitque, ut in posterum, etiam post sumptum exiguum aliquod ientaculum, posset sacram participare communionem.

Pontificii indulti tenor.

§ 12. Non censuimus in re tanta fidendum esse authorum assertioni, qui cursim innuunt datum Imperatori Carolo V. a Iulio III. praedecessore nostro Indultum. Ex secretiori Vaticano Archivio afferri iussimus pontificium Breve repertum *tom. 70, num. 152,* in quo Imperatoris preces sequentibus verbis referuntur: *Exponi nobis tua maiestas fecit, se nonnunquam, ratione suae valetudinis ita suadente et cogente, diebus, quibus sacratissimam Eucharistiam sumere instituit, de medicorum consilio, modicum ientaculum ad necessariam substentationem ventriculi sumere ante consuevisse, et nobis, ut tam de praeterito veniam illi dare, quam in futurum secum super eo dispensare auctoritate apostolica vellemus, supplicavit.* Subsequitur in ipso Brevi pontificia concessio, cuius en concepta verba: *Quare nos huiusmodi necessitatem tuam attendentes, et tuae Maiestatis pium sincerumque in catholica religione, et Sanctorum Patrum Constitutionibus tuendis ac venerandis animum omnibus in rebus agnoscentes, te omni conscientiae scrupulo, quod propter istiusmodi usum hactenus forsan contrahere potuisti, prorsus in Domino liberamus et absolvimus, atque ut in posterum eodem modo, post sumptum necessarium ientaculum, praefatum Sacratissimum Eucharistiae Sacramentum sumere possis, tecum, ab eodem Domino tradita nobis auctoritate, indulgenter dispensamus.*

Utriusque casus circumstantiae conferuntur sibique respond. adinveniuntur.

§ 13. Quod Iulius III. praedecessor noster praestitit erga Carolum V. Imperatorem, idipsum et nos agere intendimus, quin et peragimus cum Iacobo III. Magnae Britanniae Rege. Perspecta nobis esse non potest imbecillis valetudo Imperatoris Caroli V. a medicis contestata; scimus equidem, ipsum natum an. MDI., cumque datum fuerit pontificium Breve sub an. MDLIV., eumdem, dum Breve obtinuit, non excessisse 54 aetatis suae annum. Quae patitur Britannicus rex noster incommoda, sunt nobis satis superque nota, scimusque etiam, eum agere 68 aetatis suae annum. Ex animo credimus, quidquid scripsere historici de pietate ac religione Caroli Quinti. At historicis minime indigemus, ut perspecta nobis fiat singularis charissimi in Christo filii nostri Iacobi Regis integritas vitae, pietas et religio, quibus dum totam vivendi rationem moderatur, universae sit Urbi exemplo; cum ipsi simus horum oculati testes. Tu itaque, qui ad nos regium desiderium attulisti, nuncius nostro nomine eidem eris, apostolica nos, qua fungimur, auctoritate, ipsi facultatem indulgere, sacram sumendi Eucharistiam, consulto conscientiae suae moderatore, etsi post evolutam superioris noctis partem dimidiam, valetudine ita exposcente, exiguum aliquod ientaculum deglutiverit. Brevia praedecessorum nostrorum Iulii III. et Gregorii XIII. superius relata, et ad rem nostram spectantia, concludit paterna monitio ad Principes, quibus concessa fuerunt, pro eorum valetudine tuenda, veluti Christianae Reipublicae apprime necessaria: Nos quoque, dum epistolae huic nostrae finem facimus, idem praefato Iacobo Regi in memoriam revocantes, quod a praedecessoribus nostris commemoratum legimus iis Principibus, quos huiusmodi facultate donabant, tibi, dilecte fili, apostolicam benedictionem impertimur.

Unde optatum indultum concedit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV. martii MDCCLVI. pontificatus nostri anno XVI.

TITULUS II.

DE USURIS ALIISQUE INIUSTIS QUAESTIBUS

Doctrina de usuris exponitur de mandato Pontificis, qui eam approbat, ac doceri et servari iubet.

Ven. fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et Ordinariis Italiae,

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Erroneae sententiae disseminantur. Vix pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus iudicari debeat) nonnullas per Italiam disseminari sententias, quae sanae doctrinae haud consentaneae viderentur; cum statim nostri apostolici muneris partem esse duximus, opportunum afferre remedium, ne malum eiusmodi, temporis diuturnitate ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, et incolumes adhuc Italiae Civitates labefactaret.

Pontifex deliberat cum consilio etc. § 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: quippe rem totam explicavimus nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, qui sacrae theologiae scientia et canonicae disciplinae studio ac peritia plurimum commendantur: accivimus etiam plures regulares in utraque facultate praestantes; quorum aliquos ex monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex clericis regularibus selegimus; Praesulem quoque iuris utriusque laurea praeditum et in foro diu versatum adhibuimus. Diem quartam indiximus iulii, qui nuper praeteriit, ut coram nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum perspectumque deprehendimus.

Doctrinam de usuris exponi iubet. § 2. Post haec praecepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent suasque opiniones scripto exararent; non tamen expetivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiae causam initio praebuerat, cum plura documenta non suppeterent, quae necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quae nuper in vulgus spargi coeperunt: iussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declararunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram nobis habita est die XVIII. iulii, altera vero die prima augusti, qui menses nuper elapsi sunt; ac demum easdem sententias Congregationis secretario scriptas tradiderunt.

§ 3. Porro haec unanimi consensu probaverunt. **Canones.**

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quoque in contractu mutui propriam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantundem dumtaxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum et usurarium est. **Usura lucrum supra sortem, ex mutuo.**

II. Neque vero ad istam labem purgandam, ullum arcessiri subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens et nimium, sed moderatum; non magnum, sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid a quolibet, vi mutui ipsius, cui per aequale iam satis est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex eius obligatione iustitiae, quam commutativam appellant, et cuius est, in humanis contractibus aequalitatem cuiusque propriam et sancte servare, et non servatam exacte reparare. **Quantitas lucri, vel qualitas mutuatam lucrum huiusmodi ab usurae labe non liberant.**

III. Per haec autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut aiunt, titulos, eosdemque ipsimet universim naturae mutui minime innatos et intrinsecos, forte concurrere, ex quibus iusta omnino legitimaque **Quidam tituli, vel contractus a mutuo diversi, iustum reddere proventum ultra sortem.**

causa consurgat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversae prorsus naturae a mutui natura contractus, recte collocari et impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercaturam et negociationem exercendam, honestaque indidem lucra percipienda.

Vitandi tamen excessus contra iustitiam.

IV. Quemadmodum vero in tot eiusmodi diversis contractuum generibus, si sua cuiusque non servatur aequalitas, quidquid plus iusto recipitur, si minus ad usuram, (eo quod omne mutuum tam apertum, quam palliatum absit), at certe ad aliam veram iniustitiam, restituendi onus pariter asserentem, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur, et ad iustitiae libram exigantur, dubitandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitis modus et ratio suppetat humana commercia et fructuosam ipsam negociationem ad publicum commodum conservandi ac frequentandi. Absit enim a christianorum animis, ut per usuras aut similes alienas iniurias florere posse lucrosa commercia existiment; cum contra ex ipso oraculo divino discamus, quod *Iustitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.*

Nec tituli legitimi, cum mutuo, nec iustae causae ineundi contractus a mutuo diversos, ubique suppetunt.

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios iustos, quorum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotiescumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram salvamque recipere. Ita si quis senserit, non modo divinis documentis, et catholicae Ecclesiae de usura iudicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi procul dubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo simplici ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso praesertim Christo Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris:* et quod similiter multis in circumstantiis, praeter unum mutuum, alteri nulli vero iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, vere ne cum mutuo iustus alius titulus, vere ne iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur.

Pontifex relatam doctrinam probat.

§ 4. His verbis complectuntur et explicant sententias suas Cardinales ac theologi et viri canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; nos quoque privatum studium nostrum conferre in eamdem causam non praetermisimus, antequam Congregationes haberentur, et quo tempore habebantur, et ipsis etiam peractis; nam praestantium virorum suffragia, quae modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum haec ita sint, adprobamus et confirmamus quaecumque in sententiis superius expositis continentur; cum scriptores plane omnes, theologiae et canonum professores, plura sacrarum literarum testimonia, pontificum decessorum nostrorum decreta, conciliorum et patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspispirare videantur. Insuper apertissime cognovimus auctores, quibus contrariae sententiae referri debent; et eos pariter, qui illas fovent ao tuentur, aut illis ansam seu occasionem praebere videntur; neque ignoramus quanta sapientia et gravitate defensionem veritatis susceperint theologi finitimi illis regionibus, ubi controversiae eiusmodi principium habuerunt.

Eamque doceri et servari iubet.

§ 5. Quare has literas encyclicas dedimus universis Italiae Archiepiscopis, Episcopis et Ordinariis, ut haec tibi, venerabilis frater, et caeteris omnibus innotescerent; et quoties Synodos celebrare, ad populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensuimus. Admonemus etiam vehementer, omnem solicitudinem impendere, ne quis in vestris dioecesibus audeat literis aut sermonibus contrarium docere: si quis autem parere detrectaverit, illum obnoxium et subiectum declaramus poenis per sacros Canones in eos propositis, qui mandata apostolica contempserint ac violaverint.

De peculiaribus contractibus nihil nunc decernit.

§ 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in praesentia statuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus theologi et canonum interpretes in diversas abeunt sententias; attamen pietatis vestrae studium ac religionem inflammandam existimamus, ut haec, quae subiicimus, executioni demandetis.

Usuram et avaritiam caveri; sapientum consilia exquiri admonet.

§ 7. Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usurae labem ac vitium a divinis literis vehementer improbari; illud quidem varias formas atque species induere, ut fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem et gratiam, rursus in extremam ruinam praecipites impellat; quocirca si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur: sed potius ab illis, qui doctrinae ac virtutis gloria supra caeteros efferuntur, consilium exposcant.

Consultos caute pronunciare: dissentientes moderate agere iubet.

§ 8. Secundo loco; qui viribus suis ac sapientiae ita confidunt, ut responsum ferre de iis quaestionibus non dubitent (quae tamen haud exiguam sacrae Theologiae et Canonum scientiam requirunt), ab extremis, quae semper vitiosa sunt, longe se abstineant: etenim aliqui tanta severitate de iis rebus iudicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam accusent, tamquam illicitam, et cum usura coniunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo remissique sunt, ut quodcumque emolumentum ab usurae turpitudine liberum existiment. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaereant; sed priusquam responsum reddant, plures scriptores examinent, qui magis inter caeteros praedicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullae omnino contumeliae in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus censuris notandam asserant, si praesertim ratione et praestantium virorum testimoniis minime careat; siquidem convicia atque iniuriae vinculum christianae caritatis infringunt, et gravissimam populo offensionem et scandalum praeseferunt.

Contractuum naturam et conditiones aperiri suadet.

§ 9. Tertio loco, qui ab omni usurae labe se immunes et integros praestare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituendum antea declarent, et conditiones inserendas explicent, et quem fructum ex eadem pecunia postulent. Haec magnopere conferunt non modo ad animi solicitudinem et scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in foro externo comprobandum: haec etiam aditum intercludunt disputationibus, quae non semel concitandae sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quae rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

Temeraria dicteria comprimi mandat.

§ 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum sermonibus, qui dictitant, de usuris hoc tempore quaestionem institui, quae solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quae qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, et a veritate alienum, plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura prorsus diversam et seiunctam esse; et ea pariter discrepare magnopere inter se, quae a diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discrimen apertissimum intercedit fructum inter, qui iure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri; ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque iudicio restituendus decernitur. Constat igitur haud inanem de usuris quaestionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quae alteri tribuitur, fructus aliquis excipiatur.

Praesentium executionem Episcopis commendat.

§ 11. Haec potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandetis executioni quaecumque per has literas a nobis praescribuntur: opportunis quoque remediis consuletis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in dioecesi vestra turbae concitentur, vel corruptelae ad labefactandum sanae doctrinae candorem et puritatem inducantur: postremo vobis, et gregi curae vestrae concredito, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die I. novembris MDCCXLV. pontificatus nostri anno VI.

TITULUS III.

DE LIBERO INGRESSU CLERICORUM SAECULARIUM IN ORDINES REGULARES

Clerici saeculares Ecclesiae servitium non debent deserere, nihilominus possunt sanctioris vitae statum amplecti, etiam contradicente Episcopo, et religionem ingredi vitae contemplativae vel activae deditam.

Dilecto filio nostro Angelo Mariae Tituli S. Praxedis Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Quirino nuncupato eiusdem S. R. E. Bibliothecario,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Archidiaconus Brixiensis inconsulto Card. Quirino Episcopo ingressus est Societatem Iesu.

Ex quo dilectus filius Leander Chizzola Archidiaconus Ecclesiae tuae cathedralis Brixiensis, ex improviso isthic digressus, Bononiam se contulit, ibique habitum suscepit clerici regularis Societatis Iesu; statim a te, dilecte fili noster, datae fuerunt ad nos literae, quibus querebaris, eum tanti momenti consilium, te inconsulto, cepisse, teque penitus inscio, ad exitum deduxisse; non sine magno detrimento pauperum istius civitatis atque dioecesis, quibus largiter subvenire, multorumque piorum operum, quibus se iugiter exercere consueverat; suorum quoque nepotum in minori aetate constitutorum, quorum curae atque educationi praeesse debebat; ac sine spe quidquam utiliter peragendi in ipsa Societate Iesu, cui iam prope septuagenarius nomen dederat. Haec eadem, quum ipse proximo autumno in Urbem advenisses, nobis coram inculcare non omisisti; deque iisdem nuper in epistola nobis directa, ac typis vulgata, iterum expostulasti; petens praeterea, nosque excitans, ut auctoritatis nostrae ope, certaque lege proposita, huiusmodi licentiam reprimamus, qua saeculares clerici atque presbyteri ad regularium claustra, quum libet, se conferentes, a regularibus superioribus illico recipiuntur; quod sane non aliter fieri debere autumas, quam communicatis consiliis cum Episcopis ipsorum clericorum seu presbyterorum ordinariis; siquidem ipsi Episcopi nunquam regularibus viris ordines conferunt, sine praelatorum regularium consensu, in eorum literis dimissorialibus declarato.

De hoc quaeritur dictus Card.

Et exquirit a Pontifice ut illum cogat ad recedendum, et legem constituat, ne saeculares clerici libere ad claustra transire valeant.

Pontif. dividit postulatum in duas partes.

Duae sunt res in hoc universo negotio expendendae: peculiare scilicet factum Leandri Archidiaconi; et generale constitutum, quod a nobis fieri et publicari velles. Ad primum quod attinet, aptiorem querelis tuis responsionem comparare non possumus, quam si eadem ipsa tibi rescribamus, quae olim Sanctus Gregorius Magnus praedecessor noster Desiderio Episcopo Viennensi in Gallia in simili prorsus casu rescripsit. Quum enim Pancratius quidam Ecclesiae Viennensis Diaconus monasticam vitam amplexus esset, et in eodem diaconi gradu in monasterio degeret; Episcopus autem Pancratium diligens magnique faciens, ipsum e monasterio abducere, et ad Ecclesiae servitia retrahere vellet; Sanctus Gregorius, cuius opem Pancratius imploraverat, scripsit ad Desiderium, ut ipsum potius hortaretur, ne a monasterio discederet, neve se iterum saeculi procellis committeret. Habes Gregorii epistolam *Tom. II. ipsius operum anno* MDCCV. *a monachis Sancti Mauri accurate editorum, epistola 35, lib. 12, Indict. V.*, ubi ita scribit: *hortamur igitur, ut tam promptae devotioni eius, quam in sancto studet habere proposito, minime vestra sit impedimento fraternitas: magis autem, quibus valetis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, ut fervor huius desiderii in eo non tepescat; ut qui a turbulento curarum saecularium tumultu se segregans, quietis desiderio, portum monasterii appetit, rursum in ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari; sed in Dei laudibus permittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere.*

Respondet primae circa particulare factum de archidiacono.

Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit; quamvis Pancratius, *in clericatus officio Ecclesiae Viennensi*, ut ipse ait, *mancipatus* existeret, ipsius nempe servitiis reipsa addictus; quamvis etiam eo tempore huiusmodi disciplina vigeret, de qua late Thomassinus agit, *de Beneficiis, part. II., lib. 1, cap. 3, et 4,* ut clericus Episcopo ordinanti per omnia subesset,

eiusque ecclesiae ministerio, cui in ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo iure devictus haberetur. Quamvis denique idem Sanctus Gregorius optime nosset, nemini licere ab huiusmodi ministerio ecclesiae, cui semel addictus fuisset, discedere, sine permissu Episcopi, a quo quis ordinatus, eiusque Ecclesiae servitiis in ordinatione fuerat adscriptus: unde in alia epistola, quae est *XVII. lib. 5, Indict. XIII.*, quum ageret de electione Ioannis Archidiaconi Catanensis ad episcopalem Cathedram Syracusanam, inter alia, requirebat ut Leonis Episcopi Catanensis consensus accederet; *quod si factum fuerit, etiam frater et coepiscopus noster Leo ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri;* ad quae verba editores ita observant in notis; *tam erant clerici suae ecclesiae addicti, ut ne eos quidem in Episcopos alterius ecclesiae fas esset eligere, nisi missione obtenta, sive, ut vocat, cessione.*

Non itaque dubitamus, quin tu cum Archidiacono tuo eadem plane ratione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum diacono suo Pancratio agere, Sanctus Gregorius optavit; tum quia animi tui perspecta magnitudo hoc nobis suadet; tum quia in ea epistola, quam publici iuris fecisti, postquam praedicti Archidiaconi in saecularis praesbyteri statu eximiam operam disertissime, ut soles omnia, demonstrasti, circa finem deinde addis: *te habere causas, cur ultro sinas eumdem in Castris, ad quae discessit, militare.*

Unum tamen, quod tibi praesenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus; non scilicet debitae erga te observantiae defectui tribuendum esse, quod praedictus Archidiaconus tuus, ante discessum, opportunam abs te veniam minime requisierit; sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui reipsa exequendi, iustoque timori, ne forte ab eius implemento revocaretur. Qua ratione bon. mem. Ardicinus Cardinalis de Porta in quadam epistola ad praedecessorem nostrum Innocentium Papam VII. conscripta, suum factum excusat, quod scilicet ad eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens, cardinalatus habitum exutus, clanculo ex Urbe se subduxerit. Quum enim, Pontificis venia opportune obtenta, minime necessarium sibi putaret assensum Collegii S. R. E. Cardinalium; consilium vero suum, ne interverti posset, necessario occultandum esse cognovisset; delato deinde ad ipsum murmure eorum, qui ipsius factum reprehendebant, ita scripsit ad Pontificem, in praecitata epistola: *quod autem, dimisso cardinalatus habitu, dissimulata veste, me itineri commiserim, non opinor propterea me notam ullam apud graves et prudentes viros contrahere potuisse. Nam cum vellem, quod hactenus feceram, secretissimum esse, idque fratri mihi fidissimo occultassem, existimavi satius etiam in dissimulato habitu inter ignotos, quam cum vero habitu incedere, et propterea a poena et a culpa, et ab omni alia nota me immunem esse existimo.* Haec epistola refertur in eius vita edita ab Attichy in libro, cui titulus: *flores historiae sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.*

Respondet secundae circa legem generalem constituend.

Atque haec de prima quaestionis parte. Quod vero ad alteram attinet, ad generalem scilicet legem, quam pro similibus casibus a nobis constitui postulas; hoc tibi respondere posse arbitramur, satis huic rei in ecclesiasticis canonibus provisum esse.

De iure liberum est clericis transire ad claustra, etiam absque licentia Episcopi.

In Concilio Toletano IV. anno DCXXXIII. sub Sancto Isidoro celebrato, *Canone 50*, ita legitur: *Clerici, qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Textus habetur *in collectione Conciliorum Hispaniae Cardinalis de Aguirre, Tom. II., pag. 487*, et refertur etiam in decreto Gratiani *Can. Clerici 19, quaest. 1.* Quin immo *in eadem causa 19, quaest. 2, Can. alienum,* postquam regula posita est, quod clericus absque permissu Episcopi ab ecclesia sua discedere, et alterius servitio se adiungere nequit; huiusmodi exceptio subnectitur: *sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitae transire voluerit; tunc enim liberum est illi, etiam Episcopo contradicente, monasterium ingredi.* Concordat Canon sequenti loco relatus, qui incipit *Duae sunt;* in quo distinctio fit inter legem publicam et privatam; et posito, quod publica quidem lex vetat clericum ab una ad aliam ecclesiam transire sine assensu proprii Episcopi; privata vero lex, quae instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur, et dignior est lege publica, nequaquam id prohibet; ex huiusmodi principio arguitur, licere clerico beneficiato, etiam contradicente Episcopo, beneficium

relinquere, et in monasterium sese recipere: *si quis horum in ecclesia sua sub Episcopo populum retinet, et saeculariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto, in aliquo monasterio vel regulari canonica salvare se voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut lege publica obstringatur; dignior est enim lex privata, quam publica etc. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate.*

Sententia D. Thomae concordat etiam in terminis fortioribus.

S. Thomas *2-2, quaest. 189, art. 7,* quaestionem proponit, *utrum presbyteri curati possint licite religionem ingredi:* eamque affirmative resolvit; ea ratione ductus, quod nulla lege obligantur, toto vitae tempore curam animarum sustinere. Articulum vero ita concludit, facta de Archidiaconis expressa mentione: *Unde manifestum est, quod archidiaconis et presbyteris curatis licet ad religionem transire;* et paulo infra: *Dicendum, quod presbyteri curati et archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam subditorum, quamdiu detinent archidiaconatum vel parochiam; non autem obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo archidiaconatum vel parochiam retineant.* Haec a S. Antonino in sua *Summa, part. 3, tit. 16, cap. 2, § 2 in editione Veronensi, pag. 881,* ubi praeterea addit, Episcopi dissensum minime obstare: *Archidiaconis, presbyteris, curatis licet ad religionem transire, etiam Episcopo contradicente.* Quae verba similiter leguntur *apud Sylvium 2-2, quaest. 189, art. 7, in postrema eius editione Antuerpiae facta, Tom. III., pag. 945.*

Et S. Antonini.

Extensio sententiae ad ordines vitae activae.

Et quoniam alicui in mentem venire poterat, huiusmodi libertatem transeundi ad claustra, quae saecularibus presbyteris a canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro claustris monachorum, de quibus ipsi canones expresse loquuntur; idem Sylvius, *loco citato,* affirmat, eam facultatem aeque competere, sive de instituto agatur contemplativae vitae unice dedito, sive de eo, in quo vitae activae opera exerceantur: *Possunt religionem etiam illam ingredi, quae in vita mere comtemplativa, aut potissimum in corporalibus vitae activae officiis sit occupata; quoniam plus excedit status religionis cuiuscumque statum seu potius officium archidiaconi vel plebani, quam status altissimae religionis statum cuiuscumque infimae;* propter solemnia nimirum vota castitatis, paupertatis et obedientiae, quae in unaquaque religione emittuntur.

De limitatione sententiae.

At incidunt saepe tempora, quibus opportunum non est, clericum saecularem suum locum deserere, et in religiosis claustris se abdere: qua de re nisi consultatio intercedat inter Episcopum et Superiorem regularem, impossibile erit quid expediat agnoscere. Durum autem omnino est, virum ecclesiasticum qui, in suscipiendo presbyterii ordine, conceptis verbis, Episcopo suo reverentiam et obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit, Episcopo inconsulto atque inscio, ad regularia claustra discedere, ac regularis instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omnibus inter se iunctis, certam aliquam regulam tradi, et generalem legem a nobis promulgari opus esse contendis.

Enumerantur casus, qui obstare videntur.

Equidem fatemur, non omni tempore omnibus opportunum esse regularem vitam amplecti. Meminimus epistolae S. Augustini ad Bonifacium Comitem, quae in editione Monachorum Sancti Mauri impressa est *num. 220, Tom. II., pag. 202,* et cuius etiam pars refertur in *Can. Novimus 17, quaest. 2,* ubi nimirum Sanctus Doctor testatur, se, una cum Alypio, ipsum Bonifacium a monasticae vitae proposito dissuasisse, ob praeclaram, quam, in saeculo manens, Ecclesiae et Reipublicae navabat operam, dum Africam a Barbarorum incursionibus tuebatur: *Ut autem non faceres, quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi Ecclesiis quod agebas, si ea sola intentione ageres, ut defensae ab infestationibus barbarorum, quietam et tranquillam vitam agerent?* Vidimus etiam apud S. Thomam *2-2, quaest. 101, art. 4, et quaest. 189, art. 6,* quaestionem hanc solidis rationibus examinari, utrum posset filius religionem ingredi et parentes in saeculo relinquere, si ab ipso deserti, inopia sint laboraturi. Ulterius inquirunt moralistae, an idem dicendum sit de avo; et an id, quod de ascendentibus statuitur, locum habeat etiam quoad filios, fratres et nepotes; et quatenus illius ope, qui religionem vult ingredi, praedicti omnes indigere debeant.

De reverentia quoque et obedientia, quam non modo sacerdos, sed quilibet etiam clericus, proprio Episcopo praestare debet, iustam profecto opinionem fovemus. De huiusmodi obedientia agitur in *Cap. Cum clerici de verb. signific.* ubi Innocentius

Papa III. exponens formam iuramenti, quod a clericis Ecclesiae Placentinae praestabatur, in haec verba conceptum: *ego talis ab hac hora in antea fidelis ero, et obediens Placentinae Ecclesiae, et domino meo Episcopo Placentino;* docet, per Ecclesiae Placentinae vocabulum intelligi capitulum ecclesiae cathedralis; eum vero, qui praestat huiusmodi iuramentum, Episcopo tamquam capiti principaliter obligari. Neque porro nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum; ut ex antiquis Ritualibus colligitur, quae expendit *Catalanus ad Pontificale Romanum, tom. 1, pag. 149, in notis ad* § *29*. Quin imo libenter agnoscimus, presbyterum, huiusmodi promissionis vigore, ea lege, inter alias, adstrictum teneri, ut a servitio ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat *Hallier de sacr. Elect. et Ordin., part. 1, sect. 6,* § VI., *editionis Romanae,* ubi docte graviterque refellit auctorem cuiusdam libelli gallico sermone editi, qui huiusmodi reverentiam et obedientiam Episcopo in ordinatione promissam angustis nimium limitibus coercere tentaverat.

Pontif. tamen statuit novam legem non oportere.

Verumtamen, his omnibus non obstantibus, iterum dicimus, novam generalem legem hac de re minime necessariam nobis videri: vel quia in ecclesiasticis sanctionibus, quodcumque necessarium est, satis constitutum habemus; vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis constitutionis subiecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quae in huiusmodi casibus considerari possunt: primum videlicet, an presbyter ab ecclesiae servitio ad regularia claustra transiturus permissionem ab Episcopo petere debeat; secundum, quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat; tertium, quid statuendum sit de parochia, seu canonicatu, aut archidiaconatu, quem presbyter obtinebat. Verum haec omnia iam sacri canones considerarunt, atque opportunas pro singulis capitibus regulas praescripserunt.

Et distinguit tres casus in hac re aeque in iure consideratos.

Quod enim pertinet ad Episcopi permissum, nemo dubitat, quin presbyter, ecclesiae regimen aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episcopo consilium suum, eiusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet. Quum enim presbyteri, in animarum cura, aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus, Episcopi ministri sint; ita cum eo se gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant, et negotiorum, quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. De quo recte loquitur *Passerinus,* licet Ordinis Regularis scriptor, *de statibus hominis, Tom. III., quaest. 189, art. 7, num. 8, Minister, qui habet custodiam rerum et bonorum domini sui, quae absente custode perire possunt, non ex pura decentia, sed ex debito officii sui, tenetur bona sibi commissa domino reddere, et illum monere, ut de alio custode provideat; et si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo Parochus sit Episcopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi commissas, inconsulto Episcopo, non minus peccat, quam si minister pastoris, ovium domino ac pastore non admonito, gregem errantem sine custode dimitteret;* cum his, quae sequuntur.

Haec autem permissio vel ab Episcopo conceditur, vel negatur. Si concedatur, iam controversiae locus non erit. Sin vero denegetur, huiusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, presbyterum non adstringet, quominus religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet. Si enim presbyter Episcopo reverentiam et obedientiam in sua ordinatione promisit, multo solemnius regulares eam promiserunt proprio superiori in religiosa votorum professione. Et tamen quoties Regularis in Ordine laxiori professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a superiore laxioris licentiam petere: verumtamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expresse statuitur in *Cap. licet de Regularibus,* ubi sic legitur: *talis ergo postquam a Praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex lege privata, quae publicae legi praeiudicat, absolutus, libere potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante proterva indiscreti contradictione Praelati; quia privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate.*

De vacatione beneficior. per professionis emissionem, et

Denique de beneficiorum vacatione, in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in religionem, sed

Quid agendum de ipsis tempore tyrocinii.

per professionem regularem dumtaxat; quemadmodum videre est in *Cap. Beneficium, de Regular. in 6.* Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in Ordinem Regularem et professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad beneficia curata, id ipsum agere, quod alias praestare consuevit, quum parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero Choralia, relictis tyroni religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut iura praescribunt; iuxta opinionem in praxi receptam, de qua agit *Suarez de Religione, Tom. III., lib. 5, cap. 16, num. 12.* Quin immo, si quis forte religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret (quo casu potest Episcopus, *per Constitutionem LVIII. S. Pii V.;* huiusmodi renunciationem admittere), vel etiam si tempore novitiatus huiusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus, quae ex praescripto sacri Tridentini Concilii, *cap. 16, sess. 25, de Regularibus,* tam in bonorum temporalium, quam in beneficiorum ecclesiasticorum renunciationibus servari debent; nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem: uti late ostendit doctus, et in hoc toto rerum genere expertissimus scriptor, bo. mem. Ioannes Baptista Riganti, in suo *Commentario ad Regulas Cancellariae, Tom. III., Regul. 46, a num. 2 ad finem.* Qua in re olim dubitatum est, an vota simplicia, quae a Clericis Regularibus Societatis Iesu, post biennium probationis, emittuntur, huiusmodi beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, ut observat laudatus Riganti, *loc. cit., num. 30 et seq.,* et monet Pitonius, *discept. 126, n. 11 et seq.* Quamvis in congregatione quinta generali ipsius Societatis *canone 19* statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat; quo casu huiusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renunciationem, vacare intelliguntur, ut notant *Sanchez ad praecepta Decalogi, lib. VII., cap. 4, num. 7, Pellizzarius in manuali, tom. I., tract. 3, cap. 4, n. 52,* cum aliis, quos citant praefati *Riganti loc. cit. num. 32, et Piton. num. 12.*

Proceditur ad quaestionem an ferri debeat constitutio super consultatione inter Episcopum et superiorem regularem super idoneitate illius, qui religionem ingredi vult.

At enim dices, praemissa omnia recte procedere; verum per ea non tolli propositam difficultatem, de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit presbytero saeculari ad regularem vitam transire; et quidem necessarium esse, earum cognitionem et examen institui; id quod obtineri nequit, nisi, lata constitutione, praescribatur aliqua consultationis species inter Episcopum et superiorem regularem; ut unicuique sua ratio constet, ipseque superior regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate illius, qui religioni nomen suum offert; ne fore eidem inutilis inveniatur; qualem profecto, ob ingravescentem illius aetatem, repertum iri suspicaris archidiaconum Chizzola, qui inter clericos Societatis Iesu, te inconsulto, admissus fuit.

Examinatur quaestio.

Porro nec interdicta fuit unquam huiusmodi consultatatio inter Episcopum et superiorem regularem, neque nos eam vetare intendimus; quin potius illius utilitatem atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis legis mandato, tamquam necessaria, praecipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in iure cautum reperitur, ut duorum ordinum, laxioris atque strictioris, superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus, ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter praefatos superiores oriatur controversia, an huiusmodi transitus ex laudabili causa, vel potius ex animi levitate et inconstantia suscipiatur, ecclesiasticae leges superioris maioris iudicium requiri voluerunt: *Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad ordinem arctiorem aut laxiorem, ex caritate an ex temeritate transire, superioris est iudicium requirendum.* Ita legitur in *citat. cap.* Licet *de Regularibus.* Quod si, huiusmodi controversia pendente, religiosus in altero illo ordine recipiatur, atque etiam in eo professionem emittat; tunc ex ipsius controversiae exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in posteriori remanere debeat; ut recte monet *Abbas Panormitanus in cit. cap.* Licet, *n. 15, de Regularibus.* Hodierna vero praxis est, per quam omnes huius generis controversiae et morarum prolixitates devitantur, ut religiosis viris, qui a laxiori ad strictiorem ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suae causas coram competentibus Apostolicae Sedis tribunalibus exposuerint, atque probaverint, haud aegre a Ro-

mano Pontifice indulgeantur opportunae facultates, in quibus derogatio super consensu superioris ordinis laxioris includitur.

Quod vero ius, certis in casibus, certisque de causis, competit superiori ordinis laxioris, ut suum subditum regularem ad strictiorem ordinem digressum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, repetere et revocare valeat; idem similiter, certis in casibus, iustisque exigentibus causis, Episcopo competit, ut suum clericum saecularem ordini regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus canonum doctor *Innocentius IV. ad saepecitatum cap.* Licet *de Regularibus*, cuius haec sunt verba, ibi *num. 3: Clericus potest transire ad religionem, non petita licentia, etiamsi contradicatur; crederemus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem sustineret iacturam.* Concordat Abbas in *idem cap. 14,* ubi sic ait: *Ulterius quaeritur, quid in saeculari clerico? Numquid potest intrare in religionem, non petita licentia ab Episcopo? Innocentius tenet quod sic: sed si Ecclesia graviter laederetur, esset revocandus.* Satis itaque provisum est etiam Episcopo, qui factum clerici sui, ad regularia claustra, se invito, digressi, impugnare velit. Unde nec ulla nova constitutione opus est, ut episcopalia iura hac in parte asserantur; neque porro, ut peculiares indicentur casus, quibus huiusmodi iuris exercitio locus esse possit; quum satis sit regulam generalem tradidisse, quam iudex sequatur, quamque ad peculiares causas, pro sua prudentia iustoque arbitrio valeat applicare.

Resolvitur opus non esse nova constitutione.

Et difficile esse, ut Episcopus clericum ad saecularem statum revocare possit.

Huius tamen iuris, quo Episcopus clericum saecularem sibi subiectum, qui regulari instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere, et ad Ecclesiae servitium revocare potest, huius, inquam, iuris persequutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse cum clerico beneficiato, cum canonico, cum archidiacono; vel (quoniam de simplici beneficiato, aut canonico, minus fortasse laborabit) de archidiacono videamus. Huius dignitatis, sive officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo ordinationes generales celebranti, quum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus. Si vero agatur de parochis aliisve animarum curam gerentibus, nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in Ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat, *Praelationis munus, seu statum* (ut inquit *Suarez de Religione tom. III. lib. 1, c. 21,* ubi de animarum cura loquitur) *minus securum esse, religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem;* unusquisque parochus religiosae vitae cupidus, hac una exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum, qui ipsum ad animarum curam revocare contendat. S. Gregorius Magnus, quum olim scriberet adversus legem ab imperatore Mauritio editam, qua interdictum erat militibus monasticam vitam amplecti, hanc, inter alias, rationem afferebat: *Multi sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saeculari habitu ducere, et plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt:* ut videre est in ipsius *Epistola 65, lib. 3, indict. VI. t. 2 praefatae editionis Parisinae.* Nunc ergo quilibet beneficiatus, canonicus, archidiaconus, parochus, qui officium aut ministerium suum cum religiosa vita commutaverit, se non inter *multos,* sed inter *plerosque* a S. Gregorio indicatos, connumerandum esse affirmabit.

Si autem ipsi obiiciatur, quod in saeculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit, se non minus ex ipsis religiosis claustris, si bonorum suorum possessionem ad religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus, pauperum indigentiis subventurum. Sane, quum in praefata lege Mauritius Imperator inhiberet, ne debitores publici aerarii in monasteriis reciperentur, Sanctus Gregorius eam partem legis impugnans (de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati editores *in Notis, litera d.*) ita scribebat in citata epistola: *Quod vero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterium converti non liceat, omnino miratus sum; dum et rationes eius possunt per monasterium fieri, et agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, eius quoque debita suscipiantur.*

Quod si obiiciatur gravis aetas presbyteri ad religionem transeuntis, facilis et obvia erit responsio, quod multi sunt in regularium familiis religiosi viri in senili aetate constituti, qui pro modo virium suarum laudabilem operam religioni praestant; quorum numero ipsum, de quo est quaestio, adiungi nil vetat. Ita pariter S. Gregorius, contra propugnatores supradictae

legis, qui dicebant, milites ad monasteria convolantes, bonos monachos non evadere, affirmabat: *Ego indignus famulus vester scio, quanti his diebus meis in monsterio milites conversi, miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt.*

Aliae rationes, ob quas non est ferenda constitutio.

Denique, huic epistolae iam nimis prolixae finem facturi, unum adhuc addimus; ex centum nimirum archidiaconis non facile duos inventum iri, qui archidiaconatum dimittere et religionem ingredi velint. Contra vero, in pari regularium numero, multos sane inveniri posse, qui regularem vitam pro archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum leges versari oporteat circa ea, quae frequenter accidunt; profecto non tam nova lege opus erit ad retinendos clericos et presbyteros saeculares, ne religiones ingrediantur; quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra religiosa claustra continerentur ii, qui regularem vitam amplexi et professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a regularibus ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes, qui nullitatem professionis suae iudicio experiri aggrediuntur, illam apud iudices probarent; si omnes, qui dignitates extra religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud nos aditum invenirent eorum instantiae, qui e claustris exire, et in habitu presbyteri saecularis, sub obedientia Episcoporum et cum obligatione servandi vota religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu clerici saecularis, in saeculo manere vellent; longe utique minor eorum foret numerus, qui religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.

Dum itaque, dilecte fili noster, consiliis tuis, quae tum privatis litteris, tum etiam typis impressis, non minus docte, quam eloquenter proposuisti, obsecundandum nobis esse non arbitramur; in eo tamen singularem existimationem, quam de te merito fovemus, agnosces, quod tibi causas atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his litteris nostris; quibus etiam tibi, novum benevolentiae nostrae pignus, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV. ianuarii MDCCXLVII., pontif. nostri anno VII.

TITULUS IV.

DE MARTYROLOGIO ROMANO

Novam Martyrologii Romani emendatam editionem fieri curat; immutationum rationes reddit et regulas tradit quibus illud confici debeat.

Charissimo in Christo filio nostro Ioanni Portugalliae et Algarbiorum Regi Illustri,

BENEDICTUS PP. XIV.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Novae editionis Martyrologii Rom. causa et occasio.

I. Postquam intelleximus, Maiestatem vestram mandata dedisse dilecto filio Emmanueli Pereyra de Sampajo commendatori militiae Domini nostri Iesu Christi, et negotiis Maiestatis Vestrae apud nos et Sedem Apostolicam praeposito, ut Romanum Martyrologium, quo et regnorum vestrorum et totius orbis catholici commodo atque utilitati consuleretur, splendore ac diligentia quadam praecipua, in hac alma Urbe imprimendum curaret; ab eo autem, provido consilio, selectum fuisse navum atque industrium typographum, qui pridem nitidissimos evangeliorum atque epistolarum codices seorsim editos, eadem Maiestate Vestra id mandante, sumptusque ministrante, praelo subiecerat; virum item ecclesiasticum, probitate atque eiusmodi rerum peritia instructum, fuisse designatum, ut nova Martyrologii editio, ceteris, quae praecesserunt, nobilior atque accuratior in lucem prodiret: postquam haec intelleximus, vehementer in Domino gavisi sumus; atque Maiestatem vestram, de cuius in rem divinam et sacros Ecclesiae ritus insigni pietate ac munificentia, praeclara suppetunt argumenta, meritis afferre laudibus non cessavimus. Hac vero opportunitate nobis oblata, quamvis assiduis apostolici ministerii curis ita distineamur, ut nonnisi subsecivae quaedam, quibus privatis studiis vacare liceat, aliquando supersint horae, e re nostra futurum putavimus,

si et nos ad egregium opus perficiendum, aliquid apostolico muneri non incongruum conferremus.

Eius finis, ratio, atque utilitas.

II. Minime nos fugiunt multae gravesque controversiae, quae circa Romanum Martyrologium agitantur; ab aliis quidem, quos scientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine; ab aliis vero, qui ad sobrietatem sapiunt, eo consilio, ut quae subobscura sunt vel incerta, nova quadam varietatis luce donentur. Ab hisce tamen quaestionibus duximus omnino abstinendum; quandoquidem hac in re illud nobis proposuimus, ut ab accuratis Martyrologii correctionibus, quarum prima Gregorio XIII. praedecessore nostro Ecclesiam gubernante, altera vero Urbano VIII. nostro item praedecessore, peracta est, de quibus verba fecimus in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum, lib. 4, part. 2, cap. 17, editionis Patavinae* (qua una in locorum allegationibus hic utimur) nullo pacto recedamus. Quocirca, si quae infra dicturi sumus, rite expendantur, Maiestati Vestrae perspectum erit, nostras hasce in Martyrologium curas eo tandem contendere, ut quae post evulgatas correctiones supervacanea occurrunt, resecentur; quae vero deficiunt, superaddantur. Hoc autem semel posito, et anteactis emendationibus nihil detrimenti et novae huic editioni utilitatis multum accedet.

Prolixiora quaedam Sanctorum Elogia contrahuntur.

III. Nedum Sanctorum nomina, sed et illorum elogia, hoc est brevior quaedam et compendiaria de eorum virtutibus vel morte, quam pro Christi fide fortiter obiverunt, oratio Romano Martyrologio apponitur. Porro eiusmodi elogia non iam cuiusque arbitrio concinnanda sunt; sed, post editum decretum de Sancti alicuius nomine Romano Martyrologio inscribendo, eius elogium, ex usu recepto, a venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus praepositorum Congregatione examinandum est atque probandum; tandemque Romani Pontificis confirmatio accedat necesse est, ut in memorato opere *de Canonizatione Sanctorum, lib. 4, part. 2, cap. 18, num. 4,* multis disseruimus. Hac in re, nonnulla in Martyrologio offendimus, quae nimia laborant prolixitate. Enimvero aliquot occurrunt elogia Sanctorum, eorum praesertim, qui recenti aevo in canonem relati sunt, in quibus multa inutiliter abundant verba; ideoque facili ratione in breviorem sermonem contrahi possunt. Hisce in casibus verbosam orationem duximus amputandam; ea lege tamen, ut integra servetur sententia; atque in hac parte brevitati consulatur, quam in veterum sanctorum elogiis in Martyrologium illatis deprehendimus.

Cur veteres edit. in multis deficiant.

IV. Etsi vero absoluta iam fuerit gemina illa Martyrologii correctio, cuius supra meminimus; non ideo tamen vetitum, nova Sanctorum nomina in Martyrologium inferre, modo id rite atque ex ordine fiat, hoc est eae omnes, quas Apostolica Sedes praescripsit, serventur regulae, de quibus multa a nobis fuso calamo prolata sunt in citato *cap. 18 praefati operis de Canonizatione Sanctorum.* Hinc annis insequentibus, plura Sanctorum nomina elogiis decorata, in Martyrologium, praevio praedictae Congregationis Decreto ac Summi Pontificis approbatione, translata sunt. Dolendum vero, quod e Sanctorum nominibus bene multa, in variis, quae procusae sunt, Martyrologii editionibus, fuerint praetermissa, ex oscitantia atque incuria eorum, quorum intererat acta Congregationis adire, decreta colligere, iisque ad novam nominum accessionem prudenter uti. Quidnam circa nomina Sanctorum Martyrum *Stephani Abbatis et ducentorum monachorum S. Petri de Cardegna* olim contigerit, satis notum; neque iniucundum erit paucis repetere. Decreverat Clemens VIII. Romanus Pontifex, instante Cardinali Baronio, ut horum martyrum nomina una cum elogiis, Romani Martyrologii tabulis inscriberentur. In iis tamen, quae subsequutae sunt, Martyrologii editionibus, res secus accidit; quandoquidem ob typographorum indiligentiam, martyrum illorum memoria Romanum Martyrologium diu caruit. Hinc nos adhuc in minoribus positi, quo tempore promotoris fidei munere fungebamur, illud curavimus, tandemque obtinuimus, ut sacrae Congregationis iussu communis error castigaretur, et martyrum illorum nomina sequuturis editionibus omnino afferrentur. Qua de re in cit. *cap. 18, num. 6,* operis nostri pridem egimus.

Pari laborant vitio recentiora Martyrologia.

V. Ne autem in id, quod in olim reprehendimus, improvidi dilaberemur, mandavimus, ut ex actis sacrorum Rituum Congregationis decreta omnia de Sanctorum nominibus Martyrologio inscribendis huc usque edita colligerentur; atque ut Romani Martyrologii editiones quamplurimae, eae potissimum, quae omnium novissimae typis excusae sunt, consulerentur, ut si qui occurrunt defectus, facilius innotescerent.

Has inter una nobis oblata est editio omnium postrema, quae Venetiis an. MDCCXLV. praelo subiecta est. Verum ne istud quidem exemplar integrum plane, et numeris omnibus absolutum occurrit: tum quia nonnulla Sanctorum nomina, quae ex anterioribus decretis describenda erant, deficiunt; tum quia insequentibus annis nova facta est Sanctorum accessio, quae idcirco in nupero illo Martyrologio desideratur.

Sanctorum quorum nomina hic adduntur, series attexitur.

VI. Hinc, ne Romanum Martyrologium sua fraudetur integritate, oportuit novam hanc editionem quamplurimis Sanctorum nominibus locupletare; quorum series in statos anni ecclesiastici dies distributa, ea est, quae sequitur.

B. Gregorius X.

Sextadecima die februarii additur a nobis *Beatus Gregorius X.*, cuius in praelaudato *de Canonizatione Sanctorum opere* non semel meminimus, nimirum *lib. 1, cap. 20, num. 17, lib. 2, cap. 24,* § *37, et cap. 42, num. 3, atque in VIII Appendice ad calcem lib. 2,* ubi integram atteximus relationem, quae hac in causa ab auditoribus causarum palatii apostolici elucubrata est.

Beata Zita.

Die vigesimaseptima aprilis *B. Zita,* de qua in nuper memorato opere *lib. 2, c. 24,* § *27.*

B. Nicolaus Albergatus.

Decima maii *beatus Nicolaus Albergatus* de quo item eodem in opere *lib. 2, cap. 18, num. 16, et lib. 3, cap. 33, num. 6,* ac rursus in *Bullarii nostri t. 1, Constitut. CVIII.* Consulendum item nostrum opusculum de *Sanctis Bononiensibus,* cuius altera editio, dum haec scribimus, typis subiicitur Patavinis.

B. Ioannes de Prado.

Die vigesimaquarta maii *B. Ioannes de Prado.* Eius acta et monumenta prostant *in lib. 1 operis de Canonizatione Sanctorum cap. 27, num. 8.*

Sanctus Eneco Abbas.

Prima die iunii *Sanctus Eneco Abbas,* cuius meminimus *lib. 1, cap. 8, n. 10, et lib. 4, part. 2, cap. 18, num. 8,* operis de quo supra.

Beatus Benedictus XI.

Septima iulii *Beatus Benedictus XI.,* de quo *in altero* operis nostri *lib., cap. 28,* § *46, et cap. 42, num. 8.*

S. Dominicus de Sylos.

Vigesima decembris die *Sanctus Dominicus de Sylos* Abbas Ordinis Sancti Benedicti, de quo in memorati operis *lib. 4, cap. 5, cap. 18, num. 16.*

Alia BB. Martyrum adduntur nomina.

VII. Etsi vero in Romano Martyrologio, iuxta regulas a sac. Rituum Congregatione statutas, atque a Summis Pontificibus pluries confirmatas, enumeranda non sint nomina servorum Dei, qui in Beatorum dumtaxat numerum, non etiam in Sanctorum canone, relati sunt; qua de re multis egimus *lib. 4, part. 2, cap. 18, num. 2, ac 9, praeallati operis de Canonizatione Sanctorum,* ubi etiam nonnulla dictae Congregationis decreta protulimus; nihilominus aliquando contigit, ut Romani Pontifices, gravibus iustisque causis ita suadentibus, vel ipsa Beatorum nomina in Romanum Martyrologium intulerint; resque patet exemplis bene multis, quae a nobis allata sunt *in praecitato opere et loco sub n. 9.* Pari oeconomia et nos aliquot nomina beatorum martyrum, de quorum martyrio, miraculis, ac cultu aliquibus ecclesiis et dioecesibus permisso, diligenti habita discussione plane constat, novae huic Martyrologii editioni duximus adiicienda. Id autem benigniori quadam dispensatione a nobis gestum est; tum quia martyrum cultus in Ecclesia Dei antiquior est cultu confessoribus exhibito, ut in *lib. 1 operis de Canonizatione, cap. 2, num. 9 et seqq., et cap. 5, num. 3 et seqq.,* pluribus demonstravimus; tum etiam quia Martyrologia ideo fuerunt instituta, ut praesens ac perpetua illustrium heroum, qui pro Christi nomine vitam ac sanguinem profuderunt, memoria caeteris fidelibus exemplo esset, atque animos adderet; insequentibus vero temporibus sanctorum confessorum ac virginum nominibus Martyrologia aucta sunt. *Nomen quoque Martyrologii, quod olim sonabat dumtaxat Indiculum Sanctorum Martyrum, nunc extensum est ad Syllabum plurimorum aliorum sanctorum confessorum ac sanctarum virginum:* verba sunt *Theophili Raynaudi tom. 18 suorum operum, pag. 500.*

Enumerantur.

VIII. Eos igitur beatos martyres, quorum nomina novae huic Martyrologii editioni inseruimus, enumeremus.

Vigintisex Martyres Iaponiae.

Die quinta februarii addita a nobis est *Commemoratio vigintisex Martyrum Iaponensium;* e quorum numero tres ad Societatem Iesu pertinent; sex, nimirum tres sacerdotes totidemque laici, ad Ordinem Sancti Francisci; qui vero supersunt reliqui, saecularibus accensendi. Relationem de illorum martyrio ab auditoribus causarum palatii apostolici habitam exhibet *Appendix II. ad lib. 3 operis de Canonizatione Sanctorum,* in qua Martyris cuiusque nomen singillatim exprimitur. De horum cultu consulantur literae apostolicae in forma Brevis *apud Bollandianos, tom. 1 mensis februarii, pag. 740.* Consulenda

item quae a nobis dicta sunt *lib. 1* praefati operis, *cap. 30, num. 1.*

Novemdecim Martyres Gorcomienses.

Nona iulii accedit *Commemoratio novemdecim Martyrum Gorcomiensium,* de quibus egimus in mox allato *c. 30, n. 10, et in Appendice VI. eiusdem l. 1, pag. 485.* Ex literis apostolicis in forma Brevis a Clemente X. praedecessore nostro datis, et cultus hisce martyribus exhibendus probatur et eorumdem martyrum nomina expressa leguntur. Ex his, undecim enumerandi ex Ordine fratrum Minorum S. Francisci de Observantia; duo ex fratrum Praedicatorum Ordine; duo item ex Ordine Praemonstratensium; unus ex Ordine Regulari Sancti Augustini. Caeteri omnes sacerdotes et Parochi saeculares habendi sunt.

B. Petrus de Arbues.

Decimaseptima septembris commemoratio *B. Petri de Arbues,* de cuius martyrio a nobis actum *in citato lib. 1, de Canonizatione Sanctorum, cap. 30, num. 4.* Literae apostolicae Alexandri VII. super illius cultu extant in Bull. Romano *tom. VI. Constitut., CXXXIX.* eiusdem Pontificis.

B. Iosaphat Polocensis.

Postremo in duodecimam novembris diem reiecimus commemorationem *B. Iosaphat Polocensis.* Seriem actorum, quae ad illius causam pertinent, *in superius citato c. 30, lib. 1, num. 2,* commemoravimus. Relationem, quae pro more illius aetatis ab auditoribus causarum palatii apostolici confecta est, exhibet *Appendix III. ad lib. 3 de Canonizatione Sanctorum, pag. 646 et seqq.* Literas apostolicas in forma Brevis super eiusdem martyris cultu, suppeditat Bull. Rom. *tom. V. Constit., CCCIV.* inter eas, quae Urb. VIII. praedecessori nostro adscribuntur.

Alii praeteritarum editionum defectus aperiuntur.

IX. Eos inter, quorum nomina Romano Martyrologio sunt consignanda, praecipuo quodam iure locum sibi vindicant Sancti, de quorum Canonizatione extant apostolicae literae plumbeo signo munitae. Hac in re non semel deficiunt Martyrologii editiones, quae novam hanc praecesserunt. Si causam inquiramus, gemina occurrit: una quidem a monumentorum obscuritate; altera vero ab iis, quae posteriori aevo peractae sunt, Canonizationibus repetenda. Quo tempore utraque correctio sub Gregorio atque Urbano absoluta est, nonnullae constitutiones sive apostolicae literae de peculiari quapiam Canonizatione erant imperviae, quae tamen insequentibus annis ex ignorantiae tenebris erutae sunt. Hinc nil mirum si Martyrologium vel post sedulam correctionem omnimoda careat integritate. Rursus: absolutis emendationibus, atque novis Martyrologii editionibus praelo subiectis, nova in dies Beatorum nomina in Sanctorum canonem relata sunt. Hinc quotquot ante canonizationes prodierunt Martyrologia, hac in parte deficiant necesse est. Ex quo capite, vel ipso omnium recentissima editio Venetiis procusa anno MDCCXLV. suos in hac re patitur naevos. *In lib. 4 de Canonizatione Sanctorum, par. 2, cap. 18, num. 6 et 7,* aliquot afferuntur exempla apostolicarum literarum, quae post memoratas correctiones inventae sunt; aliquot etiam recitantur decreta, quae nomina Sanctorum, de quibus apostolicae literae loquuntur, Martyrologio inscribenda iubent. Utrique incommodo hac nova editione occurrimus; siquidem Sanctorum nomina, sive ex literis apostolicis, quae quidem latebant, eruta, sive recentiori aevo in Canonem Sanctorum relata, describi curavimus.

Nova nominum accessio.

S. Wilhelmus Archiepiscopus Bituricensis

Quocirca decima mensis ianuarii iuremerito additur nomen *S. Willhelmi Archiepiscopi Bituricensis,* quem Honorius III., anno MCCXVIII., Sanctorum catalogo adnumeravit. Literas apostolicas, quae Canonizationem testatam faciunt, exhibet *Codex Constitutionum Summorum Pontificum de solemni Canonizatione Sanctorum,* a Iusto Fontanino Archiepiscopo Ancyrano collectus, ac Romae editus anno MDCCXXIX., in quo Honorii constitutio refertur ordine XXXIII.

S. Wulstanus Episcopus Vigorniensis.

Die decimanona eiusdem mensis nomen *S. Wulstani Episcopi Vigorniensis,* quem Innocentius III. anno MCCIII. Sanctorum fastis adscripsit; resque indubia est *ex constitutione num. XXX.* in memorato Fontanini codice typis impressa.

S. Ioseph a Leonissa.

Quarta februarii nomen *S. Iosephi a Leonissa,* qui solemni ritu in Sanctorum numerum a nobis relatus est. De illo egimus in opere *de Canonizatione Sanctorum, lib. 1, cap. 24, num. 13, et in Appendice VI. eiusdem libri pag. 487.* Nostras item de Canonizatione literas dedimus die XXIX. iunii MDCCXLVI., quarum exemplar *de Bullarii nostri tom. II.,* qui sub typis desudat adhuc, patet legentibus.

S. Catharina de Ricciis.

Decimatertia die eiusdem mensis nomen *S. Catharinae de Ricciis,* cuius item solemnis canonizatio a nobis peracta est; atque in cit. *Bullarii nostri tom. II.* canonizationis Bulla producitur. Huc revocanda, quae scriptis consignavimus in ope-

re *de Canonizatione Sanctorum, lib. 1, cap. 24, num. 13, in Appendice V. lib. 1, pag. 480, et in lib. 4, part. 1, cap. 19, num. 23 et 24.*

S. Robertus Abbas Casae Dei.

Die decimaseptima aprilis accedit nomen *S. Roberti Abbatis Casae Dei,* quem Clemens VI. Sanctorum censui adscripsit. Huiusce Canonizationis Bulla est ordine LXIV. in cit. Codice.

S. Godehardus Episcopus Hildesheimensis.

Quarta die maii nomen *S. Godehardi Episcopo Hildesheimensis,* quem Innocentius II. Sanctis adnumeravit. Bulla canonizationis prostat in relato Codice sub *n. 7,* nosque de eodem argumento egimus in opere *de Canonizatione, lib. 1, cap. 8, num. 15.*

S. Petrus Regalatus.

Die tertiadecima eiusdem mensis nomen *S. Petri Regalati,* cuius solemnem canonizationem peregimus, Bullamque conscripsimus, quae in secundo *Bullarii nostri tomo* alligatur. Semel et iterum in opere nostro de hac ipsa re sermonem instituimus, nimirum *lib. 2, cap. 24,* § *16, et in Appendice VII. eiusdem libri, pag. 520.*

S. Nicolaus Peregrinus.

Secunda Iunii nomen *S. Nicolai Peregrini, Tranensis,* de quo in nostro *lib. 1 de Canonizatione, cap. 44, num. 13 et 14.* Diploma super illius cultu ab Urbano II. editum, iacet ordine v. in eodem Canonizationum Codice, de quo supra.

S. Willhelmus Episcopus Eboracensis.

Octava iunii nomen *S. Willhelmi Archiepiscopi Eboracensis.* De eo loquimur in opere nostro, *lib. 2, cap. 41, num. 13.* De eius Canonizatione Bullam dedit Honorius III., quae in relato Codice occurrit XXXVIII.

S. Franciscus Regis.

Sextadecima iunii nomen *S. Ioannis Francisci Regis,* qui a Clemente XII. praedecessore nostro solemni ritu inter Sanctos adscriptus est. Non infrequens de eo in nostro opere incidit mentio. Consulatur *l. 1, cap. 24, num. 12,* et quae in finem huiusce libri reiicitur *Appendix III.,* in qua canonizationis Bulla integra exscribitur. Consulatur item *lib. 3, cap. 6, n. 16.*

S. Theobaldus Eremita.

Die prima iulii nomen *S. Theobaldi Eremitae* quem Alexander Papa III. Sanctorum catalogo accensuit, Bullamque edidit, quae in cit. Canonizationum Codice refertur *sub num. XIX.* Licet et hic nostrum opus indigitare, hoc est *l. 1, c. 18, num. 10, cap. 9, num. 2.*

S. Camillus de Lellis.

Die quartadecima iulii nomen *Sancti Camilli de Lellis,* qui Sanctorum albo a nobis adscriptus est, edita desuper constitutione, de qua in Bullarii nostri *tomo II.* Si quis plura hac de re nosse cupit, nostrum adeat opus *lib. 1, cap. 24, n. 13, et seqq., et Appendicem V. eiusdem libri, pag. 483.*

S. Franciscus Solanus.

In vigesimaquartam diem iulii coniecimus nomen *S. Francisci Solani,* de quo loquuti sumus in praecitati operis *lib. 1, Appendice X., pag. 529 et seqq., et c. 24, num. 9 et 14.* Literas apostolicas de illius canonizatione edidit praedecessor noster Benedictus XIII., atque in praelaudato Fontanini Codice *sub num. CXIII.* alligantur.

S. Stanislaus Kostka.

Decimaquinta augusti nomen *S. Stanislai Kosthae,* quem praedecessor noster Benedictus XIII. Sanctis adnumeravit, suamque dedit Constitutionem ordine CXV. inter eas, quae in memorato canonizationum Codice referuntur. Neque hocce argumentum in opere nostro silentio premitur, si percurrantur, quae diximus *lib. 1, Appendice X., pag. 527.*

S. Bernwardus Episcopus Hildesheimensis.

Vigesimasexta octobris nomen *S. Bernwardi Hildesheimensis Episcopi,* a Coelestino III. inter Sanctos relati, ut patet ex Bulla canonizationis in praecitato Codice *sub num. XXIV.* Huc revocari possumus, quae scripsimus *lib. 1, de Canonizatione Sanctorum, c. 9, n. 7.*

S. Virgilius Episcopus Salisburgensis.

Vigesimaseptima novembris nomen *Sancti Virgilii Episcopi Salisburgensis,* qui a Gregorio IX. in Sanctorum numerum relatus est, eiusque constitutio in saepedicto Codice Canonizationum extat ordine XLIII.

S. Iacobus Picenus.

Vigesimaoctava eiusdem mensis nomen *S. Iacobi Piceni,* quem, ut ex Bulla CIX., quam Fontanini Codex exhibet, compertum est, praedecessor noster Benedictus XIII. Sanctorum numero sociavit. Frequentior de eodem occurrit memoria in opere nostro, si evolvantur, quae dedimus *in Appendice, lib. 1, pag. 528, lib. 2, cap. 34, num. 7.; et cap. 51, num. 2,* tum etiam *lib. 3, cap. 23, num. 9, cap. 24, n. 36 et cap. 30, num. 14.*

S. Sturmius Abbas Fuldensis.

Postremo in decimamseptimam decembris diem retulimus nomen *S. Sturmii Abbatis Fuldensis,* de cuius canonizatione ab Innocentio II. peracta, indubium extat apostolicae Constitutionis monumentum in mox relato Codice *sub num. IX.*

Nomen B. supposito sancti titulo, aliquando immutatur.

x. Fatemur, alia proferri posse Sanctorum nomina, cum a nobis, tum a nostris praedecessoribus, SS. Canoni adscripta, quorum in ea, quam supra coordinavimus, Sanctorum serie nulla fit mentio. Id sane fatemur: Non ideo tamen novae Martyrologii editionis integritati quidquam detrahitur. Aliquot nomina, veluti Vincentii

de Paulis, Fidelis a Sigmaringa, et aliorum in anterioribus editionibus, apposito *Beatorum* titulo, continentur. Supervacaneum idcirco duximus ea hinc repetere. Hinc, supposito dumtaxat *Sancti* vocabulo, et veteri *Beatorum* titulo abraso, ea intacta reliquimus. Quod si alia adhuc supersint Sanctorum nomina, quae in superiori catalogo missa fecimus, nihil inde contra novam hanc editionem licet opponere. Iam enim praemonuimus, sola eorum nomina, de quorum solemni canonizatione nulla suboriri potest dubitatio, a nobis fuisse superaddita. Quotquot igitur proferri possunt e BB. Sanctorumve censu, qui eiusmodi praerogativa carent, aut Romano Martyrologio nullo umquam tempore fuerunt adscripti, a nobis omittuntur, quia ab eo, quod nobis praescripsimus, deviant instituto.

Multorum studia, ut nova BB. nomina Martyrologio inserantur.

XI. Huc usque facili tramite, nullaque obsistente controversia, progressa res est. At vero diffusa per hanc Urbem fama, novam Martyrologii Romani editionem adornari, Sanctorumque nomina in anterioribus editionibus praetermissa, a nobis in novas Martyrologii Tabulas referri: multorum excitata sunt studia, scripturis atque lucubrationibus admota manus, preces additae, ut quamplurima Sanctorum nomina in novum hunc Codicem conveherentur, quamvis de illorum canonizatione nullum probatae fidei suppeteret monumentum. Alii servorum Dei, Beatorum alii ostendebant nomina, quorum nonnulla Sanctorum titulo decorata sunt et cultu immemorabili, hoc est spatio annorum centum ante Urbani VIII. praedecessoris nostri decreta illis exhibito, nobilitata. Ad haec, eorumdem cultum a sacra Rituum Congregatione maturo iudicio expensum atque probatum; cultus item extensionem, missa et officio, nec non lectionibus vel de communi, vel etiam propriis pro peculiari quadam familia vel dioecesi concessis, confirmatam, totis urgebant viribus. Quo argumentorum genere ea attingitur controversiae pars, quae dicitur de casu excepto a Decretis Summi Pontificis Urbani VIII., de qua fusiore stylo a nobis actum est *tom. 2, de Canonizatione Sanctorum, cap. 19, et cap. 24.*

Et tamen refelluntur.

XII. Ab hisce tamen petitionibus facili negotio nos expedivimus. Cum enim, iuxta praestitutos a nobis canones, non liceat in Martyrologium referre nomina illorum, qui post sedulum super virtutibus atque miraculis examen, solemni ritu in Beatorum dumtaxat numero recensentur; potiori iure nefas erit Martyrologio illos accensere, qui, ex nuda cultus immemorabilis approbatione, Beatificati dicuntur per aequipollens; eorum tamen virtutes nec discussae, nec probatae fuerunt, antequam pro cultu immemorabili iudicium prodiret; ideoque ad trutinam revocandae sunt, ut eorum causa ad canonizationem progrediatur. Haud immerito igitur oblatas nobis petitiones reiecimus; atque ut aequiori animo Postulatores acquiescerent, ea item addidimus, quae opportune ad rem hanc a nobis fuerunt exposita *lib. 4, de Canonizatione Sanctorum, part. 2, cap. 18, n. 2 et seq.*, ubi de cultus augmento, cum missa in officio, uberius tractavimus.

Satisfit allatis in contrarium exemplis.

XIII. Sat novimus, praedecessores nostros in Romano Martyrologio aliquando scripsisse nomina eorum, qui solemniter atque, ut aiunt, formaliter in Beatorum numerum relati non fuerunt, sed tantummodo per aequipollens, discusso videlicet ac probato eorum dumtaxat cultu immemorabili, iuxta praescriptum decretorum Urbani VIII. praedecessorum nostrorum facta veneramur: quominus vero hac in parte eorum vestigiis inhaeremus, ea, quam supra dedimus, monet ratio; ne scilicet a statutis regulis, quas accurate servandas nobis proposuimus, pedem moveamus. Praeterea, si Martyrologio omnia adiiciantur nomina eorum, quorum cultum immemorabilem sacra Rituum Congregatio probavit, ingens nominum accedet multitudo, quemadmodum ex nostro *lib. 2, de Canonizatione Sanctorum,* licet colligere. Cumque horum numerus in dies magis adaugeatur, brevi fiet, ut Romanum Martyrologium tot auctum nominibus in maximum volumen excrescat.

Argumentum ex ineptis Baronii manuscriptis iterum refellitur.

XIV. Ut sacrae eruditionis ac theologicae facultatis studio magis excolantur, instituimus academiam quavis feria secunda cuiusque hebdomadis coram nobis habendam, ut quotquot ad eam conveniunt docti ac praestantes Viri, stata vice atque ordine, suas sive de ecclesiastica historia, sive de re liturgica, sive etiam de sacris canonibus ac theologicis controversiis proferant lucubrationes. Ex his nonnulli, qui, soluto conventu, ad privata colloquia a nobis admittuntur, nobis significarunt, inter caetera manuscripta, quae in insigni Bibliotheca Vallicelliana servantur, plura esse splendida quidem monumenta ad venerabilem virum Cardinalem Baronium transmissa,

quibus probatur, aliqua Sanctorum nomina in Romano Martyrologio immerito fuisse praetermissa; ideoque, eodem Baronio iudice, in novam Martyrologii editionem, quando eam fieri contigeret, esse transferenda. Indicium hoc de invento thesauro libenti animo excepimus. Hinc nulla interposita mora, chartas et monumenta omnia ad nos deferri curavimus, evolvimus, inspeximus; sed, contra praeconceptam expectationem, nihil aut fere nihil, ad rem hanc opportunum adinvenimus. Imo vero, quod peculiari admiratione dignum est, tantum abest, ut egregius ille Cardinalis propensior fuerit ad inserenda in novam Martyrologii editionem Sanctorum illorum nomina, ut potius, sicut e brevioribus quibusdam notis ab illo additis licuit arguere, in oppositam sententiam descendere videatur. Enimvero scite animadvertit, nominum illorum seriem aut solos Dei servos comprehendere, quorum cultus angustis peculiarium locorum finibus continetur; aut sub latiori Sanctorum titulo Beatos dumtaxat attingere, quorum nomina iuxta eas, quas supra memoravimus regulas, Romano Martyrologio accenseri non soleant.

Sanctorum index Martyrologio inserendus ab eruditis conficitur.

xv. Hac cura seposita, successit alia quam eruditorum studia ac labores nobis excitarunt, namque nocturna diurnaque manu versantes acta Sanctorum a doctis Bollandianis collecta, plura item vetera Martyrologia, acta Sanctorum Ordinis Sancti Benedicti a Patre Mabillonio edita, aliaque ecclesiasticae eruditionis monumenta, quibus nostra aetas abundat, uberem Sanctorum Indicem nobis exhibuerunt, ut nova Sanctorum copia Romanum Martyrologium ditesceret. Neque a ratione vel aequitate alienum putabant, quod petebatur. Cum enim ex praefato *lib. 4, part. 2, cap. 18, num. 11* operis nostri, cognoverint inscribendos esse Romano Martyrologio non solum eos, de quorum canonizatione ex literis apostolicis sub plumbo constat, sed et illos, qui ex veteri more ac ritu priscis Ecclesiae temporibus observato, priusquam Apostolica Sedes beatificationum et canonizationum causas sibi dumtaxat cognoscendas et definiendas reservasset, in Sanctorum catalogum fuerant relati; hoc eodem argumento usi sunt, ut Sanctorum illorum nomina, quorum par erat causa et conditio, meritum in Martyrologio tenerent locum.

Citra iniuriam exploditur.

xvi. Et horum tamen vota ac postulata inania dimisimus. Haud inficiamur, Martyrologio esse inscribendos non solum eos, qui iuxta recentem Ecclesiae disciplinam, sed et eos, qui iuxta veterem Ecclesiae ritum in Sanctorum numerum relati sunt. Verum si eiusmodi ritum atque usum antiquiori aevo in more positum introspiciamus, patebit eos Sanctorum fastis fuisse adscriptos, quorum cultus suam novit originem ab approbatione Episcoporum, in quorum dioecesi servi Dei ex hac vita ad coelestem patriam translati sunt: hinc paulatim ex una ad aliam ecclesiam, tandemque in universum Orbem catholicum cultus ille diffusus est, non sine expressa aut saltem tacita Romani Pontificis consensione, ut fusiori sermone demonstravimus *in lib. 1, de Canonizatione Sanctorum, c. 6, num. 9.* At vero Sanctorum nomina in oblato elencho descripta, cultus quem modo descripsimus, carent praerogativa: sive cultus initia, sive progressum, sive etiam propagationem ad veterem Ecclesiae disciplinam exigamus. Nulli ergo irrogatur iniuria, si prolixa nominum series nobis tradita, in Romanum Martyrologium translata non fuerit, esto plerique illorum, quos series illa complectitur, ad ea revocentur tempora, quae novam Ecclesiae disciplinam super causarum beatificationum et canonizationum cognitione antevertunt.

Exempla e Martyrolog. petita, non afficiunt.

xvii. Quod si nonnulla vel ex ipso Romano Martyrologio produci possint exempla Sanctorum, qui supremum diem in Domino clauserunt, cum adhuc vetustior illa de Sanctorum Canonizatione vigeret disciplina, quamvis eorum cultus extra unius vel alterius dioecesis fines protensus olim non fuerit, nec etiam hodie protendatur; haec tamen exempla tanta non sunt, ut ab ea, quam semel statuimus, sententia animum nostrum divellant. Iam enim supra monuimus, atque hic constanter repetimus, nobis fuisse propositum, novam Martyrologii editionem adornare, salvis tamen atque integris, quoad fieri poterit, anteactis Martyrologii correctionibus, iisque servatis regulis, quae post emendationes illas statutae sunt. Cum ergo a praestitutis hisce regulis ille recedat, qui aut Beatorum nomina, aut memoriam Sanctorum, qui iuxta veterem Ecclesiae ritum, vel iuxta recentem Ecclesiae disciplinam in canonem relati non sunt, Romano Martyrologio inscribit, extra tritam hanc semitam pedem efferre noluimus; quidquid senserint alii, qui rationem ac methodum, hac in parte dissimilem sequi maluerunt.

Alii leviorem quamdam Martyrologii emendationem suadent.

XVIII. Quae huc usque diximus ea sunt, ut et animi nostri sensus satis aperiant, et ab ulterioribus molestiis nos eximant. Verum necdum alienis postulationibus nostrisque curis finis impositus. Fas aliquando, ut in nostro opere *de Canonizatione Sanctorum, lib. 4, part. 2, cap. 17, n. 9 et 10,* animadvertimus, Sedem Apostolicam adire, atque illi, ea qua decet animi demissione, proponere errati alicuius, quod in Martyrologium irrepsit, emendationem. Hinc non defuere, qui, huiusce libertatis praetextu, leviorem quamdam Romani Martyrologii recensionem obtineri posse putarint. Non enim, ut ipsi aiebant, aut nostro consilio, aut nostro id repugnat instituto de servandis correctionibus pridem habitis; siquidem unius vel alterius loci immutatio usque adeo levius est, ut nullo, aut fere nullo, habeatur in pretio.

Proponitur controversia de Clementis Alexandrini nomine.

XIX. Ex iis vero, qui peculiari emendatione indigent locis, quartam decembris diem innuebant, cui Clementis Alexandrini nomen inscriberemus; recentiorum eruditorum aliquibus aegre ferentibus, nomen viri doctrina et pietate conspicui, in Romano Martyrologio fuisse praeteritum. Hanc controversiam intactam relinqui nova haec, quam curamus, editio non patitur; hinc operae pretium duximus, apostolicas inter solicitudines, quibus assidue gravamur, sedulo inquirere, quidnam cum veteres, tum recentes ecclesiastici scriptores de Clemente Alexandrino, cuius causam tractandam suscipimus, literis consignaverint.

Veterum scriptorum de Clementis sanctitate et doctrina suffragia.

XX. Vixit Clemens tertio Ecclesiae saeculo ineunte; praeceptorem coluit Pantaenum, qui stoicam philosophiam professus est, antequam christianae religioni nomen daret; discipulum habuit Origenem. Alexandrinae ecclesiae fuit presbyter; ibique celeberrimae eiusdem ecclesiae scholae praefuit. Eusebius Pamphili, qui sub quarti saeculi initia floruit, *lib. 6 Historiae Ecclesiasticae, cap. 14,* affert fragmentum epistolae S. Alexandri Episcopi Hierosolymitani ad Origenem scriptae, in qua *Sancti* titulo Clemens donatur: *Patres agnoscimus,* inquit, *Beatos illos, qui viam nobis praeiverunt . . . . . et Sanctum Clementem dominum item meum, qui me plurimum adiuvit.* Sanctus Hieronymus *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis,* quem circa finem saeculi quarti elucubravit, fere geminas congerit laudes ab eodem Sancto Alexandro Clementi tributas hisce verbis: *Haec vobis, domini ac fratres, scripta transmisi per Clementem beatum presbyterum virum illustrem, et probatum. Theodoretus* quinto saeculo clarus, *lib. 1 Haereticarum Fabularum, cap. 6,* Clementem vocat *Virum Sanctum;* cui consonat *Chronicon Paschale,* ubi Chronici Auctor *pag. 7* haec habet: *Clemens, Sanctissimus Alexandrinae Ecclesiae presbyter.* Eodem in sensu Sanctus Maximus monachus Constantinopolitanus, cuius aetas ad septimum Ecclesiae saeculum revocatur, affert fragmentum quoddam *ex lib. de Providentia,* quem dicit esse *Sanctissimi Clementis presbyteri Alexandrini,* ut legimus *in tomo 2 operum Sancti Maximi,* versionis atque editionis Patris Combefis *pag. 144.* Succinit Ioannes Damascenus octavi saeculi scriptor notissimus, qui, *in Tractatu de duabus Christi voluntatibus,* cuius fragmentum producitur inter *veterum scriptorum testimonia,* quae *tom. 1* operum Clementis Alexandrini editionis Oxoniensis praemittuntur, pari laude Clementem *Beatum* appellat. Missa facimus elogia, quibus Clementis doctrina commendatur; cum omnium loco esse possit, quod Sanctus Hieronymus *in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 38,* ipsius Clementis operibus tribuit, ita scribens: *Feruntur eius insignia volumina plenaque eruditionis et eloquentiae, tam de Scripturis Divinis, quam de saecularis literaturae instrumento;* et in epistola ad Magnum: *Quid in illis indoctum? imo quid non e media philosophia est?*

Adstipulantur recentiores.

XXI. Eadem fere, quae veteres Scriptores de Clementis sanctitate affirmant, repetunt authores quamplurimi, qui recentiori aevo claruerunt. Id vero cuique compertum erit, qui consulat *tom. 2* operum Clementis praefatae editionis Oxoniensis, *pag. 2041, in notis ad num. 8, tom. 1 Bibliothecae Concionatoriae patris Combefis pag. 9,* patrem Ruinart *ad acta Martyrum p. 135,* patrem Honoratum a Sancta Maria in locis quamplurimis operis, cui titulus *Animadversiones in regulas, et usum critices,* patrem Aubrussell *de abusibus Criticae tom. 2, pag. 53,* Natalem Alexandrinum *tom. 3 editionis Parisiensis, pag. 307,* patrem Calmet *lib. 56 Historiae universalis, tom. 5, pag. 72 et seqq., num. 106 et num. 109.*

Martyrologia quamplurima, Usuardi cum primis, Clementi favent.

XXII. Praeterea in Martyrologio Usuardi quarta decembris die occurrit memoria Sancti Clementis, eiusdem scilicet Clementis, de quo loquitur. Huic Martyrologio addi

possunt et alia posteriora, nimirum Vespuccii editum anno MCDLXXXVI., Maurolycii a. MDLXVIII., Galesinii a. MDCLXXVIII., Ferrarii, et aliorum, quae missa facimus. Tantam enim sibi vindicat auctoritatem unum Usuardi Martyrologium, ut robur et firmitas aliunde frustra petatur. Ex quo factum, ut scriptores plurimi, qui *Sancti* titulum Clementi Alexandrino conciliarunt, Usuardi sententiam praetendentes, quamcumque sive invidiam sive censuram effugerint, uti ratiocinantur Patres Bollandiani *t. 6 mensis maii, p. 777, num. 13,* Baillet *ad diem 4 decembris, tom. 2, pag. 65 et seqq.,* Tillemont *tom. 3, pag. 195.* Haud satis igitur Clementis Alexandrini decori consuluisse videtur Cardinalis Baronius, qui Clementis nomen, quod in Usuardi Martyrologio perlegerat, in Romanum Martyrologium non transtulit.

Alii Clementis errores denegant.

XXIII. Neque hic sistunt Clementis patroni, ex quorum sententia hactenus loquuti sumus. Multam illis ingerit difficultatem Gelasii Papae decretum, quo Clementis Alexandrini opera apocryphis accensentur; non enim levis suspicio est Gelasii decretum in causa fuisse, ne huiusce Clementis nomen romanis festis inscriberetur, ut scite animadvertunt celebres Patres Bollandiani *tom. 7 iunii,* in notis ad Martyrologium Usuardi. Hinc, ut ab hoc obice sese expediant, qui Clementis causam tuentur, nullum non movent lapidem, ut Clementis opera ab erroribus aut prorsus vindicent, aut saltem excusent. Pater Nourry *in apparatu ad Bibliothecam Maximam Sanctorum Patrum, tom. 1, lib. 3,* summa diligentia ac eruditione, singula Clementis opera recenset, illustrat, atque ab erroribus, quorum insimulantur, purgare contendit. Ceillier *tom. 2, de Scriptoribus Ecclesiasticis, c. 26, n. 14, p. 314,* errores quidem non diffitetur, sed alienos, atque ab Haereticis insertos, affirmat. Pari conatu in alio opere, cui titulus *Apologia Moralis Sanctorum Ecclesiae Patrum, c. 2,* maculas omnes, quas Ioannes Barbeirac in Clemente Alexandrino detegit, conatur diluere. Calmet in opere et loco supra relatis fatetur, errores, qui in Clementis operibus occurrunt, non esse Clementis foetum, sed ab eo in aliena sententia, quam deinde refellit, produci.

Excusant alii.

XXIV. Alii vero ex Clementis fautoribus, cum fateri cogantur, Clementem Alexandrinum non in alieno, sed reipsa in proprio sensu alicubi errasse, aliam ineunt viam, ut reatum, quem omnino excludere nequeunt, saltem imminuant, atque in beniginiorem partem excipiant. Dupinius *tom. 1 Bibliothecae, pag. 208, editionis Parisiensis, an.* MDCXCVIII., Clementem ait lapsum, quo tempore christianae religionis mysteriis nondum erat satis instructus. Annatus *in Apparatu Theologiae positivae, lib. 4, art. 7,* operum Clementis Alexandrini indicem texit, et quae contra obiiciuntur, studet evertere. Bollandiani Patres de Gelasii censura contra Clementis opera multum soliciti, *tomo 4 mensis iulii in egregia dissertatione de divisione Apostolorum, pag. 12, num. 27,* probare conantur, duo extitisse Clementes Alexandrinos cognomines, ideoque Gelasii decretum, quod *alterius Clementis opuscula* reiecit, de alio quodam Clemente, non etiam de eo, de quo hic agimus, esse intelligendum. Ioannes Baptista Poza, Gelasiani decreti verba penitus introspiciens, *in Apologia, quam scripsit ad Summum Pontif. Urbanum VIII.,* ut opus suum, quod inscribitur *Elucidarium,* vindicaret, *pag. 3 a tergo* censet, Gelasiani decreti vim eam non esse, ut opera omnia proscribat, quae inter apocrypha enumerat; sed illud dumtaxat discriminis statuisse inter opera, quae publice, cum divina officia peragebantur, legi poterant; et ea, quae nonnisi privatae lectioni permittebantur; quo in sensu Clementis opera dici putat apocrypha, quod inter divina officia publica illorum lectio, non etiam privata inter domesticos parietes vetaretur. Hanc sententiam sequitur Calesinus *in adnotationibus,* quas Martyrologio suo addidit *sub die* IV. *decembris,* ubi de Clementis Alexandrini operibus ita loquitur: *Sunt tamen eius opera, ex Gelasii sanctione, in apocryphis, ita scilicet, quemadmodum Covarruvias interpretatur, ut caute privatim legantur, publice autem in Ecclesia nullo sane modo.*

Graviores, quae Clementi obsunt difficultates, proponuntur.

XXV. Haec sunt, quae a scriptoribus cum vetustis, tum recentioribus, nedum catholicis, sed etiam heterodoxis colligere licuit, atque huc transferre; non inani quadam affectatae eruditionis ostentatione, sed eo dumtaxat consilio, ut quae Clementi Alexandrino favere videntur, citra simulationem, omnium oculis subiiceremus. Haec vero tanta non sunt, ut nos inducant in eorum sententiam, qua Clementis huiusce nomen Martyrologio Romano inscribendum putant. Rationes quibus innitimur, infra dabimus; non ut de Clementis Alexandrini

laudibus quidquam detrahamus, sed ut pateant graviores difficultates, quae nobis impedimento sunt quominus Clementis nomen, quidquid sit de eius doctrina ac probitate, in Romanum Martyrologium inferamus.

Veterum scriptorum de Clementis sanctitate silentium.

xxvi. Prima, quae difficultatem ingerit, ratio petitur a veterum scriptorum silentio de moribus ac vita Clementis Alexandrini. Unus Eusebius Pamphili, *lib. 6, cap. 11, Historiae Ecclesiasticae,* affert fragmentum epistolae Alexandri, qui Ierosolymorum rexit Ecclesiam, multa sane cum laude de Clemente loquentis; quo eodem monumento Hieronymus, ut supra adnotavimus, *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis* usus est. Ita vero se habet Eusebii locus: *Porro has literas, Domini fratres, per Beatum Presbyterum Clementem ad vos misi, virum virtute praeditum et probatum, quem vos et nostis iam, et amplius cognoscetis. Qui quidem Dei nutu et providentia, dum hic apud nos praesens esset, Ecclesiam Christi et confirmavit et magnopere auxit.* Etsi vero haec verba, interprete Henrico Valesio, qui hac in re Divum Hieronymum sequitur, de Clemente Alexandrino sint accipienda, nihil inde colligitur, quod praecipuam quamdam insignemque Clementis prodat sanctitatem, cuius idcirco illustre monumentum Martyrologii tabulis sit consignandum. Non enim in una vel altera bonorum operum specie sanctitas, de qua hic loquimur, sita est, sed virtutibus in gradu heroico assidue exercitis, atque ad obitum usque productis, probatur. Quocirca licet hic repetere, quod Calmet loco superius indicato scriptum reliquit de Clemente Alexandrino: Nos memoriis vitae quam peregit, et mortis quam obivit, destitui. Praeterquam quod Eusebii hominis Ariani testimonium favore Clementis Alexandrini tamquam infidum ab iis traducitur, qui aliqua Arianismi semina in Clementis operibus introspiciunt; in quorum numero habendus Petavius, qui *tomo 2 Theologicorum Dogmatum, lib. 1, cap. 4, num. 1,* ita Clementem sugillat: *naturam, ait, filii omnipotenti Deo citimam esse; quod Platonici et Ariani Dogmatis indolem sapit.*

Nulla de cultu Clementi exhibito vola, aut vestigium.

xxvii. Altera ratio sic habet: nullum monumentum, imo nec ullum quidem vestigium superest cultus, quem aliqua ecclesia aut dioecesis, expresso vel tacito catholici Episcopi assensu, exhibuerit Clementi Alexandrino. Parum vero refert, eum vita cessisse, antequam in Ecclesia Dei mos invalesceret publico cultu honorandi inclytos Christi confessores; qui mos in ecclesia cum orientali tum occidentali nonnisi quarto Ecclesiae saeculo primum incepit, ut eruditi conveniunt, nosque probavimus *lib. 1 operis de Canonizatione, cap. 5, num. 3 et seq.* Etenim neminem latet, priscos Ecclesiae fideles, ex praeconcepta animisque indita verae sanctitatis opinione, vel ipsos confessores, qui in Domino obdormiverant, cultu publico venerari consuevisse, etiamsi hac de re solemnis disciplina ac ritus nondum ab Ecclesia fuisset introductus.

Clementis opera multis suspecta.

xxviii. Tertia sequitur ratio, quae Clementis Alexandrini opera, sin minus erronea, saltem suspecta, nobis inspicienda proponit. Enimvero Petavius, cuius verba supra recitavimus, Clementem Arianismi insimulat; esto Nourry *in Apparatu, tom. 1, pag. 683 et seq., et pag. 952 et seq.,* hanc labem amoliri contendat. Cassiodorus hoc de Commentariis Clementis Alexandrini in canonicas epistolas iudicium profert *tom. 2* suorum operum, *de Institutione divinarum literarum, cap. 8: In epistolis autem canonicis Clemens Alexandrinus presbyter, qui et Stromateus vocatur, idest in epistola Sancti Petri prima, Sancti Ioannis prima et secunda, et Iacobi, quaedam attico sermone declaravit, ubi multa quidem subtiliter, sed aliqua incaute locutus est, quae nos ita transferri fecimus in latinum, ut, exclusis quibusdam offendiculis, purificata doctrina eius securius posset hauriri.* Aliquod et hic sibi quaerunt effugium Clementis patroni, aientes hoc opus, in quo multa improbantur, non ipsi quidem Clementi, sed alteri incerto authori tribuendum. Libros octo Hypotyposeon, sive Institutionum, multis scatere erroribus affirmat Photius, qui in Codice 109 suae bibliothecae longum illorum attexit indicem, atque ita prosequitur: *Quin etiam et alia id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive quis alius eius personam indutus; plane ut octo ipsos libros hisce Blasphemiarum portentis, de iisdem identidem disserendo, ac sparsim atque confuse veluti stupore perculsus, Sripturas producendo, repleverit.* Graviora quidem sunt haec; ea tamen intelligenda esse non de erroribus, in quos Clemens lapsus fuerit, sed de iis, quos ille ex aliena sententia refert atque refellit, sentiunt nonnulli, qui Clementis par-

tibus impensius student. Addunt insuper, arduum sane esse, rectam ferre sententiam de memorato Clementis opere, quod nusquam existit, aut certe integrum non habetur, ut Calmet in loco superius citato ratiocinatur.

Gravior in eadem opera ex Gelasiano decreto censura.

XXIX. Eadem tamen contra eos Clementis libros, qui et Clementem norunt authorem, et eruditorum teruntur manibus (hi vero sunt libri Paedagogi, Stromatum libri, aliique numero pauci), obiiciuntur incommoda. De hisce operibus scribit Aubertus Miraeus *in Bibliotheca Ecclesiastica Fabritii, cap. 37, pag. 112: In libris eius nonnullae sententiae occurrunt, quae errorem sapiunt.* Miraeo praeiverat venerabilis Cardinalis Bellarminus, qui Clementis opera in celeberrimis adversus haereticos controversiis tractandis diligenter inspexit, subactoque iudicio examinavit. *Non desunt* (ita ille, *in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis*) *in hoc insigni authore sententiae aliquae, quae errorem sapiunt, quas in libris nostris Controversiarum notavimus etc. Utrum autem sententiae illae ab haereticis insertae sint, ut aliqui pie credunt, aut authori more humano exciderint, ignoramus.* Alia scriptorum testimonia missa facimus, cum non levem de Clementis operibus ingerat suspicionem censura decreti Gelasiani, quod ex antiquissimo Codice Palatino Bibliothecae Vaticanae a Iusto Fontanino Archiepiscopo Ancyrano editum est *in Appendice Antiquitatum Hortae, pag. 317, et seqq. primae editionis.* Hocce decretum, ut praenotavimus, Clementis opera recenset inter apocrypha; non eo quidem in sensu, ut earum publicam dumtaxat lectionem, non etiam privatam, interdicat; sed verius, quod opera illa erroribus sint aspersa; quam interpretationem sequuntur et probant Dujat *de Praenotionibus canonicis, lib. 2, c. 48, num. 2 in fine,* Cardinalis Bellarminus *de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Clemente Alexandrino,* Carolus Dufresne *in Glossario* ver. *Apocrypha,* Pagi *in vita Gelasii num. 4, pag. 227,* Magri *in Vocabulario Ecclesiastico* ver. *Apocryphus.*

Clemens de erroribus suspectus, a Martyrologio excludendus.

XXX. Quisquis circa partium studia, maturo iudicio secum expendat, quae a nobis hucusque prolata sunt, profecto fateri cogitur Clementis Alexandrini doctrinam dubiam saltem suspectamque esse de erroribus, quibus advertendis Clementis fautores animum torquent, atque a variis interpretationibus, effugiis, exceptionibus, praesidium quaerunt, ne gravior in opera illa intorqueatur sententia. In hoc autem rerum statu, nemo qui sapiat, affirmabit Clementis Alexandrini nomen Martyrologii Romani venerando Codici esse inscribendum. Enimvero, quamvis Magni Constantini nomen in Graecorum Menologio inter Sanctos fuerit relatum; quamvis de cultu in Ecclesia Orientali illi exhibito nulla suboriatur dubitatio; nihilominus in Martyrologium Romanum Magni Constantini memoria nunquam translata est, quod illum aut haeresi ariana aspersum, aut in Arianos propensiorem fuisse, nonnulli fuerint suspicati; quam tamen maculam Bollandiani Patres *tomo 5, mensis maii die 21,* et Natalis Alexander *tomo 4 Historiae Ecclesiasticae, dissert. 24,* a tanto viro student amoliri. Percurrenda item, quae a nobis in hanc rem scripta sunt *in lib. 2, de Canonizatione Sanctorum, cap. 36, num. 16,* et novissime a Costadono *in suis observationibus super veterem Tabulam Graecam num. 14.*

Quae opponuntur exempla, Clementis causam non iuvant.

XXXI. Neque ad rem faciunt, quae opponuntur exempla, alterum Hilarii Arelatensis Episcopi, alterum Vincentii Lirinensis, quorum uterque, nimirum Hilarius die quinta, Vincentius vero die vigesimaquarta maii, in Martyrologio Romano commemoratur, quamvis eorum doctrina Semipelagianismi labe fuerit aspersa. Siquidem, etsi viros illos Semipelagianismi errore tactos concederemus, quod tamen plures denegant, qui catholicam eorum sententiam egregie tuentur; excusandi tamen, si quid humani hac in parte illis exciderit; nondum enim catholica doctrina supremo Apostolicae Sedis iudicio fuerat definita, ut *in lib. 2 operis de Canonizatione, cap. 29,* pluribus disputavimus. At contra Clemens Alexandrinus in ea Catholicae Religionis dogmata, quae pridem statuta fuerant et inconcussis Ecclesiae decretis firmata, peccasse creditur. Cum igitur plane dissimilia sint, quae producuntur exempla, immerito doctus pater Halloix *tom. 2 scriptorum illustrium Ecclesiae Orientalis,* in notis *ad vitam Pantaeni, cap. 2,* conqueritur, se vehementer mirari, quod in Martyrologio Romano nomina aliorum veterum patrum, qui in varios errores lapsi fuerant, describantur, nomen vero Clementis Alexandrini nullibi reperiatur.

Quo in sensu Sancti titulo Clemens donetur.

XXXII. Nec maioris momenti sunt caetera, quae pro Clemente Alexandrino superius relata sunt; atque illud cum primis,

quod *Beati ac Sancti* nomine a multis donetur. Horum agmen, uti vidimus, ducit Eusebius, cuius verba e Sancti Alexandri Ierosolymitani epistola deprompta supra produximus, quae iuxta versionem Henrici Vallesii ita sonant: *Sanctum Clementem dominum item meum*. Verum si verborum proprietatem ad graecum textum exigamus, *Sacer* potius, quam *Sanctus* Clemens vocandus est; ita namque Graecus sermo habet, τὸν ἱερὸν Κλύμεντα. Sed etsi ultro daremus, *Sancti ac Beati* nomen Clementi Alexandrino fuisse tributum, non ideo tamen de singulari illius sanctitate iudicium ferendum est; *Sancti* enim denominatio primis ecclesiae temporibus religionis potius, quam christiani profitebantur, quam probati cuiusque moris indicium erat. *Qui olim christiani,* inquit Spondanus *in Epitome Annalium Cardinalis Baronii ad ann. Christi* XLIII., *num. 4, iidem nominabantur Sancti, ut a Paulo saepe ac Luca, posterisque Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertulliano, et aliis.* Hinc ut *in lib. 4, de Canonizatione Sanctorum, part. 2, c. 27, num. 14,* satis probavimus, unus *Sancti* titulus par non est, ut Corpora, quae ex catacumbis afferuntur, sacro cultu donentur; sicut enim praenotavimus, in primaeva ecclesia *Sancti* vocabulum nec vitae sanctitatem, nec martyrium pro Christi nomine toleratum, sed christianae religionis, quae cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat. Successu temporis, ut Spondanus animadvertit, *Sancti* titulus ad peculiarem vitae sanctimoniam significandam translatus est: *Demum,* sic ille prosequitur, *obtinuit usus, ut illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatiorique fulgerent morum sanctitudine.* In hac posteriori acceptione haud facile prudens scriptor *Sancti* nomen Clementi Alexandrino hodie tribueret, aut si quid tale illi excideret, veniam peteret, ut revera petiit Combefisius. *De* Sancti *titulo, quo eum aliquando ornavit Combefisius, veniam petiit, bibliotechae Concionatoriae tom. 1, pag. 9:* verba sunt eruditi Dominici Georgii *in suis notis, quas Martyrologio Adonis ad diem* XIX. *decembris* subiicit. Eodem pertinent, quae diligens scriptor pater Michael a S. Ioseph *tom. 2, pag. 39 suae bibliographiae Criticae,* ver. *Clemens,* de Sancti nomine, quo Clemens honoratur, adnotavit: *In expurgatorio Hispano, tom. 1, pag. 134, ubi praescribitur correctio bibliothecae veterum patrum, ad tom. 6, col. 235 deleri praecipitur titulus* Divi *appositus Clementi.*

Quamplura Martyrologia Clementis non meminere.

XXXIII. Equidem nonnulla Martyrologia, ut supra indicavimus, Clementis meminere; sed et alia proferri possunt, in quibus nulla Clementis Alexandrini fit mentio. Nil tale occurrit *in tom. 3 Thesauri Anecdotorum Martene et Durand; in t. 6 amplissimae collectionis veterum scriptorum,* quae ab iisdem accuratis authoribus coordinatur; *in tomo 2 Spicilegii Lucae d'Acherii; in tom. 2 antiquarum lectionum Canisii; in Martyrologio Florentinii; in tom. 6, part. 2, mensis iunii, patrum Bollandianorum,* esto multa ac vetusta in hisce locis exhibeantur Martyrologia. Usuardum saeculi noni scriptorem primum fuisse, qui in suo Martyrologio Clemen. Alexandrini nomen conscripserit, haud improbabilis opinio est; verum nihil prohibet quominus, si res ita exigat, ab Usuardi Martyrologio, alioquin multis de causis venerando, liceat aliquando recedere.

Prima Clementis mentio in Usuardi Martyrologio.

XXXIV. Usuardum cum primis Clementis nomen suo Martyrologio addidisse, affirmat eruditus Sollerius *in suis ad Usuardum notis sub die quarta decembris;* quam sane Sollerii sententiam verosimillimam arbitramur. Usuardus enim in opere suo adornando usus est praecedentibus Martyrologiis Hieronymi, Bedae, Flori, Rabani, Wandelberti et Adonis, ut praeclare ostendit Anonymus Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri, *pag. 8 suae praefationis ad sincerum Usuardi Martyrologium,* quod Parisiis impressum est anno MDCCXVIII. Cum autem in nullo ex praecedentibus Martyrologiis nomen Clementis legatur, haud temere affirmare licet, Usuardum omnium primum fuisse, qui Clementis nomen in suum Martyrologium intulerit; potissimum cum ipsemet Usuardus, in prologo, quem ad Carolum Calvum scripsit, atque in praelaudato opere impressus legitur, diserte fateatur se nonnulla Sanctorum nomina, quae in praecedentibus Martyrologiis deerant, operi suo addidisse. *At si quid, praeter quod ab illis accepi, in hoc opere auctum vel mutatum est, sagaci a me indagine id perquisitum agnosci poterit.* Haec Usuardus.

Accuratissima Martyrologii Adonis editio Clementem praetermittit.

XXXV. Alia quidem sententia arridet Dominico Georgio, qui in loco mox allato putat nomen Clementis ante Usuardum ab Adone in suo Martyrologio fuisse descri-

ptum. Verum id longe facilius asseritur, quam probatur. Plurimi, et merito quidem, Georgius facit editionem Martyrologii Adonis, quam curandam suscepit Rosvveydus, cuius exemplar extat *tom. 16 bibliothecae patrum editionis Lugdunensis, anno* MDCLXXVII., de qua sic loquitur *in praefatione pag. 12: Quanti vero fecerimus Rosvveydi editionem, facile intelliges, cum videris, ad illius fidem nos omnia expressisse: nihil e textu detraxisse, sed ad scrupulum usque retinuisse omnia, et quae ex Apographis nostris delibavimus, in varias lectiones transtulisse.* Si tanta huiusce editionis Georgio fides, cur ille Clementis nomen inserit, quod haec probatissima editio praetermittit? Equidem ille provocat ad vetera Martyrologii Adonis exemplaria, quae *in Cod. 511, 512 et 514* Bibliothecae Vaticanae exscribuntur; in quibus post S. Aviti abbatis memoriam ita legimus: *Alexandriae beati Clementis presbyteri, qui in divinarum eruditionum scholis quammaxime effloruit.* Verum ipsa Codicum, qua scripti sunt, aetas, illorum auctoritatem hac in re dubiam evincit. Audiendus ipsemet Georgius. *In praefatione pag. 9. Alter,* inquit, *signatus num. 511, ex specimine characteris, saeculo Christi undecimo scriptus esse mihi visus est; reliqui vero duo signati num. 512 et 514, saeculo duodecimo exarati fuisse visi sunt.* Quocirca nec omnino antiqua, nec ab Adonis tempore parum dissita dicenda sunt tria illa Bibliothecae Vaticanae exemplaria, quae plurium saeculorum spatio ab authoris aetate dissociantur. Ex quo et illud sequitur, fieri facile potuisse, ut aliqui sequioris aevi scriptores, pietatis ac religionis praetextu, privato consilio veteribus Martyrologiis nova Sanctorum nomina addiderint; quod multis exemplis, apud eruditos ipsumque Georgium satis frequentibus, illustrare possemus.

Fas aliquando ab Usuardi sententia discedere.

XXXVI. Hoc autem semel statuto, Usuardum nempe primum fuisse, qui Clementis nomen in Martyrologium invexit, tanta profecto non est illius auctoritas, ut grande sit piaculum ab ea aliquando recedere; cum nobis compertum sit, eiusmodi Martyrologii lectionem primo in monasteriis Benedictinis in usu fuisse; moxque ab aliis ecclesiis fuisse adoptatam, ut in opere *de Sanctorum Canonizatione, lib. 4, par. 2, c. 17, num. 3,* observavimus. Neque unum est, in quo Usuardus fallitur, Clementis nomen. Si ea ad trutinam revocentur, quae in Martyrologio Usuardi circa festum Assumptionis B. Mariae Virginis enarrantur, et quorum a nobis *in opere de Festis Domini Nostri Iesu Christi, eiusque Beatissimae Matris ad diem* XV. *augusti* accurata fit mentio: fateri oportebit, Usuardi testimonium esse reiiciendum, ubi maiora ac meliora id suadeant argumenta. Quae cum ita sint, iis profecto assentiri non possumus, qui per summam iniuriam reprehendunt eximios illos viros a Gregorio XIII. Romani Martyrologii emendationi praepositos, quorum nomina in praecitato operis nostri loco *sub num. 5* singillatim enumeravimus: non enim ideo culpandi, quod a Clementis Alexandrini nomine, cuius Usuardi Martyrologium meminerat, abstinuerint. Enimvero argumentorum, quae supra retulimus, tanta vis est, ut et Usuardi testimonium infirmet, et Romani Martyrologii emendationem ex quavis obtrectatione et censura prorsus eximat.

Alia de Severi Sulpitii nomine proponitur controversia.

XXXVII. Absoluta de Clementis Alexandrini nomine controversia, alia succedit de *Severo Sulpitio S. Martini discipulo.* Martyrologii correctores sub Gregorio XIII. hoc elogium die XXIX. ianuarii apponendum censuerunt: *Apud Bituricas S. Sulpitii Severi Episcopi discipuli S. Martini, virtutibus et eruditione conspicui.* Qui vero Urbano VIII. mandante novam Martyrologii emendationem instaurarunt, idem elogium, verbis aliquot intermediis dumtaxat exclusis, ita contraxerunt: *Apud Bituricas S. Sulpitii Severi Episcopi virtutibus et eruditione conspicui.* Tota igitur circa voces illas, *Discipuli S. Martini,* versatur emendationum varietas, de qua multa scripserunt Patres Bollandiani *ad diem* XXIX. *ian. in vita S. Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis, § 2, num. 12,* Florentinius in Admonitione 11 quae praeponitur eius Martyrologio *pag. 51,* Baillet *ad diem* XXIX. *ianuarii, num. 1 et num. 4,* Tillemontius *tomo 10 Memoriarum, nota 5 super vita Sulpitii Severi,* Graveson *tomo 12 Historiae Ecclesiasticae, pag. 157* Romanae editionis, anno MDCCXVII. aliique complures, quibus et nostrum *de Canonizatione* opus addendum, *lib. 4, part. 2, cap. 17, num. 7.*

Quaenam Gregorianae correctioni faveant argumenta.

XXXVIII. Ut gravior haec controversia pro meritis expendatur, illud in quo praecipuus difficultatis cardo sistit, inspiciendum, an Sulpitius Severus Sancti Martini discipulus, fuerit, an non, Episcopus Bi-

turicensis; ideoque iure ne, an iniuria, verba illa *Discipuli S. Martini* fuerint expuncta. Correctores sub Gregorio affirmativam sententiam sequuti sunt; hinc duo illa in Elogio sociarunt: *Apud Bituricas Sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli S. Martini.* Hanc ipsam correctoribus insedisse opinionem testatur Cardinalis Baronius in suis ad Martyrologium notis *sub die* XXIX. *ianuarii.* Neque vero haec sententia omnimoda caret probabilitate; quandoquidem ea innititur additionibus a Molano factis ad Usuardum, ubi *ad diem* XXIX. *iauuarii* haec habentur: *Biturica civitate Sancti Sulpitii Severi Episcopi et Confessoris, disciputi Beati Martini:* fulcitur testimonio Maurolici, qui in suo Martyrologio ad praecitatam diem ita scripsit: *Biturici Severi Praesulis, disciputi S. Martini;* et postremo iuvatur Apologia, quam pro Sulpitio Severo discipulo S. Martini scripsit Guibertus Martinus abbas Gemblacensis, qui ineunte saeculo tertiodecimo floruit. De hac Guiberti Apologia consulendus Hieronymus de Prato Veronensis, qui illam inseruit *tomo 1 operum Sulpitii Severi.*

Hinc quaereiae in emendationem sub Urbano institutam.

XXXIX. Hisce vero momentis nimium praefidentes, insurgunt aliqui, atque in Martyrologii correctionem aetate Urbani factam subinfensi, apertis verbis loquuntur simul et obloquuntur. Aut enim, ita ratiocinantur, locus est coniecturis supra propositis; iamque gregoriana emendatio sarta tectaque servanda erat: aut nova contra coniecturas illas supervenerunt monumenta, atque hoc in casu satis erat Episcopi titulum Severo Sulpitio adimere, et interim, quae sequuntur verba illa, *disciputi S. Martini,* immutata relinquere. Hoc autem temperamento posthabito, Martyrologium Romanum, ex nupera correctione, non uno sed duplici gravatur incommodo; tum quia alter Sulpitius Severus Episcopus Bituricensis a Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo diversus perperam effingitur; tum quia Sulpitius Severus discipulus Sancti Martini, de cuius laudibus Sanctus Paulinus Nolanus, Paulinus Petrocoriensis, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonensis, aliique palam loquuntur, a Martyrologio exploditur, ac non sine iniuria a vetustissima illa tituli sanctitatis possessione deturbatur. *Valde autem Sulpitii sanctimoniam commendat,* inquit Gerardus Ioannes Vossius in vita Severi Sulpitii, quae in fronte eius operum editionis Amstelodami praeponitur, *quod in Romano Martyrologio eius memoria celebratur ad* IV. *kalendas februarii.* Gemina occurrunt apud Patrem Brassichelli, qui ante Urbani VIII. emendationem ita de Severo Sulpitio loquitur in Indice librorum expurgandorum: *Ut interim omittamus episcopatum, quem in ancipiti quibusdam coniecturis Baronius tomo 5. Annalium posuit; de sanctitate tamen Severi Sulpitii, cuius tam illustre Elogium extat in Martyrologio Romano* XXIX. *ianuarii, ambigere, nescio quam tutum.* Haec illi, qui gregorianae correctioni favent impensius.

Sulpitius Severus Pelagianis et Millenariis adhaeret.

XL. Haec tamen iis non probantur, qui Severum Sulpitium S. Martini discipulum in plures errorum scopulos turpiter impegisse contendunt. Compertum namque est, eum iam aetate provectum erroribus Millenariorum fuisse sequutum; ex quo dialogi illi a Gelasio Pontifice in memorato de ecclesiasticis libris decreto, apocryphis accensentur, hisce verbis: *Opuscula Posthumiani et Galli Apocrypha;* qua in re conveniunt scriptores non modo heterodoxi, nempe Casimirus Ordinus *de Scriptoribus Ecclesiasticis saeculi quinti, p. 495,* et Cave *de Scriptoribus Ecclesiasticis saeculi Nestoriani,* sed et catholici authores satis accurati, veluti Ioannes Trithemius *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Cardinalis Bellarminus *in eodem tractatu,* Philippus Labe *in sua dissertatione Historica,* quae prostat *in tomo 7 operum Cardinalis Bellarmini* Venetae editionis an. MDCCXXVIII., Natalis Alexander *in Historia Ecclesiastica saeculi quinti, cap. 4, art. 2,* Longeval *in Historia Ecclesiae Gallicanae, t. 1, lib. 3, pag. 397,* Doujat *in Praenotionibus Canonicis, lib. 2, cap. 52, num. 5.* Quid vero ad haec Sulpitii patroni?

Sunt qui vindicias et poenitentiam obtendant.

XLI. Reponunt, eiusmodi probra, quae in Severum Sulpitium vibrantur, futilia plane esse ac inania; ideoque Martyrologii reformatores sub Urbano, levi nimium innixos fundamento, Severi Sulpitii, qui S. Martinum praeceptorem habuit, nomen e Martyrologii Codice expunxisse. Etenim, qui primus memoriae mandavit, Sulpitium a Pelagianis deceptum, a catholica veritate declinasse, fuit Gennadius quinti saeculi scriptor, de quo ita loquitur Guibertus Martinus abbas Gemblacensis in praelaudata Apologia: *Quod a Pelagianis seductus, in aliquo a regula orthodoxae fidei exorbitaverit, nusquam omnino, nisi in solo legi Gennadio, qui, nescio utrum hoc ali-*

cubi et ipse legerit, et an ex sola fama, quae facta et infecta loquitur, didicerit. Addunt praeterea, eumdem Gennadium et Sulpitii errores et poenitentiam una sociasse; quae sane tanta fuit, ut, quoad vixit, perpetuum sibi silentium servandum indixerit, et reipsa servaverit; si quid ergo peccavit, crimen illustri poenitentia delevit. Quod vero attinet ad Millenariorum errores, et Galesiani decreti censuram, ad ea demum maledicta, quae Ioannes Clericus in opere Severi Sulpitii S. Martini discipuli infenso congessit stylo, eadem repetunt, quae praelaudatus Hieronymus de Prato in *opere supra relato* in rem hanc scripsit, ut Severum Sulpitium ab impactis criminibus vindicaret. Illud tandem Sulpitii fautores ingeminant, correctores Urbani tempore modum nequaquam servasse; si quid enim castigatione dignum inciderat, immutandum paulisper erat, non omnino delendum. Qua ferme ratione Saussajus in Martyrologio Gallicano, quod an. MDCXXXVI. editum est, ***ad diem*** XXIX. ***ianuarii*** ademit quidem Sulpitio Severo titulum Episcopi, sed caetera, quae Sulpitium illum S. Martini discipulum fuisse demonstrant, intacta reliquit, hoc pacto: ***Eodem die in Aquitania Pago Primuliaco, S. Severi Sulpitii Presbyteri et Confessoris, doctrinae et sanctimoniae laude perillustris, qui S. Martini res gestas nitido stylo conscripsit, atque non minus actibus expressit, quam calamo, paupertatis cultor egregius, ac humilitatis persincerus amator, cuius praeconia ob claras sapientiae dotes et sublime vitae institutum, S. Paulinus Nolae Episcopus efferens magnifice prosecutus est.***

Ratio potissima cur Sulpitii nomen Martyrologio non inscribatur.

XLII. Atque haec quidem sunt, quae de Sulpitio Severo Sancti Martini discipulo cum ex eruditorum colloquiis nobiscum habitis, tum maxime ex privata librorum lectione, nobis licuit haurire. Nullum vero ex tanta rerum congerie satis efficax argumentum occurrit, quod nostrum inducat animum, ut a correctione, quae sub Urbano VIII. peracta est, recedamus. Enimvero, post accuratam causae discussionem, illud tandem comperimus, universum oppositae sententiae systema huic propositioni, quam axiomatis loco praesupponit, inniti, nimirum die XXIX. ianuarii inscriptum fuisse in Romano Martyrologio nomen Sulpitii Severi discipuli S. Martini. Hinc querelae illae, atque repetitae expostulationes, ob non servatam hanc saltem elogii partem, ***discipuli S. Martini,*** si forte episcopatus insignia Severo Sulpitio minus conveniant. Verum haec praecipua erroris causa, quod ratiocinium, cui omnimoda fides adhibetur, falso laborat supposito; unde sequitur, ut quae supra extruitur argumentorum moles, sponte sua corruat.

Status controversiae reformatoribus sub Urbano bene perspectus.

XLIII. Id vero exploratum cuique erit, si ad ea, quae Martyrologii reformatoribus sub Urbano Pontifice bene perspecta erant, animum convertamus. Notant hi, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio sub die XXIX. ianuarii fit mentio, revera Episcopum Bituricensem fuisse, cum hac in re omnia conveniant Martyrologia, quae gregorianam correctionem aetate praecedunt. Natant item, Severum Sulpitium Sancti Martini discipulum nunquam ad Bituricensem episcopatum fuisse evectum, quidquid Guibertus commentus fuerit, quem tamen Hieronymus de Prato in vita Sulpitii Severi discipuli Sancti Martini, § 13, ita refellit: ***Pergit Guibertus narrans, Severum a Bituricensi clero ex monasterio adductum, Archiepiscopum eius urbis constitutum. Nihil magis repugnans veritati, quam Severum nostrum Bituricensem Episcopum fuisse.*** Sed et illud vel ex ipso Gennadio nosse poterant, Sulpitium Severum nonnisi presbyterum fuisse; quod deinde recentiori aevo indubium reddidit gemina eiusdem Sulpitii Severi epistola a Balutio reperta, et ***miscellaneorum tom. 1*** inserta, cuius inscriptio sic habet: ***Epistola S. Sulpitii Severi Presbyteri.*** Utramque epistolam a Balutio collectam probat Tillemontius ***in adnotatione quinta ad vitam Sulpitii Severi S. Martini discipuli;*** nec dissentit Hieronymus de Prato, § 10 ***vitae Sulpitii Severi,*** monumentorum potius, quae Balutius edidit, quam Gennadii, cuius fidem habet suspectam, auctoritate commotus. Libet Hieronymi locum, etsi longiusculum, integrum hic exscribere. ***Uno itaque,*** inquit, ***Gennadii testimonio innititur Severi presbyteratus, quod, tacentibus caeteris, quid valeat non video. Moneo tamen, Balutium in miscellaneorum libro primo exhibere epistolas duas Sulpitii Severi Presbyteri Aquitani, quas et nos dedimus in appendice tomi secundi, quarum utraque hunc praefert titulum:*** Epistola Sancti Severi presbyteri; ***prima vero etiam hanc appositam habet coronidem:*** Explicit epistola Severi Presbyteri ad Claudiam sororem suam. ***Itaque ni malimus ex auctoritate Gennadii huic no-***

stro Severo, cui duae illae epistolae adscribendae videntur, presbyteri titulum a librariis additum, aliquantulum hinc eius sententiae accederet momenti.

Sub uno Sulpitii Severi nomine duo secernendi.

XLIV. Falluntur ergo, qui putant Sulpitium Severum, cuius memoria incidit in diem XXIX. ianuarii, esse discipulum S. Martini; cum Sulpitius ille Bituricensis Episcopus dicatur, hic vero sola presbyteratus praerogativa praefulgeat. Ex qua praepostera sententia illud necessario sequitur, ut e duplici Sulpitio Severo, ministerio ac dignitate plane dissimili, unus confletur, cui duo haec simul conveniant quod Episcopus Bituricensis fuerit, itemque discipulus Sancti Martini. Quo quid absurdius? Haec tamen personarum commixtio suam duxit originem ab apologia abbatis Gemblacensis, cuius opinio Sigonium, Galesinium, Victorem, Giselinum, aliosque plures in eumdem errorem pertraxit.

Controversiam de Sulpitio presbytero correctores non attingunt.

XLV. Neque egregios illos viros, qui Martyrologii emendationem sub Urbano excuderunt, latuit absurda haec opinio; quamvis compertum sit, nihil de ea reiicienda fuisse solicitos. Cum enim certo nossent, Sulpitium Severum, de quo in Romano Martyrologio ad diem XXIX. ianuarii, Episcopum Bituricensem fuisse, ideoque plane diversum a Sulpitio Severo S. Martini discipulo, nihil illis curae fuit ea ad examen vocare, quae contra posteriorem Sulpitium Severum opponi solent, ne alioqui extra praestitutos fines vagari viderentur. Huic quaestioni locus quidem fuisset, si de Sulpitio Severo S. Martini discipulo aut in Martyrologium inferendo, aut inde expungendo, iudicium institueretur. Verum cum nil tale in disputationem veniret, rem hanc intactam relinquere satius duxerunt. Quod enim ad huiusce Sulpitii sanctitatem attinet, nemo est ex antiquis scriptoribus, qui eum Sancti titulo exornet: *Sane ab antiquis sanctitatis titulo haud decoratur;* ita legimus *in Bibliographia* Patris Michaelis, *tom. 4, pag. 55.* Quod si apud Saussajum et Petrum de Natalibus, Sancti nomine aliquando donetur, nihil inde conficitur; iam enim praemonuit Longeval *in Historia Ecclesiastica Ecclesiae Gallicanae, tom. 1, lib. 3, pag. 397 in not. sub lit. A,* optandum esse ambos ea auctoritate fuisse donatos, quam non habebant, et quam habere sibi falso persuaserant.

Acta Congreg. quae sub Urbano habita est, producuntur.

XLVI. Quae de Martyrologii correctione Urbani tempore instituta, ac de methodo, quam reformatores sibi servandam proposuere, huc usque narravimus. Historicae veritati, quae ex actis Congregationis indubia est, plane consonant. Rei gestae seriem paucis hic repetere nec inutile erit, nec iniucundum. Die XXVII. ian. MDCXXVIII. habita est celeberrima Congregatio coram Cardinali de Torres, cui praeter alios interfuere Fortunatus Schaccus, Bartholomaeus Gavantus, Derentius Alciatus et Hilarion Abbas Sanctae Crucis in Ierusalem, ut ex actis, quae recensentur *in Codice 1240 manuscriptorum insignis bibliothecae Barberinae, pag. 527,* manifestum est. Primo loco igitur vetus Elogium ex Martyrologio iussu Gregorii XIII. castigato productum est, atque inter acta relatum: cuius tenor, qui sequitur: *ianuarii* XXIX. *apud Bituricas S. Sulpitii Severi Episcopi, discipuli S. Martini.* Quid de eiusmodi Elogio senserint egregii viri, queis emendatio erat concredita, ex historica, quam subiicimus, narratione audiamus: *Videbatur hoc loco agi de eo, qui scripsit vitam S. Martini, qui tamen mortuus est presbyter, non Episcopus, et incidit in errores Origenis et Pelagii, licet resipuerit, testibus Gennadio, Bellarmino de scriptoribus ecclesiasticis, et Baronio in Annalibus. Fuit alius huius nominis Episcopus Bituricensis ex Antonio Democar in catalogo Episcoporum Bituricensium, qui tamen non vixit, nisi longe post Sanctum Martinum Turonensem Episcopum, cuius fuit alioquin imitator, ex Petro de Natalibus. Quibus omnibus consideratis, decretum est deleri ea verba,* discipuli Sancti Martini, *ut de Episcopo Bituricensi statim intelligatur Martyrologii textus, non de alio discipulo S. Martini, et scriptore vitae.*

Sulpitii duo. Uterque Bituricensis Episcopus numeratur.

XLVII. Quae verba cum satis aperta sint, nullisque ambagibus involuta, nihil iis, quae supra retulimus, addendum superest. Hoc unum, antequam controversiae finem imponamus, iuvat hic adnotare, duos nimirum Sulpitios Episcopos Bituricenses extitisse, quibus nihil commune est cum Sulpitio Severo S. Martini discipulo. Primus obiit an. DXCI., alter vita cessit an. DCXCIV. De priori loquitur Martyrologium die XXIX. ian., posteriorem die XVII. eiusdem mensis commemorat. Ne nominis atque episcopatus affinitas confusionem pareret, alteri cognomen *Severi,* alteri *Pii* cognomen est additum; hinc, de altero Sulpitio die XVII. ianuarii legimus: *Apud Bituricas depositio S. Sulpitii Episcopi cognomento Pii, cuius vita et mors pretiosa gloriosis mi-*

raculis commeudatur. De Sulpitio, qui *Severus* cognominatur, non etiam de alio, qui *Pius* vulgo audit, excitatur controversia, sit ne a Sulpitio Severo S. Martini discipulo secernendus; quae tamen controversia post correctionem Urbani VIII. e medio sublata est. De gemino Sulpitio Bituricensi Episcopo consulendus Cardinalis Baronius *tomo 5 Romanae Editionis, ad ann. Christi* CDXXXI., § *Sed illud hic considerandum;* et in *notis ad Martyrologium Romanum die* XXIX. *ian.;* Patres Bollandiani *die* XXIX. *ianuarii in vita S. Sulpitii Severi Episcopi Bituricensis,* § *2, num. 12;* Mabillonius *in Annalibus Benedictinis, lib. 2, num. 91 ad an.* DCXXIV., et *in actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, Sec. 2 ad ann.* DCXLIV., *in Observationibus praeviis ad vitam S. Sulpitii Pii, num. 1;* Dionysius Sammarthanus *in Gallia Christiana, tomo 2 editionis Parisiensis, an.* MDCCXX., *pag. 14, num. 25, et pag. 25 et pag. 16, num. 19;* Le Coint *in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad ann. Christi* DXCI., *pag. 392,* ubi ad rem nostram ita scribit luculentissime: *In cathedra Bituricensi duo sederunt Sulpitii. Hic* Severi *nomen obtinuit, ut ab altero distingueretur, cui cognomen* Pii *cessit; atque inde factum est, ut a posterioris aevi scriptoribus discipulus S. Martini praedicaretur, ac talis in Martyrologium Romanum irreperet quarto kalendas februarii; donec Urbanus VIII. Romani Pontificis authoritate abrasae sunt illae voces* discipuli S. Martini, *his dumtaxat servatis: « Apud Bituricas S. Sulpitii Severi Episcopi, virtutibus, et eruditione conspicui ».* Consulendi quoque Annatus *lib. 4 theologiae positivae, art. 26,* et Dominicus Georgius *in notis ad Martyrologium Adonis die* XVII. *ianuarii.*

Bollandiani instant pro Theodori Pontificis nomine; sed reliciuntur.

XLVIII. Eruditissimis Patribus Bollandianis *tom. 3 mensis maii, die* XIV., *pag. 263,* mirum plane subit, quod in Romano Martyrologio Theodori Summi Pontificis nomen nullibi occurrat, cum illius expressa fiat mentio in gemino Martyrologio Florentino, altero Magni Ducis Etruriae, altero Senatoris Strozzi; quibus et illud accensendum, quod Florentiae typis excusum est anno MCDLXXXVI. Hinc ea Bollandianorum expostulatio: *Contigit haec depositio, seu potius eius (Theodori) obitus, hac die* XIV. *maii ann.* DCXLIX.; *sed, quod miramur, nullis aliis fastis, maxime Romanis, eius nomen insertum reperimus.* Quae verba de Theodoro I. Summo Pontifice intelligenda esse temporis definita ratio demonstrat; cum Theodorus II. post dies viginti in pontificatu actos ex hac vita migraverit anno CMI. Bollandistis adhaeret Franciscus Pagi *in vita Theodori I., tomo 1 Breviarii Romanorum Pontificum.* Mirari tamen desinet quisquis animadvertat, correctores Romanos ea tantum in Martyrologium transtulisse Sanctorum nomina, quae ex veteribus probatisque Martyrologiis petebantur. Porro tantam authoritatem recensitis Martyrologiis conciliandam non esse arbitrati sunt: hinc, cum alia deficerent monumenta, uni codicum illorum fidei acquiescere noluerunt.

Alia de Siricio Pontifice controversia Florentinius ac Norisius pro Siricio decertant.

XLIX. Quod vero satis mirari non possumus, illud est, Siricii Pontificis nomine, quod vetusta aeque ac probata exhibent quamplura Martyrologia, quae a Bollandianis commemorantur *t. 3 februarii, p. 282,* nosque infra indicabimus, Romani Martyrologii codicem tamdiu caruisse. Ubi primum post gregorianam correctionem innotuit, eiusmodi Pontificis nomen in diem XXVI. novembris relatum non fuisse, clarus vir Franciscus Maria Florentinius doctam scripsit exercitationem, quae *in Martyrologii suis notis ad dictam novembris diem iacet ordine XVI.,* in qua multa sane cum laude ac eruditione demonstrat, quam consentaneum sit, ut tanti Pontificis nomine Martyrologium ditetur. At Florentinii lucubratio suo caruit effectu, cum nonnisi post absolutam Martyrologii correctionem, Romam pervenerit. Iterum instituta Urbani VIII. tempore nova Martyrologii correctione, nulla de Siricii nomine incidit mentio, quia nulli curae fuit eiusmodi causam, qua decebat vi et alacritate, tractandam suscipere. Cum vero Clemente X. Ecclesiae clavum gubernante, sacr. Rituum Congregatio Basilicae Lateranensi Officia propria Sanctorum Romanae Ecclesiae Pontificum concessisset, Siricio praetermisso, rursus de huiusce Pontificis sanctitate eiusque officii concessione agi coeptum: irrito tamen eventu; siquidem Archiepiscopus Myrae, qui tunc temporis promotoris fidei munere fungebatur, acriter obstitit, quod Siricii nomen in Romano Martyrologio nusquam occurreret; ea namque sacrae Congregationis mens erat, ut Sanctorum Pontificum Romanorum, quorum nomina in Martyrologium relata fuerant, officia concederentur. Et quoniam ipsemet fidei promotor in suis animadversionibus obiter at-

tigit rationes praecipuas, ob quas Siricii nomen in Martyrologii emendatione fuerat praetermissum; hinc monitu atque hortatu bonae memoriae Cardinalis Casanattae, celebris Henricus Noris tum Augustiniani Ordinis professor, mox communi plausu ab Innocentio XII. inter Romanae Ecclesiae Cardinales adscriptus, pro tuenda Siricii Pontificis sanctitate, satis accuratam ac validam edidit Apologiam, quae nulli tamen fuit usui; cum ea, quae in sacror. Rituum Congregatione agitabatur causa de concessione officiorum, ad exitum pervenisset, nec iam liceret post absolutum iudicium, veterem excitare controversiam. En igitur Siricii causam iterato propositam, atque ad primaevas silentii tenebras iterum redire iussam.

Quae nostra aetate pro Siricii causa gesta sunt, enarrantur.

L. Tandem nostra aetate, nobisque id agentibus, novus de Siricio Pontifice recurrit sermo. Cum enim felicis recordationis Clemens XI. praedecessor noster munus promotoris fidei, et deinde paucos post annos praebendam theologalem in Basilica Vaticana nobis contulisset, e re nostra fuit sacror. Rituum Congregationi supplices offerre preces, ut quae Basilicae Lateranensi pridem concessa fuerant Sanctorum Pontificum Romanorum officia, ad capitulum, canonicos et clerum basilicae Vaticanae extenderentur; quod obtinuimus. Similique exemplo commoti Basilicae Liberianae canonici par privilegium haud multo post impetrarunt. Tum vero opportunam occasionem nacti, Siricii causam urgere et eximiam Florentinii exercitationem proferre coepimus. Cumque nobis nuntiatum esset, celeberrimam a Cardinali Norisio super eodem argumento procusam fuisse lucubrationem, ad eam perquirendam curas animumque convertimus, ut validiori praesidio muniti, rursus Siricii causam deliberandam proponeremus. Sed quamdiu promotoris fidei munus obivimus, norisiana dissertatio fuit nobis impervia. Postquam vero singulari beneficentia Benedicti XIII. praedecessoris nostri ad cardinalatus dignitatem ascendimus, quo tempore scripturarum Cardinalis Casanattae ad sacra Missarum officia spectantium, indiculum conficiebamus, ut operis de Canonizatione Sanctorum, quod tum meditabamur, bono ac utilitati prospiceremus, inopinato optatissima illa Norisii dissertatio ad nostras pervenit manus; quam idcirco summa diligentia ac fide exscribendam curavimus, eiusque exemplar una cum aliis monumentis, quae ex praelaudati Cardinalis Casanattae scriptis accepimus, nobiscum Anconam primo, mox Bononiam, detulimus. Scripturarum memorati Cardinalis integra series in celeberrima Casanattensi Bibliotheca summa cura asservatur; quae vero a Norisio procusa est lucubratio, *tom. 4 eius operum editionis Veronensis an.* MDCCXXXII., *p. 1722 et seqq.*, impressa est. Nec defuere ex recentioribus alii, qui de gestis Sancti Siricii multa cum laude ac eruditione disseruerint. Consulendi inter caeteros Franciscus Pagi *in Breviario Romanorum Pontificum in vita Siricii,* et Antonius Pagi eius patruus *in Annotationibus Criticis ad Annales Baronii.*

Summus Pontifex Siricio favet.

LI. Quae cum ita sint, nostro muneri deesse profecto videremur, si nos, quibus de Siricii Pontificis sanctitate multa praesto sunt argumenta, quam olim in minoribus curam suscepimus, ad summi pontificatus apicem divina miseratione evecti, ad optatum exitum non produceremus. Hoc autem negotium, mutatis vicibus, dissimili ratione ac methodo est hodie pertractandum. Olim nos in filiorum numero positi, a maioribus et patribus, quae gerenda essent, audiebamus: iam vero cum e filiorum statu, in Ecclesiae pastorem ac patrem evaserimus, quid hac in re decernendum sit, aliis indicamus. Siricii Pontificis nomen Romano Martyrologio inscribendum censemus; neque idcirco anterioribus Martyrologii emendationibus, quae Siricii nunquam meminere, aperte contradicimus. Unius quippe nominis additamentum, quod nova ac validissima suadent argumenta, aut praeteritis correctionibus nihil officit, aut usque adeo levem infert varietatem, ut nullum, aut fere nullum, ex eo obveniat detrimentum..

Controversiae status in certa capita distribuitur.

LII. Atque ut totius controversiae status, qua decet methodo ac ordine pertractetur, rem universam in quatuor summa capita secernendam decernimus, ita nempe, ut primo loco inquiramus, quae fuerit Siricii Pontificis, cum adhuc viveret, ac post eius obitum, sanctitatis fama: Secundo, quaenam Martyrologia, probataene an potius suspectae fidei, Siricii meminerint: Tertio, quaenam contra Siricium militent rationes, ob quas eius nomen Romano Martyrologio nunquam fuerit inscriptum: Postremo, quodnam de hisce rationibus iudicium ferendum sit; num scilicet eae sibi constent, an verius futiles sint, ideoque explodendae.

Splendidum Valentiniani testimonium de Siricii sanctitate.

LIII. De sanctitatis fama, quae Siricium adhuc superstitem commendavit, splendidum suppetit testimonium Valentiniani Imperatoris in epistola ad Pinianum Urbis Vicarium, sive praefectum, data. De Valentiniano hic loquimur non iam recentioris aetatis, cum nempe adhuc puer, blanditiis ac suasionibus matris, Arianorum erroribus imbutae, erat adhuc implicitus; sed Valentinianum producimus grandaevum, sapientia et virtutibus instructum, quas Divus Ambrosius in oratione in eius obitu habita commemoravit. Porro magnus hic imperator suas ad Pinianum dedit literas postquam Sanctus Siricius, reiecto Ursicino, qui schismate Romanam Ecclesiam turbaverat, concordi Romani populi acclamatione summus Ecclesiae Pontifex renunciatus est. Hanc epistolam ex veteri Codice Bibliothecae Vaticanae erutam, suis Annalibus inseruit Cardinalis Baronius *ad ann. Christi* CCCLXXXV. et Petrus Coustant *t. 1 Epistolarum Romanorum Pontificum* edidit in ordine *secundam* inter eas, quae Siricio Pontifici adscribuntur. Quid vero de Siricio senserit Valentinianus, quae sequuntur verba demonstrant: *Proinde quoniam religiosum Siricium Antistitem sanctitatis sic praeesse sacerdotio voluerunt, ut Ursicinum improbum acclamationibus violarent, nostro cum gaudio memoratus Episcopus ipse permaneat, Piniane carissime ac iucundissime. Siquidem magnum innocentiae ac probitatis exemplum est, in una acclamatione et ipsum eligi, et caeteros improbari.*

Siricii epistola ad Himerium data, authorem commendat.

LIV. Himerius Episcopus Tarraconensis Sanctum Damasum Siricii decessorem, gravissimis de rebus ad ecclesiasticam disciplinam spectantibus, more maiorum consuluerat. Himerii tamen epistola Romam pervenit, cum iam Sanctus Pontifex Damasus ad superos evolasset. Hinc qui Damaso successor datus est Siricius, rem confecit, atque hisce verbis Himerium est alloquutus: *Quia necesse nos erat in eius labores curasque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honorem.* Magna quidem Ecclesiae Catholicae utilitate, magnoque ecclesiasticae disciplinae profectu, quidquid Himerius Damaso proposuerat, exposuit, declaravit, ac definivit Siricius, ut patet ex illius epistola, quae inter collectas a Petro Coustant occurrit ordine *prima.* Quam quidem epistolam tot nominibus commendatam, usque adeo utilem ac necessariam, notis illustravit Cardinalis *de Aguirre tomo 2, Conciliorum Hispaniae, dissertat. 5 in epistolam Siricii Pontificis, pag. 126 et seqq.* Etsi namque Siricius solum Himerium alloquatur, decernit tamen, ut, quae ad unius consulta rescripsit, ad omnium Coepiscoporum notitiam perveniant, nec eorum omnium dumtaxat, qui in Himerii provincia erant constituti, sed praeterea ad *Carthaginenses, ac Boeticos, Lusitanos, atque Gallicos,* vel, ut in aliis manuscriptis legimus, *Gallaecianos* vel *Gallicanos,* hoc est Gallaeciae Antistites universos. Ex quo factum, ut integerrimum Siricii responsum clericorum mores in variis Orbis Catholici partibus corruptos emendaverit, ac pristinae integritati restituerit.

Siricius coelibatus legem asserit, poenisque indictis confirmat.

LV. Non levem Sancto Siricio conciliat laudem, quod coelibatus legem in clero firmaverit, ac poenis in violatores indictis stabiliverit, ut liquet ex eius epistolis, et praesertim ex ea, quam memoratus Petrus Coustant exhibet ordine *quintam.* Hoc nixus fundamento Sanctus Innocentius I. *in epistola ad Exsuperium Episcopum,* quae in praeallata collectione iacet ordine *sexta,* contra diaconos et presbyteros incontinentes easdem poenas, quas Siricius pridem statuerat, exequendas decernit hisce verbis: *De his et divinarum legum manifesta est disciplina, et beatae recordationis Viri Siricii Episcopi monita evidentia commiserunt, ut incontinentes in officiis talibus positi, omni honore ecclesiastico priventur, nec admittantur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri.* Eodem fultus praesidio Æneas Episcopus Parisiensis nono Ecclesiae saeculo clarus, quem Lupus Ferrariensis Episcopus *in epistola 98* multis affert laudibus, quaestionem de coelibatu contra Graecos pertractans, in libro contra eos scripto *cap. 102* apud d' Acherium *tom. 1 Spicilegii editionis Parisiensis a.* MDCCXXIII., *p. 133,* urget authoritatem epistolae *quintae* Siricii ad Episcopos Africae, quam his verbis extollit: *Sanctus Siricius Papa in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis in concilio residens, et fratribus et coepiscopis per Africam ecclesiastica iura describens, inter caetera, haec de pudicitia intulit etc.*

Apostolicus Siricii zelus in haereticos, praecipue in Iovinianum.

LVI. Praeterea ardens pietatis studium, et eximium catholicae veritatis amorem ostendit Sanctus Siricius in damnandis erroribus Ioviniani, aliorumque eiusdem sectae haereticorum, ut ex verbis epistolae *septimae* in praenarrata Coustantii colle-

ctione compertum est. *Apostoli secuti praeceptum,* ita Siricius loquitur, *quia aliter, quam quod accepimus, annuntiabant, omnium nostrum tam presbyterorum et diaconorum, quam etiam potius cleri, unam scitote fuisse sententiam, ut Iovinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martinianus, Ianuarius et Ingeniosus, qui inventores novae haeresis et blasphemiae inventi sunt, divina sententia et nostro iudicio in perpetuum damnati extra Ecclesiam remanerent.* Apostolicam hanc Siricii Pontificis solicitudinem ac vigilantiam Sanctus Ambrosius una cum aliis Episcopis in Mediolanensi Concilio congregatis, summis effert laudibus, ac pontificiae sanctioni sese ultro conformat. *Recognovimus* (sic ad Siricium Ambrosius aliique Episcopi in epistola *octava* memoratae collectionis) *literis sanctitatis tuae boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi ianuam serves, et pia solicitudine Christi Ovile custodias, dignus, quem oves Domini audiant, et sequantur;* et in fine: *Itaque Iovinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martinianum, Ianuarium et Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos.*

Par Siricii solicitudo contra Manichæos, eorumque assecias.

LVII. Albo, sive Abbo, Floriacensis de Siricio Papa memoriae tradidit, quod exosos habuerit omnes haereticos, maxime Manichaeos. Enimvero cum Priscillianistas, qui cum Manichaeis in multis nefarie conveniebant et sceleste conspirabant, Urbe eiicere armis spiritualibus non potuisset, opem Theodosii imploravit, eiusque praesidio, quod summopere optabat, tandem obtinuit, ut prudenter coniicit Cardinalis Baronius *anno Christi* CCCLXXXIX. *num. 63.* Haud impari solicitudine ad coercendam audaciam Bonosii Episcopi Macedoniae impie asserentis Beatam Virginem post incontaminatam Christi Domini nativitatem alios filios peperisse, Episcoporum Concilium Capuae indixit, ut colligitur ex epistola *nona* inter eas, quas Coustantius coordinavit. Plura adhuc ex aliis Siricii epistolis, praesertim ex *decima,* proferre possemus de singulari tanti Pontificis solicitudine pro restituenda in Galliae partibus ecclesiastica disciplina: verum hanc provinciam iis tractandam relinquimus, qui Siricii vitam ac gesta commentariis illustranda suscipiunt; quibus satis amplam de Siricii laudibus materiem suppeditant Anastasius, sive auctor pontificalis *tomo 3 Romanae Editionis,* et quae ab eruditis viris Schelestrato, Altaserra, Bencinio, Blanchinio, Ciacconio, Somiero, ac Pagio subiiciuntur adnotationes.

Testimonia de Siricii sanctitate post eius obitum.

LVIII. Ex dictis satis constat de fama sanctitatis, quam Siricius vigilantissimus Ecclesiae pastor et catholicae religionis assertor sibi adhuc vivens conciliavit. Nec minor, postquam e vivis excessit, invaluit opinio. S. Innocentius I. *in epistola prima collectionis Coustantii* pari elogio commendat Damasum, Siricium, eiusque successorem Anastasium, ita scribens: *Cui etiam anteriores tanti ac tales viri praedecessores mei Episcopi, idest sanctae memoriae Damasus, Siricius, atque supramemoratus vir* (Anastasius) *ita detulerunt etc.* Porro de Damasi atque Anastasii sanctitate nemo dubitat. S. Leo in epistola ad Anastasium affirmat se illi conferre primatum super Illirici ecclesias, *beatae recordationis Siricii exemplum sequutum.* Eodem in sensu Concilium I. Toletanum, quod paulo post obitum Sancti Siricii habitum est, literas *sanctae memoriae Ambrosii et sanctae memoriae Siricii* multa cum laude commemorat. Ex quibus monumentis rite expensis, Cardinalis Norisius in praecitata dissertatione ,et ante Norisium Florentinius *in exercitatione 16 post diem* XXVI. *novembris, pag. 1006 et seqq.*, solido inferunt ratiocinio, eiusmodi laudum titulos non pontificiae dignitati dumtaxat, sed insuper vitae sanctitati esse tribuendos, cum Siricius summo pontificatus honori multa ac splendida virtutum et religionis ac pastoralis vigilantiae exempla bene sociaverit. Hinc illud Petri de Natalibus pro Siricio elogium: *Et postquam Sedem Apostolicam feliciter gubernasset, dormivit cum patribus suis, et sepultus est ad Sanctum Petrum plenus sanctitate.* Nec desunt in scriptoribus, qui Petri de Natalibus aetatem praecessere, insignia de Siricii sanctitate documenta; siquidem Hordericus Vitalis affirmat, *Siricium circa gregem dominicum valde fuisse solicitum;* et Luitprandus Horderico vetustior, Siricium *sanctae memoriae* Papam appellat.

Quamplura probatae fidei Martyrologia Siricium nominant.

LIX. Ad aliud controversiae caput, quod Martyrologia considerat, in quibus de Sancto Siricio fit mentio, nostra haec oratio progreditur. Qua quidem in re non tam codicum numero, quam eorum authoritati studemus. Hinc Martyrologia, quae minori habentur in pretio, missa facimus; quibus

ea item accensemus, quae Cyriacum Papam, hoc est Siricium, ut nonnulli perperam interpretantur, commemorant; nullus enim Cyriacus nomine, ut cuique notum, inter Summos Pontifices numeratur. Ea igitur, quae maioris momenti sunt Martyrologia innuamus, quae Sancti Siricii nomen praeseferunt. Haec inter sese nobis offert Martyrologium Bedae, Rabani et monasterii Sancti Cyriaci huius almae Urbis, quo toties usus est Cardinalis Baronius in Romani Martyrologii emendatione. Succurrit praeterea Martyrologium Ecclesiae Occidentalis editum a Florentinio *die* XXVI. *septembris;* nec non Antuerpiense et Corbejense, utrumque antiquissimum, de quo ipsemet Florentinius in notis. Alia insuper Martyrologia numerantur ab eodem scriptore *in citata Exercitatione 16,* et a Patribus Bollandianis *die* XXII. *februarii pag. 282,* quorum aliqua nec Cardinalis Baronius, nec qui sequuti sunt Martyrologii Romani Reformatores, nosse poterant, cum eorum aetate in Archiviis et Bibliothecis adhuc delitescerent. Hinc fortasse, ut prudens Florentinius haud temere suspicatur, Siricii nomen a Romano Martyrologio tamdiu abfuit, quod veteribus multa fuerint incognita, quae posterior aetas manifestavit: *Accidere facile potuit, quod nostra aetate inventa plura vetustioris Martyrologii exempla non viderint.*

Multa in Siricium obiiciuntur crimina.

LX. Hanc tamen Florentinii coniecturam non probant, qui multa, eaque non levia, contra Siricium obiiciunt crimina, quae a nobis singillatim enumeranda sunt, ut tertium controversiae caput, iuxta propositam divisionem, expediamus. Primo loco, vitio datur Siricio, quod in apostolicis literis conscribendis S. Hieronymi opera usus non fuerit; qua in re nec praedecessoris Damasi exemplum sequutus est, nec Hieronymi famae satis consuluit. Notum quippe est, Sanctum Hieronymum a Siricio neglectum, inimicorum calumniis ac maledictis usque adeo fuisse obnoxium, ut coactus idcirco fuerit ex illorum conspectu sese proripere, atque ex Urbe discedere. Secundo, haud obscuris indiciis manifestum est, Siricium Pontificem sin minus infenso, saltem minus aequo fuisse animo in Sanctum Paulinum, virum moribus ac vita integerrimum. Tertio, improvidum nimis ac tardum Siricii consilium reprehenditur in reiiciendis Origenistis, eorumque haeresi coercenda, cum in Rufinum et Melaniam, longam nimium patientiam adhibuerit; quam ob causam festinavit ex hac mortali vita educere illum Dominus, atque Anastasium sufficere acerrimum Origenistarum oppugnatorem.

Horum criminum veritatem haud diffidetur Baronius.

LXI. Neque tria haec, quae in Siricium congeruntur crimina, quorum item meminere Florentinius atque Norisius, nosque meminimus *lib. 4, de Canonizatione Sanctorum, part. 2, cap. 5, sub n. 4,* gratis conficta sunt, sed ex validis Ecclesiasticae Historiae monumentis confirmantur. Quod enim ad Hieronymum Romae male habitum attinet, haec habet Baronius ad annum Christi CCCLXXXV.: *Cum autem non, ut Damasus fecerat, Siricius Papa in scribendis eiusmodi literis Hieronymi opera uteretur, neque eum, ut ille, quod par erat, amplecteretur, atque foveret, mox Pontificis Romani destitutus praesidio, idem* Hieronymus *acerbissimos pati coepit persecutores, illos scilicet clericos, quorum mores improbos scriptis editis sugillasset.* De subinfenso Siricii in Paulinum animo, validum ex Epistola 1. eiusdem Paulini ad Sulpitium Severum eruitur argumentum: cum enim de Romanis Clericis ille conqueratur, haec addit: *Quantum nobis gratiae Dominicae detrimentum faciat Urbici Papae superba discretio etc.*, quae verba magnus Annalium parens de Siricio interpretatur, ita scribens *ad an. Christi* CCCXCIV.: *Iam puto, sentis lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat, non alium quidem, quam qui tunc Romanae praeerat Ecclesiae Pontificem, ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuerit. Accidit plane Sanctum Paulinum iuste conqueri de Siricio Papa, atque aliis nonnullis Romanae Ecclesiae Clericis, de quibus etiam conquestum vidimus Sanctum Hieronymum, quod saepe superius diximus. Ut plane accederit hac ex parte male audire Siricium, quod adversus adeo insignes sanctitate et doctrina viros, ubique spectatos; fuerit commotus.* Postremo de nimia contra Origenistas Siricii tarditate eiusque praecoci obitu testem habemus eumdem Baronium *ad ann. Christi,* ubi sic loquitur: *Caeterum quod haud velociter Siricius periclitanti occasione Origenis errorum occurrit Ecclesiae, quamcitius, nempe anni sequentis exordio, ex hac vita sublatus est: erectusque super Cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum haereticorum Anastasius Papa. Saepe quidem, atque pavendis est*

demonstratum exemplis, ut Pontifices illi, qui causam fidei paulo segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subducti; adeo ut manifeste fuerit declaratum, summo iugique studio, speciali diligentia semper invigilasse super Romanam Ecclesiam Divinam Providentiam, ne qua vel levi saltem suspicione haereticae contagionis aspergeretur.

Hieronymi ad Urbem accessus; egregiae illius dotes, multaque cum Damaso familiaritas.

LXII. An haec, quae in Siricium vibrantur tela, aliquod contra eius sanctitatem incorruptumque gubernium inferant vulnus, ex quo correctores eius nomen Martyrologio non inseruerint, in hoc postremo controversiae capite superest inquirendum. Cumque ex historicis monumentis Siricii crimina repetantur, historica veritas paulo accuratius examinanda. Ab iis, quae Hieronymus passus est, curis atque molestiis exordiamur. S. Hieronymus duodeviginti annos natus Romam accessit, ibique grammaticae, rhetoricae ac philosophiae scholas frequentavit. Quinquennio Romae commoratus, inde recessit annum agens tertium supra vigesimum; neque ante Damasi Pontificis aetatem in Urbem regressus est. Cum enim Damasus generale concilium Romae habendum indixisset, ea occasione Hieronymus una cum Paulino Antiocheno et Epiphanio Episcopo Salamināe in Insula Cypro, rursus Romam advenit. Tanti viri fama commotus Pontifex Damasus (erat quippe Hieronymus summo ingenio, excellenti doctrina, sanctisque moribus praeditus, eum designavit, ut et ab epistolis esset), et totius orbis consultationibus, quae ad Sedem Apostolicam mittebantur, responderet. Ex quo Sanctus Doctor intima Damasi familiaritate usus est; et vicissim multo in honore a Damaso est habitus. De munere, quo apud Damasum fungebatur, ita loquitur ipse Hieronymus in epistola ad Ageruchiam: *Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Damasum Romanae Urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem.* Solo tamen triennii spatio concreditum sibi munus obivit, quod nonnisi triennii spatio Damasum habuerit superstitem.

Hieronymus Siricii tempore multis invisus, et quare.

LXIII. Siricio in Damasi locum suffecto, mirum dictu est quot motus, quantaeque in Hieronymum excitatae sint turbae; in quem idcirco tota pene civitas commota videbatur; quod ille sub Pontifice Damaso multorum, quorum vitia voce ac scripto exagitaverat, odium atque offensionem incurrisset. *Nos vitiis detraentes,* sunt verba Hieronymi, *offendimus plurimos;* et in praefatione ad librum Dydimi fatetur se *cum esset in Babylone* (hoc nomine Romam sibi infensam appellat), expositum fuisse odio maledicae civitatis *et purpuratae meretricis.* Mox in adversarios insurgens, subdit post pauca: *Ecce pharisaeorum conclamavit Senatus, et nullus Scriba, vel fictus* (vel, ut alii legunt, *velificatus*), *sed omnis quasi indicto sibi praelio doctrinarum, adversus me imperitiae factio coniuravit.*

Graviores Hieronymi contra aemulos querelae excusantur.

LXIV. Liberiorem hunc loquendi morem Rufinus exprobat Hieronymo, ac miratur: *Quomodo de Urbe Roma, Deo favente, capite christianorum, ea dicat, quae dicebantur tunc, cum Gentiles in ea populi et persecutores principes morabantur.* Aequior tamen Baronius rigidiora illa Sancti Doctoris verba ex iusto dolore potius, quam ex furore odiove prolata, explicat, simulque excusat *ad an. Christi* CCCLXXXV., ita scribens: *At hic lector attende, haec a Sancto Hieronymo scripta de inscitia Romanae Ecclesiae Ministrorum non sic quidem accipienda esse, prout hyperbolicus sonat sermo, omnes Romanae Ecclesiae clericos fuisse doctrina expertes, cum dicit, quod nullus ibi scriba vel fictus, nempe doctor, sed pharisaei omnes, nempe scelesti, cautela vero et hypocrisi scelera contegentes. Concedendum aliquid Hieronymo iustissima causa indignanti, qui oculos in eos tantum conversos habens, quibus contumeliis et calumniis impeteretur, omnes illos pravos dixerit et imperitos. Certe quidem, qui tempora haec exacte considerat, intelliget plane hoc tempore coaluisse in Ecclesia Romana clericos doctrina atque scientia claros.* Si quid ergo vehementiori stylo Hieronymus aliquando protulerit, venia dignum, non enim in probos atque innoxios, sed in eos, quorum vitia damnaverat, sermonem convertit. Enimvero suis epistolis monachos insectatus fuerat, qui suae professionis obliti, vitio gulae se dederant, divitum domos frequentabant, efferebantur superbia, superstitione tenebantur. Virgines quoque, quae nimia familiaritate cum viris versabantur, acrius reprehenderat. Hinc odia, obtrectationes ac maledicta pravorum hominum, qui insaniebant in medicum, a quo sanabantur.

Roma abit, atque in Orientem secedit.

LXV. Quamdiu vero vixit Damasus, igneus ille inimicorum furor veluti doloso cinere tectus delituit. Tunc vero exarsit, incendiumque excitavit, cum, Damaso sublato, Siricius in Petri Cathedram evectus est. Innumerae criminationes, calumniae, ac irrisiones in Hieronymum congestae, de quibus sic ille conqueritur: *Alius incessum meum calumniabatur et risum; ille veluti detrahebat; hic simplicitate aliud suspicabatur.* Quocirca cum eo res pervenisset, ut iam vix sibi posset Hieronymus temperare, tandem Roma abiit; atque in agrum se recepit, ubi suas ad Marcellam dedit literas. Sed remotiorem secessum anhelans, oblata sibi opportunitate in Orientem abeundi, eo pergere statuit; iamque navigium conscensurus, ad Asellam scripsit, suamque cum Paula et Melania familiaritatem, quam maledici criminabantur, egregie vindicavit. Meminit quoque iniuriarum, quas acceperat; fatetur tamen se aequo animo eas ferre, proposito sibi exemplo Christi Domini, qui a iudaeis seductor et doemoniacus est habitus; tandemque concludit: *Scio per bonam et malam famam perveniri ad regna coelorum.*

Nullae Siricii partes quoad Hieronymum male habitum, et Roma abeuntem.

LXVI. Cum igitur privato consilio, quod tamen pravorum hominum molestiae excitarunt, suum ab Urbe discessum Hieronymus decreverit, non est cur ullam discessus causam in Siricium refundamus, ut scite ratiocinatur vir eruditus Dominicus Vallarsius in vita S. Hieronymi *tom. 2 operum Sancti Doctoris editionis Veronensis anno* MDCCXLII., *cap. 16. Neque ab eo,* loquitur de Siricio, *est illa conflictationum Sancti Patris cum aemulis malisque hominibus causa repetenda; sed ipse utique, quid causae fuerit, Hieronymus novit, et fassus est epistola 40. Nos, inquiens, vitiis detrahentes, offendimus plurimos.* Sed nec illud Siricio opponi potest, quod Hieronymum in eum dignitatis gradum, quem Damasus illi contulerat, non restituerit, ideoque tot bella et contentiones in Hieronymum exarserint, quae alioquin sub Siricii tutela Sanctus Doctor effugisset. Non enim coeco modo de rebus a nostra aetate adeo dissitis iudicium ferendum est; neque coniecturis agendum, ubi in summa rerum caligine versamur. Quid? quod si illorum temporum ac rerum conditionem spectemus, fortasse intelligi poterit, non sine causa Hieronymum a Siricii familiaritate fuisse seiunctum; ne alioquin, quae in Hieronymum fervebant odia, in Siricium converterentur.

Haud culpandus Siricius, quod Hieronymi discessum non retardaverit.

LXVII. Abiit Roma Hieronymus non iam Siricio aut mandante aut impellente, sed proprio actus consilio, atque illud Evangelii monitum sequutus: *Si vos persecuti fuerint in civitate ista, fugite in aliam.* Poterat sane Siricius prohibere ne Hieronymus ab Urbe recederet: nulla tamen, quae Siricium obstringeret, urgebat lex. Neque Hieronymi opera, etsi Damasi tempore commendatissima, usque adeo necessaria erat sub Siricio, ut, dempto Hieronymo, et apostolico muneri ferendo et totius Orbis Catholici consultationibus expediendis impar esset Siricius, Sancti Doctoris praesidio destitutus. Constat enim e Pontificis Siricii literis ac responsionibus, nihil in iis occurrere, quod multum Pontificis pro catholica religione atque ecclesiastica disciplina studium summopere non commendet: adeo eximiae illae sunt, adeo solidae, ac pastoralis solicitudinis, vigilantiae, ac maiestatis zelo ubique refertae: hinc summo ab omnibus habentur in pretio, esto, inscio Hieronymo, fuerint conscriptae. Petrus Coustant in praefatione, quam Siricii literis anteponit, fatetur, *eum amore potius, quam auctoritate populum rexisse.* Ne autem quis, Hieronymi sententiam sequutus, Siricium aut inexpertum, aut minus providum arbitretur, haec subdit: *Quae autem ad nos pervenerunt ipsius Scripta, summum fidei catholicae et canonicae disciplinae servandae studium spirant.*

Hieronymus Urbe relicta, sacrarum scripturarum studiis vacat impensius.

LXVIII. Si arcana Divinae Providentiae consilia scrutari liceret, duce Gennadio Massiliensi, vel alio, quisquis ille fuerit, scriptore vitae S. Hieronymi, quam in citato tom. 11 Vallarsius edidit, haud dubitaremus asserere, Deum, qui satius duxit de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere, maximum ex conspiratione in Hieronymum Romae facta, eiusque ab Urbe recessu elicuisse bonum; ut nimirum Sanctus Doctor a publicis negotiis et Urbis strepitu remotissimus, sacrarum Scripturarum studio totus vacaret, suasque vigilias ac curas omnes, nullo prohibente, in praeclarum illud opus utilissimum aeque ac commendatissimum conferret. *Verum enimvero,* ita loquitur scriptor vitae *apud Vallarsium, pag. 243, hunc ego felicem dixerim, huius fugae eventum corrigentis Christi iudicio dispensatum, quem pravorum hominum persecutionibus partum*

fore existimo: scilicet, ut Romana Ecclesia Petri instituta regimine, omniumque veteris testamenti librorum edocta veritate, Christo Deo volente, et Hieronymo speciali studio desudante, haebraicam quoque habeat veritatem; et Graecorum quorumdam levitas, quae sibi Romanos a se omnes Scripturas divinitus inspiratas accepisse plaudebat, eos habere, quod non habet, recognoscat.

Nullae simultates Siricium inter ac Hieronymum intercesserunt.

LXIX. Quae hactenus pro Siricio loquuti sumus, ea profecto sunt, ut Sanctum Pontificem ab iis omnibus, quae contra Divum Hieronymum illatae fuerunt, iniuriis ac contumeliis prorsus eximant. Ne tamen in re tanti momenti quidquam intactum praetereamus, ad ea, quae inter Siricium ac Hieronymum contigisse dicuntur, oculos convertamus. Sunt enim, qui privatas quasdam simultates obtrudant, quae sicut christianae caritatis legibus adversantur, in Siricii virtutibus et sanctitati obesse videntur. Nihil vero quaecumque in hanc rem proferri possunt argumenta, nos commovent; aut enim falsa omnino sunt, aut si veritati consonent, Siricium non laedunt, ut modo demonstrabimus.

Hieronymi sententiam de bigamis Siricius non attigit.

LXX. Sanctus Hieronymus in ea fuit sententia, ut nullam irregularitatis notam contrahat, qui duas ante baptismum, aut etiam unam ante, alteram post baptismum, uxores ducat, modo priori defunctae succedat coniux altera, ut multis in epistola ad Oceanum probat argumentis. Hinc colligit Sanctus Doctor validam simul ac licitam fuisse ordinationem Charterii Episcopi in Hispania, qui nondum sacro tinctus lavacro matrimonium semel contraxerat; moxque, uxore viduatus, aliam sibi sociaverat post baptismum. Rentur aliqui hanc Hieronymi sententiam a Siricio sub ipsius pontificatus initiis fuisse improbatam; ideoque Hieronymum illius assertorem, ex insigni aestimationis ac famae gradu, in quem conscenderat, excidisse. Huic opinioni adhaeret memoratus Vallarsius *in vita S. Hieronymi, cap. 16:* sed negat, Siricium, qui sententiam illam reiicit, Hieronymi nomini ac famae ullo pacto nocuisse: *Nemo hinc tamen sibi in animum inducat, eum quidquam in Sanctum Doctorem commisisse, unde is in aliorum criminationes atque odia incideret.* Sua Vallarsio sit sententia: nobis enim alia, quae Siricii causam magis iuvat, arridet responsio. Enimvero Sanctus Siricius, cum in epistola prima ad Himerium Episcopum Tarraconensem, tum in alia ad Episcopos Africae, hoc unum statuit, bigamum scilicet habendum esse, qui aut duas uxores duxerit, aut unam, quae virginitatem amisit, sibi sociaverit. Caeterum eam facti speciem ac circumstantias de gemino ante baptismum inito matrimonio, aut de coniugio semel ante baptismum, iterum post baptismum contracto, de quibus Hieronymus loquitur, Siricius non attigit, ut ex *capite 10 et 11 epistolae ad Himerium, et ex num. 4 et 5 epistolae ad Episcopos Africae* patet legenti. Ex quo sequitur, ut nec sententiam Hieronymi Siricius directe improbaverit, nec indirecte Sancti Doctoris nomini ac dignitati quidquam detraxerit.

Eam tamen reiicit Innocentius.

LXXI. Hieronymanam de Bigamis opinionem impugnavit S. Innocentius I. *in epistola secunda ad Victricium Episcopum Rothomagensem, cap. 6:* ubi non de bigamis generatim, quo in sensu Siricium loquutum novimus, sed de ipsa bigamia ante baptismum contracta, quam plane circumstantiam Hieronymus exprimit, aperte loquitur hisce verbis: *Ac ne ab aliquibus existimemur, ante Baptismum si forte quis accepit uxorem, et, ea de saeculo recedente, alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula, qui in baptismo hoc putat dimitti. Remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur:* et post nonnulla: *Quod si non putatur uxor esse computanda quae ante baptismum ducta est; ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habebuntur.* Immerito igitur Siricio tribuitur, quod Innocentio I. adscribendum. Nec dissentit Baronius, qui ad ann. *Christi* CDV. putat memoratam de bigamis sententiam, quam S. Hieronymus Romae tenuit, ab eodem Sancto Doctore maiori contentione ac nisu fuisse propugnatam in literis, quas ad Oceanum misit, ut Charterii Episcopi Ordinationem vindicaret; ideoque ab Innocentio potius, quam a Siricio, eam fuisse improbatam. Petrus autem Coustant *in notis ad eamdem Innocentii epistolam, pag. 751,* prudenter observat, Sanctum Innocentium Siricii verba usurpasse, ut decerneret quidnam statui oporteret de marito, qui duas uxores ante baptismum acceperat; qua de re Siricius non loquitur, ut supra animadvertimus. *In hoc atque superiori decreto,* ita Coustantius, *Innocentius ita Siricii verba exscribit, ut in utroque de uxoribus ante baptismum ductis, de quibus Siricius nihil di-*

xerat, quid sentiendum sit, sibi necessario definiendum duxerit. Utra eligatur sententia, Baronii an Coustantii, Sancti Siricii causa egregie vindicatur.

Siricius Hieronymi sententiam sequutus, Iovinianum damnat.

LXXII. Cum multa eloquentiae vi ac fervido in Dei gloriam et animarum salutem studio polleret Hieronymus, Iovianum, seu Iovinianum, novum Christianorum Epicurum vehementer insectatus est. Qua in re tot tantisque laudibus virginitatem extulit, ut in quorumdam suspicionem venerit, Sanctum Doctorem in extrema prolapsum, legitimas nuptias damnasse. Etsi vero a mente et consilio Hieronymi alienissimum id esset, nihilominus inanis rumor in Urbe invaluit, multosque in pravam hanc de Hieronymi doctrina suspicionem adduxit. Hinc Pammachius, qui D. Hieronymo intima familiaritate coniunctus erat, opuscula omnia undequaque colligere, atque ex aliorum conspectu subducere, studuit. Postquam vero Sanctus Doctor eximiam contra Iovinianum edidit Apologiam, in qua tenebras omnes, quas iniquus ille virginitatis impugnator obtenderat, ne catholicae veritatis lucem innotesceret, eloquentiae ac doctrinae fulgore disiecit, Iovinianus a Siricio damnatus est. Porro vel ex hac una Siricii sententia satis patet quanto catholicae veritatis servandae studio Sanctus Pontifex haereticos oppugnaverit, et quo animo fuerit erga Hieronymum catholicae veritatis propugnatorem. *Affulsit tamen veritas, nec tantum se luculenter purgavit Hieronymus, sed ipsius Pammachii opera a Siricio damnatus est Iovinianus, quod idem est ac dicere, Siricium in sententiam Hieronymi ivisse.* Ita loquitur Florentinius *in citata exercitatione, p. 1004.*

Hieronymi censura Siricii sanctitati non officit.

LXXIII. Nondum tamen hac in re nodos omnes dissolvimus; hinc ad seriem historicam regrediamur oportet. Quo tempore gravior illa de Hieronymi doctrina contra Iovinianum fervebat in Urbe disceptatio, Sanctus Doctor suam ad Pammachium scripsit epistolam, quae *in tom. 1. editionis Veronensis est 49,* in qua postquam meritas reddidit amico grates, quod exemplaria Romae suspecta prudens subtraxerit *(De opusculis meis contra Iovinianum, quod et prudenter et amanter fecerit exemplaria subtrahendo, optime novi),* subdit post pauca: *Audio totius in te Urbis studia concitata: audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. Minus est tenere sacerdotium, quam mereri.* Hisce verbis expendendis intentus Florentinius *in relata Exercitatione, pag. 1003,* sic fatur: *Verum ea occasione Siricium commotum in Pammachium, nedum in Hieronymum, ex omnibus fere clamoribus ita idem Hieronymus affirmat: Audio totius in te Urbis studia concitata; audio Pontificis et populi voluntatem pari mente congruere. An vero amarulentum illud, quod sequitur, in Siricium iactatum sit, haereo: « Minus est tenere sacerdotium, quam mereri ».* Haeret ergo Florentinius, nec audet haec verba ad Siricium transferre. Quod si quis praefidentior ea de Siricio intelligenda esse obfirmato animo contendat, tandem id dabimus; ita tamen, ut nullo pacto Siricium ex Hieronymi testimonio pontificatûs honore indignum fuisse concedamus. Quidquid enim hac in re Sanctus Doctor ex aliena potius, quam ex propria sententia protulerit, ut infra explicabimus, profecto privata unius vel alterius authoritas publico totius Romani Cleri populique iudicio non est anteponenda. Cumque splendidum atque inconcussum ex Valentiniani Imperatoris epistola petatur argumentum de provida Siricii electione, eiusque innocentia ac probitate, sileat oportet quicumque obtrectator, huiusce Elogii, quod pro Siricio Valentinianus attexuit, auctoritate convictus: *Magnum innocentiae et probitatis exemplum est, in una acclamatione et ipsum* (Siricium) *eligi, et caeteros improbari.*

Hieronymi in Siricium duriora verba excusantur.

LXXIV. Sed neque lividam obtrectationis maculam Hieronymo inurendam censemus; quidquid enim hac in parte illi excidit, quod Siricii sanctitati iniurium videatur, inani potius illius credulitati, quam infenso in optimum Pontificem animo, tribuendum. Potius sane Sancto Doctori contigisse, quod iis passim usuvenit, qui remotissimas regiones inhabitant, ut nimirum, ex falso quopiam rumore Ierosolymam perlato in errorem inductus, minus aequam de Siricii virtutibus, regimine ac probitate comperit opinionem. Quod animo imbiberat, privatis ad amicum Pammachium literis aperuit; atque ob eam, quae inter amicos obtinet familiaritatem, fortasse minus cautus de iis facile locutus est, quae ex incerto atque inani rumore in vulgus disseminabantur. Accedit quod literas ad Pammachium Hieronymus dederit, quo tempore disceptatio contra Iovinianum adhuc fervebat, et Siricius populari urbis opinione deceptus, adversariis Hieronymi liberius fortasse, quam oportebat, favere videbatur.

Hinc nova Hieronymum incessit suspicio, novus timor, qui tandem in voces, quae Siricii integritati adversari videntur, erupit. Quo ferme pacto inter collitigantes occurrunt aliqui, qui cum bonam foveant causam, si iudicem in adversam partem propendere suspicantur, in iudicem ipsum insurgunt, obloquuntur, eius laudibus obtrectant; munere, quo fungitur, indignum affirmant; donec iudicium, de quo sibi metuunt, definiatur. Ubi vero iuri consonam iudex sententiam tulit, versis vicibus, sermonem corrigunt, suspicionem execrantur, palinodiam recinunt, summamque praetoris scientiam atque integritatem commendant. Haec eadem facile Hieronymo possunt accommodari. Cum enim, pendulo adhuc iudidio, anceps haeret ac dubius, de Siricio conqueritur; at contra, re integra, et quavis suspicione remota, Siricium veneratur ac multa cum laude commemorat, ut infra patebit.

Reiiciuntur, qui Hieronymum ex invidia loquutum putant.

LXXV. Hasce coniecturas amplectimur, quae et Siricii sanctitati et Hieronymi famae ac dignitati bene consulunt. Eos namque aversamur, qui de celeberrimi Ecclesiae Doctoris honore tuendo nihil plane soliciti, ut Siricium vindicent, damnant Hieronymum, in quem idcirco nedum maledicentiae, sed et invidiae ac ambitus crimina congerunt. Ferunt enim illud secunda populi acclamatione in Damasi successorem propositum, sed mox in electione Siricio posthabitum, verba illa in aemulum immerito sibi praepositum protulisse: *Minus est tenere sacerdotium, quam mereri.* Praeposteram hanc verborum Divi Hieronymi interpretationem refert Florentinius, quamvis eam omnino non approbet. At nobis nullo modo ferenda videtur; non enim citra summam iniuriam illud de Hieronymo aut sentire aut suspicari possumus, tantum virum usque adeo ambitus crimine abreptum fuisse, ut et futurum pontificatum concupiverit, et deperditum ingemuerit.

Literas communicatorias Rufino traditas Hieronym. improbat, excusat Baronius.

LXXVI. Rufinus Roma discessurus, ut in patriam reverteretur, literas communicatorias a Siricio petiit, et impetravit. Cardinalis Baronius rem hanc expendens ad ann. Christi CCCXCVII., Siricium reprehendere non audet, cum nulla Sancto Pontifici causa suppeteret, cur petitas literas Rufino denegaret: *Sed quod ad Rufinum spectat, etsi profecturus Aquilejam solum patrium, petierit et acceperit ab ipso Siricio Romano Pontifice communicatorias literas, catholicis tantum, ut saepius diximus, impertiri solitas, minime cessit culpae Siricio. Nam cum ipsa haeretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine curaret authoris; nec a quo praefatio illa esset scripta, liqueret; nihil est, quod Rufinum nondum detectum, imo catholicum se clamantem, et ab omni haeresi se alienum extrinsecus profitentem, a communione extorrem facere deberet: nec Romanae Sedis moris est, non convictum quempiam condemnare.* Haec Baronius. Erant igitur communicatoriae literae, catholicae communionis indicium atque argumentum; quo sane argumento Optatus usus est, ut ostenderet Ecclesias Africae, quae Coeciliani ordinationem tuebantur, omnimodam cum Ecclesia Catholica servare communionem. *Sedit prior Petrus,* loquitur de Cathedra Romana, et enumeratis Petri successoribus usque ad Siricium, ita prosequitur: *Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum* (communicatorias intelligit) *in una societatis communione concordat.* Hasce literas vaferrimus Rufinus magnopere ostentavit venditavitque, praesertim post mortem Siricii, ratus sibi profuturas tempore Anastasii Pontificis, qui Siricio successit, ut iudicium contra se institutum aut effugeret aut infirmaret. Quocirca Divus Hieronymus, cui prava Rufini indoles perspecta erat, catholicae religionis studio actus, *in epistola 127 ad Principiam, tom. 1 eius operum editionis Veronensis, pag. 951,* postquam Marcellam, quae errori strenue restiterat, egregie commendavit, Siricium simplicitatis quodammodo insimulat, quod ex propriae indolis ac probitatis mensura alienos mores metiretur, ac de iis iudicium ferret. *Tunc Sancta Marcella, quae diu se cohibuerat, ne per aemulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit fidem apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque et nonnullos monachorum, maximeque saeculi homines in assensum sui traheret; ac simplicitati illuderet Episcopi, qui de sui ingenio caeteros aestimabat; publice restitit, malens Deo placere, quam hominibus.*

Quae in Siricium obiicitur simplicitas, culpa vacat.

LXXVII. Observat Cardinalis Baronius ad annum Christi CCCXCVII., Siricium a Hieronymo non doli aut gravioris criminis, sed simplicitatis dumtaxat insimulari: *Sugillat Sanctus Hieronymus Siricii Papae simplicitatem, non dolum.* At Petrus Cou-

stant in toties memorati operis *pag. 706* animadvertit, Rufinum tunc cum literas communicatorias obtinuit, virum fuisse acris ingenii, multae scientiae, ac integrae famae praerogativa commendatum; nondum enim, quod in imo pectore servabat, virus evomuerat: *Eo autem facilius Rufinus sibi ac sociis literas a Siricio impetravit humanitatis ac benevolentiae plenas, quod ille virtutis ac scientiae fama clarus necdum male audiisset.* Qua de re opportunior infra, ubi Origenistarum causam tractabimus, redibit sermo. Quod vero ad Siricii simplicitatem attinet, idem Coustantius quamcumque criminis invidiam amoliri studet, atque ita prosequitur: *In sinistram suspicionem non facile abit christiana simplicitas, nec male de quoquam iudicare amat, praesertim de illo de quo nihil sementi offert, unde non recte de illo sentiat.* Culpanda igitur simplicitas, quae a fatuitate nimiave credulitate proficiscitur; excusanda vero, quae ortum ducit a christiana caritate, cui illud peculiare est, ut de alieno malo, quod ignorat, non cogitet. Atque huc quidem revocari possunt verba Hieronymi, qui de Siricio iam vita functo sermonem habens, cum Rufino easdem, quas a Siricio acceperat, literas exprobraret, quod iis contra iudicium ab Anastasio instructum abuteretur, uno eodemque sermonis contextu Rufinum obiurgat et Siricium commendat: *Siricii iam in Domino morientis profers epistolam,* ita Sanctus Doctor Rufinum alloquitur, *et viventis Anastasii verba contemnis?* quibus verbis Siricium Pontificem, beatorum, qui in Domino moriuntur, numero accenset. Hanc ipsam verborum Hieronymi interpretationem probat ac sequitur Pagius *in vita Siricii num. 77. Quae verba,* inquit, *ostendunt Hieronynum credidisse Siricium somno Sanctorum in Domino obdormisse.*

S. Paulinus Anastasio Pontifici acceptissimus.

LXXVIII. Quoniam de Hieronymo satis hucusque egimus, proposita controversiae methodus exigit, ut iam de Sancto Paulino sermonem instituamus. Quia vero et hic nova criminum materies contra Siricium exurgit, rem paulo altius repetere iuvabit. Quanta animi benevolentia Pontifex Anastasius Siricii successor prosequutus fuerit S. Paulinum tunc adhuc presbyterum, mox celeberrimum Nolae Episcopum, ex eiusdem Paulini *Epistola 20 ad Delphinum* data satis compertum est. *Sciat veneratio tua,* inquit Paulinus, *Sanctum fratrem tuum Papam Urbis Anastasium amantissimum esse humilitatis nostrae. Nam ubi primum potestatem caritatis suae nobis offerendae habere coepit, non solum suscipere eam a nobis, sed inserere nobis piissima affectione properavit.* Cuius quidem singularis benevolentiae haud obscurum argumentum inde eruitur, quod Anastasius ad diem suum natalem celebrandum, ad quem soli Episcopi convenire consueverant, nonnisi Paulinum presbyterum invitaverit; nec minori amoris significatione excusationem exceperit, quam, cur non veniret, Paulinus attulerat. *Postea quoque,* sic ille prosequitur in laudata epistola, *interposito tempore, etiam ad natalem suum, quod consacerdotibus suis tantum deferre solet, invitare dignatus est. Nec offensus est excusatione nostra, sed officium sermonis nostri, quod in vicem praesentiae reddideramus, acceptans, animo nos paterno et absentes recepit.*

Longe dissimilis Paulini fortuna sub Siricio.

LXXIX. Longe tamen dissimilem fortunam Paulinus expertus est sub Pontifice Siricio, qui Paulinum Romae versari aegre ferebat; qua de re graviter conquestus est ipsemet Paulinus *in Epistola 5 ad Sulpicium Severum,* in qua postquam motus ac turbas omnes ab invidis clericis contra se concitatas commemoravit, haec subiicit: *Sed plenius indicare potuerunt conservi nostri pueri tui quantum nobis gratiae dominicae detrimentum faciat Urbici Papae superba discretio.* Urbici Papae nomine Siricium intelligi affirmat Baronius, cuius verba iam a nobis supra relata iuvabit repetere: *Iam puto,* inquit ad ann. Christi CCCXCIV., *sentis, lector, quem Paulinus per Urbicum Papam intelligat: non alium quidem, quam qui tunc Romanae praeerat Ecclesiae, Pontificem ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuit.* Mox causam inquirens, cur Siricius alieno fuerit animo erga Paulinum, hanc producit, quod nimirum Paulinus, adhuc laicus, a Lampio Barchionensi Episcopo ad ordines fuerit promotus, legitimis temporum interstitiis nequaquam servatis. Id vero cum displicuisset Siricio, qui ecclesiasticae disciplinae vindex erat acerrimus, ideo iis benevoli animi significationibus, quae tanti viri meritis ac virtutibus congruebant, Paulinum excipere noluit; quod tamen in Siricio Baronius non probat, cum Paulinus invitus ac nolens ad sacra altaris ministeria obeunda fuerit initiatus. Neque vero deerant illustrium virorum exempla, veluti Ambrosii ac aliorum,

qui vel ex ipso laicorum statu, vel etiam e Catechumenorum ordine, nedum ad sacerdotii, sed etiam ad sublimiorem episcopatus gradum ascenderant, verius evolaverant.

Nulla invidia, livor nullus Siricium impulit, ut Paulinum aversaretur.

LXXX. Meminit idem Baronius, quo plausu Paulinus Romam adveniens exceptus fuerit. Magna enim ac potior Urbis pars, civium scilicet, praesulum, ac eorum, qui publicis fungebantur muneribus, praeter advenas, una commixtos plebeiosque homines, certatim et velut agmine facto ad eum invisendum confluebat. Ecquid plausu ac admiratione digna res erat, Paulinum virum consularem humili sacerdotum veste indutum aspicere. Cavendum vero ne ullam ex tanta Urbis gratulatione criminationis materiem in Siricium refundamus. Tillemontius *tom. 14 Commentarior. pro Historia Ecclesiastica sex priorum saeculorum, in vita S. Paulini, art. 14,* de hominum frequentia, qui ad Paulini domum convolabant, sermonem habens, putat Siricium ideo subinfenso ac alieno in Paulinum fuisse animo, quod communis favor ac plausus egregias tanti viri virtutes celebraret. Hinc livorem ac invidiam, quae in Paulinum exarsit, exortam affirmat. Tillemontio assentiuntur alii non aequi sane Censores, nempe Baillet *in vita Sancti Paulini, die* XXII. *iunii, num. 7,* et Dupinus *saeculo quinto novae bibliothecae, tom. 3, part. 1, pag. 480.* Has tamen in Sanctum Pontificem impactas calumnias facile erit contundere, si quae Pater Franciscus Sacchini *in vita S. Paulini apud Bollandianos, die* XXII. *iunii, cap. 4, num. 30,* in hanc rem scripsit, huc revocentur. Ait enim, Siricium satis aperte loquutum, se nempe Paulini ordinationem praeproperam nimis, atque praecipitem, probare non posse; ideoque consueta benevolentiae ac humanitatis officia in eum exercere noluisse. Hanc unam ille producit causam, quae Siricium a Paulino paulisper alienavit: *Sivit Siricius emanare sermonem, eius* (hoc est Paulini) *se consuetudinem nolle, scilicet ne repentinam hominis consecrationem probare, et latas ab se ipsemet enervare leges videretur. Nihil ultra gestum satis ostendunt illa Paulini ad Severum verba: Qui nos odisse, et a consortio Sanctitatis suae segregare dicuntur.* Id ipsum affirmat Ceillier *tomo 10, Histor. Generalis Sacrorum Authorum, cap. 17, num. 8,* cui consonat Florentinius in citata *Exercitatione, pag. 1005,* et Pagius *in vita Siricii, n. 15.*

Aliae, quae Siricium vindicant rationes adduntur.

LXXXI. Alias rationes iidem Florentinius ac Pagius attexunt, ut quamcumque simultatis suspicionem, quae in Siricium intorqueri posset, excludant. Aiunt igitur, Sanctum Paulinum contra dissolutos Romani Cleri mores liberius declamantem, multorum odia ac obtrectationes (quod et Hieronymo, ut supra adnotavimus, contigit) in se concitasse. Hinc alienis clamoribus commotum ac veluti fatigatum Siricium, a Paulini familiaritate recessisse: addunt praeterea Paulinum optimis quidem atque integerrimis moribus praeditum, in aliis tamen diiudicandis minus solerti fuisse ingenio; ideoque de Siricio Pontifice, quem nondum satis perspexerat, fuisse conquestum. Audiendus Florentinius: *Sed vere etiam fatendum est, Paulinum ex humana ratione optimum non fuisse hominum et eorumdem morum aestimatorem, dum Siricium superbae discretionis insimulat, quem Hieronymus nimiae simplicitatis et innatae bonitatis quodammodo coarguit: et quamvis sanctitate morum Paulinus polleret, minus acris iudicii reputari potest.* Id ut confirment memorati Florentinius et Pagius, rationes addunt nonnullas, quas hic repetere supervacaneum putamus.

Quae causa Siricium a Paulino abalienaverit.

LXXXII. Quaenam vero hac in re nostra sit sententia, hisce quas subiicimus animadversionibus aperimus. Prima est, Sanctum Paulinum, statutis temporum interstitiis non servatis, ad sacerdotium fuisse promotum, contra legem a Siricio statutam in epistola ad Himerium Episcopum Terraconensem, *cap. 9,* quam ante Paulini Ordinationem Siricius conscripserat, stata temporum intervalla difiniens, quae a laicali statu ad presbyteratum debent intercurrere, ut in sacris praecedentium ordinum ministeriis rite exerceatur quisquis ad sacerdotium cupit accedere. Quamobrem eiusdem Siricii decreto accurate secernuntur, qui ab infantia Ecclesiae ministerio mancipantur, ab iis, qui aetate grandaevi clericali militiae adscribuntur; quibus idcirco lex indicitur, ut per ecclesiasticos gradus paulatim ascendentes, tandem statuto tempore ad sacerdotium perveniant. Cum ergo certa atque explorata sit causa, quae Siricii animum a Paulino abalienavit, haud licet aliam, aut incertam, aut minus solidam causam obtrudere. Porro ea, quae a Paulini ordinatione petitur ratio, caeteris aequior est, magisque consentanea. Si enim Siricius ad eam benevolentiae significationem, qua Paulini probata virtus digna erat, descen-

disset, multorum animis haec insedisset opinio, Siricium ecclesiasticarum legum, quas pridem promulgaverat, quasque in Paulini ordinatione violatas noverat, contemptum negligere, aut tacitum dissimulare.

Siricius in Paulinum aliquando benevolus.

LXXXIII. Sed et illud animadversione dignum est, Siricii severitatem erga Paulinum haudquaquam diuturniorem fuisse, neque ad obitum usque fuisse productam. Satis enim Siricio fuit semel atque iterum durius excepisse Paulinum; mox enim composito ad benevolentiam vultu, quam prius occultaverat, paterni animi benignitatem tandem manifestavit, eaque Paulinum complexus est. Tillemontius, in loco citato, *art. 20,* post evolutas Paulini epistolas, affirmare non dubitat, egregium hunc virum quotannis ad celebrandum natalem diem beatorum Apostolorum Petri et Pauli Romam accedere, ibique decem circiter dierum spatio commorari consuevisse. Quid vero interim Paulinus Romae ageret, sic ille aperit: antemeridiano tempore ecclesias adire, et sacra peragere solemne illi erat; pomeridianis vero horis, in iis, qui salutatum venerant, excipiendis, erant autem quamplurimi, qui turmatim ad Paulini aedes accedebant, totus occupabatur; nec ullum vel exiguum illi supererat temporis spatium, quo vel epistolam scriberet, vel pagellam percurreret, ut tot tantisque implicitum curis animum recrearet; nox una quietem, breviorem tamen, Paulino conciliabat. Quo primum tempore mos ille inceperit Romam accedendi ipso Apostolorum Petri et Pauli natali die, idem Tillemontius inquirit, probatque huiusce sacri ritus initia ab ipso Siricii pontificatu esse repetenda. Hinc infert, Siricium postremis vitae annis aequiori ergo Paulinum fuisse animo, ideoque eum Romam accedentem, ac Romae commorantem, multa dilectionis ac benevolentiae significatione excepisse. Secus, nec Romam accedere, nec ullam ibi moram trahere decrevisset Paulinus, si infensum Siricii animum fuisset expertus. Ubi Paulinus suboffensum Siricium cognovit, ab Urbe recessit. Si ergo in Urbem sub eodem Siricio regressus est, iam pacatum sibique benevolum probe noverat.

Quae inter Siricium et Paulinum intercessit discrepantia, eorum sanctitatem non laedit.

LXXXIV. Tertio loco dissimulare non possumus, duriora illa, quae supra retulimus verba, a Paulino in Siricium, non etiam a Siricio in Paulinum fuisse prolata; ideoque si liceret de alterutro iudicium ferre, Paulinus, non Siricius, de acri illa ac inofficiosa expostulatione esset culpandus. Verum hac etiam animadversione posthabita, si rem ad rigidioris iudicii lances exigamus, hoc unum colligimus, aliquam scilicet inter Siricium ac Paulinum intercessisse discrepantiam, et animorum offensionem, quae neutrius sanctitatem evertit. Ut id Pagius confirmet, notissimum *in vita Siricii* affert exemplum contentionum, quae Sanctum Willelmum Episcopum Eboracensem et Sanctum Abbatem Bernardum ad invicem commiserunt; qua de re fusiori sermone nos item egimus *lib. 2 de Canonizatione Sanctorum, cap. 41, num. 13,* qui insuper *sub num. 8* aliud exemplum produximus de privatis contentionibus inter Sanctum Leonem Magnum et Hilarium Episcopum Arelatensem, ut silentio praetereamus alia gravioris momenti dissidia, quae *in sequenti cap. 42 eiusdem operis* indicavimus. Nihil tamen illustrium virorum virtuti ac probitati quidquam inde decedit: aliud namque est simultates intercedere, aliud controversias excitari. Illud caritatem infringit, ac in odium erumpit; hoc in sola animorum dissensione versatur, quae voluntates non dissociat, cum ingenia committit.

Tardum Siricii consilium in damnandis Origenistis a Baronio excusatur.

LXXXV. Unum adhuc, antequam nostris hisce apostolicis literis supremam manum imponamus, superest examinandum, sit ne Siricius socordiae ac simplicitatis crimine insimulandus, quod in Origenistis damnandis minus solicitum se praebuerit. Hoc est praesentis controversiae postremum caput, cui expediendo nostra haec, quam subiicimus, oratio occupabitur. Ut ab impacto desidiae vitio Siricium purget clarissimus Annalium parens, anno Christi CCCVII. notissimam profert parabolam evangelici patris familias, qui zizania ad messem usque sivit crescere, ne alioquin solicita nimium cura actus, dum zizania evellit, ipsum quoque illis commixtum eradicaret frumentum. Laudandus sane Baronius, qui ut insignem in veteres Ecclesiae patres animi sui pietatem ac singulare obsequium testatum faciat, cum illorum facta commendare non possit, benigniori saltem interpretatione excusare contendit. Sic ergo Baronius: *Licet et aliqua saltem ex parte excusationem illam praetexere iure potuisset, quod exemplo evangelici patris familias, usque ad messem siverit zizania crescere, ne cum eis evelleret triticum, expectans nimirum, ut qui vere essent haeretici, perspicue matura segete certioribus signis fierent manifesti.* Hanc ipsam Baronii sen-

tentiam sequutus videtur Petrus Coustant in toties memorata collectione, *pag. 706,* ubi Hieronymi censuram contra Siricii simplicitatem expendens, innuit praecipuam christianae simplicitatis dotem hanc esse, tardo gressu incedere, et, composito ad indulgentiam animo, eos, qui desipuerunt, patienter expectare, ut facilius resipiscant: *Interdum etiam nonnihil dissimulandam censet, ut, errantem praevenientibus demulcens officiis, eum ad veritatem allicere queat.* Neque desunt saluberrima Sanctorum Ecclesiae Patrum monita, quae eiusmodi tolerantiam suadeant. Prostant apud Lucam d' Acherium *in tomo 2 et 5 Spicilegii* epistolae Romanorum Pontificum Simmachi et Innocentii II., qui ad maiora mala vitanda atque ad pravorum mores in meliorem frugem revocandos, licere aiunt aliquando, posthabita legum severitate, ad christianae patientiae et benignioris dispensationis regulas confugere, ut errantem ac devium fratrem facilius lucrari possimus. *Saepenumero,* verba sunt Eulogii Episcopi Alexandrini apud Photium, *aliqua temporaria oeconomia ad breve tempus prodiit, aliquod indebitum tolerans et amplectens, ut continuum et inconcussum robur pietas acciperet, et ad dissolvendos eorum, qui veritati insidiabantur, insultus.*

Origenistarum errores Siricius ignorat.

LXXXVI. Etsi vero memorata Baronii responsio tot monitis ac testimoniis illustrata, improbanda non sit, ab ea tamen abstinemus, cum alia opportunior ac pro Siricii causa tuenda longe validior nobis praesto sit. Baronius Siricium haeresis Origenistarum conscium supponit; hinc prudentem tarditatem causatur. At nobis Origenistarum errores, Siricio superstite, omnino delituisse videntur; quamdiu enim vixit Siricius, pessimi simulatores, ovium vestimentis contecti, lupinam improbitatem occuluerunt, quae tandem sub Anastasio Pontifice, Siricii successore, detecta est atque damnata. Nullus igitur excusationis locus, ubi error, qui nondum innotuit, quamcumque in Siricio improvidam simplicitatem excludit. In rem hanc testes producimus ipsum Hieronymum, qui causam inquirens, cur Origenistae, atque omnium loco Rufinus, communicatorias literas a Siricio postulaverit, hanc unam producit *in epistola 127 ad Principiam, in nova Veronensi editione, tomo 1, pag. 952, num. 10,* ut nimirum haeresi nondum evulgata, catholicae communionis pallio obtecti, securius ex Urbe discederent: *Cernentes Haeretici,* inquit Sanctus Doctor, *de parva scintilla maxima incendia concitari, et suppositam dudum flammam iam ad culmina pervenisse; nec posse latere, quod multos deceperat; petunt et impetrant ecclesiasticas epistolas, ut communicantes ecclesiae discessisse viderentur. Non multum tempus in medio, succedit in pontificatum vir insignis Anastasius, quem diu Roma habere non meruit, ne Orbis caput sub tali Episcopo truncaretur; imo idcirco raptus atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* His verbis enucleandis intentus Cardinalis Norisius *in citata dissertatione, pag. 725,* duo securus affirmat: alterum nempe, Rufinum Roma abiisse, ne detectis erroribus a Siricio puniretur; alterum vero, errores illos Siricii aetate omnino impervios delituisse. Praestat ipsum Norisium loquentem audire: *Itaque, teste Hieronymo, Rufinus Roma discessit, veritus non posse latere diutius Origeniani Voluminis errores, ac proinde a Siricio sibi timebat, quem si propitium sperasset, poterat tutus caeterorum clamores surdis auribus contemnere. Ex illis verbis:* Nec posse latere, *constat eos errores nondum publicatos, sed tantum clanculum assertos. Quid mirum si Siricium latuerit?*

Sub Anastasio Pontifice Origenistarum errores irrumpunt.

LXXXVII. Egregius item est locus alter *ex epistola 130 ad Demetriadem in cit. tom. 1, editionis Veronensis, pag. 936, num. 16,* ubi Sanctus Doctor Origenistarum errores sub Anastasio Pontifice detectos et proscriptos affirmat. *Dum esset parvula,* ita Demetriadem alloquitur, *et sanctae ac beatae memoriae Anastasius Episcopus Romanam regeret Ecclesiam, de Orientis partibus haereticorum saeva tempestas simplicitatem fidei, quae Apostoli voce laudata est, polluere et labefactare conata est. Sed vir ditissimae paupertatis, et apostolicae solicitudinis, statim noxium perculit caput et sibilantia hydrae ora compescuit.* Hinc iuremerito infert Florentinius, *pag. 1003 praefatae exercitationis,* haeresim Origenistarum Siricii tempore nondum e latebris prodiisse; tum vero caput exeruisse, cum Anastasius Romanae praeerat Ecclesiae: *Nondum haeresis patefacta erat, hoc enim tantum accidisse sub Anastasio, adductum ipsius Hieronymi fragmentum demonstrat.*

Multa Origenistar. sollicitudo, ne haeresis innotesceret.

LXXXVIII. Nec facile poterat Origenistarum haeresis ad aliorum notitiam pervenire, cum Rufinus eiusque socii, genus

hominum vaferrimum, qua poterant, arte vel fraude errores obtegerent. Prava haereseos dogmata solis familiaribus manifestabantur, neque extra Rufini et Melaniae consocios et asseclas arcana illa doctrina evulgabatur. Ita vero Origenistarum calliditatem describit *Pagius ad Annales Baronii ad ann. Christi* CCCXCVII. *num. 17: Nondum haeresis satis patefacta erat, idque tantum accidit sub Anastasio, licet penes Rufini et Melaniae familiares malesanae doctrinae suspicio invalesceret.* Pari solicitudine Rufinus versionem libri Periarchon, Siricio vivente, occultavit, ne alioquin ex obvia lectione virus detegeretur. *Verum cum Origenis errores,* inquit Pagius loco citato, *num. 16, ex mala Rufini interpretatione ante Anastasium latuerunt, quid culpabile Siricius omiserit, non apparet; et communicatorias literas Rufino de more concedens, dum hic optime apud omnes ante vulgatum Romae Periarchon audiret, non videtur in crimen vocandus.* Imo vero etsi Rufinus Roma abesset, et Aquileiae moraretur, ubi biennio permansit, adhuc errores simulare curavit. Hinc nondum fraude detecta, Chromatii Episcopi familiaritate usus est: hinc etiam ipsemet Chromatius apud Hieronymum et Venerius Mediolanensis Episcopus apud Pontificem Anastasium pro Rufino allaborarunt, ut de Venerio Episcopo constat ex eiusdem Pontificis Epistola ad Ioannem Ierosolymitanum. Qui ergo Siricius nosse poterat Origenistas, quorum errores vel ipso Anastasii Pontificis tempore aliquandiu delituerunt? Si errores non noverat, nullo modo culpandus, quod errores non condemnaverit. Quocirca parabola illa evangelica, quam Siricio Baronius accommodat, de patrefamilias, qui maluit zizania ad messem usque intacta relinqui, ne pari eventu zizania ac frumentum una divellerentur, minus consona videtur; cum paterfamilias zizania tritico commixta noverit, Siricius vero Origenistarum errores catholicae doctrinae infensos ignoraverit. Si quid ergo ex evangelica illa parabola ad rem nostram liceat decerpere, illud est, Patremfamilias nullo modo culpandum, quod zizania in agro succreverint, cum ipse bonum semen electumque frumentum terrae mandaverit. Non enim illius incuriae sed inscitiae tribuendum, quod inimicus homo, occulta fraude, et nocte concubia, zizania in sementem effuderit. Pari iure Siricius vindicandus, cum eo superstite nulla in Christi Ecclesia Origenistarum prava semina innotuerint. Quod si Anastasii Pontificis aetate Haereticorum zizania apparuerint, excusandus omnino Siricius, cum aut eo vita functo, aut si nondum vita cesserat, profundae noctis silentio, ipso nimirum Siricio id penitus ignorante, noxia illa errorum zizania ab Origenistis fuerint disseminata.

LXXXIX. Ea est pravorum hominum indoles, ac Haereticorum versutia, ut innumeras ad decipiendum obtendant fraudes, quibus vel ipsis Romanae Ecclesiae Pontificibus, etsi doctrina ac sanctitate praestantibus, aliquando imposuerunt. Ut novo Siricii simplicitatem vindicet argumento, Petrus Coustant, *pag. 706,* affert exemplum Sancti Augustini ac aliorum, qui Pelagio iam de haeresi suspecto communionis literas non denegarunt, quibus ille in Concilio Diospolitano usus est, ut haereticae pravitatis notam effugeret. Mox utrumque exemplum quam simillimum Siricii et Augustini una componens, ita ratiocinatur: *Qua in re si culpandus Siricius, quanto magis culpandi essent cum Augustinus, tum alii, qui Pelagio iam haeresis suspecto similes non denegarunt epistolas, quibus ille ad depellendum a se haereseos crimen Diospolitano in Concilio abusus est?* Alia a Cardinali Norisio congeruntur exempla Sanctorum Pontificum Aniceti, Iulii, Zosimi et Damasi, qui licet sanctitatis fama claruerint, nihilominus perspectos nequaquam habuerunt pravos errores, primus Praxeae, alter Marcelli Episcopi Ancyrani, tertius Coelestii Pelagianorum Principis, quartus Vitalis Apollinaristae. Sed longe maiora sunt, quae Baronius commemorat de viris illustribus, ac Summis Ecclesiae Pontificibus, quos insidiis ac fraudibus circumventos, improborum versutia eo usque perduxit, ut innoxios ac insignes pietate viros exosos aliquando habuerint, duriusque tractaverint. *Non mireris, lector,* (inquit Baronius *ad ann. Christi* CDLXIV., *num. 8, in nupera editione Lucensi) Romanum Pontificem Hilarium adversus Mamertum adeo vehementer insurgere, virum, ut declararunt eventa, sanctitate insignem; in his enim, quae contentiosi fori sunt, perfacile est quemque decipi. Persimile etiam Sancto Leoni accidit, qui in Sanctum Hilarium eadem ferme ex causa acerrime invectus est. Quis nesciat saepe accidere, ut falsis accusationibus et subreptionibus aures Pontificum repleantur,*

Illustrium virorum, qui ab haereticis decepti sunt, exempla nonnulla.

et cum putant agere, quod iustum appa-ret, exagitent innocentem?

Cromatius, Paulinus, Augustinus, esto Rufino faveant, excusantur.

xc. Enimvero, ne a Rufino discedamus, si quae pro eo gessit Cromatius, sanctitati Cromatii non officiunt, Norisio teste, *neque haec officia Cromatii sanctitati nocuere.* Si D. Augustinus, citra ullum probitatis dispendium, magno in pretio habuit Rufinum, ut patet ex epistola *in veteri editione 15, in nova 73,* quem insuper in pristinam Hieronymi amicitiam, etsi gravioribus ex causis dissolutam, restituere conatus est; si nemo Paulinum reprehendit, quod Rufinum coluerit, et Melaniam Origenistarum patronam commendaverit: cur Siricius damnabitur, quod acerrimum Rufino bellum non indixerit? Cromatius, Paulinus, Augustinus excusantur, quod dolum pravosque Rufini mores ignoraverint. Sed et Siricius ipse ignoravit; nec poterat Rufinum aversari, quem nondum noverat scelestum; non poterat scelestum nosse, quem communis fama et opinio probum adhuc habebat. Quo eodem argumento utitur Pagius ad Annales Baronii *in suis adnotationibus ad ann. Christi* CCCXCVII., *num. 17,* ita scribens: *Nec quia Siricius, dum viveret, bene de Rufino sensit, nondum cognita eius venenata doctrina, et sanctitate decidit; sicuti neque Divus Augustinus dum epistola 15, quae novo ordine est inter Augustinianas 73, Rufinum conciliare Hieronymo laborans illum magni fecit, quamquam iam apologetica et amarulenta opuscula inter utrumque vulgata essent sub Anastasio.*

Quae Paulino, eadem et Siricio congruit excusatio.

xci. Pari excusatione Baronius Paulinum tuetur, qui cum pravos Melaniae mores ignoraret, eius sanctitatem impensius laudavit. Aberat nempe Paulinus a Melania, nec nosse poterat aut debuerat quidquid ab ea clam et secreto gerebatur in Palaestina. *Melaniam,* verba sunt Baronii *ad an. Christi* CCCXCVII., *cum sic a Paulino laudatam vides, ne mireris; his quidem ipsa atque maioribus digna praeconiis videbatur, nescientibus, quae paucis arbitris in Palaestina, non tam ab ipsa, quam per ipsam, a suis consociis de inducendis in Ecclesiam erroribus Origenis, refragante Sancto Hieronymo, ac penitus obnitente Sancto Epiphanio, gesta essent. Quomodonam, quaeso, Paulinus sciret, quae nec qui Ierosolymis essent, nosse potuerint?* Quod de Paulino absente habet Baronius, nos de Siricio Romae commorante repetimus. Aderat Romae Rufinus: non inficiamur; sed vicinia frustra obtenditur, ubi extra parietes domesticos, aut extra societatem eorum, qui pari laborant errore, prava doctrina non egreditur. Lupos ab agnis secernunt mores; sinceram a vitiata arbore distinguunt fructus. Si ergo mores lateant, si fructus non erumpant, nec lupi rapacitatem, nec arboris vitium licebit cognoscere. Pravus Rufino erat animus, prava doctrina: sed, cum soli Rufino eiusque familiaribus errores essent prospecti, perperam Siricius tamquam minus sollicitus accusatur. Ignoti nulla cupido; nulla item invidia.

Eorum sententia, qui Rufinum ab Anastasio damnatum negant.

xcii. Novum pro Siricii vindiciis argumentum nobis praesto esset, si eam amplecteremur sententiam, quam multi et doctrina et Ecclesiasticae Historiae peritia satis instructi sequuti sunt; Rufinum scilicet ne ab ipso quidem Sancto Anastasio fuisse damnatum, quamvis Anastasio illud laudi detur, quod in Origenistarum causa partes omnes apostolici muneris optime impleverit. Consulendum in hanc rem opus posthumum eruditi viri Iusti Fontanini Archiepiscopi Ancyrani, quod inscribitur: *Historia literaria Aquileiensis, lib. 5, cap. 18.* Consulenda item, quae Vallarsius adnotavit in epistolam S. Hieronymi **127** *ad Principiam, pag. 952,* ubi animadvertit nullam de Rufini excommunicatione fieri mentionem, nullumque proferri posse vetus probataeque fidei monumentum, ex quo de aperta in Rufinum sententia dubitare non liceat. Addit Vallarsius, Rufinum, quamdiu vixit, nedum amicitiam, sed et familiaritatem exercuisse cum Sancto Paulino Nolano, Cromatio Aquilejensi, Gaudentio Brixiano, quibus ex Fontanino *loco citato, num. 3,* addendus Sanctus Petronius Bononiensis. Nemo autem dixerit, Rufinum ab Ecclesia eiectum, ac peculiari decreto damnatum, societatem ac consuetudinem cum tot tantisque viris, virtutibus ac religionis zelo praestantibus, servare potuisse. Ex quo infertur, nonnisi indirecte Rufinum in Anastasii decreto fuisse comprehensum; cum enim Summus Pontifex in Origenem nominatim sententiam tulerit, et ipsos indirecte Origenistas, quos inter eminet Rufinus, damnavit. Qua in re nihil Rufino accidit probri, quod caeteris Origenis sectatoribus qui venenatam ipsius doctrinam profitebantur, commune non sit.

Obiectio de celeri Siricii morte dissolvitur.

xciii. Reliquum tandem est, ut simplicitatis, sive improvidi nimium consilii, macula, qua Siricius aspergitur, plane diluta,

et ipsum, quem ab eiusmodi crimine tamquam a causa profluxisse aliqui putant, effectum, hoc est celerem Siricii mortem, explodamus. Aliquos in ea fuisse sententia, ut providus Deus Siricium ex hac vita rapuerit, ne Origeniana haeresis invalesceret, atque Anastasium suffecerit, qui Origenistas prosterneret, iam supra animadvertimus, ubi illa Baronii verba recitavimus: *Saepe quidem, atque pavendis est demonstratum exemplis, quod Pontifices illi, qui causam fidei paulo segnius tractaverunt, ac remissius curaverunt, a Christo primario omnium Pastore fuerint quam celeriter ex hac vita subtracti.* Hanc tamen sententiam piam sane, sed minus solidam, reiiciunt Florentinius, Norisius, Pagius *in vita Siricii,* aliique scriptores bene multi, quorum responsa et argumenta, ut brevitati consulamus, sat erit innuere. Primo igitur loco reponunt, Siricium, si pontificatus tempora metiamur, in supremo Ecclesiae gubernio quatuordecim, sive ex veriori calculo, quindecim annos egisse; si vero aetatem consideremus, plusquam septuagenarium ex hac mortali vita excessisse. Quocirca nec breviores pontificatus anni, nec mors immatura Sanctum Siricium exagitant. Secundo, alia exempla suppetere Sanctorum Ecclesiae Pontificum, Damasi ac Iulii, qui licet haereticos, a quibus decepti fuerant, non damnaverint, celeri tamen morte sublati non sunt. *Hic tamen ab his quaererem,* inquit Norisius, *cur Deus ab haeretico deceptum Damasum non statim e vivis sustulit, uti cum Siricio factum putant. Iulius Papa, post absolutum Marcellum Ancyrae Episcopum, quinquennio superstes vixit; cum illum Liberius postea damnaverit.* Tertio, si accuratiori temporis supputationi, quam Norisius producit et probat, haereamus, supremo Siricii vitae anno Rufinus origenianos libros Periarchon latinitate donavit; ideoque Siricio, qui nonnisi menses aliquot superstes fuit, tarditas et socordia opponi non debent. *Iuxta eiusdem* (chronologiae) *calculos,* ita Norisius, *Siricius, post latinitate donatos libros Periarchon Origenis, aliquot tantum menses superstes fuit. Eius vero successor Anastasius post triennium ferme sui pontificatus Rufinum cum caeteris Origenistis condemnavit.* Ex quo fit, ut cum triennalis mora Anastasii sanctitati non noceat, longe brevius mensium aliquot intervallum Siricii probitati non officiat. Sane Anastasius iudicium protraxit, non quia socors, sed quia cautus; ut nimirum, quae necessario praemittenda erant, neutiquam negligerentur. *In qua procrastinatione,* sequitur Norisius, in toties a nobis laudata dissertatione, *nullus socordiae vitium vituperari potest, sed exactius totius causae examen commendandum venit.* Postremo absurdum videtur, Siricii Pontificis obitum, etiamsi celebrem atque festinatum fuisse haud inviti daremus, divinae ultioni adscribere, cum teste Hieronymo *in epist. 127 ad Principiam,* breviores Anastasii Pontificis anni singulari Divinae Providentiae beneficio tribuantur, ne scilicet Orbis Caput sub tali Episcopo truncaretur; *imo idcirco raptus, atque translatus est, ne semel latam sententiam precibus suis flectere conaretur.* Improvidi ergo consilii est, divinae voluntatis decreta de variis vitae ac mortis eventibus curiosius investigare, atque ad hebetioris ingenii humani captum illa demittere; sicut enim, proposito sibi exemplo Siricii atque Anastasii, ratiocinatur Florentinius *pag. 1002, male eadem vitae festinata abscissio in uno ad insimulandam negligentiam, eodem contextu inducitur in alio ad sanctitatis indicium.*

Siricii causa accuratissimo iudicio discussa.

XCIV. Etsi iudicium, quod de Sancti alicuius nomine Martyrologii tabulis inscribendo, aut in Martyrologium, unde expunctum fuit, restituendo instituitur, multum differat ab eo iudicio, in quo solemnis canonizationis agitur causa, ut observat Christianus Lupus *in notis ad Concilium IV. Romanum sub Leone IX., tom. 3, pag. 574,* nosque item animadvertimus *in lib. 4 de Canonizatione Sanctorum, part. 2, c. 17, num. 9;* in hac tamen, quam pro Sancto Siricio agitavimus, controversia, eadem fere ratio ac methodus, quae in causis canonizationum obtinet, a nobis servata est. In canonizationum iudicio haec prae caeteris locum habent: Primo, Servi Dei virtutes exponendae, ac rite ab iis, quorum interest, probandae sunt: Secundo, si quae reliquae adhuc sunt difficultates diluendae: Tertio, quovis remoto obice, ad probandas Pontificio Decreto virtutes tuto transitur. Pari ferme oeconomia Siricii causam tractavimus. Ea cum primis, quae Siricii sanctitati favent, expendimus; quo spectant argumenta ab opinione et fama sanctitatis, ab eius virtutibus, ac probatae fidei Martyrologiis, petita. Deinde, quae contra Siricium obiici solent, quibus fortasse innixi correctores sub Gregorio XIII. Siricii no-

men reiiciendum censuere, enumeravimus ac confutavimus. Nil ergo prohibet quominus, causa satis cognita, ac validissimis rationibus, ac monumentis, quae Siricii sanctitatem demonstrant, probe discussis, Siricii nomen Martyrologio Romano inscribendum sit; quod idcirco inscribendum decrevimus atque mandavimus. Qua in re, cum et tanti Pontificis sanctitati bene consultum sit, et nostra vota, quae iam tum, cum promotoris fidei munere fungebamur, nostro insederant animo, tandem nobis in supremo apostolatus officio constitutis, fuerint impleta, vehementer gratulamur.

Summus Pontifex Regi fausta precatur.

xcv. Haec sunt, quae Maiestati Vestrae circa novam Martyrologii editionem duximus significanda; par enim nobis visum est, eidem Maiestati Vestrae, cuius regio sumptu nobilis haec editio praelo subiicitur, animi nostri sensus, et quae in nuperam hanc editionem contulimus, aperire. Multas sane nostra haec epistola implevit paginas; eam tamen, etsi prolixiorem, nec gravem, neque iniucundam fore confidimus, cum nobis compertum sit, quanta in Deum pietate, quanta item in Sanctos veneratione ac obsequio Maiestas Vestra feratur. Postremo omnipotentem Deum bonorum omnium largitorem enixe precamur, ut divitiarum suarum, coelestium cum primis, copiam effundens, vos diu servet incolumes, vestramque regiam familiam numquam desitura successione confirmet. Regna vestra pacata custodiat, eorumque fines in remotissimas usque infidelium regiones protendens, quod incepit, perficiat. Et Maiestati vestrae, vestraeque regiae familiae apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I. iulii MDCCXLVIII., pontificatus nostri anno VIII.

TITULUS V.

DE ECCLESIARUM CULTU

Ecclesias summopere decet cultus atque mundities, licet pauperes sint; item cantus gravis et musicae ratio a profana et theatrali omnino diversa.

BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabiles fratres,
salutem et apostolicam benedictionem.

Sollicitudo Pontificis, ut adveniente Anno Sancto, omnia in Urbe et Statu Ecclesiastico recte ordinata inveniantur.

Annus, qui hunc vertentem annum insequitur, ut fraternitas tua cognitum et compertum habet, iubilaeus est. Et quoniam, bello confecto et poenitus sublato, summa Dei miseratione, pax inter Principes, qui decertabant, inita est, fas est sperare in Domino, magnos exterarum nationum, etiam longe dissitarum, ad hanc almam Urbem fore concursus. Nos quidem enixe Deum deprecamur, atque etiam ab aliis orari cupimus, ut omnes, qui ad hanc Urbem se conferunt, spirituales fructus Sanctarum Indulgentiarum consequantur, idque, ut eveniat, pro virili nostra, quam diligenter curabimus. Optamus etiam, ut omnes, qui Romam veniunt, ne moribus nostris offensi recedant; sed potius ex iis, quae in hac Urbe atque in aliis civitatibus ditionis nostrae, per quas iter eos facere contigerit, conspexerint, ad eorum patrias redeuntes, incitamenta referant atque exempla virtutum. Quod autem ad Romam attinet, iam ex parte a nobis provisum est, et uberius etiam in posterum providebitur: pro iis vero, quae ad dioecesim, quae a te recte prudenterque regitur, pertinent, nobis opus est pastorali tuo zelo, probataque solicitudine: quod si adiutricem manum, ut certo confidimus, admovere velis, minime dubitamus, non solum nos assecuturos id, quod in votis est, sed insuper fore, ut ecclesiastica disciplina, ex iis, quae a nobis praecepta fuerint, composita, non modo per totum Annum Sanctum, sed per plures deinceps annos integra immotaque permaneat. Id enim ipsum continget, quod usu venire compereris in sacris pastoralibus visitationibus; cum enim ecclesiastici pastoris adventum clerici secularesque homines operiuntur, et ante et postquam Episcopus advenit, studiose satagunt, ut quae prava sunt, corrigantur; quae infirma, curentur; quae mala, amoveantur; adeout earum fructus non solo visitationis tempore, sed longe post perseveret.

Episcoporum zelum ad id excitat.

§ 1. Sed ut ad rem propositam veniamus, quod in primis tibi enixe commendamus, illud est, ut ecclesiae optimo in statu sint, nitidae, mundae, sacraque su-

De ecclesiarum cultu, et munditie.

pellectili instructae, facile enim quisque intelligit, si advenae, per hanc nostram ecclesiasticam ditionem iter agentes, intueantur ecclesias civitatum ac dioecesum ruinosas, illuvie et squalore deformes, sacris vestibus indigentes, vel habentes laceras, sordidas et eius conditionis ac status, ut dignae sint, quae interdicantur, certe nostris moribus offensae atque indignatae ad suas regiones revertentur. Hic autem adverti volumus, nos verba facere non de sumptuositate, et sacrorum templorum magnificentia, nec de divite ac pretiosa supellectili; non enim nos latet haec non omnibus in locis haberi posse; sed decentiam et munditiam desideramus, quas nemini detrectare licet, quia etiam cum paupertate bene convenire et componi possunt. Inter caetera mala, quibus Ecclesia Dei affligitur, etiam de hoc dolebat ven. Card. Bellarminus: *Omitto,* inquiens, *quod alicubi vasa sacra et vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia et sordida inveniantur, indigna prorsus, quae ad tremenda mysteria adhibeantur. At forte, qui haec adhibent, pauperes sunt. Id quidem fieri potest; sed si pretiosa non possunt, saltem munda et nitida procurarent.* Quamobrem praedecessor noster rec. me. Benedictus XIII., cuius labores pro ecclesiastica disciplina vel servanda vel restituenda, ecclesiarumque decore procurando, notissimi sunt, proponere solebat in exemplum patrum Capuccinorum ecclesias, in quibus est summa paupertas aequalisque mundities omnium oculis spectanda se offert. Drexelius *tom. 17* suorum operum, quae Monachi impressa sunt, in tractatu, qui inscribitur *Gazophylacium Christi, part. 2, cap. 2, pag. 153,* ita scribit: *Primum ac potissimum, quod templis debetur, est mundities. Non tantum adsint, quae in usus sacros necessaria, sed etiam, quantum fieri potest, mundissima sint.* Et iure merito contra eos invehitur, qui domos bene ornatas et cultas habent, ecclesias vero in squallore et sordibus relinquunt. *Sunt etiam, qui domos habent instructissimas et ornatissimas: in eorum templis ac sacellis squallent omnia: arae a frontalibus nudae vix laceris et sordidis pannis insternuntur: in caeteris omnibus confusio et squallor.* Magnus Ecclesiae Doctor Hieronymus in epistola ad Demetriadem parum se curare haud obscure indicavit, pauperes ne, an divites sint ecclesiae. *Alii aedificent ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, pretiosum ornamentum non sentientia; ebore argentoque valvas, et gemmis aurata distinguunt altaria; non reprehendo, non abnuo; unusquisque in suo sensu abundet: meliusque est hoc facere, quam repositis opibus incubare.* At vero ecclesiarum munditiem maxime facere aperte declaravit, cum Nepotianum summis laudibus extulit, quia diligens ac solicitus fuit in nitore et munditia ecclesiarum atque altarium curanda, ut videre licet in eiusdem Nepotiani Epitaphio, quod Sanctus ad Heliodorum misit. *Erat ergo,* ait, *solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pavimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, et in omnes coeremonias pia solicitudo disposita; non minus, non maius negligebat officium.* Profecto sedulo ac diligenter cavendum est, ne illud non sine maxima ecclesiastici ordinis infamia contingat, quod sibi evenisse narrat laudatus Cardinalis Bellarminus: *Ego,* ait, *cum aliquando ex itinere apud Episcopum nobilem et praedivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam, et mensam omni genere praestantium ciborum refertam; mappas quoque, et reliqua omnia nitida, et odorem suavem spirantia. Sed cum die sequente summo mane ad ecclesiam palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria, id est vilia et sordida, ut vix auderem in tali loco, et cum tali apparatu, divina mysteria celebrare.*

De divinis officiis rite persolvendis.

§ 2. Altera res est, ad quam curam tuam et solicitudinem excitamus, ut horae canonicae, pro more et instituto cuiusque ecclesiae, canantur seu recitentur, prout decet ac convenit, ab iis, qui ad eas tenentur; nihil enim est magis ecclesiasticae disciplinae inimicum aut perniciosum, quam divinam psalmodiam in ecclesiis Dei contemptim aut negligenter obire. Certe haud ignota tibi est obligatio, qua canonici, aliique ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium et collegiatarum ad quotidie horas canonicas in choro cantandas tenentur: cui obligationi satis ille utique non facit, qui ecclesiasticae psalmodiae munere, nulla animi attentione, oscitanter indiligenterque perfungitur. Summ. Pont. Innocentius III. in Concilio Lateranen. *relato in cap. Dolentes de celebrat. Miss.* de eadem

obligatione loquitur in hunc modum: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent, pariter et devote.* Ubi Glossa explicans verbum illud *studiose,* haec subiicit: *Quantum ad officium oris, idest sine syncopa;* et ad verbum *devote* talia adnotat: *Quantum ad officium cordis.* Clemens V. praedecessor noster in Concilio Viennensi in sua constitutione, quae inter Clementinas reperitur, et cuius initium est *Gravi,* sub titulo *de celebratione Missarum* eodem modo loquitur: *ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur.* Et Concilium Tridentinum, *cap. 12, sess. 24, de Reformatione,* tractans de obligationibus canonicorum saecularium: *Omnes vero,* inquit, *divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, assistere et inservire; atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare.* Hinc autem necessario sequitur, diligenter invigilandum, ut cantus praeceps minime sit aut citior quam decet, utque suis locis pausae fiant, et ut altera pars chori versiculum psalmi subsequentem non exordiatur, priusquam altera antecedentem absolverit. *Nec prius psalmi una pars chori versiculum incipiat, quam ex altera praecedentes psalmi et versiculi finiantur,* sunt verba Concilii Salmuriensis *ann.* MCCLIII. Demum ut cantus vocibus unisonis peragatur, et chorus a peritis in cantu ecclesiastico (qui cantus planus, seu firmus dicitur) regatur. Huiusmodi cantus ille est, quem ad musicae artis regulas dirigendum efformandumque multum elaboravit S. Gregorius Magnus praedecessor noster, ut testatur Ioannes Diaconus *in eius vita, lib. 2, cap. 7.* Hoc autem loco plura addere, quae ad ecclesiasticam eruditionem pertinent, de ecclesiastici cantus origine, de cantorum schola et primicerio, qui ei praesidebat, haud difficile nobis esset; sed praetermissis, quae minus necessaria videntur, eo, unde paulo digressi sumus, rem propositam exequentes revertamur. Cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui si recte decenterque peragatur in Dei ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur; et alteri, qui cantus armonicus seu musicus dicitur, merito

De recta cantus ecclesiastici ratione.

praefertur. Hunc quidem Monachi a presbyteris saecularibus didicerunt; et cum ab ipsis accurate diligenterque tractetur, sacrisque in functionibus adhibeatur, contra autem negligatur a nonnullis cleris oscitanterque persolvatur, haec potissima causa est, cur a christiano populo frequentius regularium ecclesiae, quam saecularium adeantur; ut bene advertit Iacobus Eveillon in suo tractatu *de recta ratione psallendi ad cap. 9, art. 9, pag. 99. Sordescit quippe sanctis auribus omnis musici concentus titillatio prae hac plani cantus et simplicis psalmodiae armonia, si recta fuerit. Atque eo fit, ut, relictis hodie ecclesiis collegiatis et parochialibus, tam libenter et avide concurrat populus fidelis ad ecclesias monachorum, qui magistram habentes in colendo Deo pietatem, sancte, moderate, et ut psalmistarum Princeps olim dixit, sapienter psallunt, et Domino suo, ut Domino et Deo, cum summa reverentia famulantur. Quod sane pudori debet esse ecclesiis primariis et maioribus, a quibus monachi et canendi et psallendi artem ac regulam didicerunt.* Et ideo sacrum Concilium Tridentinum, quod nihil eorum, quae ad reformationem cleri conferre poterant, praetermisit *c. 18, sess. 23, de Reformatione,* ubi agit de seminariis instituendis, inter caetera, quae seminariorum alumnos edocendos praecipit, etiam cantum recenset his verbis: *Ut vero in disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur, grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

De musicis concentibus ad devotionis et gravitatis normam exigendis.

§ 3. Tertia res est, de qua nos te admonere opus est, ut musicus cantus, qui nunc in ecclesiis usu receptus est, et qui organi aliorumque instrumentorum harmoniae coniungi solet, ita instituatur, ut nihil profanum, nihil mundanum, aut theatrale resonet. Universus quidem orbis christianus organi aliorumque musicorum instrumentorum usum adhuc non recepit; praeter enim Ruthenos ritus graeci, qui in suis ecclesiis neque organum neque alia musicae instrumenta habent, teste Patre le Brun *tom. 2 explication. Miss., pag. 215.* nostra pontificia cappella, ut omnibus notum est, cantum musicum, sed gravem, decorum piumque admittit, nunquam autem organum recepit, quod etiam notatur a Patre Mabillone in suo Musaeo Italico

Organa aliaque instrumenta in cappella Pontificis et alibi nunquam admissa.

tom. 1, pag. 47, § *17, Dominica Trinitatis, cappellae, ut vocant, pontificiae interfuimus etc. Nullus organorum musicorum usus in huiusmodi sacris, sed sola vocum musica, eaque gravis cum plano cantu admittitur.* Refert Grancolas in *Commentario historico de Breviario Romano, cap. 17,* etiamnum in Galliis aliquas insignes ecclesias reperiri, quae organum cantumque musicum seu harmonicum, in sacris functionibus non adhibent: *Sunt tamen ad hanc diem insignes in Gallia ecclesiae, quae organorum et musices usum ignorant.* Illustris Ecclesia Lugdunensis, quae quidem novitatibus semper adversata est, usque ad hunc diem exemplum pontificiae cappellae secuta, nunquam organo uti voluit: *Constat igitur ex dictis, nec statim ab initio, nec ubique recepta fuisse musicalia instrumenta: nam etiam nunc Romae in sacello Summi Pontificis semper sine instrumentis officiorum solemnia celebrantur; et Ecclesia Lugdunensis, quae novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem ascivit,* sunt verba Cardinalis Bona *in Tract. de Divinis Psalm., cap. 17,* § *2, num. 5.* Quam igitur opinionem de nobis accepturi sint, qui ex illis regionibus, ubi nullus musicorum instrumentorum usus est, ad nos nostrasque urbes proficiscuntur, in quorum ecclesiis concentus musicos audient, non secus ac in theatris aliisque profanis locis, facili quisque per se coniectura assequi potest. Venient etiam, haud dubium est, exteri ex illis regionibus, in quarum ecclesiis cantus et musica instrumenta adhibentur, perinde ac in aliquibus nostris fieri solet. Sed si isti homines prudentes et pii sint, dolebunt quidem, in cantu et sono nostrarum ecclesiarum, remedium illud, quod malo suarum ecclesiarum curando afferri optabant, non invenisse. Etenim, omissa controversia illa, qua nonnulli inter se decertant, quorum alii cantum musicum et musicorum instrumentorum usum in ecclesiis reprobant ac vituperant, alii vero probant ac laudant: nullus certe est, qui inter cantum ecclesiasticum et scaenicas modulationes discrimen aliquod non desideret, et theatrales profanosque cantus in ecclesiis tolerari non condemnet.

Eorum usus in Ecclesia ab aliquibus omnino reprobatur.

§ 4. Diximus reperiri, qui cantum harmonicum cum musicis instrumentis in ecclesiis adhiberi minime probant. Horum princeps quodammodo dici potest Abbas Aelredus, coaevus et discipulus S. Bernardi, qui *lib. 2. eius operis, quod inscribitur* speculum caritatis, *cap. 23, tom. 23 Biblioth. Patrum, pag. 118,* ita scribit: *Unde, cessantibus iam typis et figuris, unde in ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitrui potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Ad quid illa vocis contractio et infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit et incidit.* Asserere quidem non audemus, aetate S. Thomae Aquinatis, nullis in ecclesiis usum musici cantus cum musicis instrumentis fuisse: illud utique affirmare licet, in ecclesiis minime fuisse, quae S. Doctori notae et cognitae erant; ideoque huiusmodi cantui ipse nequaquam favisse videtur. Tractat enim *2-2, qu. 91, art. 2,* quaestionem illam, utrum in divinis laudibus sint cantus assumendi; respondet assumendos esse; sed cum sibi quarto loco opponat: *Instrumenta musica, sicut cytharas et psalteria, non assumere Ecclesiam in divinas laudes, ne videatur iudaizare:* cum in Psal. XXXII. *Confitemini Domino in cythara, in psalterio decem chordarum psallite illi.* Respondet: Huiusmodi musica instrumenta magis movere ad delectationem, quam interius disponere ad pietatem; in veteri autem testamento ideo adhibita fuisse: *quia populus erat magis durus et carnalis, unde erat per huiusmodi instrumenta provocandus, sicut et per promissiones terrenas.* Addidit insuper, instrumenta in veteri testamento typos seu figuras aliquas aliquarum rerum fuisse: *Tum etiam,* ait, *quia huiusmodi instrumenta corporalia aliquid figurabant.* De Summo Pontifice Marcello II. literis traditum est, secum deliberasse, musicam in ecclesiis abolere, cantumque ecclesiasticum ad cantum planum redigere, ut cuique compertum fieri potest ex eius vita, quam scripsit Petrus Polidori nuperrime defunctus beneficiatus Basilicae S. Petri, vir inter literatos non ignotus. Aetate nostra vidimus Cardinalem Thomasi, virum sanctitate vitae eximiaque in liturgicis rebus eruditione insignem, in ecclesia sua titulari S. Martini ad Montes die festo eiusdem Sancti, in cuius honorem ecclesia dedicata est, in Missa et vespertinis officiis concentus musicos haberi noluisse; sed ut a viris religiosis, in sacris peragendis, cantus planus adhiberetur, praecepisse.

Ab aliis, si moderatus sit, admittitur, et laudatur.

§ 5. Diximus esse aliquos, qui usum musici cantus cum instrumentis in divinis officiis approbant. Nam eodem saeculo, quo vixit laudatus Abbas Aelredus, floruit etiam Ioannes Sariberiensis Episcopus Carnotensis, qui *lib. 1 Policratii, cap. 6,* musicam organicam, seu concentum vocum et instrumentorum, laudat: *Ad mores itaque instruendos, et animos exultatione virtutis traiiciendos in cultum Domini, non modo concentum hominum, sed et instrumentorum modos censuerunt Sancti Patres Domino applicandos, cum templi reverentiam dilatarent.* S. Antoninus *in eius summa, part. 3, tit. 8, cap. 4, § 12,* non reiicit cantum harmonicum in divinis officiis: *Cantus quidem firmus in divinis officiis a Sanctis Doctoribus institutus est, ut Gregorio Magno, Ambrosio, et aliis. Biscantus autem in officiis ecclesiasticis quis adinvenerit, ignoro: prurituі aurium videtur magis deservire, quam devotioni, quamvis pia mens etiam in his fructum referat audiendo.* Et paulo post admitti in divinis officiis non solum organum, sed etiam alia instrumenta musica: *Sed et pulsatio organorum, vel aliorum instrumentoram, ad divinam laudem initium virtutis habuisse a Propheta David.* Constituerat quidem Marcellus II. Pontifex ab ecclesiis cantus musicos et musica instrumenta removere; sed Ioannes Petrus Aloysius Praenestinus magister cappellae Basilicae Vaticanae musicos cantus in sacris missarum solemnibus persolvendis composuit tam excellenti arte, ut ad pietatem animos, et devotionem moverent. Itaque illis auditis a Summo Pontifice, qui missae interfuit, mutata voluntate, ab eo, quod sibi proposuerat, recessit, quemadmodum ex antiquis monumentis tradidit Andreas Adami in suis observationibus ad cappellam pontificiam *in praefat. histor., pag. 11.* In Concilio Tridentino actum est de eliminanda musica ab ecclesiis; sed cum ab imperatore Ferdinando per suos legatos expositum fuisset, cantum musicum seu figuratum, fidelium animis incitamento ad devotionem et pietatem esse; decretum, quod iam adornatum fuerat, moderari placuit, ut legitur *in sess. 22, in decreto de observ. et evit. in celebrat. Missae.* In eo autem ab ecclesiis solum reiectae fuerunt musicae illae, *ubi sive organo, sive cantu, lascivum aut impurum aliquod miscetur.* Haec narrantur a Grancolas *in laudato Commentario, pag. 56,* et a Cardinali Pallavicino *in hist. Concilii, lib. 22, cap. 5, num. 14.* Profecto ecclesiastici scriptores magni nominis libenti animo eamdem sententiam sequuntur. Ven. Cardinalis Bellarminus, *tom. 4 controvers., lib. 1 de bonis operibus in particulari, cap. 17 in fine,* docet, retinendum esse in ecclesiis usum organorum, sed alia instrumenta musica non facile admittenda: *Ex quibus illud efficitur, ut organa propter infirmos in ecclesiis retinenda sunt, ita non facile alia instrumenta esse introducenda.* Eadem semita insistit Cardinalis Caietanus in sua summa ad verbum *organum*, ubi talia habentur: *Organorum usus in Ecclesia licet sit novus, in cuius signum Ecclesia Romana adhuc non utitur eis coram Pontifice, licitus tamen est pro carnalibus adhuc fidelibus imperfectis.* Ven. Cardinalis Baronius ad annum Christi LX. ita scribit: *Verum, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in Ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul iunctis confecta, haud iure quis poterit improbare.* Cardinalis Bona *de Divina Psalmodia, cap. 17,* agens de organis, quae in ecclesiis pulsantur, *Non tamen,* inquit, *damnari debet moderatus eorum usus etc. laetificat organorum concentus tristes hominum mentes, et supernae civitatis insinuat iucunditatem, solicitat pigros, recreat diligentes, provocat iustos ad amorem, peccatores ad compunctionem.* Suarez *tom. 2 de Religione, lib. 4 de Horis Canonicis, cap. 8, num. 5,* animadvertit, organi nomine comprehendi non solum illud instrumentum musicum quod hodie vulgo organum vocari solet, sed alia etiam instrumenta harmonica (quod iam ante notatum fuit a S. Isidoro *lib. 2 Originum, cap. 20: Organum, vocabulum est generale vasorum omnium musicorum);* ideoque concludit, recepto in ecclesiis organo, etiam alia instrumenta musica admittenda esse. Et Sylvius *tom. 3 suorum operum, super 2-2 S. Thomae, quaest. 91, art. 2,* cantum harmonicum seu figuratum ab ecclesiis non repellit: *Ideoque,* ait, *magna cura habenda est cantus ecclesiastici, tum eius, qui planus seu gregorianus dicitur, qui proprie est ecclesiasticus, tum eius, qui postea in Ecclesiam est introductus, et vocatur figuratus, sive harmonicus.* Et paulo post: *Nihilominus, quod post multa saecula usu receptum sit, ut in ecclesiasticis officiis instrumenta musica adhibe-*

rentur; nullo modo est improbandum. Bellotte *in lib. de Ritibus Ecclesiae Laudunensis pag. 209, sub num. 8,* posteaquam de musicis instrumentis ample ac fuse locutus est, quae in divinis officiis nonnunquam adhibentur, et posteaquam ostendit antiquitus in ecclesiis usui minime fuisse, nullam aliam causam veteris huius moris, diversaeque cousuetudinis fuisse existimat, quam necessitatem, qua tum adstringebantur christiani, ut, quoad fieri posset, recederent a profanis ritibus gentilium, qui in theatris, in conviviis, in sacrificiis, instrumentis musicis utebantur. *Proinde nequaquam instrumentorum musicorum vitio vertendum est, quod posterioribus tantum saeculis usa sit Ecclesia musicis cantoribus, et musicalibus instrumentis, sed quod a gentilibus eiusmodi musica instrumenta in turpibus ac sordidis usibus, nimirum in theatris, conviviis ac sacrificiis consueverint adhiberi.* Persicus in suo tractatu *de Divino et Ecclesiastico Officio, dub. 5, num. 7,* ita loquitur de cantu figurato in ecclesiis: *Dico secundo, quamvis in cantu organico seu figurato, multi possint abusus obrepere, sicut in omnibus aliis ecclesiasticis caeremoniis accidit; ipsum tamen per se, si debite, religiose et decenti moderatione fiat, licitum esse, nec ullo iure prohibitum.* Et ad dub. num. 3 tenet, quod *organorum et aliorum instrumentorum universalis usus in divinis officiis secundum se laudabilis est, et ad imperfectorum animos ad Dei contemplationem elevandos valde utilis.* Et quidem usus cantus harmonici seu figurati, et musicorum instrumentorum in Missis, Vesperis, aliisque ecclesiasticis functionibus adeo longe processit, ut ad Paraguaiam usque regionem pervenerit. Etenim cum novi illi fideles Americani optimam indolem et ingenium habeant ad musicos cantus, et ad organica instrumenta pulsanda, et facillime, quae ad musicam artem pertinent, ediscant; exinde occasione capta Missionarii eorum animorum propensioni obsequendo, piis devotisque cantibus ad eos deducendos ad Christi fidem usi sunt; adeo ut in praesenti nullum fere discrimen, neque quoad cantum, neque quoad sonos, in Missis et Vesperis nostrarum regionum et illarum intercedat, iuxta ea, quae ex veridicis relationibus refert Abbas Muratori in *Descriptione Missionum Paraguai, cap. 12.*

§ 6. Denique diximus neminem esse, qui theatrales cantus in ecclesiis non detestetur, et qui diversitatem aliquam non requiret inter sacros Ecclesiae et profanos scaenarum concentus. Celebris est locus S. Hieronymi relatus *in can. Cantantes dist. 92, Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant haec adolescentuli: audiant ii, quibus psallendi in Ecclesia officium est. Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragoedorum morem guttur et fauces dulci medicamine liniendae sunt, ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, et cantica.* Cuius auctoritate abutebantur illi, qui audacter nimis omne genus cantus ab ecclesiis summoveri volebant; sed Sanctus Thomas *loco laudato,* respondens iis, quae secundo loco ex verbis S. Doctoris mox allatis sibi opponit: *Ad secundum,* inquit, *dicendum, quod Hieronymus non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in ecclesia cantant more theatrico.* S. Nicetius *lib. de Psalmodiae bono, cap. 3, t. 1 Spicilegii,* cantum in ecclesiis adhibendum his verbis describit: *Sonus etiam vel melodia consentiens sanctae religioni psallatur; non quae tragicas difficultates exclamet, sed quae in vobis veram christianitatem demonstret; non quae aliquid theatrale redoleat, sed compunctionem peccatorum faciat.* Patres in Toletano Concilio congregati *a.* MDLXVI., *act. 3, cap. 11, tom. 10* collect. Conciliorum Harduini, posteaquam plura locuti sunt de qualitate cantus in ecclesiis adhibendi, hoc modo concludunt: *Sed et illud maxime cavendum erit, ne ipsius musicae sonus quid theatrale, aut impudicos amorum, bellorumque classicos modulos referens, in Dei laudibus decantandis imitetur.* Non desunt plures eruditi scriptores, qui acriter reprehendunt, scaenicos sonos et cantus in ecclesiis patienter tolerari, precanturque, ut huiusmodi abusus ab ecclesiis ablegentur. Videatur Casalius *de veteribus sacris christianorum ritibus, cap. 34,* et Abbas Ludovicus Antonius Muratori *tom. 1 antiquae Romanae Liturgiae,* in Dissertatione *de rebus liturgicis, cap. 22 in fine.* Et tandem ut sermonem hac de re absolvamus, nempe de abusu theatralium concentuum in ecclesiis, qui adeo per se manifestus est, ut nullis indigeant verbis et probationibus; satis erit indicare, omnes eos, qui superius a nobis citati sunt, tanquam qui usui cantus figurati seu harmonici et musicorum instrumentorum in ec-

Sed si theatrales modos in Ecclesiam inducat, ab omnibus damnatur.

clesiis faverent, palam profiteri ac testari, se quaecumque scripserunt, ea mente et consilio fecisse, ut nequaquam intelligenda sint de cantu et sono, scaenarum ac theatrorum proprio, quem ipsi aeque ac alii reprobant atque execrantur, sed de cantu et sono qui ecclesias decet, et qui populos ad devotionem excitat, quod ex illorum lectione quisque cognoscere poterit.

Qui sint abusus musici ab Ecclesia eliminandi.

§ 7. Hoc autem posito, quod in ecclesiasticis officiis cantus harmonici seu figurati, et musicorum instrumentorum usus receptus sit, et solummodo abusus reprobetur; quod etiam considerat Binghamus, licet auctor heterodoxus, *tom. 6 originum Ecclesiastic., lib. 14, § 16,* sequitur, ut diligenter inquirendum sit, quinam sit usus rectus ac probus, quinam vero abusus. Sed ut, quod propositum est, exequi recteque obire possimus, opus nobis foret peritia artis musicae, qua praediti fuerunt aliqui ex nostris sanctis et praeclaris praedecessoribus, Gregorius Magnus, Leo II. et Leo IX. et Victor III. At vero quia hanc artem ediscendi nec tempus nobis neque occasio fuit, aliqua tantum indicare contenti erimus, quae ex constitutionibus nostrorum praedecessorum, et piorum doctorumque hominum scriptis collegimus. Ut autem ordine procedamus, primum verba faciemus de iis, quae in ecclesiis canenda sunt; deinde de modo ac ratione, qua cantus institui debet; denique de instrumentis musicis ecclesiarum propriis, quibus in sacris templis cani debet.

Moteta vulgaria, aliaque ab officio ecclesiastico discrepantia iamdudum prohibita.

§ 8. Guillelmus Durandus, qui, Apostolicam Sedem gubernante Nicolao III., vixit, usum cantilenarum vulgo *motetorum,* qui eius aetate vigebat, aperte improbat *in tractatu de modo Generalis Concilii celebrandi c. 19: Videtur valde honestum esse, quod cantus indevoti et inordinati motetorum et similium non fierent in ecclesia.* Postea Ioannes XXII. Pontifex praedecessor noster promulgavit suam decretalem, quae incipit *Docta Sanctorum,* et inter extravagantes communes reperitur; in ea *motetorum* cantum lingua vulgari se abominari ostendit: *Motetis,* inquiens, *vulgaribus nonnunquam inculcant.* Cum itaque examen cantus huiusmodi cantilenarum seu motetorum in ecclesiis theologi aggressi fuissent; ex horum numero Paludanus *in 4 sentent., dist. 15, quaest. 5, art. 2,* motetorum cantus perinde habuit ac cantationes scaenicas, redarguens eos, qui illis utuntur: *qui canunt,* ait, *moteta in festis, quia cantus non debet esse tragoedicus.* Favisse videtur motetis Suarez *tom. 2 de Relig., lib. 4 de Horis Canonicis, cap. 13, num. 16,* etiamsi scripta fuerint lingua vulgari, dummodo gravia sint ac devota. Ad suadendum autem id, quod affirmat, affert morem ac usum nonnullarum ecclesiarum, quae licet a sapientibus praelatis regantur, in eis tamen cantilenae seu modulata carmina non improbantur. Addit insuper; quoniam in primis Ecclesiae temporibus quisque fidelium in ecclesia pios ac devotos hymnos, quos composuerat, cantabat, ex veteri hac consuetudine usum motetorum quodammodo approbari. Antevertens autem id, quod ei obiici posset, huiusmodi modulatis carminibus, quae moteta vocant, ecclesiasticam psalmodiam interrumpi, ita respondet: *Nec interruptio illa, vel mora, quae tunc fit inter partes alicuius horae, reprehensibilis est, quia moraliter veluti continuatur in devotione, quae per cantum illum excitari intenditur; et ita cantus ille potest censeri veluti dispositio ad sequentia, et solemnis ac congrua terminatio praecedentium et ornatus totius horae.* Vertente *an.* MDCLVII., Summus Pont. Alexander VII. constitutionem edidit, cuius initium est: *Piae solicitudinis,* inter alias autem eiusdem Pontificis *num. 36.* In hac autem praecepit, ut per id tempus, quo divina persolvuntur officia, et quo publicae fidelium venerationi in ecclesiis sacramentum Eucharistiae expositum est, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario vel Missali Romano; quae *in officiis de proprio, vel de communi, pro currenti cuiusque diei festo, vel Sancti solemnitate praescribuntur;* vel ex sacra Scriptura, aut ex Sanctorum Patrum operibus; ita tamen ut antea a sacra Rituum Congregatione recensenda et approbanda sint. Porro ex huiusmodi pontificia constitutione videtur cantus motetorum, quae servata ratione ab eodem Alexandro praedecessore nostro praescripta, composita, et a sacra Congregatione recensita et probata sunt, procul dubio approbatus fuisse. Alexandri Constitutionem venerabilis servus Dei Innocentius XI. decreto suo *die* III. *decembris* MDCLXXVIII. confirmavit. Aliqua tamen dubitatione exorta in intelligenda atque interpretanda constitutione Alexandri et decreto Innocentii XI., fel. rec. Innocentius XII. praedecessor noster *die* XX. *augusti* MDCXCII. aliud decretum promulga-

vit, *quod est num. 76 in eius Bullario.* In eo autem, offusis variarum interpretationum tenebris penitus dispulsis, rem totam aperiens ac declarans, generatim quarumcumque cantilenarum seu motetorum cantum prohibuit: in sacrarum autem missarum solemnibus solummodo permisit ultra cantum Gloriae et Symboli, ut cani posset Introitus, Graduale et Offertorium; in Vesperis vero, nulla mutatione etiam minima facta, antiphonae, quae initio cuiusque psalmi, vel in eius fine dicuntur. Insuper voluit et iussit, ut cantores musici omnino legem chori sequerentur, et cum eo prorsus convenirent, et quemadmodum in choro fas non est aliquid addere officio vel missae, ita etiam musicis noluit id liceret; et illud dumtaxat concessit, ut ex officio et missa, quae in solemnitate Sanctissimi Sacramenti Corporis Domini celebrari solet, nimirum ex hymnis S. Thomae, vel ex antiphonis aliisque relatis in Breviario ex Missali Romano, carmen aliquod seu motetum, nulla verborum varietate, desumi et cantari posset ad fidelium devotionem excitandam, dum sacra Hostia elevatur, vel publice veneranda et colenda exhibetur.

Quae autem canere licet, ita modulanda sunt, ut recte percipiantur, et pietatem potissimum foveant.

§ 9. Lege autem ecclesiasticis cantiunculis, seu modulatis carminibus, aut motetis posita, negari nequit, non parum momenti ad removendos ab ecclesiis theatrales cantus allatum esse, sed necesse est fateri, ad finem propositum assequendum id non sufficere. Fieri enim potest et nimis etiam non sine nostro dolore fit, ut cantus Gloriae, Symboli, Introitus, Gradualis, Offertorii et caeterorum omnium, quae rite ac de more in Missis et Vesperis, ut supra dictum est, cantari solent, theatrali more, et scaenico strepitu peragatur. Magnus Episcopus Gulielmus Lindanus in sua Panoplia Evangelica, *lib. 4, cap. 78,* cantui musico in ecclesiis non adversatur; sed frequentes repetitiones et vocum confusiones improbat, proponitque, ut in ecclesiis ea musica adhibeatur, quae consentanea sit rebus, quae canuntur. *Quamquam non me fugiat, quibusdam musicam cum organis et musicis rectius videri retinendam, quibus equidem perlibenter assentiar, si una pro isto genere, quod nunc passim ecclesias occupat, aliud introducatur, et gravius et rebus ipsis convenientius, et si non, ut oportet, pronunciationi, quam cantui vicinius, saltem rebus, quae canuntur, aptius atque accommodatius.* Drexellius in suo opere *Rethoricae coelestis lib. 1, cap. 5,* opportune ad rem nostram ita exclamat: *Hic pace vestra dixerim, o musici, nunc templis cantandi genus dominatur novum, sed exorbitans, concisum, saltatorium, et parum profecto religiosum, theatro aut choreis convenientius, quam templo. Artificium quaerimus, et perdimus priscum precandi ac cantandi studium. Curiositati consulimus, sed revera negligimus pietatem. Quid enim novitia haec et tripudians cantandi ratio, nisi comoedia est, in qua cantores, velut actores sunt, quorum modo unus prodit, modo duo, modo simul prodeunt omnes, et modulatis vocibus colloquuntur, mox iterum unus triumphat solus, caeteris brevi secuturis.* Recens scriptor Benedictus Hieronymus Feijoo, Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis, in suo *theatro critico universali, serm. 14,* peritia et scientia notarum musicarum innixus, rationem indicat, qua redigi possent musicae ecclesiarum ad eum modum et rationem, quae in omnibus penitus esset theatrorum musicis concentibus dissimilis. At vero nobis satis erit, prae oculis habitis sacrorum Conciliorum regulis, et probatorum scriptorum sententiis, illud admonere, quod si musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut, quemadmodum nobis relatum est, populus spectator et auditor harmonicis quidem cantorum modulationibus oblectetur, artificio musicae artis gaudeat, numerisque musicis delectetur, melodia et suavitate vocum fruatur; verba autem plerumque non recte percipiat: diversum utique et contrarium omnino in ecclesiastico cantu servari debet, in quo illud in primis curandum est, ut verba perfecte planeque intelligantur. Nam cum in ecclesiis concentus musicus receptus sit ad erigendas hominum mentes in Deum, ut docet S. Isidorus *lib. 1, de Eccl. off., cap. 5, Psalterium idcirco cum melodia cantilenarum suavium ab ecclesia frequentatur, quo facilius animi ad compunctionem flectantur,* id certe obtineri difficile potest, si verba non audiantur. In Concilio Cameracensi *an.* MDLXV., *tit. 6, cap. 4, tom. 10 collect. Hard., pag. 582* ita constituitur: *Caeterum quae in choro cani debent ad instructionem, ea canantur voce, ut intelligantur mente.* Et in Concilio Coloniensi, quod congregatum est *ann.* MDXXXVI. *cap. 12, tit. de offic. priv.,* talia leguntur: *Iam et illud non recte fit in quibusdam Ecclesiis, ut ob cantorum et organorum*

concentum, omittantur, aut decurrentur ea, quae sunt praecipua. Cuius generis sunt recitatio verborum propheticorum, aut apostolicorum, quam epistolam vocamus, symbolum fidei, praefatio, quae et gratiarum actio, atque precatio Dominica. Quamobrem haec tota distinctissime ac intelligibiliter, uti caetera omnia, decantentur. In concilio autem Mediolanen. primo habito *an.* MDLXV., *par. 2, num. 51, in praedicta Harduini collectione, p. 687,* talia leguntur: *In divinis officiis, aut omnino in Ecclesiis, nec prophana cantica, sonive, nec in sacris canticis molles flexiones, voces magis gutture oppressae, quam ore expressae, aut denique lasciva ulla canendi ratio adhibeatur. Cantus et soni graves sint, pii ac distincti, ac domui Dei ac divinis laudibus accommodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pietatem auditores excitentur.* In hac re, de qua agitur, gravis est sermo Patrum, qui in Concilio Toletano convenerunt *anno* MDLXVI., *act. 3, cap. 2,* in laudata Collectione, *pag. 1164. Cum ea,* aiunt, *quae in Ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandam, eo debeant cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri possit, erudiri valeat, et religiosa pietatis ac devotionis moderatione, piorum auditorum mentes ad divinae Maiestatis cultum et coelestia desideria excitari queant; caveant Episcopi, ne dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittunt, psalmorum et aliorum, quae cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur. Sic denique musicam, quae organica dicitur, retineant, ut eorum, quae cantantur, verba et intelligi possint, et potius pronunciatione, quam curiosis modulis audientium animi divinis laudibus afficiantur.* Ex his autem aperte comperitur, quam merito his verbis questus sit Episcopus Lindanus *loco citato*: *Non enim nunc suo cantu, musici auditorum animos tam ad pietatis cultum, caelestiaque excitant desideria, quam avocant, avertunt, alienant. Scio enim aliquando divinis me interfuisse laudibus, cum vel attentissimus auscultarem, ecquid forte psalleretur, ne unum quidem potuisse intelligere verbum: ita erant omnia syllabarum, repetitionibus commixta, vocibus confusa, clamoribus potius horridulis et incondito boatu, quam cantu obscurata.* Tum etiam quam pium fuerit desiderium, et quam prudens sit exhortatio, qua musicos ad pietatem incitavit Drexellius loco pariter citato: *Reviviscat, obsecro, saltem aliquid priscae religiositatis in sacra musica. Quod si cordi est et curae divinus honor, hoc agite viri, hoc laborate, ut quae cantantur verba, simul etiam intelligantur. Quid enim mihi varius in templo sonus, quid multiplex concentus, si desit ei nucleus, si sensum et verba, quae concentu sunt instillanda, percipere nequeam?* Et demum ostenditur non sine causa Cardinalem Dominicum Capranicam, cum sacrae cuidam functioni divinisque officiis interfuisset, quae cantu musico peracta fuerant, ita tamen ut verba non audirentur, rogatum a Summo Pontifice Nicolao V. quid de musicis illis cantionibus ei videretur, ea respondisse, quae legi possunt apud Poggium in vita eiusdem Cardinalis edita a Balutio *lib. 3 Miscellaneorum, § 18, pag. 289.* Magnus Pater Augustinus *lib. 9 Confess., cap. 6,* de se ipso testatur, cum in ecclesia suaves hymnorum cantus audiret, in lacrymas effundi consuevisse: *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis et eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex ea aestuabat. Inde affectus pietatis et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis.* Cum autem ea magna delectatio, quam in audiendis ecclesiasticis hymnis percipiebat, in religionem ei venisset et ideo quadam serveritate morum, Deique offensae metu, cantum illum, quo sensibilis illa oblectatio ipsi creabatur, improbandum esse censeret; postea re melius expensa, sententiam mutavit, eo quia animus eius commoveretur non solo cantu, sed verbis cantui coniunctis, ut ipse aperte declarat *l. 10 Conf., cap. 33.* Flebat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum audiret in ecclesiis sacrarum rerum cantus, probe audiens et intelligens verba quae cantu efferebantur: fleret forsan etiamnum ipse, si nonnullarum ecclesiarum musicos cantus audiret, non pietatis sensu, sed doloris, quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret.

In instrumentorum usu quid advertendum.

§ 10. Hactenus de cantu musico: consequens est, ut de sono organi musici aliorumque instrumentorum, quorum usus, ut supra diximus, in aliquibus ecclesiis admissus est, verba faciamus. Siquidem et de eo agere necesse est, quia si cantum minime decet esse theatralem, utique neque sonum.

Profecto hebraeis hac de re omnis dubitatio longe aberat, an scilicet dissimilis esse debere cantus in templo a profanis cantionibus theatrorum. Nam e sacris Scripturis comperitur, cantus et musicorum instrumentorum sonos usui fuisse in templo, non autem in theatris, ut bene advertit Calmet *in sua dissertatione de musica hebraeorum*. At vero nobis opus est, limites cantui et sono ecclesiarum et theatrorum praescribere; et discrimen inter utrumque definire, cum per id tempus cantus figuratus seu armonicus, cum sono instrumentorum, in theatris aeque ac in ecclesiis locum obtinuerit. Et quoniam de cantu iam satis verba fecimus, superest, ut etiam de sono idem agamus. Ut vero sermo ordine suo ac via progrediatur, primum de instrumentis musicis, quorum usus in ecclesiis tolerari potest; deinde de illorum instrumentorum sono, qui cantui sociari solet; et demum de sono separatim a cantu, hoc est de instrumentorum symphonia nobis disserendum erit.

Ut amoveantur illa, quae loci dignitatem non decent.

§ 11. Et quidem quod ad instrumenta attinet, quae in ecclesiis permitti possunt, Benedictus Hieronymus Feijoo *in allegato sermone 14, § 11, num. 43,* organa aliaque instrumenta admittit, amoveri autem vellet lyras tetracordas. Quoniam cum illae plectro tanguntur, armonicos quidem modos edunt, sed adeo acutos, ut puerilem in nobis potius hilaritatem, quam gravem erga sacra mysteria venerationem animorumque intentionem excitent. Bauldry *in manual. sacrar. caeremon., par. 1, cap. 8, num. 14,* vellet, ut caneretur in ecclesiis organo tantum pneumatico, tubis caeterisque instrumentis inflatilibus seu pneumaticis: *Nec alia instrumenta musicalia cum organo pulsentur, nisi tubae, tibiae, aut cornua.* E diverso Patres primi Concilii Provincialis Mediolanensis sub S. Carolo Borromeo, *tit. de Music. et Cantor.*, nominatim reiiciunt ab ecclesiis instrumenta inflatilia: *Organo tantum in ecclesia locus sit: tibiae, cornua et reliqua musica instrumenta excludantur.* Hominum prudentum, et illustrium magistrorum artis musicae consilium exposcere nobis curae fuit; consentaneum autem cum eorum sententiis est, ut fraternitas tua, si in tuis ecclesiis instrumentorum usus introductus est, cum organo musico nullum aliud instrumentum permittat, nisi barbiton, tetracordon maius, tetracordon minus, monaulon pneumaticum, fidiculas, lyras tetracordes: haec enim instrumenta inserviunt ad corroborandas sustinendasque cantantium voces. Vetabit autem tympana, cornua venatoria, tubas, tibias decumanas, fistulas, fistulas parvas, psalteria symphoniaca, cheles, aliaque id genus quae musicam theatralem efficiunt.

Ut eorum sonus ad pietatis fructum accommodatus sit.

§ 12. Praeter haec autem, de usu instrumentorum, quae in ecclesiasticis musicis permitti possunt, nihil monebimus, nisi ut illa adhibeantur solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adiiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum divinarumque rerum amorem incitentur, ut apposite expedit Valentia *tom. 3, 2-2 S. Thomae, disp. 6, quaest. 9, punct. unic.*, ubi tractans de utilitate musicae et musicorum instrumentorum in ecclesiis: *Ad excitandum,* inquit, *interiorem affectum tum proprium, tum etiam aliorum, praesertim vulgarium, qui interdum adeo infirmi sunt, ut non modo vocum cantu, sed etiam organis et musicis instrumentis ad sensum rerum spiritualium concitandi sint.* At vero si instrumenta continenter personent, et solum interdum, ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquiescant, ut liberum spatium audiendis armonicis modulationibus, crispatisque iaculationibus vocum, vulgo *trilli,* praebeant; caeterum opprimant sepeliantque cantantium vocem, sonumque verborum, frustraneus est, et inutilis huiusmodi instrumentorum usus, imo vetitus atque interdictus. Pontifex Ioannes XXII. in laudata Extravagan. *Docta sanctorum* inter musicae abusus enumerat illum, quem his verbis exprimit: *Melodiam hocquetis intersecant;* idest *singultibus,* quemadmodum explicat Carolus Dufresne in suo Glossario; hoc nomen dedit concisis illis modulationibus, vulgo *trilli.* Magnus Episcopus Lindanus *loco laudato* invehitur contra abusum opprimendi instrumentorum sono verba cantantium: *Tubarum clangore, cornutorum stridore, alioque strepitu vario, ne quid praetermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, sesumque sepeliat, et adobruat.* Pius et doctus Cardinalis Bona in pluries laudato tractatu de Divina Psalmodia, *cap. 17, § 2, num. 5,* apposite ad rem nostram: *Desino,* ait, *si prius admonuero ecclesiasticos cantores, ne ad usum illicitae voluptatis assumant, quod*

Sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem, sed eorum, quae cantantur, sensui et pietatis affectui, maiorem relinquant portionem.

Instrumentorum concentus moderati, etiam sine vocibus, non prohibentur.

§ 13. Demum quoad symphonias attinet, tolerari poterunt, ubi earum usus iam receptus est, dummodo greves sint, et earum prolixitudine aut diuturnitate taedium et fastidium non afferant iis, qui adsunt in choro, vel altari in Vesperis aut in Missis inserviunt. De huiusmodi symphoniis agit Suarez *lib. 4, cap. 13, num. 17: Unde etiam intelligitur non esse per se damnabilem usum intermiscendi in divinis officiis sonum organorum sine ullo cantu, solum cum suavitate musicae instrumentorum, ut fit interdum in Missa solemni, vel in horis canonicis inter psalmos; quia tunc ille sonus non est pars officii, et fit ad solemnitatem et reverentiam ipsius officii, et ad levandos animos fidelium, ut facilius ad devotionem assurgant seu disponantur. Quamvis autem ad illum sonum nihil voce cantetur, oportet, ut sonus ipse gravis sit, et aptus ad excitandam devotionem.* Hoc autem loco silentio praetereundum non est, rem maxime indecoram esse, et minime ferendam, quibusdam anni diebus sumptuosas personantesque symphonias, musicosque cantus in sacris templis celebrari, quae minime conveniunt sacris mysteriis, quae ecclesia fidelibus per id tempus recolenda proponit. Exclamat ardenti zelo motus saepe laudatus Magister Generalis Ordinis S. Benedicti in Hispaniis *in laudato sermone 14, § 9,* contra modulos, et cantilenas heu nimium adhibitas in canendis lamentationibus Ieremiae Prophetae, quae ab Ecclesia dicendas praescribuntur diebus maioris hebdomadae, in quibus modo eversio Urbis Hierosolymae per Chaldaeos, modo mundi excidium per peccata, modo Ecclesiae militantis afflictiones in persecutionibus, modo Redemptoris nostri angustiae in suis passionibus deplorantur. Lucensis ecclesia, sedente in apostolica cathedra Sancto praedecessore nostro Pio V., regebatur ab Alexandro zelantissimo ecclesiasticae disciplinae pastore; qui cum animadvertisset, diebus maioris hebdomadae, exquisitissimos omnis vocum instrumentorumque generis concentus in ecclesiis fieri consuevisse, cum sacrarum functionum, quae illis diebus celebrantur, moestitia minime consentientes, ad illos autem audiendos, homines utriusque sexus magna frequentia cupidissime confluere, et gravia inde peccata et scandala committi, promulgato edicto, eos hebdomada sancta et tribus subsequentibus Paschatis diebus fieri prohibuit. Cum autem quidam exempti ab Episcopi iurisdictione se episcopali lege minime teneri praetenderent, Episcopus rem detulit ad Summum Pontificem Pium V., qui in eius Brevi dato die IV. aprilis MDLXXI. deplorata primum humanarum mentium et carnalium hominum coecitate, qui non solum in diebus sacris, sed potissimum in illis, qui memoriae passionis Christi Domini recolendae speciatim ab Ecclesia assignati sunt, posthabita pietate et sincerae mentis puritate, mundanarum oblectationum illecebris et sensuum voluptatibus se regendos ferendosque tradunt: *Quod,* inquit, *cum in omnibus sacris temporibus, tum in eo praecipue cavendum vitandumque est, quod dominicae passionis memoriae recolendae ab eadem Ecclesia statutum assignatumque fuit, in quo ipso tempore maxime decet omnes Christifideles tota mente ad contemplandum tale tantumque Redemptoris nostri beneficium conversos, se ipsos ab omni cordis sensusque impuritate immunes liberosque praestare.* Refert post haec abusum, qui in Ecclesiam Lucensem irrepserat, exquisitos seligendi per hebdomadam sanctam excellentesque musicos, et colligendi omnis generis instrumenta ad solemnes concentus musicos celebrandos; *Nuper non sine magno animi nostri dolore intelleximus, in ista civitate, cuius episcopatum geris, abusum quemdam valde detestabilem irrepsisse, exquisitissimas omnis vocum instrumentorumque generis musicas in ecclesiis per hebdomadam sanctam adhibendi, ad quas potius, quam ad divina officia audienda, omni utriusque sexus iuventute magna frequentia cupidissime confluente, gravia peccata, nec minora scandala, committi experientia comprobatum est.* Demum laudat edictum Episcopi, et decretis sacrosancti Tridentini Concilii inhaerens declarat, eodem edicto comprehendi atque obligari etiam ecclesias, quae ab auctoritate ordinaria, privilegio apostolico, vel alio quocumque iure, exemptas se esse contendunt. In Concilio Romano, quod novissime habitum est *anno* MDCCXXV., *tit. 15, num. 6,* varia leguntur decreta de usu musici cantus instrumentorumque, in Adventu, in dominicis

Habenda tamen ratio temporis, et sacrorum mysteriorum, quae celebrantur.

Rescriptum S. Pii V. in hac materia.

quadragesimae, et in exequiis mortuorum, quae satis sit indicasse.

Praemissa in Urbe et Statu Ecclesiastico potissimum observanda.

§ 14. Legisse nos meminimus, cum Imperator Carolus Magnus secum proposuisset ecclesiasticum cantum in ecclesiis Galliae incompte atque inscite habitum, ad regulas artis redigere, impetrasse a Pontifice Adriano I., ut homines sibi ecclesiasticae musicae periti ab Urbe mitterentur, a quibus in Galliarum regnum romanus cantus facile introductus est, ut quisque per se agnoscere potest ex Paulo Diacono, *lib. 2 Vit. S. Greg., cap. 9,* et *ex Rodulpho Tungrensi de Can. obser., prop. 12,* S. Antonin. *in Sum. Hist., part. 2, tit. 12, cap. 3.* Monachus Engolismensis in vita Caroli Magni, *cap. 8,* addit, cantores, qui Roma advenerunt, docuisse in Galliis artem etiam pulsandi organum musicum, quod regnante Pipino in Galliarum regnum delatum fuerat. Itaque cum solemne et regulare sit, ut haec Romana Urbs aliis omnibus civitatibus in sacris ritibus caeterisque ecclesiasticis rebus, praeire debeat exemplo et documento esse; insuper accedunt et ea, quae mox a nobis narrata sunt de Carolo Magno, qui ecclesiasticum cantum e Romana Urbe tamquam e sedibus in suum regnum evocavit; quae quidem acrius nos urgent atque extimulant, ut abusus omnes, qui in cantu ecclesiastico irrepserunt, et a nobis reprobati sunt, in omnibus, quoad fieri potest, sed praecipue in Romanae Urbis ecclesiis penitus aboleantur. Sed quemadmodum nos nostro Cardinali in Urbe Vicario, quae necessaria sunt atque opportuna, praecipere non omittimus; ita fraternitas tua publicare non negligat, si opus fuerit, edicta et leges, quae cum hisce nostris circularibus literis consentaneae sint et quibus ecclesiasticus cantus convenienter ad regulas in iisdem literis praescriptas et stabilitas dirigatur, ut tandem musicis ecclesiarum reformandis initium praebeatur. Nam id ipsum maxime optatum ac desideratum est, cum a pluribus, tum centum ab hinc annis a Ioanne Baptista Doni Patritio Florentino in eius tractatu de Praestantia Musicae veteris, *lib. 1, pag. 49: Nunc vero eo redacta res est, ut nec quisquam reperiatur, qui effaeminatum quemdam ac leviusculum, qui iam passim invaluit, canendi modum severa lege cohibeat, nec affectata illa prolixaque, ac saepe hiulca, melismata ad certam normam redigenda existimet, aut dies solemnes aedesque sacras suam celebritatem ac frequentiam habituras putet, nisi mollioribus ac saepe parum decoris cantibus, magnaque vocum ac instrumentorum confusione certatim omnia personent.*

Alia ecclesiasticae disciplinae capita Episcopis commendantur.

§ 15. Diximus, si opus fuerit, probe enim nobis compertum est, in Statu Ecclesiastico aliquas esse urbes, in quibus ecclesiarum musicas reformari oporteat, in aliis vero huiusmodi necessitatem minime adesse. Timemus quidem, vehementerque timemus, ne in aliquibus civitatibus ecclesiae sacraque altaria convenienti munditie ac necessario nitore indigeant; in multis ne cathedralium et collegiatarum chori cantu plano bene ac probe ad regulas artis directo iuxta ea, quae a nobis superius dicta sunt, destituantur: quas in res, si in ecclesia tua necesse sit, omnes diligentiae tuae et sollicitudinis nervos intendere decet; et utinam in omnibus totius status nostri dioecesibus sacerdotes ea, qua par est, decentia sacrosanctum Missae sacrificium facerent; et praeterea clericalibus vestibus induti, et decenti habitu, corporis incessu, modestia, omnique alio ecclesiastico decore in publicum prodirent, quibus super rebus nihil aliud hic nos adiungemus, cum fuse de his tractaverimus *in nostra Notificatione* XIV., § *4 et 6, lib. 2, edit. ital., quae est* XXXIV. *in edit. latin., et in notificat.* IV. *tom. 4, edit. similiter ital., quae est* LXXI. *edit. latin.,* ad quas ecclesiasticae disciplinae studiosos remittimus. Itaque sacerdotalem tuum zelum excitantes finem scribendi faciemus, posteaquam id unum tibi significabimus, nulla alia re magis hominibus declarari, ecclesias male atque improvide ab Episcopis regi et gubernari, quam si spectantur sacerdotes sacra, ecclesiasticis caeremoniis perperam adhibitis aut omissis, vestibus indecoris, aut minime sacerdotalis dignitatis propriis, praecipitanter ac negligenter obire. Haec enim in omnium oculos incidunt, et incolarum et alienigenarum iudicio subiiciuntur, et praesertim eos offendunt, qui ex illis regionibus adveniunt, ubi et presbyteri convenientibus vestibus induuntur, et Missae debita devotione celebrantur. Haec secum reputans, et non sine fletu cogitans, ita querebatur pius ac doctus Cardinalis Bellarminus: *Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum sacerdotum incuriam aut impietatem, sacrosancta Mysteria tam indecore tractentur, ut, qui illa tractant, videantur non credere Maiestatem Domini esse praesen-*

tem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore et tremore, festinatione incredibili sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent. Et post haec nonnullis interiectis prosequitur in hunc modum: *Scio non deesse in Ecclesia Dei multos optimos et religiosissimos sacerdotes, qui corde mundo et nitidissimo apparatu Divina Mysteria celebrant; pro quibus gratiae Deo ab omnibus agendae sunt; sed simul etiam fontibus lacrymarum plangendi sunt non pauciores, qui exteriore turpitudine et sordibus animi sui impuritatem sordesque testantur.* Et nos interea in visceribus Christi fraternitatem tuam complectentes, et tibi et gregi curae tuae commisso apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris die XIX. februarii MDCCXLIX. pontificatus nostri anno IX.

TITULUS VI.

DE MASSONUM SOCIETATE

Societates Massonum, vel aliter nuncupatas, iterum damnat et prohibet, invocato auxilio saecularium principum et potestatum (1).

BENEDICTUS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

ad perpetuam rei memoriam.

Confirmatio apostolica vigentibus etiam legibus quandoque adiicitur.

Providas Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum leges atque sanctiones, non solum eas, quarum vigorem, vel temporum lapsu vel hominum neglectu, labefactari aut extingui posse veremur, sed eas etiam, quae recentem vim plenumque obtinent robur, iustis gravibusque id exigentibus causis, novo auctoritatis nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

Clemens XII. Societates (de' Liberi Muratori) damnavit, et prohibuit sub censuris Sedi Apostolicae reservatis.

§ 1. Sane felicis recordationis praedecessor noster Clemens Papa XII. per suas apostolicas literas anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVIII. IV. kalend. maii pontificatus sui anno VIII. datas, et universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est *In eminenti*, nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, conventicula, seu aggregationes, vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *des Francs Maçons*, vel aliter nuncupatas, in quibusdam regionibus tunc late diffusas atque in dies invalescentes, perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus et singulis Christifidelibus, sub poena excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel praesumere huiusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, et alias prout in eisdem literis latius et uberius continetur, quarum tenor talis est; videlicet:

CLEMENS EPISCOPUS

servus servorum Dei,

Universis Christifidelibus salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor literarum Clem. XII.

« In eminenti apostolatus specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia constituti, iuxta creditum nobis pastoralis providentiae debitum iugi (quantum ex alto conceditur) solicitudinis studio iis intendimus, per quae, erroribus vitiisque aditu intercluso, Orthodoxae Religionis potissimum servetur integritas, atque ab universo catholico orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Novarum Societatum indoles, et occultum institutum.

» Sane, vel ipso rumore publico nunciante, nobis innotuit, longe lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula, vulgo *De' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alia

(1) Vide Clem. XII. insertam const. *In eminenti*, MDCCXXXVIII.; et inferius suo loco Pii VII. *Ecclesiam*, MDCCCXXI.; Leo XII. *Quo graviora mala*, MDCCCXXV.; Greg. XVI. *Inter praecipuas machinationes;* Pius IX. *Qui pluribus*, MDCCCXLVI.; Leo XIII. *Humanum genus*, MDCCCLXXXVIII.

quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cuiuscumque religionis et sectae homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque ac impervio foedere, secundum leges et statuta sibi condita, invicem consociantur; quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando ad sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exageratione, inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Eaedem a saeculi potestatibus merito damnatae.

» Verum, cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem; hinc societates seu conventicula praedicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit, ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut in plurimis regionibus memoratae societates per saeculi potestates, tamquam regnorum securitati adversantes, proscriptae ac provide eliminatae iampridem extiterint.

Nunc autem apostolica auctoritate damnantur, et prohibentur.

» Nos itaque animo volventes gravissima damna, quae ut plurimum ex huiusmodi societatibus seu conventiculis, nedum temporalis reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum civilibus, tum canonicis minime cohaerere sanctionibus; cum divino eloquio doceamur, diu noctuque, more servi fidelis et prudentis dominicae familiae praepositi, vigilandum esse, ne huiusmodi hominum genus, veluti fures, domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de iustis ac rationabilibus causis nobis notis, easdem societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula *De' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, damnanda et prohibenda esse statuimus et decrevimus, prout praesenti nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et prohibemus.

Praeceptum omnibus Christifidelibus, ne quis easdem ineat, foveat, eisque se adscribet.

» Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis et praeeminentiae, sive laicis, sive clericis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictas societates *De' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alias nuncupatas, inire vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu domibus, vel alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios quoquo modo praestare, necnon alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut huiusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant; sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo, per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Sub poena excommunicationis latae sententiae Summo Pontifici servatae.

Commissio Ordinariis, et Inquisit. pro executione praesentium; cum facultatib. etc.

» Volumus insuper et mandamus, ut tam Episcopi et Praelati superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores, adversus transgressores, cuiuscumque sint status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae, procedant et inquirant, eosque tamquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant atque coerceant; iis enim et eorum cuilibet, contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi, ac condignis poenis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

» Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

» Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

» Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVIII. quarto kalendas maii, pontificatus nostri anno VIII. »

Falsa assertio cessationis censurarum in praeinsertis literis latarum.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo iactare non dubitaverint, dictam excommunicationis poenam a praedecessore nostro, ut praefertur, impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa praeinserta constitutio a nobis confirmata non fuerit; quasi vero pro apostolicarum constitutionum a praedecessore editarum subsistentia, Pontificis successoris expressa confirmatio requiratur;

Consilium datum Pontifici easdem literas confirmandi.

§ 3. Cumque etiam a nonnullis piis ac Deum timentibus viris nobis insinuatum fuerit, ad omnia calumniantium subterfugia tollenda declarandamque animi nostri cum eiusdem praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem, magnopere expediens fore, ut eiusdem praedecessoris constitutioni novum confirmationis nostrae suffragium adiungeremus:

Perspicua argumenta a Pontifice iam edita pro subsistentia earumdem censurarum.

§ 4. Nos, licet hucusque, dum pluribus Christifidelibus de violatis eiusdem constitutionis legibus vere poenitentibus atque dolentibus, seque a damnatis huiusmodi societatibus seu conventiculis omnino recessuros, et nunquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus, absolutionem ab incursa excommunicatione, tum antea saepe, tum maxime elapso iubilaei anno benigne concessimus; seu dum facultatem poenitentiariis a nobis deputatis communicavimus, ut huiusmodi poenitentibus, qui ad ipsos confugerent, eamdem absolutionem nostro nomine et auctoritate impertiri valerent; dum etiam solicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus iudicibus et tribunalibus, adversus eiusdem constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit; non quidem probabilia dumtaxat, sed plane evidentia et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi nostri sensus ac firma et deliberata voluntas quoad censurae per dictum Clementem praedecessorem, ut praefertur, impositae vigorem et subsistentiam, satis aperte inferri debuerant; siquae autem contraria de nobis opinio circumferretur, nos eam securi contemnere possemus, causamque nostram iusto Dei omnipotentis iudicio relinquere, ea verba usurpantes, quae olim inter sacras actiones recitatas fuisse constat: *Praesta, quaesumus, Domine, ut mentium reprobarum nos non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris iniustis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare quod praecipis*, ut habet antiquum missale, quod S. Gelasio praedecessori nostro tribuitur, et a venerabili servo Dei Iosepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quae inscribitur: *Contra obloquentes*.

Nihilominus praeinsertas literas in forma specifica confirmat per praesentes.

§ 5. Ne tamen aliquid per nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere, audito prius nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem praedecessoris nostri constitutionem praesentibus, ut supra, de verbo ad verbum insertam, in forma specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmare decrevimus; prout eam ex certa scientia, et apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, earumdem praesentium literarum tenore in omnibus et per omnia, perinde ac si nostris motu proprio, auctoritate, ac nomine primum edita fuisset, confirmamus, roboramus, et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus, et decernimus.

Causas damnandi, et prohibendi huiusmodi Societates enumerat et approbat.

§ 6. Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis et damnationis causas in praeinserta constitutione enunciatas, una est, quod in huiusmodi societatibus et conventiculis, cuiuscumque religionis ac sectae homines invicem consociantur; qua ex re satis patet, quam magna pernicies catholicae religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea quae in huiusmodi conventiculis fiunt; quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem in causa nimium diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt*. Tertia est iusiurandum quo se huiusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt; quasi liceat alicui, cuiuslibet promissionis aut iuramenti obtentu se tueri, quominus

a legitima potestate interrogatus, omnia fateri teneatur, quaecumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in huiusmodi conventibus fiat, quod sit contra religionis aut reipublicae statum et leges. Quarta est, quod huiusmodi societates non minus civilibus quam canonicis sanctionibus adversari dignoscuntur; quum scilicet iure civili omnia collegia et sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum libro XLVII., tit. 22 *de Collegiis ac corporibus illicitis;* et in celebri epistola C. Plinii Caecilii secundi, quae est XCVII. libri X. in qua ait, edicto suo, secundum Imperatoris mandata, vetitum fuisse, ne Hetaeriae essent, idest ne societates et conventus sine Principis auctoritate iniri et haberi possent. Quinta est, quod iam in pluribus regionibus memoratae societates et aggregationes saecularium principum legibus proscriptae atque eliminatae fuerant. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eaedem societates et aggregationes male audirent, eorumque iudicio, quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent.

Invocatio auxilii brachii saecularis ecclesiasticis superioribus in prioribus literis demandatum.

§ 7. Denique idem praedecessor in praeinserta constitutione Episcopos et superiores praelatos, aliosque locorum Ordinarios excitat, ut pro illius executione, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

Pontifex ipse Suprem. Principum, et saecularium potestatum opem invocat, et requirit.

§ 8. Quae omnia et singula non solum a nobis approbantur et confirmantur, eisdemque ecclesiasticis superioribus respective commendantur et iniunguntur; verum etiam nos ipsi, pro apostolicae solicitudinis officio, praesentibus nostris literis, catholicorum Principum omniumque saecularium potestatum opem auxiliumque ad praemissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus; quum ipsi Supremi Principes et potestates electi sint a Deo defensores fidei, ecclesiaeque protectores; ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut apostolicis constitutionibus debitum obsequium et omnimoda observantia praestetur; quod iis in memoriam revocarunt Trid. Synodi Patre, *Sess. 25, Cap. 20,* multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus, suorum capitularium *Tit. 1, Cap. 2,* ubi, post demandatam omnibus sibi subditis ecclesiasticarum sanctionum observantiam, haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis ditionum suarum praesidibus et ministris iniungens, ut omnes et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiae legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit, qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes, eisque inobedientes fuerint inventi, sciant, se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum, neque nobiscum, aut cum nostris societatem aut communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.*

Fides transumptis habenda.

§ 9. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio.

§ 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domini MDCCLI., XV. kal. aprilis, pontificatus nostri anno XI.

TITULUS VII.

DE MISSAE CELEBRATIONE SEDENDO

Adductis argumentis militantibus sive pro sumenda Communione, sive pro cecebranda Missa sedendo, suam lucubrationem doctorum trutinae committit.

Dileoto filio magistro Ignatio Reali apostolioarum oaeremoniarum praefeoto,

BENEDICTUS PP. XIV.

Dileote fili, salutem et apostolioam benediotionem.

I. Aestas an. MDCCLVI. proxime praeteriti variis corporis afflictationibus nos oppressit, quas aetas nostra, gravis admodum, [illegible]que non intermissi a prima iuventute labores progignere videbantur. Morbi initium, prout fieri assolet, leviorem vim exserebat; hinc a nobis ipsis episcopatus ordine insigniendum esse reputavimus reverendissimum dominum Carolum Camucium Iustinopolis sive Aegidae Antistitem, cui rei perficiendae tu utpote primus caeremoniarum magister opportuna quaeque disposuisti, et de qua nos die XX. octob. MDCCLVI. epistolam dedimus ad praesulem ordinandum, quam typis impressam quartus Bullarii nostri tomus propediem lucem publicam visurus numero LXIV. exhibebit.

II. Malum, quod in suo exortu laevius videbatur, progressu suo exasperatum est haud mediocriter; insequentibus quippe mensibus bis morientium viatico muniti, bis extremum inuncti, et bis pariter, iuxta Romanorum Pontificum probatum morem, fidem sumus professi. E gravissimis hisce discriminibus erutos domini benignitas in eam nos constituit corporis habitudinem, qualis nunc est, quaeque intelligentiae facultatem adeo nobis non eripuit, minuitve, ut divino beneficio eam in ipso augescentis morbi furore conservaremus immotam: exteris non minus, quam publicarum rerum curam gerentibus, nos alloquendi facultatem concedimus, opportuna mandata singulis imponentes: intersumus consessui, quem consistorium dicunt, et S. Officii Congregationi semel in hebdomada sub nostro obtutu haberi solitae: scriptorum calamus pro exigentia et more, quae occurrunt, necessaria excipit: basilicas quoque Romanae Urbis invisimus quandoque, nusquam tamen a sede gestatoria, qua sustinemur, descendentes.

III. Dies erat XXVII. octobris divis Simoni et Iudae Apostolis sacra, et Iustinopolitani Antistitis consecratione celebrata, ex qua sacris amplius operati non sumus, pedibus nulla ratione nos sustinere valentibus; diebus vero, quibus alioqui sacra facere consueveramus, sacram Eucharistiam recipimus sedentes, aut sedentis in modum lecto incubantes, neque sub id temporis missam a nobis celebrari posse sperabamus, quod medici spem nobis fecissent mitigatae aestatis beneficio aere omissa interea compensatum iri. Verum nihilo firmiores effecti temporis illa vicissitudine etiam annua, videbamur per reliquam vitam omnem pedum iuvamine, et spe simul augusta mysteria celebrandi, excidisse, iamque huic necessitati lubentes obtemperabamus. Id porro solum est reliquum, ut disquiramus, semperne Sacra Communione simus reficiendi, aut vero missa sit celebranda sedentibus?

IV. Lubentes nos huic necessitati cessisse diximus; neque enim a Deo sive vitam, sive infirmitatis ablationem petivimus, sanctissimae eius voluntati omni cordis plenitudine et sinceritate subiecti, certi, ipsum et animae nostrae, et Ecclesiae, et Sedis Apostolicae curam habiturum, concesso etiam aliquo vitae spatio. Diximus praeterea tempus adesse, quo determinandum esset, peragendumne in consueta hucusque Sacrae Eucharistiae sumptione, an vero Missa esset celebranda sedentibus. Cum vero Salomon *Prov. cap. 3* hortetur: ***ne innitaris prudentiae tuae,*** quae eadem verba in decretali ***ne innitaris, de constitutionibus*** laudata sic illustrat Iansenius in proverbia: ***vetat niti suae prudentiae, quod est sic illi fidere, quasi illa sufficiat ad directionem actuum nostrorum, et provisionem rerum necessariarum.*** Similiter Salazar in eumdem proverbiorum locum ***n. 26*** cum S. Ioan. Chrysostomo observat, hac lege teneri etiam senes quantumcumque rerum experientia praeditos, et quocumque prudentiae baculo suffultos: ***Baculus,***

inquit Chrysostomus, senectutis sustentatio est. Quapropter dixerim, eo spectasse Salomonem, ut his verbis suadeat, sapientiae, vel prudentiae propriae non inniti. Nam, si qui possent certo propriis consiliis et prudentiae fidere, maxime senes et grandaevi, propter experimentum et canos. Ait ergo: ne prudentiae, quasi baculo, innitaris: id est, etiamsi ad senectam perveneris, cum opus est baculo, ne tunc quidem tua prudentia, quasi baculo utaris. Hinc est quod nos adductis in utramque partem argumentis sive pro sumenda ulterius Communione, sive pro celebranda Missa sedendo militantibus, statuimus hanc nostram lucubrationem variorum pietate et doctrina conspicuorum virorum trutinationi committere, ut secundum illorum iudicia, quae agenda sint, constituamus. Æneas Sylvius Piccolominus, postea Pius II. in pontificia dignitate dictus, in epistola ad Martinum Mayer Moguntinensis Archiepiscopi Cancellarium data, et in ipsius commentariis Romae MDLXXXIV. edita, necessitatem exponit, qua Pontifex alios consulere tenetur: *Papa etsi doctus et sapiens est, non tamen tam verbo suo sapit, quam consilio assistentium; et deciperetur forsitan aliquando, nisi astarent viri sapientes qui multa noscant.* Magnum nobis documentum, qui nec sapientia nec doctrina praecellimus, in negotio praesertim nos ipsos concernente, in quo amor proprius nos insigniter possit decipere absque aliorum prudenti consilio.

COMMENTATIO

Satiusne sit, sacram Communionem recipere, more hactenus a Pontifice servato, an Missam celebrare sedendo.

v. Ut ordinatim procedamus, exponemus primo loco quae recipiendam porro Communionem concernunt, omissa celebratione Missae a sedente perficienda, inde gradum facturi ad partem alteram, quae Communionis loco Missam a sedente celebrari permittit.

vi. Docet S. Thomas *2-2, quaest. 93, art. 1 ad secundum:* iustos ante legem interiori quopiam instinctu didicisse modum Deum colendi, quem alii quoque fuerint imitati: *ante tempus legis iusti per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur.* Per legem vero postmodum inducta fuisse praecepta externa, quibus ad ea perficienda et instruebantur et adstringebantur homines: *postmodum vero exterioribus praeceptis,* pergit angelicus Doctor, *circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est.*

vii. Abrogata postmodum per Christi adventum Mosaicae Legis observantia, et Evangelio promulgato, non quidem omnes ritus ad Sacramentorum administrationem Missaeque celebrationem pertinentes ab Apostolis fuere instituti, sed eorum plerique ab ecclesia praescripti, quod tamen minime evincit, quin omnes ad amussim sint observandi. *Suarez tom. 3, in 3 part. D. Thomae, quaest. 83, art. 5, disput. 84, sect. 1,* post relata S. Pauli Apostoli verba *1 ad Corinth. 14, omnia secundum ordinem fiant in vobis:* inquit, adactam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas spectantes ad ritum administrandi Sacramenta et Missae celebrandae: *et ideo oportet in his omnibus, etiam minutissimis, certum ordinem ab Ecclesia constitui:* si namque cuiusque arbitratui id fuisse relictum, *multa indecore et imprudenter fierent:* quid quod eadem apud omnes rituum ratio et Ecclesiae unitatem commendet et intentam pastorum sollicitudinem? *Haec uniformitas, quae in his omnibus servatur, ad splendorem officii ecclesiastici spectat et unitatem Ecclesiae commendat, et pastorum eius curam ac sollicitudinem.*

viii. Iam vero, ut ad materiae nobis propositae fundum mittamus bolidem, generales regulae, quas rubricas dicunt, Romani Missalis *Tit. 17* vetant sessionem in missis privatis, quam tamen concedunt in solemnibus, dum *Kyrie, Gloria* et *Credo* a choro decantatur. Tridentinum vero Concilium *Sess. 7, de Sacramentis in genere, can. 13,* omnem quantulamcumque mutationem rituum prohibet, et S. Pii V. Bulla Missali praefixa rubricarum observationem exigit omnimodam. Ex quibus perspicuum videtur, quod, si quis alio modo, quam sedendo celebrare Missam nequeat, Communione *laicorum more* contentus a celebratione abstinere teneatur.

ix. Quid vero, siquis ad sedentariae missae celebrationem dispensetur? Verum, cum rubricae sessionem prohibeant, videtur illa irreverentiam continere, quae dispensationis remedio non tollitur. Theophilus Raynaudus in opere inscripto: *Sacrum chri-*

stianum Acathistum, seu sessionis expers., tom. 6, pag. 498, § 4 et seqq., dilucide illam irreverentiam docet. Extat quoque opusculum S. Petri Damiani numero 39 editionis anni MDCCXLIII., in quo Episcopum Bisuntinum hortatur ad arcendum a sua dioecesi *opprobrium ignominiosae sessionis*. In decreto etiam Gratiani gemini hanc in rem canones adducuntur, 57 videlicet et 68 de Consecrat., dist. 1; primus ita habet: *Nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus ad missarum solemnia celebranda praesumat cum baculo introire;* alter vero ita sonat: *Apostolica auctoritate mandamus, dum sancta Evangelia in Ecclesia recitantur ut sacerdotes, et ceteri omnes praesentes, non sedentes, sed venerabiliter curvi in conspectu evangelii stantes, dominica verba intente audiant et fideliter adorent.*

x. Neque sermo nobis est de dispensatione ad celebrandam Missam a sedente, qui tamen canonem stans absolvat, quod alias concessum scimus, sed agitur de integra missa sedendo celebranda, cuius exemplum haud extare dicitur. Pasqualigus *de Sacrificio novae legis, tom. 1, quaest. 227, quaerit: An sacerdos dum celebrat, sedere possit?* atque negative resolvens propter obstantem irreverentiam, ad pontificiam dispensationem deflectens quaestionem, ait, illam non oportere concedi ad integram Missam: convenientius fore, si sacerdos ob pedum debilitatem integram Missam absolvere nequeat, intermisso tantisper continuo ordine, sedendo vires resumat. *Satius esset, quod potius interrumperet Missam, et sedens quiesceret ad recuperandas vires, quam sedendo celebraret.* Id quod fieri vidimus ab homine pio et docto Inquisitore Perusino, qui iuxta tenorem obtentae dispensationis omne absolvendo canoni tempus explere stando non poterat, pedibus officium suum denegantibus.

xi. Superflua forte videbuntur hactenus adducta contra Missam sedentariam, praesertim si de canone pariter sermo instituatur; cum sessionis prohibitio non a lege naturae, aut Dei, sed positiva solummodo inducta sit: Pontifex autem Romanus omni positivo iure sit superior, facillime eidem derogando veniam facere poterit Missam omnem, ipsumque adeo canonem sedendo absolvendi.

xii. At vero meminisse oportet, esse casus nullo aut naturae aut divino iure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvis soli positivae legi derogaturus.

xiii. Non convenit inter theologos, an matrimonium inter fratrem et sororem, iure naturali, divino, vel humano prohibeatur. Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius et Aversa solam iuris positivi prohibitionem agnoscunt; neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quopiam Pontifice admissas fuisse preces fratris et sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium: quae enim a Sanctae Sedis hostibus proferuntur exempla, falsa sunt. Institit equidem Henricus VIII. Angliae Rex vehementer apud Clementem VII., ut spurio ipsius filio Duci Richemundensi ducere liceret Mariam e legitimo Henrici et Catharinae thoro prognatam, repulsam vero tulit illico; similiter dispensatio illa, cuius obtentu Dux Armeniacensis sorori suae nupserat, subreptitia omnino erat, cum Calixtus III. constanter eam concedere recusaverit. Haec uberius relata et comprobata reperies apud Rigantium *in Reg. 49 Cancellariae a num. 13 ad 17.* Nosque viri huius mentionem honorificam eo facimus libentius, quod nostram, dum *in minoribus* essemus constituti, amicitiam peculiarem singularibus animi dotibus et utilissimo illarum usu sibi vendicaverit.

xiv. Matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae iure tantum positivo interdicitur, asseritque Silvius magni nominis theologus, Pontificem dispensare posse cum vitrico et privigna; ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima dispensaverit in primo affinitatis gradu lineae rectae, prout ostensum a nobis est *lib. 9, de Synodo Dioecesana, cap. 13, num. 4, edit. noviss.*

xv. Impedimentum *criminis* secuta etiam coniugis occisione a positivo iure est stabilitum, quod patet ex Hebraica Lege matrimonium post copulam, et coniugis occisionem irritum non agnoscente: atque ipsi probe meminimus, reiectam esse a Tribunali Sancti Officii, cui *in minoribus* a consiliis eramus, petitionem iudaei cuiusdam *criminis* impedimentum hebraeorum matrimoniis opponere volentis, si post coniugis occisionem fuissent contracta. Sane nemo Davidis cum Bethsabea matrimonium irritum credidit, quamquam adulterium praecesserit, et Uriae interfectio. Cum itaque matrimonium eiusmodi iure solum positivo prohibeatur, adeo difficulter dispensatio concedenda nec fuisset, nec esset,

concurrente praesertim causa legitima, si generalis illa regula subsisteret, facile dispensari in prohibitis iure tantum positivo: neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento huiusmodi publico. Videantur quae hanc in rem congessit Miglioruccius *in Institutionibus canonicis ad lib. 2, tit. 14, in explicationibus ad num. 9 et 10, ubi coniugis occisio secuta sit, numquam dispensatur, non quia Pontifex non possit:* si impedimentum sit occultum, maior poenitentiarius dispensat in matrimoniis tum contractis tum contrahendis pro foro interno, commisso adulterio, sed *neutro machinante;* verum si impedimentum oriatur ex adulterio, *utroque vel altero machinante,* sitque occultum, habet quidem Maior Poenitentiarius facultatem dispensandi, *raro tamen,* et semper pro foro tantum interno, his quoque servatis, ut gravis concurrat necessitas, aut grave immineat periculum et casu in plena Congregatione aut Poenitentiariae signatura, proposito. Videatur Constitutio nostra XCV., *Pastor bonus, tom. 1 nostri Bullarii,* § *44.*

XVI. Hactenus in medium allata abunde commonstrant non temere pro regula statuendum, quod prohibitis lege solum positiva, non vero naturali vel divina, derogandi plena et non circumscripta sit Pontifici Romano libertas: imo exemplis adductis illud adiungi potest de Missa sedentaria una cum Canone celebranda: namque Missae huius oppugnator concessionis similis memoriam haud extare contendit.

XVII. Neque dictis obest, quod dispensationis eiusmodi denegatio impediat magnum bonum, aedificationem nimirum populi ex Episcopi celebratione, qualicumque demum valeret modo, peracta, proventuram; namque aedificatio illa neutiquam obtinetur, cum dispensationes istae celebrandi sedendo, excepto tempore canonis, clausulam contineant, ut Missa in privato oratorio celebretur ad evitandam populi mirationem; atque cum bonum illud obtineri possit, praescindendo a motivo praemisso, non videtur illius consecutio quaerenda novitatis huius in Ecclesiam intrusione; Episcopi siquidem pietas nutriri potest per communionem *more laicorum* sumptam, qui autem pro populo sacrificium offerat, substituere sibi potest sacerdotem alium.

XVIII. Magnum beneficium est, si infirmo, quod petiit sacrum Viaticum a sacerdote porrigatur: verum si nequidem una habeatur candela, si vestes sacrae desint, si alio profectus esset sacerdos casum haud praevidens, clavesque tabernaculi secum ferens; tum enim vero infirmus Viatici sacri munimine carebit quidem, docebitur tamen sufficere desiderium, et Sacramenti perceptionem *in spe,* cum nequiverit recipere *in re:* similiter, et in sacerdote sufficiet prompta ministrandi infirmo Viaticum voluntas, cum Missae celebratio absque luminibus aut sacris indumentis licita non sit, nequidem pro ministrando Viatico, iuxta probatiorem opinionem, qua de re actum est in nostro tractatu de SS. Missa, *tom. 2, sect. 2, cap. 1,* § *3, edit. ital. sect. 2, num. 52, edit. latinae.*

COMMENTATIO

De celebratione Missae etiam sub Canone a sedente, quin obligetur sacerdos stare non valens ad recipiendam semper Communionem more laicorum.

XIX. Asserens bene concedi licentiam, ut sacerdos debilitate pressus sedendo Missam ipsumque adeo canonem absolvere possit, contendit, sessionem inter divinas preces nec indecentem esse, nec opprobrio plenam. In Actis Apostolorum, *cap. 2,* legimus, divinum spiritum descendisse super Apostolos in coenaculo sedentes: *et replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Ideoque Cardinalis Caietanus in Acta Apostolorum ita commentatur: *non horreo sessionem corporalem, cum nihil indecens inducat:* additque Navarrus in Manuali de oratione, *cap. 4, num. 12,* si tum corporis sedentarium non esse incongruum orantibus. Admittit quidem sedentariae Missae patronus, indecens esse Missam celebrare a sedente; attamen causa legitima concurrente, puta pedum debilitate, nequidem Canonem stando perficiendum permittente, sufficiens motivum haberi ad concedendam sessionem per totam Missam, non quidem singulis, sed spectabilioribus, e clero propter dignitatem suam ecclesiasticam, multoque magis Episcopis ad celebrationem ex munere suo adstrictis. S. Petrus Damianus aversabatur vehementer sessionem in precibus, sub finem tamen praelaudati opusculi *cap. 4, pag. 336,* haec addit: *Nemo sedeat, nisi corporis eum valetudo compellat.* Nec pacatior sessionis in orando osor Theophilus Raynaudus, *loc. cit., pag. 503, col. 1,* ita habet: *Quis sedere coram Deo*

audeat iniussu eius? at abest Dei nutus, vel iussum de sibi assidendo, si absit aegritudo corporis sessionem deposcens, ea enim corporis imbecillitas divinae indulgentiae ad sedendum concessae tessera est ex natura rei. Cumque in Canone 131 Concilii Aquisgranensis legamus: *Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum et psallendum est.* Eruditus Pater Haeftenus in doctis suis disquisitionibus monasticis, *lib. 7, disquis. 1, pag. 705,* ita Canonem explicat: *Quod autem debilibus hic legimus baculum indulgeri, ceteris negari, id factum eo modo, quo de Zebina scribit Theodoretus in Philoth. cap. 24, postquam autem non permittebat senectus, ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei praestabat baculus, cui innixus Dominum et laudabat et orabat.*

XX. Et sane, si media omnia adhibentur, ut sacerdos ad Missae celebrationem ineptus effectus, dispensationis remedio ad eam celebrandam reddatur idoneus; si conatus omnis intenditur, ut auferantur impedimenta laicos a Sacramentorum perceptione arcentia: mirari nemo debet, si non solum aliquibus pedum debilitate laborantibus concedatur facultas Missae sedentariae canone excepto, sed si dignioribus Ecclesiae Ministris, Episcopis praesertim, eadem pedum infirmitate oppressis permittatur sessio sub ipso quoque canone et consecratione.

XXI. Si parochus, aut sacerdos alius, videndi facultate privatus non sit, licentia ei conceditur celebrandi in festis solemnioribus et duplicibus Missam votivam de Beatissima Virgine, diebus autem ferialibus Missam defunctorum: multae vero clausulae huic concessioni adiiciuntur, illa praesertim, ut *non sit omnino caecus, nec recitet memoriter;* iniungiturque Episcopis ut, si omnino caecus reddatur, omni celebrandi facultate privetur. Atque si sacerdos caecus efficiatur post susceptum presbyteratus ordinem, hic illum defectus non ordine ipso, sed ordinis executione privat, et quidem tantum quoad confectionem Eucharistiae, non item quoad alias functiones visum non exigentes, qualis esset confessionis auditio, praedicatio etc., prout optime observat S. Thomas, *3 part., quaest. 82, art. 10, ad 3.* Non vero desunt exempla concessae caecis Episcopis licentiae Missam celebrandi. Aimonius sane refert in actis Concilii Tricassini anno DCCCLXXVIII. habiti apud Baronium, et Natalem Alexandrum, Ioannem VIII. in eodem Concilio ad instantiam Episcoporum Hincmaro Laudunensi caeco, nepoti Hincmari Rhemensis, facultatem Sacris operandi fuisse elargitum. Soto quoque in *4 Sentent., dist. 9, qu. 1, art. 2,* testatur visum a se in Concilio Tridentino Episcopum caecum ex Pontificis dispensatione quotidie celebrantem. Cum nos *in minoribus* munere fungeremur secretarii Congregationis Concilii, mature discussa materia, excussisque auctoribus allegatis a nobis, in folio desuper confecto, *et tom. 4 Thesaur. Resol. Congregat., pag. 101, et seqq. edit.* Urbin parocho Florentino caeco omnino, sed magnorum meritorum intuitu circumstantiarum variarum in eius favorem concurrentium licentia concessa est Missam celebrandi sub assistentia alterius sacerdotis; causa haec proposita est II. augusti MDCCXXVII., et eiusdem anni, mensisque die XXIII. terminata. Neque recentiora desunt exempla similium concessionum.

XXII. Non est celebranda Missa operto capite. Canones id prohibentes adducti a nobis sunt *in Notificatione 14, Tom. 2, quae 34 est latinae editionis, § 2, edit. ital.; latinae vero sect. 1, num. 53.* Inter alios vero canones ad literam id habet can. *Nullus Episcopus de Consecrat. dist. 1: Nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus, ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere.* Quidquid autem sit de eo, quod Vasquez, *tom. 3, in 3 art., disput. 232, cap. 4,* refert, in Polonia Sacerdotes etiam regulares in hyeme operto capite Missam dicere usque ad consecrationem; consuevit dari licentia capite operto Missam legendi excepto canone, si testentur medici ex capitis nudatione sanitatis periculum imminere. Paulus V. concessisse legitur in aliquibus Orientis Ecclesiis Missas integras una cum canone operto capite celebrari, cum iis in regionibus inurbana habeatur capitis denudatio. Raymundus *citat. tom. 6, pag. 499, columm. 2, et* Henaus *tom. 2, de Sacrificio, disput. 27, section. 2, num. 10,* admittunt, operto capite Missam et Canonem dici posse, si alias timeatur saluti sacerdotis, in regionibus praesertim frigidis. Ideoque Navarrus *lib. 3 de celebrat. Missarum, Consil. 7, num. 5, edit. Venet. 1621,* haec adfert: *Non desinunt Sacramenta divina reverenter tractari, eo quod ex iusta causa et necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis,*

pileolo aliquo honesto caput tegatur. Concordat Salmero *tom. 14, in ep. 1 ad Corinth., cap. 11, disput. 18, pag. 144, edit. Colon. 1614, et* Henaus *cit. sect. 2, num. 20,* ita cum Arriaga concludit: *Non est censendum, Deum malle omitti sacrificium, aut quod graviter sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita; cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus.* Praeterea sacerdotibus vetitum est deferre fictitia capillitia, prout liquet ex documentis a nobis congestis in Tractatu *de Synodo Dioecesana; edit. novis., lib. 11, cap. 9,* maximeque ea prohibitio se extendit ad celebrationem Missae: attamen per speciem aliquam tolerantiae, ut clericis concedatur etiam Missam celebrare sic coopertis, dummodo corona seu tonsura clericalis aperta semper maneat.

XXIII. Agendum iam est de modis excogitatis, quibus facilior redditur laicis Sacramentorum perceptio, non obstantibus quibusdam difficultatibus. Notum cuique est, celebratam olim in mari Missam, quae sicca dicebatur, quaeque prohibita est; nunc autem facultas conceditur missae verae celebrandae, si tamen navis secura sit, remota a littore, mare tranquillum, et praeter sacerdotem celebrantem adsit presbyter, aut diaconus alius, qui exurgente forte quopiam motu calicis effusionem praevertat: singula videri possunt *Tom. 2, de Sacrificio Missae sect. 2, cap. 1, § 3, pag. 256, edit. Ital. Latinae vero Sect. 2, num. 49, et seqq.* Atque ne prolixior sit oratio, indicare sufficiet, modum quoque adinventum esse ministrandi sacram Eucharistiam infirmo, consecratam particulam deglutire non valenti, nec minus peste laboranti, quin sacerdos ministrans eam contrahendi periculum subeat; quoad primum videatur in tract. de Sacrificio Missae, *t. 2, sect. 2, cap. 6, § 4, edit. ital., et sect. 2, n. 170, edit. latinae;* secundum habetur in Tractatu de Synodo Dioecesana *edit. noviss. lib. 13, cap. 19, num. 21 et seqq.* Ex quibus omnibus confirmantur superius dicta, nimirum si omni ratione perspectum est sacerdotibus simplicibus celebrare non valentibus, ut possint nihilominus sacris operari; si omni possibili modo laicis sacramenta ministrantur, non debent accumulari scrupuli et subtilitates ad arcendos presbyteros in dignitatibus ecclesiasticis constitutos, et Episcopos praesertim a celebranda missa sedentaria, si debilitate pedum laborent: cum praecipuum Episcoporum officium sit, offerre Deo sacrificium pro populo curae suae concredito, et pro seipso.

XXIV. Id sane disertis verbis docet *Sanctus Paulus Epist. ad Hebr., cap. 5, vers. 1 et seqq.: Omnis namque Pontif. ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis, qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis:* Et in eiusd. *epist. cap 8, vers. 3: Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, et hostias constituitur.* Inde post prolixum sermonem in idem *cap. 5* concludit Ioannes Gagneus: *Munus ergo assumpti Pontificis est orare et pro suis et pro populi delictis sacricia offerre, et agnoscere se peccatorem, atque ita populi peccatis condolere.* Gagneo assentiuntur Guilelmus Estius, Salmero et Cornelius a Lapide in Commentariis in citatum *cap. 5.* Neque regerenda hic est superius allata obiectio, cessare motivum aedificandi populum per celebrationem, cum haec perfici nequeat a sedente nisi in cappella aut oratorio privato ad evitandam populi demirationem; neque enim populi aedificatio princeps causa celebrandi est, sed oblatio sacrificii pro populo, quae obtinetur aeque per celebrationem in oratorio. Praeterea populus videns Episcopum suum celebrare, quo potest, modo, sciensque sedentem celebrare ex concessione pontificia, tantum abest, ut offendatur, quin potius aedificetur.

XXV. Bene omnia haberent, inquis, si prout exempla habentur concessae Episcopis licentiae, sedendo Missam celebrandi, illa ad Canonem quoque, adeoque ad totam et integram Missam se extenderet; in hoc enim cardo rei vertitur. Antiquitatis sacrae monumenta evolventi occurrit S. Lucianus Martyr, qui in persecutione Maximiani fidelium eodem secum carcere detentorum desiderio sacro Missae sacrificio assistendi facturus satis, ipso Epiphaniae festo die in terram extensus, et pectore tamquam ara usus sacris est operatus, prout videre est in actis apud Bollandistas *tom. 1 Ianuarii, pag. 361, num. 14.* Theodoretus Cypri Episcopus in gratiam Sancti Eremicolae, qui Missae nunquam

interfuerat, allatis in ipsius tugurium sacris vasis, manibus Diaconorum pro altari usus sacram confecit Eucharistiam, prout ipsemet refert in Philotheo *cap. 20*. Uranius in epistola *de obitu Paulini* apud Bollandistas *tom. 4 Iunii, pag. 198, n. 2* testatur, quod cum ad decumbentem S. Paulinum Nolanum Episcopum alii duo praesules inviserent, aegrotus licet cum illis Missam celebraverit erecta prope lectum ara: ***Et quasi profecturus ad Dominum, iubet, sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi: scilicet ut una cum Sanctis Episcopis oblato sacrificio, animam suam Domino commendaret:*** quod et factum indicatur *numer. 3*. ***Et cum haec omnia Sanctus Episcopus laeto ac perfecto ordine celebrasset.*** Neque, quod aliqui contendunt, illa Uranii verba de perceptione sacrae Eucharistiae, non item de celebratione Missae intelligenda sunt, huic enim suffragantur Tillemontius *tom. 14, in Actis S. Paulini, art. 52, pag. 139, edit. Venet.*, doctissimusque pater Magister Orsi magister sacri palatii apostolici *t. 12 Histor. Eccles., lib. 18, num. 76, pag. 375*.

XXVI. Speciosa quidem sunt exempla superius allata, praesentique casui apprime conveniunt; verum antiqua sunt, et praecedentia tempus illud, quo in modernos ritus fuit reducta missae forma. At vero S. Tarasius patriarcha Constantinopolitanus mortuus est sub initium saeculi noni, Ignatius vero Episcopus Nicaenus, Tarasii discipulus et illius vitae scriptor videndus apud Baronium ad annum DCCCVI. et apud Bollandistas *tom. 3 Februarii pag. 586, num. 47*, hunc in modum describit celebrationem Missae a Sancto Patriarcha graviter decumbente peractam: ***Ingruens morbus et valde gravem ei dolorem afferens, non persuasit, ut oblivisceretur perpetui et divini officii. Nam et morbo et senio laborans, nequaquam satiabatur sacrosancti Mysterii celebratione, sed intenso amore ad Deum ardens, et morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensae ligneae, quae ponebatur ante Aram Divinam, Sancta peragebat, infirmus videlicet:*** quod est ventre et pectore adniti tabulae, partemque corporis reliquam, pedibus sustentando. De S. Ivone presbytero, et parocho Britanniae Armoricensis anno MCCCIII. defuncto legitur, quod pedibus insistere non valens, hoc Missam celebraverit modo: ***Fuit adeo infirmus et debilis, quod se non poterat sustinere: immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, et sic Missam celebravit in cappella sua:*** prout videre est *tom. 4 Maii*, apud Bollandianos, *pag. 541, A., num. 17*, atque testis *de visu* fatetur apud eosdem Bollandianos *loc. cit. pag. 560, C. num. 65*. Mauritius vero Gaufridus in prolixa descriptione vitae S. Ivonis *in cit. tom. 4, Bollandistarum pag. 594, A., cap. 5, n. 59*, rem omnem ita complectitur: ***Erat autem adeo tunc infirmus, ut prae debilitate corporis nec induere, nec exuere per se sufficeret sacras vestes, sed nec alia pro Missa necessaria praeparare, ad altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se iuvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Belliportus et de Begar, et Archidiacono Trecorensi cum aliis praesentibus fulciretur.***

XXVII. Propius iam ad scopum accedimus, sed cum disciplina illius aevi, cuius exempla in medium attulimus, necessitatem dispensationis apostolicae ad Missae sedentariae celebrationem necdum induxerit, quae tam sapienter admodum est invecta, ne quisque infirmitatem sibi fingens sedendo celebrare augusta mysteria auderet: adferemus porro exempla concessarum a Romanis Pontificibus dispensationum pro celebratione Missae a sedentibus, excepto tempore canonis, de quo haud est controversia, sed de integra Missa a sedentibus celebrata, de qua in praesentiarum potissimum quaestio agitatur.

XXVIII. Ioannes Renna Venetus, factus III. novembris MDXXXIV. Episcopus Algeriensis, indeque anno MDXXXVIII. die XIII. Maii ad Sedem Pampelonis Novae translatus, varias a Paulo III. gratias petiit. Inter alia exposuit, se podagrae morbo omni propemodum membrorum usu esse privatum: ***Diversis infirmitatibus podagrae detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus est***: ideoque Missam stando celebrare non valens, petiit facultatem sacris operandi in sella eo confecta artificio, ut illi insidens, stare videretur. ***Ac tibi, qui propter infirmitatem praedictam, Missam stando celebrare non vales, et zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri, et alia, quae ad episcopalem ordinem pertinent, etiam sedendo exercere.... tenore prae-***

sentium de speciali gratia indulgemus; proviso, quod Divinum Sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur; et, si celebratione tua in artificio praedicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem huiusmodi non publice sed privatim facias. Breve Cardinalis Hieronymi Ghinuccii manu subscriptum reperitur, ille enim scripta roborandi munere fungebatur, prout Ciacconius, *tomo 3, pag. 569,* refert, adiectum quoque est nomen secretarii apostolici breviori nota signatum. Ipsum vero Breve habetur in schediis autographis Brevium Pauli III. in Archivio secreto *anni* MDXXXVIII., *num. 466,* integrumque exhibebitur ad calcem huius epistolae, ut cuiusque iudicium convincatur. Nos quidem mechanicarum rerum ignari sedis huius, in qua sedens stare videbatur, examen haud instituemus: id exinde deduxisse sufficiet, Paulum III. Episcopo Pampelonensi facultatem fecisse per omnem Missam sedendi, ne canonis quidem et consecrationis tempore excepto.

XXIX. Pontifex Pius V. primo pontificatus sui anno Francisco Ferrerio Cardinali tituli S. Agnetis ob podagrae molestias stando sacris operari non valenti veniam fecit, ut in privata cappella sedens sacram Liturgiam perageret: *Nos specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, ut, quotiescumque devotionis gratia Missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in oratorio domus tuae, seu cappella tua privata, coram familiaribus et domesticis tuis duntaxat, ita ut exinde nullus scandalum aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium, licentiam concedimus et facultatem.* Schediasma autographum firmatum manu reverendissimi Caesaris Glorierii senioris Brevium secretarii, in Archivio secreto inter diagrammata archetypa Sancti Pii V. *anni* MDLXVI., *num. 572,* asservatur. Hoc quoque Breve integrum subiiciemus, tum ut cuique innotescat, tum, ut levitatis convincantur asserentes, rei cuiuspiam exemplum non extare, quod ipsi illud ignorent; ex quo fit, ut dum talium assertionum facilitas laboris molestiam in alios transfert, ipsis grave accidat, si quae existere negaverant, in lucem protrahantur.

NARRATIO

Factorum Romanum Pontificem attingentium, quorum notitia necessaria videretur praesentem quaestionem diiudicaturo.

XXX. Supervacanea videri potuerunt, quae deinceps in medium erimus allaturi, si enim Summus Pontifex aliis impedimento laborantibus facultatem elargitur Missam celebrandi sedendo, mirarine subibit, si eadem ex causa eadem ipse utatur oeconomia? At vero universim loquendo non videtur pontificiae dignitati convenire usus licentiae aliis concessae. Hinc ut dispiciatur, an indecens sit a Pontifice sedente Missam celebrari, disquirendum, fuerintne Pontifices, qui omnem Missae celebrationem sedentes perfecerint. Haud equidem magni nobis moliminis haec res est, cum concessuri bonae memoriae Cardinali de Rohan podagra impedito licentiam celebrandi Missam sedendo, excepto Canone et Consecratione, omnia ad id argumentum facientia solicite conquisierimus. Neque iam illa congerere valeremus, tum senii onere gravati, et ab aegritudinis molestiis nondum plene liberi; tum vero maxime carentes libris nobis longo usu notissimis, quos cum omni nostra bibliotheca selecta Instituto Bononiensi dedimus: quanto vero et laboris et temporis, cuius penuria laboramus, impendio illa in libris, quibus necdum assuevimus, inquireremus?

XXXI. Honorius IV. anno MCCLXXXV. in Pontificem electus, diaconus erat utique presbyterio et episcopatu primum insigniendus. Historiographi infirmitatis habitu adfectum testantur: Martinus e Minorum coetu in *Floribus Temporum,* Ioannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonensis et Hermannus Cornerus in suis chronicis apud Ioan. Georg. Eccardum *in corpore Historico medii aevi, tom. 1, pag. 1631, pag. 1758, pag. 2088. et tom. 2, pag. 936.* Affirmant alii Honorium ea pedum debilitate laborasse, ut nequidem incedere potuerit: Riccobaldus Ferrariensis *in Historia Romanorum Pontificum ad ann.* MCCLXXXV. *in tom. 9 Rerum Ital. Script., pag. 182.* Alii, ea chyragrae podagraeque vehementia affictabatur, ut digitum digito iungere nequiret, teste Muratorio *Annalium Italiae tom. 7, pag. 460.* Missam sine instrumentorum quorumdam adminiculo celebrare haud valebant. Ptolomeus Lucensis *lib. 24*

Hist. Eccles., cap. 3, in tom. 11 Rer. Ital. Script., pag. 1191, Raynaldus *ad annum* MCCLXXXV., *num. 14,* Fleuryus *t. 18 Hist. Eccles., pag. 371, et in vita eiusdem Pontificis,* Ciacconius *tom. 2, p. 246,* Burius, Pagius, *tom. 3, pag. 455, num. 3,* auctor vitae Pontificum Hagae Comitum editae, *tom. 3, pag. 289.* Porro instrumenta quibus ad perficiendam celebrationem utebatur, describit P. Franciscus Pipinus ex Ordine Praedicatorum in Chronica, *l. 4, cap. 22: Pedibus erat ita aegrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos, exceptis pollicibus, unum ad alterum iungere non posset; immo etiam carne superexcrescente fere unus ab altero secerni non poterat. Et, cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, et quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum.* Videri cuncta possunt *. tom. 9 Rer. Ital. Script., pag. 727.*

XXXII. In Commentariis Pii II. a. MCDLVIII. ad pontificatum evecti, post prolixam narrationem institutae supplicationis in translatione capitis S. Andreae Apostoli ex Achaia eidem Pontifici dono missi, haec adduntur: *Die sabbathi, quae fuit aprilis* XVII., *celebrato grandi officio, cum benediceret populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum, ob reverentiam Resurrectionis, in ecclesia Principis Apostolorum sese rem divinam facturum, portaturumque eo sacrum Andreae caput, ut iterum atque iterum videretur, quod ex altari beati Petri abductum, in palatio clauserat. Res nova, et insperata fuit. Nam, propter aegritudines et absentiam Pontificis ante quatuor annos, non viderant Romani suum Pontificem Divinam Hostiam offerentem. Cumque suis pedibus stare Pius Praesul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret.*

XXXIII. Pius III. in Pontificem an. MDIII. electus nonnisi Diaconus erat, atque lethali ulcere impediebatur, ne pedibus posset insistere. Sedens itaque sacerdotio est initiatus a Cardinali Tituli S. Petri in Vinculis XXX. septembris; I. vero octobris eiusdem anni Episcopus consecratus, octavo postea die diademate pontificio insignitus, sedens Missam Pontificalem celebravit in Basilica Vaticana. Omne id habetur libro ultimo ephemeridum Ioannis Burcardi Ceremoniarum sacrarum magistri, *pag. 56, 58, et 59,* quem codicem Bibliotheca habebat Cardinalis Silvii Valentis nostri quondam status secretarii, iam vero tenet Reverendissimus Ludovicus Valenti ipsius Nepos:

ANNO MDIII.

Die Veneris XXIX. *septembris ordinavi sedem pro Papa, in qua sedens cruribus extensis ordinaretur et celebraret, et mensam longam pro altari, ut pedes subtus extendi possent.*

Die sabbathi.... Cardinalis S. Petri ad Vincula ordinavit Papam....accessit in Planeta ad Papam in illa sede ordinata ad omnia sedentem etc.

Die dominica VIII. *octobris, S. D. N. delatus in sede ad hoc ordinata, de qua per totum officium non descendit. Sed in ea post introitum ecclesiae .... accepit in ea Pallium, et portatus in ea super solium, deinde in ea celebravit.*

XXXIV. Dum Romanus Pontifex solemniter celebrat, peracta ad altare consecratione, ad solium suum reversus, recipit sacram Eucharistiam sub speciebus panis et vini stans, neque sedendo communicat prout per errorem scripserunt aliqui, viderique id potest *tom. 2 tract. nostri de Sacrificio Missae, sect. 1, cap. 20, § 1, edit. ital.; latinae vero sect. 1, n. 339.* In caeremoniali autem libro Cappellae Papalis liberum est Summo Pontifici porrigere sacram Communionem Cardinalibus Diaconis, aliisque solio assistentibus sedendo; qua nos libertate usi sumus numquam, Augustissimum Sacramentum stando semper distribuentes. Electi Pontificis in Episcopum consecrandi scapulis a Cardinali consecrante evangeliorum liber, capitique manus imponuntur, inde caput manusque sacro Chrismate inunguntur, Pontifice interea semper sedente. Similiter si electus Pontifex subdiaconatu, diaconatu, aut presbyteratu esset insigniendus, Episcopus Cardinalis subdiaconatus ordinem ei collaturus *sedenti calicem vacuum cum patena et urceolos cum vino et aqua, bucale et manutergium,* librumque epistolarum porrigit. In collatione diaconatus, Cardinalis ordinans stans Pontificis sedentis capiti manum imponens dicit: *Accipe Spiritum Sanctum:* sedentique Pontifici aptat paramenta et porrigit librum Evangeliorum. Tandem in collatione sacerdotii, sedens Pontifex manuum impositionem, Olei sancti, quod Ca-

thecumenorum dicitur, unctionem, calicem cum vino et aqua, atque patenam cum hostia, recipit. Quae omnia luculenter ostendunt, haud inconveniens esse, sedere Pontificem in functionibus sacratissimis, atque eo ipso missam totam a sedente posse celebrari, praesertim si pedibus debilitatis insistere non valeat.

XXXV. Atque haec sunt, quae in hac epistola exponenda duximus, eorumque disquisitioni proponenda, quorum consilia expectamus, priusquam, quid agendum, decernamus. Et si quidem sedentes Missam celebrare statuamus, tuum erit, praeparare mensam altaris cum consecrato lapide, imagine Salvatoris cruci affixi, luminaribus aliisque ad sacra peragenda necessariis; vacuumque subtus altare spatium relinquetur extendendis pedibus idoneum. Confidentes singula dexteritate tua singulari perficienda, apostolicam tibi benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI. octobris MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVIII.

Venerabili fratri Ioanni Episcopo Pampilonen.

PAULUS PP. VIII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Cupientes commodis tuis, qui diversis infirmitatibus podagrae detentus, quibus fere ad membrorum invaliditatem redactus es, Limina Apostolorum Petri et Pauli visitare personaliter de triennio in triennium commode, ut iurasti, non vales, providere, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi, ut, tua vita durante, per procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum dicta Limina visitando, ad ea aliter visitandum minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam compelli possis; ac tibi, qui propter infirmitatem praedictam, Missam stando celebrare non vales, et zelo devotionis accensus Missam celebrare desideras, tibi, ut sedendo in quodam artificio sedis per te facto, in quo sedendo stare videaris, quoties tibi placuerit, Missam celebrare, benedictionem elargiri et alia, quae ad episcopalem ordinem pertinent, etiam sedendo exercere; et horas canonicas, diurnas et nocturnas, cum uno vel duobus cappellanis, iuxta ordinem Romanae Curiae per dilectos filios nostros Cardinalem Sanctae Crucis vel alios antiquitus institutum, prout tibi placuerit, libere et licite dicere, ac easdem horas anteponere et postponere, et cumulative unico contextu recitare sine scrupulo conscientiae libere et licite possis et valeas, tenore praesentium de speciali gratia indulgemus; proviso: quod divinum sacramentum debita cum reverentia tractetur, et scandalum non sequatur; et, si celebratione tua in artificio praedicto astantes scandalizari verisimiliter credi possit, celebrationem huiusmodi, non publice, sed privatim facias. Non obstantibus apostolicis in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum in Domo Sanctae crucis extra muros Nicen. sub annulo Piscatoris VI. iunii MDXXXIII. pontificatus nostri anno IV.

Hieronymus Card. Ghinuccius
Fab. Vigil.

Dilecto filio nostro Petro Francisco, tituli Sanctae Agnetis in Agone presbytero Cardinali Ferrerio vocato,

PIUS PP. V.

Dilecte fili noster,
salutem et apostolicam benedictionem.

Eximia virtutum dona, quibus personam tuam illarum largitor illustravit Altissimus, promerentur, ut votis tuis, praesertim quae ex devotionis fervore prodire dignoscuntur, benigno annuamus affectu. Cum itaque, sicut nobis nuper exposuisti, tu adeo frequenter gravibus tui corporis indispositionibus et praesertim podagra, quae te assidue impeditum tenet, laborare solitus sis, ut quando devotionis tuae causa Missam celebrare desideras, quoniam pedibus stare non potes, id facere nullo modo valeas; quare nobis humiliter supplicasti, ut tibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur: nos igitur specialem gratiam tibi facere volentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae, ut, quotiescumque devotionis gratia missam celebrare volueris, si eam pedibus stando ob ipsas indispositiones commode celebrare nequiveris, illam sedendo in oratorio domus tuae, seu cappella tua privata, coram familiaribus et

domesticis tuis dumtaxat, ita ut exinde nullus scandalum aut offendiculum capere possit, alias tamen rite celebrare valeas auctoritate apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die XXVIII. septembris MDLXVI. pontificatus nostri anno primo.

Caesar Glorierius.


Iam cuncta congesseramus, quae ad celebrationem Missae sedendo, etiam Canonis et Consecrationis tempore, spectare videbantur, iamque iis, quorum desuper consilium opperiebamur, erant mittenda, cum Altissimi Providentia nova nos infirmitate probare est dignata; in rem itaque, et ad formandum plenius iudicium fore iudicavimus, si quae nobis acciderunt, subiungeremus.

Dies erat XIV. mensis octobris, cum vehemens nos aggressa est dysuria in mixtam sanguine distillationem degenerans; medicum ea res multum non movit quidem, nobis vero timor exinde proviens febrem attraxit: cui obviam itum phlebotomia et corticis peruviani sumptione; neque exciderat nobis tum gravis nostra senectus et illud *Psalmi 89: Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: et amplius eorum labor, et dolor.* Quo innuitur: *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; id est, tempus vitae nostrae in seipso conclusum et definitum, non transcendit ultra septuaginta annos:* in robustioribus autem ad octuaginta annos exsurgit: *et in robustioribus usque ad octoginta.* Quod vero octoginta annos excedit, infirmitatibus plenum est et doloribus, prout nobis contingit: *et si quid ultra erit, erit labor et dolor, aetas videlicet infirma et variis malis et aerumnis obnoxia.* Verba sunt venerabilis Bellarmini in eumdem psalmum.

Sed resumendum narrationis filum: urina naturali colori restituta, sanguinis apparentiam omnem exclusit, nosque tam quoad capitis vivacitatem, quam quoad laborandi facultatem restituti sumus in eum statum, quo ante assaltum praedictum fruebamur, unum si excipias, necessitatem nimirum extrahendi urinam ope syringae, si ultra duas horas cum dimidia omitteremus, ingenti nos dolori subiiceret.

Cum itaque intra temporis huiusmodi intercapedinem commode satis Missae Sacrificium absolvi possit, quisque desuper in consilium vocatus libere mentem pandet suam, deceatne Missam totam una cum Canone sedendo celebrare, an vero secus. Id, ut grave nemini accidat, rogantes, id sibi molestiae sumentibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII. octobris MDCCLVII., pontificatus nostri anno XVIII.



INDICES

HUIUS TERTII VOLUMINIS

INDEX

ROMANORUM PONTIFICUM QUORUM ACTA
IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR



INDEX INITIALIS

BENEDICTUS XIV.

IN SUPPLEMENTO



INDEX RUBRICARUM

BENEDICTUS XIV.

IN SUPPLEMENTO

TITULUS I.

De ieiunii disciplina

§ I.

§ II.

TITULUS II.

De usuris aliisque iniustis quaestibus

TITULUS III.

De libero ingressu clericorum saecular. in Ordines Regulares



INDEX

DOCUMENTORUM QUAE IN NOTIS HUIUS VOLUMINIS INVENIUNTUR

PIUS IV.

PIUS V.

GREGORIUS XIII.

SIXTUS V.

GREGORIUS XV.

CLEMENS XI.

INNOCENTIUS XII.

BENEDICTUS XIV.



IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Julius Lenti Patriarcha Constantinop. Vicesgerens.

